ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, E SOCIETATE IESU...

Alfonso Salmeron, Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

G
*29.
N.ª 106

ALFONSI
SALMERONIS
TOLETANI,
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI,

DISPVTATIONVM IN EPISTOLAS CANONICAS, & Apocalypſim TOMVS QVARTVS, *ac omnium operum poſtremus, in ordine autem*

TOMVS XVI.

Apponuntur in fine aliquot Epiſtolæ eiuſdem Authoris, quibus ad nonnulla ſacra interrogata reſpondet.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud ANTONIVM HIERAT, *&* JOANNEM GYMNICVM, *ſub Monocerote.*

ANNO M.DC.XV.
Cum gratia & Priuileg. Sacræ Cæſar. Maieſt.

INDEX DISPVTATIONVM QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

In Epiſtolam Catholicam, ſiue Canonicam beati Iacobi Apoſtoli.

DISPVTATIO PRIMA. In qua primùm diſſeritur, propter noſtri ſeculi hæreticos, num ſit Canonica. Deinde quis eius extiterit autor & quis fuerit hic Iacobus. Tertiò, cur hæc & illis B. Petri Principis Apoſtolorum, & Ioannis Dilecti diſcipuli epiſtolis præferatur. Quartò, ad quos hæc epiſtola ſit ſcripta: in quo prima illa clauſula: *Iacobus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*, pag. 1.

Diſput. II. In illa Apoſtoli verba: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, & reliqua*, pag. 6.

Diſput. III. In ſecundi capitis verba: *Fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens in veſte candida, &c.* vſque in finem capitis, pag. 19.

Diſput. IV. In tertii capitis verba: *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei; ſcientes quoniam maius iudicium ſumus. In multis enim offendimus omnes*, & reliqua vſque in finem capitis, pag. 28.

Diſput. V. In quarti capitis verba: *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci, &c.* in finem vſque capitis, pag. 35.

Diſput. VI. In quinti capitis verba: *Agite nunc diuites plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum, & argentum veſtrum æruginauit*, & reliqua in finem epiſtolæ, pag. 41.

In Epiſtolam primam beati Petri Apoſtolorum Principis.

DISPVT. I. In primum de ſalutatione quam præmittit, diſſerendum eſt, nempè: *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: Gratia vobis, & pax multiplicetur*, pag. 50.

Diſput. II. In illa Petri verba: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnã regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, &c.* & reliqua in finem vſque capitis, pag. 55.

Diſput. III. In capitis ſecundi prioris epiſtolæ Petri Apoſtoli verba: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modò geniti infantes rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem, &c.* vſque ad illa verba: *Vos autem genus electum, &c.* pag. 65.

Diſput. IV. In illa verba: *Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, & quæ ſequuntur in finem vſque capitis, pag. 70.

Diſput. V. In verba tertij capitis prioris epiſtolæ beati Petri: *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant Conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem veſtram*, & reliqua vſque ad illud, *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit, &c.* pag. 77.

Diſput. V I. In reliqua verba eiuſdem capitis: *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando : quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ, ſaluæ facta ſunt per aquam, &c.* & reliqua in finem capitis, pag. 83.

Diſput. V I I. In Apoſtoli Petri verba illa quarti capitis: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis: &c.* vſque in finem capitis, pag. 89.

Diſput. V I I I. In verba quinti capitis illa: *Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paßionum, & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator: Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, &c.* & reliqua vſque in finem capitis quinti, pag. 97.

Diſputationes in poſteriorem Beati Petri Epiſtolam.

DISPVT. I. In qua primum diſſeritur, an ſit verè Canonica. Deinde an legitimus ſit fœtus eius quem præſefert autoris, hoc eſt Petri Apoſtoli: & quæ ſint argumenta, quæ in illa obiiciuntur, &c. pag. 109.

Diſput. I I. In verba primi capitis poſterioris epiſtolæ beati Petri: *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cogitationes eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, &c.* & reliqua in finem vſque capitis, pag. 113.

Diſput. I I I. In verba ſecundi capitis poſterioris beati Petri : *Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces &c.* & reliqua vſque in finem capitis, pag. 123.

Diſput. I V. In tertium caput poſterioris beati Petri: *Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſynceram mentem, &c.* & quæ ſequuntur in finem vſque capitis, pag. 133.

Diſputationes in primam beati Ioannis epiſtolam Canonicam.

DISPVT. I. In qua de eius dignitate, & cur in ea ſuppreſſerit nomen ſuum, & nomen eorum ad quos ſcribit, nec vllam ſalutationem dederit, diſſeritur. Deinde argumentum epiſtolæ proponitur: eius quoque in partes ſuas diſtributio indicatur, pag. 143.

Diſput. I I. Circa illam primam clauſulam prioris capitis epiſtolæ primæ Ioannis, *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ & vita manifeſta eſt, &c.* pag. 148.

Diſput. I I I. In qua reliqua verba primæ clauſulæ explicantur: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus. &c.* pag. 155.

Diſput. I V. In illa verba: *Quod vidimus, & audiuimus annuntiamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus vobis, vt gaudeatis, &c.* pag. 162.

Diſput. V. In illa Ioannis verba: *Et hæc eſt annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux eſt, &c.* 1. Ioan. 1. pag 168.

Diſput. V I. In verba illa: *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem. Et ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c.* pag. 174.

Diſput. V I I. In illa verba: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt,* pag. 178.

Diſput. V I I I. In illa verba: *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate,* pag. 183.

Diſput. I X. In illa verba: *Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis,* pag. 187.

Diſput. X. In illa verba: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis vt non peccetis. Sed & ſi quis peccauerit, aduo-*

catum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: &c. 1. Ioan. 2. pag. 193.

Diſput XI. in illa verba: *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*, pag. 199.

Diſput. XII. circa Ioannis verba: *Et in hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt*. pag 207.

Diſput. XIII. in verba illa: *In hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in Chriſto manere debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*, pag. 212.

Diſput. XIV. in illa verba: *Chariſsimi non mandatum nouum ſcribo vobis ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio. Mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis, &c.* & reliqua vſque ad: *Scribo vobis filioli*, pag. 215.

Diſput. XV. Super illa verba: *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis Patres, &c.* pag. 220.

Diſput. XVI. in verba Ioannis: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, &c.* pag. 225.

Diſput. XVII. in illa verba: *Filioli, nouiſsima hora eſt. Et ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, &c.* pag. 230.

Diſput. XVIII. in illa verba: *Sed vos vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, &c.* & reliqua vſque ad: *Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos*, pag. 235.

Diſput. XIX. in illa verba: *Et nunc filioli manete in eo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* quæ ſunt finis, cap. 2. pag. 241.

Diſput. XX. in verba Ioannis cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum. Chariſsimi, &c.* pag. 250.

Diſput. XXI. in verba illa: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas. Et ſcitis quia ille apparuit, &c.* & reliqua vſque ad illud: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli*. pag. 256.

Diſput. XXII. Super verba illa: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum nõ facit: quoniam ſemen ipſius in eo non manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt, &c.* & reliqua pag. 262.

Diſput. XXIII. circa illa verba: *Nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, &c.* pag. 266.

Diſput. XXIV. in illa Apoſtoli verba: *In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Chariſsimi, &c.* & reliqua quæ ſequuntur in finem capitis, pag. 262.

Diſput. XXV. in verba illa, cap. 4. *Chariſsimi, nolite omni ſpiritui credere: ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei, &c.* pag. 265.

Diſput. XXVI. in illa verba *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum, quoniam maior eſt qui in vobis quàm qui in mundo. Ipſi de mundo ſunt*, & reliq. pag. 274.

Diſput. XXVII. in illa verba: *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. Chariſsimi, ſi Deus dilexit nos, &c.* vſque ad: *Et nos vidimus, & teſtificamur quoniam Pater miſit filium ſuum Saluatorem mundi, &c.* pag 290.

Diſput. XXVIII. circa illa verba Ioannis: *Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Saluatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt Filius Dei, &c.* vſque in finem capitis, pag. 294.

Diſput. XXIX. in illa verba cap. 5. *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus, &c.* pagina 298.

Diſput. XXX. in illa verba: *Quis eſt autem qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus, &c.* vſque ad: *Et hi tres vnum ſunt*, pag 304.

Diſput. XXXI. in illa verba: *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit, &c.* pag. 311.
Diſput. XXXII. in illa verba: *Qui ſcit, fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, &c.* pag. 315.
Diſput. XXXIII. ſuper illa verba: *Scimus, quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei, &c.* in finem capitis, pag. 321.
Diſputatio vnica in ſecundam Ioannis epiſtolam ad Electam Dominam, pag. 327.
Diſputatio vnica in tertiam Ioannis epiſtolam ad Gaium, pag. 333.
Diſputatio vnica in Catholicam epiſtolam Iudæ Apoſtoli, pag. 336.
In ſacram Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ Apocalypſin præludia, ſiue obſeruationes minimè pœnitendæ, pag. 346.

Finis Diſputationum.

INDEX EPISTOLARVM
R.P. ALFONSI SALMERONIS
Argumenta complectens.

EPiſtola Cardin. Carafæ eundem Patrem. Monet dubitationem ſuper locum Pauli 1. Cor. 14. de eo qui loquitur linguis, & non poteſt explicare auditoribus, pag. 369

Epiſtola P. Salmeron. ad eundem Cardin. explicat eundem locum Pauli 1. Cor. 14. 370

Epiſtola eiuſdem Cardin. ad P. Salmeron. Mouet adhuc dubitationem circa eundem Pauli locum. 371

Eiuſdem P. Salmer. ad eundem Cardin Diſſoluit propoſitam dubitationem. ibid.

Eiuſdem Cardin ad eundem P. Salmer. Narrat Pij V. obitum, & Gregorij XIII. creationem. 375

Patris Salmer. ad eundem Cardin. Monet quæſtiones ſuper Petri peregrinatione & Chronologia. 376

P. Salmer. ad eundem Cardin. Locum difficilem Stephani Act. 7. declarat. 378

Alia epiſtola, in qua locum Eccleſiaſtici 18. Poſt concupiſcentias tuas ne eas, declarat. 385

Alia P. Salmer. P. Caniſio Laudat librum de beato Ioanne, & accendit animum ad abſoluendum librum de Virgine Deipara: ſeq. & ſuos excuſat, quòd non poſſint aduerſus hæreticos ſcribere. 387

Alia epiſtola de nominis Miſſæ ratione ac etymologia. 390

Alia P. Salmer. Doctori Aſtudillo. Ad tria interrogata reſpondet: De ſacrificio pro peccato, an eſſet in præcepto: & num quis poſſet prius offere ſacrificium pacificum, quam pro peccato: & de nomine Euchariſtiæ. 394

Alia P. Salmeronis ad eundem Doctorem. Quod in lege diceretur peccatum ex ignorantia, & quod ex contemptu, declarat; & quæ peccata eſſent ſacrificijs expiabilia, & quæ non: ac dubia quædam circa hæc diſſoluit. 397

Alia P. Salmer. ad eundem de eadem re. 301

Alia P. Salmer. ad eundem de eadem re. 403

Alia P. Salmer. ad eundem. Ad tria quæſita reſpondet, & vnum proponit, quod ſibi petit diſſolui. 405

Alia P. Salmeron. P. Stephano Tuccio. Expendit quod acceperat reſponſum de hiſtoria Iudith; & de hebdomadibus Danielis: tùm etiam de Petri Romam aduentu diſſerit. 409

Alia eiuſdem P. epiſtola, quæ tota in dubitationibus proponendis verſatur circa deſcriptionẽ & profeſſionẽ factã naſcente Chriſto. 415

Alia epiſtola eiuſdem P. Salmer. ad P. Stephanum Tuccium. Dubitationes profert ſuas circa cenſus, ac deſcriptionis rationem tempore Chriſti Natalis: cõmunicari ſibi petit lucubrationes de Chriſti & Apoſtolorũ annis. 418

Eiuſdem P. Salmer. Cardinali Stanislao Hoſio. Monet vt regno Poloniæ Rege deſtituto, vt pater conſulat. 419

P. Caniſii P. Salmeroni. Agit gratias, quòd ſua in lucem edere inſtituat ſcripta; & iudicium ſuum circa librum de Virgine Deipara poſtulat. 421

P. Salmer. Cardin. Stanislao Hoſio. Suam ſententiam profert de præfatione in libros de Confeſſione Fidei Catholicæ. ibid.

Alia P. Salmer. Differit de tempore quo contigit hiſtoria Iudith. 425

FINIS.

R.P.

R. P.

ALFONSI SALMERONIS TOLETANI, E SOCIETATE IESV THEOLOGI COMMENTARII,

IN EPISTOLAM CATHOLICAM, SIVE CANONICAM B. IACOBI APOSTOLI.

LIBER DECIMVS SEXTVS.

DISPVTATIO I.

In qua primùm diſſeritur, propter noſtri ſeculi hæreticos, num ſit Canonica: Deinde quis eius extiterit Autor, & quis fuerit hic Iacobus: Tertiò, cur hæc & illis B. Petri Principis Apoſtolorum, & Ioannis Dilecti diſcipuli epiſtolis præferatur: Quartò, ad quos hæc epiſtola ſit ſcripta: in quo prima illa clauſula: *Iacobus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione ſalutem*: explicabitur: Quale item ſit huius Epiſtolæ argumentum.

ABSOLUTIS tandē omnibus Pauli Epiſtolis, ac, Deo bene fauente, expeditis, accedimus ad ſeptem illas, quæ Græcis Catholicæ, à Latinis verò Canonicę nuncupātur. Nam Hieronymus in Prœmio quod eis præmittit, in Latinis codicibus Canonicas vocat: in libro verò de Viris illuſtribus Iacobum ait vnam ſcripſiſſe epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt: vbi promiſcuè & Catholicas, & Canonicas appellat. Quemadmodum igitur Pauli Epiſtolæ ſuum peculiare nomen habent, quia aut Apoſtoli, aut Pauli nomine venire conſueuerunt: ita ſeptem iſtæ, & Apoſtolicæ, & Catholicæ, & Canonicæ appellari poſſunt. Apoſtolicæ quidem: quia à quatuor Apoſtolis, nempe Iacobo, Petro, Ioanne, & Iuda, dictatæ ſunt; quia etiam plenæ ſunt Spiritu Apoſtolico, & doctrinam, & grauitatem, & autoritatem Apoſtolicam ſpirant. Rurſus Catholicæ dicuntur, hoc eſt, vniuerſales: non quod non habeant peculiarem aliquam gentem in titulo, ad quam deſtinantur: nam ea ratione epiſtola ad Hebræos, quæ titulo deſtituta eſt, Catholica nuncupanda eſſet; prior etiam ad Corinthios vniuerſalis, & Catholicæ nomine gaudere deberet, quoniam non ſolùm ad Græcos, ſiue Corinthios inſcribitur, ſed etiam additur: *Cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni loco, ipſorum, & noſtro.* Demùm ſecundùm ipſius textus verba, Iacobus hanc conſcripſit epiſtolam ad Chriſti profeſſores ex Iudaiſmo conuerſos. Præterea ſecunda, & tertia epiſtola B. Ioannis ad peculiares perſonas, & priuatas conſcriptæ ſunt,

B. Hieron. apud Gloſſ. ordin.

Idem to. 1.

Quatuor de cauſis epiſtolæ Canonicæ Catholicæ nominantur.

1. *Cor.* 1.

atio Oecumenii ... arum ſir ... a, & ido ... ra huius ... ppellationis.

nempe ad Electam dominam, & ad Gaium. Non ergo dicuntur Catholicæ, quòd in vniuerſum ad omnes conſcriptæ ſint; quemadmodùm Oecumenius inſinuat, ſed quia vniuerſim, & apud omnes, qui Chriſti fidem profitentur, tanquam diuinæ & ſacroſanctæ receptæ ſunt. Cum enim plurimæ aliæ Apoſtolorum nomine epiſtolæ conſcriptæ eo ſeculo circumferrentur, non erant tamen illæ in tantam autoritatis celſitudinem receptæ, vt conſtat de epiſtolis B. Barnabæ, & Polycarpi, & Ignatii, & Dionyſij Areopagitæ, & Clementis Romani, qui ad Corinthios, & ad Iacobum fratrem Domini peculiares epiſtolas dictauit. Dicuntur etiam Catholicæ, quia vniuerſalem doctrinam in ſeptenario, hoc eſt, in numero vniuerſitatem ſignante comprehenſam continent: & quia fidei, ſpei, & charitatis in quatuor mundi partes perfectam ſapientiam tradunt. Sunt præterea vniuerſalium autorum, hoc eſt, Apoſtolorum, quos Deus miſit in vniuerſum mundum prædicare Euangelium omni creaturæ: quod partim verbo, & ſcripto, partim verò vitæ, & patientiæ, & mortis exemplo confirmatum reddiderunt. Denique à Latinis Patribus Canonicæ vocantur, non ob id, quòd ſolæ iſtæ tanto titulo præfulgeant, cùm & Euangelica Chriſti hiſtoria, & Paulina ſcripta cum reliquis, hoc eſt, Actis Apoſtolorum, & Apocalypſi, & Canonica ſint, & ab omnibus meritò proinde recipiantur: ſed quòd epiſtolæ non habentes vnicum autorem, à quo denominentur, quemadmodum illæ Pauli, in Canonem receptæ ſint: quod de aliis vel Apoſtolicorum virorum, vel pſeudoapoſtolorum epiſtolis, quæ Apoſtolorum nominibus circumferebantur, ſentiendum non eſt.

Marc. vlt. Matth. vlt.

Suntque hæ ſeptem epiſtolæ Canonicæ, quæ ſonant Regulares, quia ſine vlla obliquitate erroris, aut vitij, aut defectus exaratæ ſint: quanquam vitium, aut defectus aliquis interuenire potuerit in ſcriba, aut interprete, aut in ſenſu, & expoſitione, quam lectores ex illis aliquando recipiunt. Sunt etiam regula certiſſima aliarum Scripturarum, quæ humano lumine ſunt ſcripto conſignatæ. Canon item, & regula humani intellectus in credendo, & intellectu noſtro dirigendo: Regula etiam voluntatis in Deo, & proximo noſtro propter Deum diligendo. Sunt etiam bonorum operum regulæ in peccatis declinandis, & virtutibus amplectendis, & quæ per Eccleſiam, quæ falli nequit ob aſſiſtentem ſibi Spiritum veritatis approbatæ, Chriſtumque primum canonem, & primam regulam adipiſcendæ ſalutis æternæ proponunt, ediſſerunt, ac celebrant.

Cædem ... ur Canonicæ dicantur.

Ioan. 14.

¶ Admonemur etiam de prouidentiſſimo autore Deo, qui cum omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuerit, hanc doctrinam in ſeptiformi numero omnimodam, & copioſam indicauit, quòd Spiritum ſeptiformem contra ſeptem ſpiritus nequiores, & expulſos de Maria Magdalena conferat. Prætereà ſeptem iſtæ epiſtolæ, tanquam ſeptem ſtellæ, ſeu Planetæ in firmamento ſunt poſitæ, vt lucem tenebroſæ nocti noſtræ vitæ præbeant, & noſtram vitam ad cœlum abſque errore dirigant. Sunt ſeptem item candelabra aurea, quæ fide nos illuminant, & ſpe, atque expectatione æternorum in altum attollunt, & in amorem Dei accedunt. Sunt item ſeptem panes, quibus explenda eſt animæ fames nos excrucians. Sunt etiam ſeptem ſportæ, quæ fragmenta panis multiplicati continent, in quibus non turba, ſed diſcipuli, id eſt, perfecti ſatiantur: quia teſte Hieronymo epiſtola ad Paulinum, Iacobus, Petrus, Ioannes, & Iudas, epiſtolas ediderunt tam myſticas, quam ſuccinctas & breues pariter, & bonas: breues in verbis, longas in ſententiis, vt rarus ſit, qui in earum lectione non cæcutiat. Poſſunt quoque dici ſeptem columnæ domus Salomonis, quibus domus Eccleſiæ, ne cadat, ſuſtentatur. Aptè etiam accommodantur ad ſeptem agni cornua: quia errores circa Trinitatis ſanctiſſimæ, & Incarnationis myſteria, & alias Iudaicas falſitates, & hæreticas ventilant. Sunt & ſeptem oculi eiuſdem agni, id eſt, ſeptem Spiritus miſſi in omnem terram, vt carne mortificata, impleatur tota terra Spiritu.

Epiſtolæ Canonicæ cur Septé. *Matth. 12.*

Luc. 8. Vbi præfiguratæ.

Apoc. 1.

Matth. 15.

Ibidem.

B. Hieron. epiſt. 1. t. 3. initio.

Prou. 9.

Apoc. 5.

Ibidem.

Hunc igitur numerum ſeptem canonicarum epiſtolarum agnouit Eccleſia, & præter Concilia Generalia, & Romanos Pontifices, Auguſtinus libro 2. Doctrinæ Chriſtianæ capite 8. duas enarrat Petri, tres Ioannis, vnam Iacobi, & vnam Iudæ, & Hieronym. toties inculcauit, & Gregor. Nazianz. in Heroico carm. quo libros noſtri Teſtamenti canonicos dedit, ita ſcriptum reliquit:

De autoritate epiſtolarum Canonicarum hoc numero ſeptenario. *Aug. to. 3. Gregor. Nazianz.*

Deinde his ſeptem Pauli numerato libellos;
Catholicas ſeptem, inter quas eſt prima Iacobi,
Et geminæ Petri ſubeunt, tres deinde Ioannis,
Septima poſt iſtas ſuccedit epiſtola Iudæ.
Legitima haud fuerit, ſi qua extra hæc ſcripta feratur.

Amphilo. Et Amphilochius in Iambo quodam ad Seleucum, eundem numerum ex quorundam ſententia, non autem ex ſua agnouit, & Didymus illas ſuis elucidationibus totidem explanauit. *Didymus.* Eſt prætereà Athanaſius qui in Synopſi eam numerat cum aliis ſeptem, & iterum in epiſt. heortaſtica, quam Ioan. Curter. interpretatur, vbi Catalogum librorum noui Teſtamenti ponit: nam enumeratis quatuor Euangeliis, & lib. Act. Apoſt. ſubdit: *Tum Catholicæ quæ vocantur Apoſtolorum epiſtolæ ſeptem, vna Iacobi, Petri duæ, Ioannis tres, & Iudæ vnica. Sunt rurſus & Apoſtoli Pauli epiſt.* 14. Hæc ille: quæ verba vt diſcipulus, & imitator Athan. & Nazian. Damaſc. lib. 4. de Fide ortho. c. 18. in fin. ait: *Catholicæ epiſtolæ ſeptem: Iacobi vna, Petri duæ, Ioannis tres, & Iudæ vna. Pauli Apoſtoli epiſtol.* 14. Cyril. Ieroſoly. catecheſi. 5. enumerans libros canonicos noui Teſtamenti. Adhæc ſeptem Iacobi, Petri, & Ioannis, & Iudæ, inquit. Nam ſi hæretici audiendi eſſent, tanta fuit & veterum, & recentiorum libido, & impudentia, vt ex ſeptem vix nobis duas reliquerint intactas, nempe priorem Petri, & priorem B. Ioan.

Athanaſ. tom. vlt. Ioan Curterius. Idem in operis.

Ioan. Damaſcen.

Cyril Ieroſolym.

Hæreticorum mira peruerſitas.

Accedimus iam ad ea, quæ in dubium reuocauimus, inter quæ primum locum obtinebat, num hæc epiſtola Iacobi verè eſſet canonica, & Apoſtolica, quòd multi noſtro ſeculo de ea dubitauerint, quidam etiam inficiati ſint. Et breuiter dicendum, ad hoc dubium ſatis reſpondere vtrunque titulum, qui à Græcis pariter, & à Latinis his ſeptem epiſtolis tribuitur, quo eam in numero, & albo canonicorum librorum reponunt. Idem probat, q̀ à multis Patribus antiquitate, & doctrina præſtantibus, non ſolum vt ſacer, & diuinus liber producitur, ſed etiam enarratur, & exponitur: vt à Clemente Alexand. ac Didymo, & Oecumen. & Auguſt. qui lib. 2. Retract. c. 32. ſcripſit: *Inter opuſcula mea reperi expoſitionem epiſtolæ Iacobi Apoſtoli, quam retractans aduerti annotationes expoſitorum quorundam eius locorum in librum redactas fratrum diligentia, qui eas in frontibus codicis eſſe noluerunt:* & aſſerit, ſe, cum in illam dictaret, non diligenter ex Græco habuiſſe interpretatam. At quî fieri poteſt, vt Auguſtinus dictauerit annotationes in librum Scripturæ, quem Canonicum non agnouiſſet? Hieronymus autem in huius epiſtolæ prologo teſtatur ſe eius verum ordinem reſtituiſſe, cum prima eſſe debeat, & præcedere illas Petri & Ioannis, vt tempore poſteriores. Euſeb. Cæſarien. lib. 2. de Hiſtor. Eccl. c. 23. affirmat, epiſtolã Iacobi & Catholicã, Canonicã, & ab Eccleſia receptã, & primum locum habere inter Canonicas. Lutherus tamen negauit Canonicam, & vocauit eam ſtramineam, non ob aliud, niſi quod eius dogma de iuſtificatione per ſolam fidem, efficaciter ac perſpicuè proſterneret, ac iugularet, & cum hæreticum eleganter depinxerit. Caluinus tamen Lutheri diſcipulus in eiuſdem epiſtolæ præfatione, nihil ait ſe in ea videre quod non ſit Apoſtolico ſpiritu dignum. Eraſmus autem, qui ante iſtos ſcripſit, auſus eſt quaſi de tripode pronunciare, non habere hanc epiſtolam tantum autoritatis Apoſtolicæ, & Hebraiſmi, quantũ fratrem Domini decebat. At Miniſtri Congregationum Heluetiæ in Confeſſione quam ediderunt anno 1566. ſcribunt: *Si Iacobus dixit opera non iuſtificare, nõ eſt contradicendum; alioqui reijciendus.* Caietanus verò non cenſuit hanc epiſtolam Canonicam, eo quòd eius ſcriptor non videtur eſſe Apoſtolus. Solis enim, ait, Apoſtolis data eſt poteſtas condendi Scripturas, vt nihil ſit Canonicum, quod non ſit vel ab ipſis ſcriptum, vel ab eis approbatum. Quæ opinio falſa videtur. Nam etiam ſi Apoſtolus non fuiſſet, cum ſcriptum hoc ſit vel ab Apoſtolis, vel ab Eccleſia vt Canonicum approbatum, epiſtola hæc canonica habenda eſt. Falſum item eſt, epiſtolam hanc ab Apoſtolo non eſſe profectam, cum fuerit Iacobus Alphæi filius, & Mariæ ſororis Matris Domini, & frater Domini vocetur, vt mox probabitur. Eſt igitur omnibus rationibus Canonica epiſtola, & à veteribus cognita, & in album diuinarum Scripturarum relata.

Num hæc epiſtola Iacobi, ſit Catholica, & Apoſtolica, necne.

Aug. l. 1.

Hieronym.

Euſeb.

Cur hanc epiſtolam reiecerit Lutherus, minimè autem Caluinus.

Eraſmi, miniſtrorumq; Congregationum Heluetiæ cenſura, tantis digna viris videlicet.

Iacob 2.
Opinio Caietani & falſa, & periculoſa

Secundum dubium extiterat, quis fuerit hic Iacobus. Eraſmus illud noſtro ſeculo primus in dubium vocauit, & pro duobus, qui extant in Euangelio Iacobis, quatuor cõminiſcitur. Et admirabile eſt, temerarium huius audacis hominis iudicium, qui contra omnium ſenſum Patrũ, quorum nullus tribuit hanc epiſtolam Iacobo Zebedæi, Ioannis Apoſtoli germano fratri, præter vnum Iſidorum lib. de vita & morte Sanctorum c. 73 ſed tantum Iacobo Alphæi filio, auſus eſt contrarium, ac diuerſum affirmare. Certè

Quis fuerit Iacobus ſcriptor huius epiſtolæ. *Contra Eraſmum.*

Caietanus negauit eum fuiſſe Apoſtolum, quia ſe non vocauit Apoſtolum, ſed tantum ſeruum Ieſu Chriſti. Quod ſi verum, & ſolidum eſſet, tres illæ Ioannis Apoſtoli Epiſtolæ non eſſent Catholicę, quia ſe Apoſtolũ in illis minimè vocauit, ſicut nec Paulus in illa ad Hebræos: neq; ſimiliter illa Iudę Apoſtoli eius fratris canonica eſſet, ob illam eandem cauſam. Et ſatis habemus, Petrum in 2. epiſt. & Paulum in nonnullis ſe ſeruos Chriſti in principio nominaſſe. Ac fortaſſis, vt quidam tradit, nõ ſe Apoſtolum nominauit, quia non vt Apoſtolus, ſed vt Epiſcopus Ieroſolymitanus ad ſuos ſcripſit, & vt cederet ipſi Petro Apoſtolatum, ne quaſi Apoſtolus, cum præcedere videretur, qui deſtinatus erat in Apoſtolum, & Epiſcopum Circumciſionis, nulli enim, qui ex Apoſtolis epiſtolas ſcripſerunt, auſi ſunt ſe vocare Apoſtolos, præter Petrum, qui Apoſtolorum Princeps fuit, & præter Apoſtolum Paulum, cuius tamen Apoſtolatus in ſuſpicionẽ venerat apud multos. Vnde & apud Corinthios, & apud Galatas illũ fortiſſimè tuetur. Mihi tamen illa meditatio, q̃ paulo ante propoſui, ꝙ Iacobus Apoſtolum ſe non nomiuauerit, quòd non vt Apoſtolus, ſed vt Epiſcopus Ieroſolymorum ſcripſerit, parũ ſolida videtur. Nã ſi vt Epiſcopus ſcripſiſſet, hæc epiſtola Iuris diuini non eſſet, ſed Eccleſiaſtici, ſiue Canonici: nec n. Epiſcoporũ ſermones, aut epiſtolæ ad ſuos miſſæ diuini iuris eſſe ſolent, niſi quatenus aut diuina præcepta, aut diuinas Apoſtolorũ traditiones à tota Eccleſia receptas producunt. ¶ Eſt ergo hic Iacobus Alphæi, qui μικρὸς, id eſt, paruus, ſiue minor, ſcil. vocatione, nominatur; eſtq; idem, qui frater Domini dicitur ad Gal. 1. Deniq; Iacobus cognomento iuſtus, cui apparuiſſe Dominum ſuſcitatum, ex Euangelio ſecundum Hebræos, teſtis eſt Hieron. in l. de Viris illuſt. Chryſ. autẽ homil. 47. & Beda in 1. c. Act. Apoſtol. tradunt, ordinatũ ab Apoſtolis hunc Iacobũ Ieroſolym. Epiſcop. cũ eſſet vnus de Duodec. qua de re latè ſcripſi in c. 1. ad Gal. vbi etiã diſſolui argumentum ex verbis Hieronymi ex illo loco ſumptũ. Dignus ergo fuit Iacobus, qui ad ſuos ſcriberet, & cuius doctrina ab omnib. audiretur, quia Apoſtolus erat, & frater Domini, & quia peculiaris Ieroſolymorũ Epiſcop⁹, & verè iuxta nomen ſuũ, Iacobus, id eſt ſupplantator: nã dæmonẽ fide, & precibus, carnẽ ieiunijs, mundũ eius contemptu, homines impios eximio ſanctitatis, & pietatis ſplendore ſupplantauit. Eſt præterea eorũ propriũ munus docere, qui ad exemplum ſummi Magiſtri prius cœperũt facere, ac deinde docere deniq; præceptum erat, vt ſi quis ſine liberis exceſſiſſet, frater ipſius eius vxorem deſponſaret, & ex ea ſemen fratri ſuo mortuo ſuſcitaret. Cum igitur Iacobus peculiariter dicatur frater Domini, Dominus autem Ieſus Chriſtus cum modico ſpiritualium liberorum fructu hinc deceſſiſſet, conſultiſſimum fuit, vt Sponſa eius Ieroſolymitana fratri Domini traderetur, ex qua ſemen Chriſti fratri ſuo ſuſcitaretur: vt pulchrè, & eleganter meditatur Bernardus lib. 2. de Conſideratione ad Eugenium.

Gal. 2.

Gal. 2. Excutitur ſolutio cuiuſdam quæſtionis propoſitæ.

Iacobus hic cur minor diceretur.

Hieronym. in vita Iacobi eiuſdẽ, tom. 1. Chryſoſt.

Iacobus quid ſonet Hebraicè. *Gen. 27.*

Actor 1.

Deut. 25.

Solutio tertiæ dubitationis ſit meritò primũ locum hanc Iacobi Epiſtolã inter Catholicas tenere, vt Hieron. in prologo in has epiſtol. & Euſeb. ſupra productus docent: nam ſcriptoris dignitas non efficit, vt eius ſcriptura præcedere debeat: ſicut nec inter Euangeliſtas præcedit Ioannes ſed præceditur non ſolũ ab Apoſtolo Matthæo, ſed à Marco, & Luca, qui Apoſtolis minores fuerunt. Decuit n. primò Euangeliũ prædicari Iudæis, & ſimiliter Apoſtolicã doctrinã illis tradi: ideò præferẽdus eis erat vnus eorũ peculiaris Epiſcopus & doctor, atq; hic fuit Iacobus: quemadmodũ in Euangelio Matthæus Apoſtolus, qui Hebraica dialecto Euãgeliũ cõſcripſit: poſteà B. Iacobus frater Domini ex Hebræo ſermone in Græcũ conuertit, vt librũ minus iam vtilẽ ſuo vitio qui obſtinato animo ſe illi opponebãt, in Græcum redditũ eloquium vtiliorem, ac magis Gentibus ſalutarem futurũ commendaret. Adhęc B. Iacobus ante Petrum ſcripſit, & per annos 7 aut 8. præmortuus Petro fuit: ſiquidem trigeſimo anno à Chriſti aſſumptione extinctus fuit Iacobus, triceſimo verò ſeptimo, ſiue octauo ſub Nerone Petrus.

Cur hæc epiſtola Iacobi primum locũ teneat inter Canonicas. *Hieron.*

Quarta dubitatio fuit, ad quos peculiariter ſcripta fuerit hæc epiſtola Reſpõdemus, ipſum Apoſtolum hoc explicaſſe, cùm dixit: *Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*: non quidem ſimpliciter omnibus, ſed ad eas tantum, quæ in Chriſtum crediderant: nec enim vllus canonicus liber ſcribitur niſi ad fideles tãtum. Vnde de iſtis c. 2 dicit: *Fratres mei nolite in perſonarũ acceptione habere fidẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Nam ſi omnes Iudæi terram promiſſam inhabitantes ad Chriſtũ conuerſi fuiſſent, non tantoperè Apoſtoli deplorarent cæcitatẽ, & interitũ Iudæorum. Ait ergo: Duodecim tribubus,

Ad quos hæc epiſtola ſit ſcripta.

Iacob. 2.

id eſt,

id eſt, quibuſdam de qualibet duodena tribu.

Multiplex Iudæorum diſperſio.

Quæ autem fuerit hæc diſperſio, non ſatis exploratum eſt: fuit enim multiplex Iudæorum diſperſio. Prima quidem Aſſyriaca, quando per Reges Aſſyriorum fuerunt in captiuitatem abducti, quorum reditus nunquam narratur. De hac loquitur apud Tobiam, cap. 13. Raphael Angelus.

Tob. 13.

Altera fuit Babylonica diſperſio ſub Rege Nabuchodonoſor. qui multos Iudæorum tranſtulit in Chaldæā: quorum tamen reditum Cyri Regis Perſarū conceſſu factum ſcribit Eſdras. Tertia diſperſio fuit per varios Aſiaticorum, & Ægyptiorum Principum motus, qui bello ſuperatos Iudęos, multos à terra promiſſa extorres fecerunt. Hæq; omnes diſperſiones fuerunt ante Chriſti aduentum, deq; his dixit Dauid: *Diſperſiones Iſraelis congregabit*: & Ioan. c. 11. meminit: & de hac loquuntur Iudæi. 2. Machab. 1. *Congrega Domine diſperſionem noſtrā*, & Abdias. c. vnico: *Et tranſmigratio exercitus huius filiorū Iſrael, omnia loca Chananæorum vſq; ad Sareptā, & tranſmigratio, Ieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, &c.* vbi iuxta Chaldæum interpretem de gente Iudæorum tranſmigrata in Galliā, & Hiſpaniam loquitur Propheta. In hac etiam includimus diſperſionem in Pontum, Galatiā, Cappadociā, Aſiam, Bithyniā, cuius meminit B. Petrus in 1. ſua Canonica. Poſt aſſumptū verò Chriſtum in cœlum, ſecuta eſt diſperſio Iudæorū credentium in Chriſtum, ob furorem Phariſæorum, de qua Act. 8. habetur: *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos.* Poſt hanc autem vltima eſt diſperſio per Romanos facta, quando tot hominum myriadas de terra ſancta expulerunt, & per totum orbē diſſipârunt: de qua prophetauerat Dauid: *Deus*, inquit, *oſtendit mihi ſuper inimicos meos, &c. Diſperge illos in virtute tua, &c.* nam hāc diſperſionem ob necem Chriſto Domino illatam, videtur Propheta prædicere.

1. Eſd. & ſequentib.
Pſal. 146.
Ioan. 11.
2 Mach. 1.
Abd. 1.
Act. 8.
Pſal. 58.

De qua hic diſperſione ſit ſermo.

Iam igitur dubium eſt de qua diſperſione hîc ſit ſermo. Et probabile admodum mihi eſt, fuiſſe illā, quę facta eſt propter necem Stephani: q̄ ſententiam non tantum Beda in hoc loco, ſed etiam plurimi recentiores ſequuntur. Tum quia illa recentior erat, q̄ retuli: & quoniā Chriſti profeſſores in magnis tunc anguſtiis verſabantur: tum denique, quia multi in Paſcha venerant, & ſpectatores fuerant crucis & mortis Chriſti, & reſurrectionis, atque in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum acceperant, quorum B. Iacobus peculiaris Epiſcopus, & doctor cùm eſſet Ieroſolymis, ideò ad ſe putabat ſpectare, eos etiam abſentes paſcere, & in fide conſeruare. Proinde quod viua voce pręſtare non poterat, hac epiſtola præſtitit, quemadmodum B. Cyprianus tempore quo quęrebatur ad mortem, abſens oues ſuas per epiſtolas gubernabat. Et ſic ſoluta ſit quarta dubitatio.

Cypriani in Dominicum gregem vigilantia, & cura.

Explicanda autem venit prima clauſula. Et in primis nihil dicam de nomine Iacobi, de quo multa prius dicta ſunt. Sed illud quod ait: *Dei, & domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus*, intelligit genus ſeruitutis, quod Apoſtoli in Euangelizando præſtabant. Ita enim dixit Paulus, *Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euangelio Filij eius*, id eſt, in Euangelico verbo diſpenſando & Dominus ipſe quoq; dixerat, *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite Serui inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus.* Nam perfecti hominis primū eſt conſiderare, & profiteri, quid ipſe debeat Deo propter dona accepta. Et ait, *Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti*: quia ipſe Chriſtus Deus erat, ac Dominus. Vel, Dei Patris, & Domini noſtri Filij eius. Et vtraq; eſt vera, & Catholica expoſitio, & eundem honorem Patri, ac Filio tribuit. Didymus autem ponderans hoc verbum, eleganter ait: *ſicut mortales gloriam hominum appetentes, in ſuis conſcriptionibus dignitates quas putantur habere, præponunt: ita ſancti viri in epiſtolis quas ſcribunt ad Eccleſias, principaliter proferunt ſe ſeruos eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti, æſtimantes hanc appellationem ſupra regna totius mundi conſiſtere.* Hæc ille.

Iacobus cur ſeruus Ieſu Chriſti.
Rom. 1.
Luc. 17.
Perfecti hominis officium.
Didymi egregia ſententia.

Additq;: *ſalutem*. Et ſupplendum eſt, dicit, vt conſtet oratio, ſicut & in epiſtolis Ciceronis, & Plinij ſuppletur, *M. T. Cicero P. Lentulo ſalutē*; &, *Plinius Traiano Sal.* Annotauit Caietanus, hanc ſalutationē eſſe purè humanā, & externam, & nulli alteri ſimilem: quia nihil, inquit, Dei, vel Ieſu Chriſti; nil gratiā, aut pacem ſonat, ſed profano more ſalutat. Quæ certè ſunt falſa, & profana: quia vocauerat ſe ſeruū Dei, & Ieſu Chriſti. Nec profanus eſt iſte modus ſalutandi, quia Act. 15. Apoſtoli Antiochenos, & Syros ſalutantes eiſdem verbis vtuntur. ſicut Iudæi ſcribentes ad fratres ſuos in Ægypto 2. Macha. 2. eadem verba vſurparunt. Deinde quid eſt, quæſo, Ieſus, niſi ſalus? qui ergo ſalutem precatur, non niſi Ieſum, qui eſt vera ſalus,

Caietani & falſa & profana commentatio refellitur.
Act. 15.

precatur, de quo ait Dauid; *Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.* Non ergo profanũ erat ſic ſalutare, ſed veram animæ ſalutem non agnoſcere, profanum. Præterea varios eſſe modos ſalutandi, ſcriptores ſacri docent. Nam aliter Paulus, aliter Ignatius, aliter Dionyſius Areop. aliter Cyprianus ſalutant; & quiſq; ſuum propriũ ſalutãdi modũ obſeruat. Vel fortaſſis quia iſti verſabantur inter Gentes, modo vſitato Gentib. illos ſalutare voluit, & ita illa prima clauſula expedita eſt. Et licet omnis diſperſio Iudæorũ à Deo in punitionẽ illorũ facta fuerit, fuit tamẽ cũ magna Dei miſericordia admixta, vt diſperſi cogerentur prædicare Deum, & Meſſiam, quem expectabant, præſertim iſta, de qua eſt ſermo, gratia peculiaris fuit, quia vt produximus ex capite 8. Actor. Qui diſperſi erant, pertranſibant euangelizantes verbũ Dei. In die enim Aſcenſionis diſperſit Apoſtolos per vniuerſum orbem, vt Iudæos, qui erant diſperſi multis modis à Deo inter Gentes, congregarent in vnum regnum Chriſti, Nam præcipuum mandatum habuerunt, vt in omni loco prius prędicarẽt Iudæis, quàm Gentibus, vt illi primò ad fidem conuerſi, aperirent, ac ſternerent viam Gentibus ad amplectendum Chriſtum: nam ſperabant Apoſtoli, quòd Iudæi, qui in terra ſua omnibus bonis circumfluebant, ac libertate florebant, Chriſtum tamen ſapientia, & miraculis illuſtrem agnoſcere noluerunt; ſaltem extra patriam à ſe dilectã, & extra legis ritus, & ceremonias poſiti, & Gentium conuerſionis ad fidem exemplo, tandem aperirent oculos, & reuerterentur ad Deũ, & Meſſiam ſuum. Hæc enim ſunt conſilia diuinæ prouidentiæ, plena bonitatis, & charitatis: nam vbi maximè videtur flagellare, & percutere, tum maximè conſolatur, & ad ſanitatem nos reuocat.

Pſal. 3.

Varii modi ſalutandi.

Ioan. 11.

Proprium diuinæ bonitatis.

Argumentum autem epiſtolæ tale eſt: Inſtruere conatur Apoſtolus fideles à Iudaiſmo ad Chriſtum conuerſos, ad ſanctarum virtutum exercitia, & ad vitia, ac peccata propulſanda. Ac teſte Auguſtino, creditur illo tempore conſcripta hæc epiſtola, quando hæreſis eſt orta, quæ aſſerebat, ſolam fidem ſine operibus ſatiş eſſe ad ſalutem, vt Paulus ex ſententia quorundam in epiſtolis ſuis docuiſſe videbatur: at illa olim iam ſepulta, ac profligata, nunc denuò ſuſcitata eſt per eos, qui malè interpretati ſunt Pauli verba. Et meritò Iacobus iuſtus de iuſtitia tractat. Eſtq; tota exhortatoria, & conſolatoria hæc epiſtola, & verſatur in communibus locis: cuiuſmodi ſunt; Propter Chriſtum fortiter toleranda aduerſa, quæ tandem tanta conſequitur conſolatio: Homines non Dei, aut naturæ vitio, ſed ſuapte voluntate fieri malos: Deum Patrem omnium donorum noſtrorum autorem eſſe, vt ſciamus ad quem ſit nobis in neceſſitatibus accurrendum: Temerè non eſſe loquendũ, neq; iracundiæ motibus indulgendum: Euangelicã profeſſionem ad ſalutem non ſufficere, niſi bonis operibus illam exprimamus; Neminem ex bonis externis, ſed ex veris animi bonis æſtimandum: Ex lingua effræni præcipuam vitæ peſtem oriri: Plurimum intereſſe inter mundanam, & Chriſtianã ſapientiam: pacem eſſe colendam, ac reprimendas prauas animi cupiditates: Nihil conuenire huic mundo, & Chriſto: vanam eſſe, & fugacem vitæ præſentis felicitatem: vindictam malorum Deo iudici eſſe reſeruandam: Piorum hominum preces plurimum valere apud Deum: Infirmos vnctione ſancta, & precibus ſacerdotum releuandos: Errantes in viam veritatis reuocandos, vt Dominum promereamur. Ex quibus facilè poterit diuiſio Epiſtolæ in ſuas partes haberi.

Argumentum huius epiſtolæ.

DISPVTATIO II.

In illa Apoſtoli verba: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis,* & reliq.

MVLTA occurrunt in hoc capite, quæ dubitari meritò queant, & lumen aliquod intelligentiæ, & ponderationis requirant. Et primò quidem, cur exorditur ab exhortatione ad patientiam; & quomodò tentatio ſit reputanda non tantum gaudium, ſed omne gaudium; cũ conſtet, tribulationem potius operari triſtitiam, quã gaudium. Quid item ſit incidere in varias tentationes: quæ rurſus ſit illa probatio, quæ patientiã operatur, Patientia a. opus perfectum habeat; cum ad Roman. 5 aliter Paulus definiat, nempè: *Tribulatio patientiã operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem*: quomodò item velit nos variis tentationibus agitatos gaudere; cum Chriſtus abſolutum patientiæ exẽplar, in tribulationib. ſuis triſtis extiterit, ait enim: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, & in cruce clamauerit: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Verùm quomodò patientia habet opus perfectum, cùm in patiendo conſiſtat, &

Prima dubitatio.

Rom. 5.

Matth. 26.
Infra. 27.
Pſal. 21.

non in operando, ita vt opus bonum dici non poſſit? ¶ Deinde circa illud: *Si quis noſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo*, ambigitur quorſum de patientia habens ſermonem, hortatur ad poſtulandam ſapientiam, & quænam illa ſit, & quomodo ſuadet viris perfectis, vt poſtulent ſapientiam, quam, ſi perfecti erant, proculdubio poſſidebant.

Secunda dubitatio

Item qui verum ſit, quod Deus dat omnibus affluenter, nec improperat; cum ſæpe legamus, eum collata beneficia ingratis exprobrare, & abuſus donorũ alacriter reprehendere? Itẽ quomodo hortatur, vt poſtulemus nihil hæſitando: cum ſemper liceat dubitare ex parte noſtra propter indignitatem, & defectum præparationis debitæ? Deinde quæritur, qua ratione hæſitans ſimilis ſit fluctui maris, qui à vento circumfertur; vir item duplex animo quomodo inconſtans ſit in omnibus vijs ſuis; cum permulti leues inueniantur in aliqua re, vt in carne, in cæteris vero ſint conſtantiſſimi vt in fide, Deo vel homini ſeruanda. Quo item peccato frater humilis (id eſt, pauper & tenuis, quia opponit illi diuitem) gloriari debeat in exaltatione ſua qua caret; rurſus diues qua ratione gloriari debet in humiliatione ſua, quam diuitijs ſuis non permittit ad ſe accedere? Tertio ambigitur, quemadmodum beatus ſit vir afflictus & ferens tentationem: quia inuiti, & angariati illam ferentes, non perueniunt ad vitæ coronam, quæ eſt vita æterna, ſed ad gehẽnæ mortem. Beati enim dicuntur iuſti, qui perſecutionem patiũtur propter iuſtitiam. Quî enim tentatus dicere debet, quod à Deo non tẽtatur; cum omnia illius nutu & voluntate circa electos ſuos agantur, & quos cuſtodit vt pupillam oculo. Rurſus qua ratione verum erit, quod ipſe ſit intentator malorum; cum Textus Scripturæ dicat; *Tentauit Deus Abraham*, & Dauid ait: *proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum*, & Deute. 8. habetur, *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atque tentaret.* Qui ergo per quadraginta annos tentauit, maxime tentare videtur. Præterea quæro modum, quo quiſque tentatur, à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; cum ſæpe quis tentetur de infidelitate, de homicidio, de ſuperſtitione, vel de Chriſto abiurando: in quibus nulla eſt carnis concupiſcentia. Quarto, quorſum ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectũ*: videtur enim parum cum præcedentibus cohærere; & quis eſt iſte Pater luminum, in quo non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, obſcure enim dictũ videtur. Item cur dicitur donũ Dei deorſum deſcendere, cum non ſit quid graue, & põderoſum: cur itẽ aſſerit, nos eſſe initium aliquod creaturæ eius, vel primitias creaturæ, cũ nos in hac parte præceſſerint, quorum reſpectu nos primitiæ dici non poſſumus. Denique cur velit hominem velocem eſſe ad audiendum, tardum autem ad iram, cum illi, qui confeſtim diuinas iniurias vlciſcuntur, commendentur, vt Phinees, Elias, Petrus, qui Ananiam, & Saphiram ſubita morte proſtrauit, & Paulus Elimam Magum repentina cæcitate percuſſit.

Tertia dubitatio. Matth. 5. Pſal. 16. Geneſ. 22. Pſalm 25. Deut. 8. Quarta dubitatio. Num. 25. 3. Reg. 18. Act. 5. Infra 13.

Quinto loco circa illud, *Abijcientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ*; quod nimirum conſtat in nobis ſitum non eſſe, cum ſolius Dei ſit peccata transferre, & poſt tergum, vt ait Eſaias, proijcere? Cur etiam exhortatur ad ſuſcipiendum verbum inſitum, & ſaluans, cum hoc exponatur de inſita ratione à Græcis doctoribus, quæ diſcernit inter melius, ac deterius, etſi alij aliter explicent. Cum ait: Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, dubium eſſe poſſet, num audire, & legere verbum Dei, malum ſit, cum tamen ex illis fides concipiatur, & ad bonum incitemur. ¶ Sexto in illud: *Si quis putat ſe religioſum eſſe*, ambigere quis poſſet, de quibus religioſis ſit ſermo; an de omnibus communiter Chriſti cultoribus, an de certis, & quibuſdam, qui ſuper erogant: quibus etiam interdicit, ne lingua abutantur in proximo, atque eos offendant: quæ item eſt religio iſta munda, quæ conſiſtit in viſitandis pupillis, & viduis: & circa illud poſtremum: Immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo dubitauerit quiſpiam, quinam hoc contingat, cum Salomon dicat: *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Quomodo item quiſquam cogitare ſe poteſt immaculatum, cum Dauid ſanctiſſimus de ſe ipſo pronunciauerit: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.*

Quinta dubitatio. Eſai. 38. Sexta dubitatio. Prou. 20.

Iam eximendi ſunt iſti ſcrupuli, & verba Apoſtolica explicanda. In primis igitur Apoſtolus à verbo conſolationis pleno exorditur: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei*: ac rurſus repetit. *Beatus vir qui ſuffert tentationem*: quia ad eos ſcribebat, qui in illo primo Spiritus feruore, ac fidei prædicatione, multis ac varijs tentationibus vexabantur: nam non ſolum bonorũ

Ad primã dubitationem Dei cauſa ſumpti exordij à conſolatione, & exhortatione fratrũ

Heb. 10.

ſuorum ſpoliatione lætabantur, iuxta illud ad Hebræos. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis*; ſed etiam exilio, & à propria patria eiectione. Atque ita ſi expulſi erant Ieroſolyma, & à proprijs cuique tribubus, &, quod maius erat, aduerſarij mortem illis certam, ac ignominia plenam intentabant. Ab alijs igitur confirmationem, & conſolationem accipere promerebantur, vt internæ conſolationis gaudio externæ tribulationes minuerentur. Eſt enim ſermo de Spiritus ſancti gaudio, quo tres pueri in igne fornacis Babylonicæ poſiti, tanquam vento roris flante refrigerabantur. Eſtque magna Chriſtianæ philoſophiæ efficacitas, quo grauiora ingruunt mala, eo copioſiori affici gaudio.

Dan. 3.

Quid eſt, omne gaudium, exiſtimate, &c.

Et ita Apoſtolus verbum illud quo ſalutauit, quod Græce dicitur χαίρειν non tantum ibi, ſed etiam Actor. 15. quod interpres vertit, ſalutem, explicitum nobis reddit. Nec tantum dicit, *Gaudium exiſtimate*, ſed, omne gaudium, hoc eſt, perfectum, plenum, & integrum. Siue pro magno ducite gaudio, cum tentamini. Eſt autem ſummum gaudium, quod ex coniunctione fidelis cum Deo oritur, quod erit in alia vita, quando ei omnino aſſimilabimur.

1. Ioan. 3.

Qua ratione omne gaudium in tentationibus, plenis videlicet mœrore atque triſtitia, eſſe exiſtimari valeat.

Dices ergo; Quomodo erit perfectum gaudium, & hoc in medijs ipſis tribulationibus, quæ moleſtiam potius, quam gaudium pariunt? Dicendum ergo, gaudium abſolute perfectum in hac vita non eſſe, neque ſtatum iſtum mortalitatis tale gaudium capere poſſe: non tamen propterea ſuo gaudio, & quidem pro hoc ſtatu perfecto caret. Hic autem eſt ſtatus peregrinorum, & operantium, & decertantium: nam peregrini in via gaudent, quia tendunt ad patriam; & quo plus viæ perfecerint, eo magis gaudent. Cum autem ad fores ciuitatis perueniunt, eo magis exhilarantur, & eorum gaudium expletur. Idem contingit operantibus nam cum ad finem operarum, & laborum peruenerint, præ lætitia geſtiunt: nec aliter certantibus euenit, qui cum victoriæ ſunt proximi, & finis imminet certaminis, mutuo afficiuntur gaudio. Quare Dominus recte dixit: *Gaudete, & exultate, ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cælis.*

Matth. 5.

Cur vocet fratres ſuos. Didym. hoc loco.

Vocat deinde fratres ſuos: quia teſte Didymo, ad perfectionem, & virilem patientiam inuitans conſequenter fratres ſuos appellat, & non filios, qui teneriores ſunt, & vix tantæ perfectionis capaces. Recte etiam dictum. *In varias tentationes incideritis*; ne quis audeat tentationes acceſſere, vt faciunt, qui nimium de ſeipſis confidunt, quique ſe periculis quibuſuis obijciunt. Qui enim amat periculum, ait Spiritus ſanctus, in illo peribit. At qui caſu incidunt abſque eorum culpa in pericula, & tentationes, aut religionem ſuam tuentes, ac profitentes, aut pro virtute operantes, his adeſt diuinus fauor, qui non patitur eos tentari ſupra id quod poſſunt, ſed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt poſſint ſuſtinere. Atque hoc ſentientes, perfecto afficiuntur gaudio, & in huiuſmodi tentationibus experiuntur Dei præſentis auxilium & interius dicentis: *Noli timere, ſalus tua ego ſum, &, ſufficit tibi gratia mea.* Nam pius ac iuſtus conſiderat, quis, & in quem finem, & quo fructu, & merito illas tentationes aut immittat, aut permittat Deus.

Expenditur: Cũ in tẽtationes varias incideritis.

1. Cor. 10.

2 Cor. 12.

Ad illud vero, quod ſubdit, *Scientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Aduerte, Græce τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως id eſt, exploratio, ſeu probatio fidei veſtræ, quæ eſt ipſa tribulatio, & afflictio, per quam exercetur & exploratur fides veſtra, viuane ſit, an mortua; efficax ne ſit per charitatem in nobis, an otioſa, quæ velut aurum in fornace omnem ſcoriam rubiginemq;, quæ eſt in carne, excoquit, qua purificatos, ac puros in regnum ſuum introducat. Eſt autem patientia fructus fidei veræ, & viuæ: & olim in principio naſcentis Eccleſiæ tentatio eo præcipue tendebat, vt homines fide ſpoliaret, aut ſaltem vim ſuã, & efficacitatem, quæ eſt à charitate, auferret.

Quid eſt, Probatio fidei veſtræ patientiã operatur.

Sap. 3.

Perpende verbum: *Operatur*, ſiue efficit patientiam, nempe aut tanquam eius materia, non poteſt enim quis eſſe, qui nulla affligitur tribulatione; aut operatur per viam meriti, quia indiuulſe facit hærere Chriſti promiſſionibus, eaſque conſtantiſſime retinere. Hinc alibi Paulus dixit: *Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quod vero ex Paulo capite 5. ad Romanos productum eſt, pluribus verbis hic ſimpliciter habetur: *Patientiam operatur.* Et idem eſt ſenſus teſte Didymo, etſi verba ſint diuerſa. Græce autem patientia dicitur ὑπομονὴ, id eſt, ſuſtinentia, & longa diuinæ conſolationis expectatio.

2. Cor. 4.

Quod ſequitur: *Patientia autem opus perfectum habet*, Græce habetur, habeat,

Quomodo patiẽtia perficitur.

non habet: quia multi pati incipiunt, & in patientia non perſeuerant. Perficitur autem patientia ipſo fine, nempe vt ſit propter Chriſtum, & iuſtitiam Chriſtianam, iuxta illud; Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Deinde perficitur perſeuerantia in fine, quæ comes debet eſſe patientiæ, & cui perſeuerantiæ præmium redditur, & corona. Ac vt operari diximus eſſe mereri, ita opus perfectum, eſt meritum perfectum & amplum. Vnde ad Rom. 11. habetur; Si gratia; iam non ex operibus, alioquin gratia, pura ſcilicet & ſola. Etſi dici poſſit opus perfectum, gaudium, & diuina conſolatio, in qua patientia propter Chriſtum terminatur, vel voluntaria animi tolerantis interna alacritas, vt anima ſimul cum corpore Deo offeratur.

Matth. 5.

Rom. 11.

Vbi perfecti & integri erimus in nullo deficiẽtes.

Subdit: *Vt ſitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Significat: Vt ſitis ante Chriſti tribunal præſentãdi cum omni integritate; & perfectione, & incorrupti à peccato: hoc enim præſtat ipſa patientia, qua homo dominus omnium, atque ideo ſui ipſius efficitur, de quo Chriſtus dixit: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, atque etiam corpora veſtra; quod plus eſt quam poſſidere imperium Romanorum. Melior ſiquidem eſt vir patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Poſſumus ergo in vitæ termino & perfecti, & integri omnino ad coronam percipiendam inueniri, ſicut Paulus primo Corinthiorum primo inſinuat, & alibi ait: Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.

Luc. 21.

Prouerb. 16.

1 Corinth. 1
1 Theſſ. vlt.

Ad ſecundum dubium.
Quid petitio ſapientiæ pertineat ad patientiã cõparãdum.

Ad ſecundam dubitationem, poſt exhortationem ad patientiam habendam, ſermonem facit de diuina ſapientia impetranda. Nam obijcere aliquis poterat: Non ſum adeo inſtructus, aut ſapientia præditus, qua æquanimiter afflictiones ferre valeam. Reſpondet: *Si quis veſtrum indiget ſapientia*, aut ſi cui deeſt ſapientia, quæ doceat æquo animo ferendas aduerſitates: *poſtulet à Deo.* Et ita hæc ſententia mirifice cohæret cum præcedentibus. Et Græce etiam magis hoc apparet: ait enim pro verbo illo; *In nullo deficientes*: Ἐν μηδενὶ λειπόμενοι εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται, hoc eſt, ita vt nihil vobis deſit. Quod ſi cui veſtrum deeſt ſapientia, &c. Hinc Beda egregie ait: *Si quis veſtrum non poteſt intelligere vtilitatem tentationum, quæ fidelibus probandi cauſa eueniunt, poſtulet à Deo tribui ſibi ſenſum, quo dignoſcere valeat, quanta pietate Pater caſtigat filios, quos æterna hæreditate dignos efficere curat.* Hæc ille. Vult ergo peti à Deo, *Qui dat omnibus, & qui curam habet de omnibus*, hoc eſt, à Chriſto, qui eſt Dei ſapientia, & qui in Euangelio dixit: *Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Et vt ad petendum pelliciat, explicat eius liberalitatem erga precantes. *Qui dat omnibus.* Et ne parua huius mundi bona petamus, ſubdit: *Affluenter.* Hoc eſt, non parca manu, ſed copioſe & liberaliter, candide, & ſine remunerationis ſpe, & citra fraudem, & perſonarum reſpectum. Et ne putemus illum minus pronum ad miſerendum, ſed profuſum, munificentiſſimumque, ſubiungit. *Et non improperat, vel exprobrat.* Vt beneficio ſcilicet ſuo maius à nobis eliciat beneficium, vt faciunt ſordidi, & illiberales, qui exprobrando beneficium vitiant, & ex beneficio maleficium reddũt. Vnde Cicero libro de Amicitia, dixit: *Odioſum ſane genus hominum officia exprobrantium: quæ meminiſſe debetis, in quem collata ſunt, non commemorare qui contulit.* Et Comicus in Andria, *Hæc exprobratio, eſt quaſi commemoratio immemoris beneficij.*

Beda to. 5.

Sap. 12.
1. Pet. 5.
1. Corinth. 1
Matth. 7.

Sapientiã Deus, & alia dona vt det omnibus affluenter.

Teren.

Nec obſtat, quod interdum Deus nobis exprobret beneficia accepta, vt apud Oſeam capite ſecundo, vbi enumerat beneficia collata in Iudæos, & abuſum illorum, & Ieremiæ decimoſexto, exprobrat beneficia eidem populo Iudæorum collata; & Chriſtus; *Auferetur*, inquit, *à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius*; & iterum, *Ieruſalem Ieruſalem quæ occidis Prophetas, &c. Quoties volui congregare filios tuos*, & reliqua. Sed hoc facit Deus, ne in perpetuum nobis in gehenna exprobret, vtque grati redditi conſeruemus dona ſua, & augeamus; non autem quod ipſi placeat ingratus animus noſter, vel beneficiorum exprobratio. Diſcat ergo quiſque non ab hominibus, ſed à Deo, omnia noſtra bona proficiſci, ne quiſquam ſpiritu Pelagiano imbutus, vires naturæ noſtræ abſque Dei gratia extollat, & putet à ſe aliquid conſequi poſſe. Diſcat deinde quiſque fidelis, non eſſe nobis negligenter agendum, aut otiandum, aut omnia à Deo nihil nobis agentibus expectanda, ſed precationi incumbendum, vt omnia impetrare valeamus.

Si non improperat Deus beneficia, cur ergo exprobrat?

Matth. 21.
Infra 23.

¶ Eſt autem ſapientia, non ſpeculatiua aliqua notitia, ſed ſapida quædam, & effectiua ſcientia, per quam cognitione quadam nouimus vnde veniamus, quo ten-

Quid ſit ſapientia.

tendere debeamus, & quam viam tenere habeamus. Ita nos à Deo vncti, & viſitati noſſe debemus nos à Deo eſſe profectos, & ad eum nobis eſſe tendendum, & per viam tribulationum incedendum.

Poſtulare in fide qd.

Sequitur: *poſtulet autem in fide, nihil haſitans.* In fide, inquit, id eſt, more Hebræo, cum fide vel, vt quidam volunt, in Chriſti nomine, & ne lingua oret, & cor dubitet, hoc dixit, ne hæſitemus. *Qui enim haſitat, ſimilis eſt fluctui maris.* Docet quo modo futura ſit efficax noſtra poſtulatio: vt enim illa non viuunt, quibus nulla eſt inſita vitæ ratio; ita nec oratio viuit, ſi abfuerit fides, ſiue fiducia; quæ ſe miſericordiæ Dei, & eius promiſſis committit, credens Deum veracem, & fidelem in omnibus verbis ſuis. Qua de re apud Matthæum Chriſtus ante dixerat. *Si habueritis fidem, & non haſitaueritis, non ſolum de ficulnea facietis, ſed & ſi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet.*

Efficaciter aliquid à Deo quando poſtulemus.

Pſalm. 144.

Matth. 21.

Clem. Rom

Videtur autem huic ſententiæ ſubſeruire Conſtitutio Apoſtolica lib. 7. cap. 12. *Ne ſis*, inquit, *in precatione tua duplici animo, ambigenti vtrum ſit futurum, an non: Mihi enim Petro Dominus dixit in mari: Modicæ fidei, quare dubitaſti? Qui etiam hæſitat*, inquit *ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.* Sicut Petrus faciebat, quando illum de modica fide Dominus reprehendit. Vt enim fluctus huc & illuc fertur pro ratione venti flantis, & procellis, quæ mare agitant: ita animus noſter affectibus huc & illuc circumfertur, modo metu patiendi repulſam, modo ſpe conſequendi quod petit, modo perplexitate, vt dubius minus reddatur animus. ¶ Sunt qui hanc ſententiam ita accipiant, vt Apoſtolus nolit dicere, Vt quicunque poſtulet à Deo, neceſſario credat ſe aſſecuturum, ſed potius eum dubitare non oportere, quin potens ſit præſtare quod petitur; & ita miſericors, vt velit nobis ſua dona impertiri: quod quidem verum eſt, quia alias ſine fide poſtularemus, ſi modo petamus quæ Deo ſunt placita. Ita enim videtur Ioannes in epiſtola prima Canonica, modificans hæc verba, loqui: *Et hæc eſt fiducia quã habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Eccleſia etiam ita poſtulat in peculiari quadam oratione: *Et vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita, poſtulare.* Et intellige, ſi in rem noſtram ſit, & ad ſalutẽ noſtram ſpectet, & perſeueranter poſtulemus, quia interdum differt exaudire, quo dilata deſideria noſtra creſcant. Quod ſi illud non

Declaratur hæc metaphora: Qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, &c.

Altera quorundã interpretatio.

1. *Ioan.* 5.

Petentes aliquid à Deo, quatenus accipiant.

contulerit quod poſtulamus, credendum eſt quod dabit meliora, & tunc exaudiet nos ſuper vota noſtra benigniſſimus noſtri Pater propter incomparabilia Filij ſui merita, qui non dat pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, & pro ouo ſcorpionem. Etſi ergo ex parte noſtra, ob indignitatem videlicet, & imparatum animum merito dubitare poſſimus, magis tamen, & abundantius de Dei bonitate, & promiſſis fidendum: quam de bonis ipſis diffidendum, quia ille magis benignus eſt. quam nos mali eſſe poſſimus, & præſtabilis ſuper malitia, vt dixit Propheta; ſi ita tamen ad gloriam Dei magis ſpectet, vt Ioannes dixit, *Si reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.*

Luc. 11.

Ioel. 2.

1. *Ioan.* 3.

Hic autem admonendus eſt lector, ſermonem eſſe de viro perfecto, & in ſchola Chriſti exercitato, & qui diuinam bonitatem expertus, facile concipit fidem quod exaudietur. Tales enim bene viuendo, digni ſunt qui exaudiantur. Qui enim meminit ſe diuinis non obtemperaſſe præceptis, merito diffidere poteſt an ſuas preces exaudiat Deus. Scriptum eſt enim *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Item, *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit ipſe, & non exaudietur,* Et in hunc ſenſum ſubijcit: *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Eſt autem vir duplex animo, Græce δίψυχος, id eſt, bianimus, qui duplicem animum habet, ſiue duplex cor, de quo & ſimilibus Propheta; *In corde & corde locuti ſunt.* Iſti ſunt, qui volunt ſedere in duabus ſellis, aut duobus dominis ſeruire, Deo nempe, & Mammonæ: qui inſtabiles ſunt petendo, nunc enim præſentium, nunc futurorum bonorum deſiderio tenentur, id eſt. Qui vacillanti ſunt, ac titubanti animo. Tales vocat viros, qui nunquam vnam, & eandẽ ſententiam, ſed aliam atq; aliam fouent ac tuentur, dictaque ſua quæ nunc probarunt, è veſtigio damnant, atque recantant, quod proprium eſt hæreticorum.

Proprium viri perfecti, de quo hic loquitur Apoſtolus, quid ſit.

Prou. 28.

Prou. 21.

Vir inconſtans animo quis nã ille ſit.

Pſalm. 11.

Matth. 6.

Proprium hæreticorum.

Illud autem dubium eſt, quomodo vir duplex animo, inconſtans ſit in omnibus vijs, id eſt negotijs, ſiue actionibus ſuis, cum interdum tales in quibuſdam firmi ſint & conſtantes. Dicendum eſt, non abſolute ſignificari, talem in omnibus negotijs eſſe inconſtantem, ſed ſignificari, vel quaſi indicari eum parum conſtantem futurum in actionibus ſuis, & ineptum eſſe ad quicquam impetrandum à Deo, ob defectum perſeuerantiæ, quæ

Quî nam verum ſit, qui ſunt duplices animo, eos inconſtantes eſſe in omnibus viis ſuis.

neceſſa-

neceſſaria eſt preces fundenti, vt impetret eſtque aptus natus ad omnem inconſtantiam, ſi prius non fiat vnus, & conſtans per fidem. Et donum Dei eſt, poſtulare non hæſitando. Ideo præceſſerat: *Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino*: quod intelligendum eſt quantũ eſt ex parte ipſius orantis: ſed Dei miſericordia his legibus nõ eſt alligata, nam ſemper ſupra vota noſtra & merita nos exaudit, & dimittit, quod conſcientia metuit; & adijcit, quod oratio nõ præſumit, Et Chriſtus cũ dixiſſet patri lunatici, *Si potes credere, omnia poßibilia ſunt credenti*: reſpondet ille, *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*. Quando autem alicui datur Spiritus abſolute quicquam petendi, aut ſigna, & miracula edendi, aut preces fundendi, argumentum eſt certiſſimum futuræ exauditionis.

Quãta Dei bonitas, & miſericordia.

Epheſ. 1.

Marc. 9.

Subiungit: *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; diues autem in humilitate ſua*. Oſtendit, quod non ſolum in tentatione gaudendum, ſed etiam in humili ſtatu paupertatis, ex quo aliquando à Deo eſt exaltandus ob patientiam, & diues humiliandus ob bona ſua in Chriſti, & membrorum eius vſus communicanda. Ideo iam non meminit verbi, Gaudẽdi, ſed, quod maius eſt, verbi Gloriandi. Et verbum hoc, glorietur, ſupplendum eſt à figura quæ dicitur Ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, id eſt, à communi, ita vt ſit ſenſus: Et diues glorietur in humilitate (ſeu in humiliatione) ſua. Opponit enim humilem, id eſt, pauperem, & facultate tenuem, diuiti, id eſt, illi, qui diuitijs abundat. Duo ſunt namque in mundo, quæ reddunt homines animo duplices, aduerſa ſcilicet, & proſpera, quibus modo huc, modo illuc circumferuntur. Ideo frater Domini, ad comparandam conſtantiam, fratrem ſuũ, hoc eſt, Chriſtianum, alloquitur, ſiue ille ſit pauper & humilis, ſiue diues, & amplus, vt non ſolum non contriſtetur, ſed etiam glorietur, pauper de ſua exaltatione; diues de ſua humiliatione: quia Deus eſt, qui humiles, & pauperes exaltat; & diuites humiliat; neque cor ſuum ad diuitias apponentes ſuſcipit.

Cur humilis in exaltatione ſua debat & diues in ſua humilitate gloriari.

Quæ duo . . es reddãt homines duplices animo.

Luc. 1.

Hieronymus lib. 3. in Threnos, ſi titulus nõ fallit, prope finem ita ſcribit: *Quod autem dicit filiam Edom lætari, & gaudere, eo quod peruenit ad eam calix Domini: per Ironiã legendum eſt; vt iſtud in epiſtola Iacobi Apoſtoli: Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua, diues autem in humilitate ſua: ſubauditur à ſuperiore glorietur, quod non tamen ad gloriam, ſed ad humilitatem eius, & damnationem pertinet*. Eandem ſententiam ſequitur Beda, & diuiſionem eſſe intelligendam, quam poſtulat particula quæ ſequitur: *Quoniam ſicut flos fœni tranſibit*. Ideo durius illa cohęrent cum pręcedentibus, niſi per Ironiam legantur. Quidam autem intelligunt, *Glorietur humilis in ſublimitate ſui* ſupple apud Deum; Diues autem in humiliatione, vel deiectione ſui apud homines. Græce enim dicitur, ἐν ὕψει, ἐν ταπεινώσει, *Quoniã ſicut flos fœni* (vel herbę) *tranſibit*, diues ſcilicet; et ſi flos fœni, viſũ, & odoratum delectet, tanquam floſculus momentaneus euaneſcet. Exortus enim eſt Sol tentationis, & areſecit fœnum, vel herbam: quæ omnia de caduco ſtatu diuitiarum dicuntur. Nam exortus eſt Sol tentationis cum ardore, & areſecit hæc omnia. *Ita* inquit, *& diues in itineribus ſuis emarceſcet*. Id eſt, In actionibus, in quibus, putabat ſe florere in diuitiis ſuis, marceſcet, quia dicetur ei, *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te? quæ autem paraſti cuius erunt?* Et voce illa, *In itineribus*, alludit ad mercatorem, de quo quidam dixit:

Alter ſenſus quem tradit. B. Hiero & Beda huic loco congruentior.

Diuitiarum incõſtantia.

Quomodo diues in itineribus ſuis emarceſcit.

Luc. 12.

Horatius. Epiſtol 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Quidam producunt aliam lectionem ex codice ſancti Dionyſij prope Lutetiam vbi non πορεῖς legitur, ſed πορείαις, per ſimplex iota, magis quadraret, quia de diuite eſt ſermo. Sed certe non minus quadrat quod de itineribus diximus, Sequitur: *Et decor vultus eius deperijt*. Vultus proprie hominum eſt, facies vero arborum, & rerum inanimatarum; ideo per metaphoram illi tribuitur decor vultus. Significatur ergo, quod diuitiæ non ſunt materia gloriationis, ſed humiliationis propter fidem. Locus autem hic de flore ſumptus eſt ex cap. 40. Eſaiæ, & frequẽter ab alijs Scripturæ autoribus vſurpatur.

Vultus & facies differunt.

Eſai. 40.

Accedamus ad tertio loco dubia propoſita diſſoluenda. Et in primis reſpondemus eandem eſſe ſententiam hanc, *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, &c.* cum illa Chriſti: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiã*, & reliqua. Eſtq; ſermo de beatitudine, quæ hîc poteſt contingere omnibus, qui ambulant per fidem in ſpe, & dicitur. Vir à vigore, vel virore fidei, & complectitur vtrumque ſexum, ſicut ſolet in Scripturis; Vt, *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum*: *Beatus vir qui timet Dominum*. ¶ Dicitur ſufferre tentationem, qui ei non ſuccumbit, ſed forti animo tolerat, atque illi reſiſtit, vt Iacobus

Ad tertiũ dubium. De modo quo beatus quis eſficitur ſufferens tentationem.

Matth. 5.

Viri nomine non raro etiam mulier intelligitur more Scripturæ.

Pſalm 1.

Pſal. 11.

ait;

1. Pet. 5.

ait; *Reſiſtite diabolo & fugiet à vobis*; & Petrus, *Cui* (ſcilicet diabolo) *reſiſtite fortes in fide.*

Perat quis tentationem.

Nam reſiſtentia & victoria eſt, non acquieſcere voluntati diaboli. Et nomine tentationis complectitur quaſcunque afflictiones, ſiue illa in ſpoliatione bonorũ conſiſtat, ſiue in externa corporis vexatione, ſiue in interna, qua animus tentatur de fide, de ſpe, de charitate, de ariditate Spiritus, de ſcrupulis agitatur, & torquetur. Vnde B. Petrus de Lot ait, quod habitaret apud eos, qui animam iuſtam iniquis operibus cruciabant.

2. Pet. 2.

Corona vitæ dupliciter datur; cur corona iuſtitiæ à Paulo, immarceſſibilis à Petro, & corona ſpei nominatur.

Accipit autem coronam vitæ non tantum Dei dono, ſed etiam merito actionis quod ex gratia Dei habuit. Hæc autem corona conſiſtit in vita æterna, qua coronamur, dum hic legitime contra hoſtes certamus, & contra noſtras cupiditates, quas qui vincunt, vere Deum promittentem coronã diligunt. Dicitur corona iuſtitiæ à Paulo, quia debita meritis obſeruatæ iuſtitiæ; à Dauide vero, Corona miſericordiæ: tũ quia vincit merita omnia, tum quia parta eſt operib⁹ miſericordiæ, de quibus Matth. 25. Dicitur immarceſſibilis gloriæ corona à Petro; ad differentiam aliarum coronarum, quæ apud nos marceſcunt, vt quæ ex floribus, & quercu, & lauro, hedera, & ex alijs corruptibilib⁹, nimirum auro & argento, conficiuntur. Dicitur etiam Dominus corona ſpei, quia datur tantum ſperantibus. Et omnes iſtas coronas promeruit Chriſtus ſponſæ ſuæ Eccleſiæ, ac dilectæ, pro qua portauit ſpineam coronam.

2. Timot. 2.
Infra 4.
1. Pet. 5.
1. Theſſ. 26
Ioan. 19.

Addit: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur*, vel Græce habetur, quod à Deo tentor, & codex Latinus aliquis antiquus ita habet, & Hieronymus ita legit lib. 2. contra Iouinianum, vbi oſtendit ille ex B. Iacobo Apoſtolo, baptizatos poſſe tentari, & propria voluntate corruere. Et cum dixiſſet ferendam tentationem, adiecit quis ſit ille qui tentat. Et primo excludit Deum. Deinde cum deberet diabolo tentationem tribuere, quia dicitur Tentator, vel, Is qui tentat, & omnes profeſſores Chriſti perſequi ſolet; oſtendit, illum nihil poſſe ſine nobis, ſed per propriam concupiſcentiam noſtram illum nos aggredi ſolitum.

Hier. to. 2.
Matth. 2.

Iam iuxta Auguſtini doctrinam lib de Verb. Domini, eſt tentatio inducens ad peccatum ex parte tentantis: quomodo Deus neminem tentat, quia non Deus volens iniquitatem eſt: & hac ratione dæmon, & homo malus, eius organum, tentare ſolent. Eſt etiã tẽtatio probãs fidem, charitatem, & alias virtutes explorans, quo illuſtriores, & auctiores reddantur. Et ita tentauit Deus Abraham, Iobem, Tobiam, & Dauidem, qui dicebat; Proba me Domine, & tenta me; vre renes meos, & cor meũ; & de ſanctis ait Paulus: *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt*, & quæ ſequuntur. ¶ Quomodo igitur ſi Deus tentat, hic dicitur non tentare? Reſpondeo: Prima illa ſpecie tentationis ad malum culpæ nunquam tentauit, aut tentare poteſt Deus; quod olim tamen Simon Magus, & hodie Lutherus Deo impegerunt. Dixit enim Lutherus tam fuiſſe Iudæ proditionem à Deo, quam Petri confeſſionem. Olim tamen permulti ex Patribus hoc argumentum feliciter aperti actari. nt, nimirum peccati autorem Deũ non eſſe. Hoc diſcrimen inter tentationẽ, & tentationẽ, agnouit beatus Auguſt. tom. 4. lib. 2. de Conſen. Euangeliſt. capit. 30. Cũ enim obiecisset, Matthæũ, & Lucam dixiſſe, ne Apoſtoli virgam ferrent, Marcum vero, Dominum præcepiſſe ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum, poſtea reſpondit idẽ Auguſtinus: *Quod ita ſoluitur, vt intelligamus ſub alia ſignificatione dictam virgã qua ſecundum Marcum ferenda eſt: & ſub alia illam, qua ſecundum Matthæum, & Lucam non eſt ferenda. Sicut ab alia ſignificatione intelligitur tentatio, de qua dictum eſt: Deus neminem tentat; & ſub alia, de qua dictum eſt, Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis eum. Illa ſeductionis eſt, hac probationis. Sicut iudicium aliter accipitur, de quo dictum eſt: Qui bene fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui male egerunt, in reſurrectionem iudicij: & aliter, de quo dictum eſt: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Illud enim iudicium damnationis eſt, hoc diſcretionis.* Hactenus ille.

Gen. 22.
Iob. 1.
Tob. 2.
Pſalm. 25.
Heb. 11.
Magi Simonis, & Lutheri blaſphemia.
Matth. 16.
Supra 16.
Auguſt.
Matth. 10.
Luc. 19.
Deut. 13.
Ioan. 5.
Pſalm. 42.

Sequitur: *Deus enim intentator malorum eſt*, quæ Græce legim⁹: Θεὸς γὰρ ἀπείραστος κακῶν. Vox ἀπείραστος & paſſiue accipi poteſt, id eſt, non eſt tentabilis, ſiue non poteſt tentari: alio modo actiue, quia non tentat aliqua ratione; quæ poſterior expoſitio magis eſt ad rem, & ad mentem Apoſtoli, quia proxime ſequitur, *Ipſe enim neminem tentat*; & quia præceſſit, *Nemo cũ tentatur, dicat, A Deo tẽtor*; & quia mox ſubdit, quod vnuſquiſq; tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus, & illectus; & quia diabolus vocatur Tentator Matth. 4. Et à Paulo dicitur, *Ne forte tentet vos is qui tentat.* Deinde dubiũ eſt, quid ſit ille Genitiuus κακῶν, quidã enim ad malos homines referunt: nam probos, & ſanctos, ac Deo acceptos, ſolet tẽtare Deus, vt Abraham, Iobem,

Quid eſt: Deus enim intentator malorum eſt.

Si Deus neminẽ tentat, cur alibi ſępe dicitur tentare.
Pſalm. 5.

Matth. 4.
1. Theſ. 3.
Refellitur ſẽſus quorundam eius dicti.

Iobem, Dauidem, Tobiã, & ſimiles: impios vero & reprobos non tentat Deus. Pro qua re producitur Clemens li. 2. Diataxeos Apoſtolicæ, ca. 8. vbi legimus: *Vbi igitur conuicium propter mendacium ſit, beatus erit.* Ait enim Scriptura: *Vir reprobus non tentatur à Deo*, vt ita intelligat: Deum malorum, ac reproborum non eſſe tentatorem. Verum hic ſenſus facile impugnari poteſt: In primis, quia ſi voluiſſet homines malos exprimere, dixiſſet potius vel *πονηρῶν*, cum articulo *τῶν κακῶν*, & nõ abſolute *κακῶν*. Nã etſi Genitiuus ille pluralis numeri, & ad maſculinũ genus referri poſſit, maxime ſi aliquid præceſſit, quod cogat ad maſculine interpretandum; hic vero nihil tale videtur præceſſiſſe, imo immediate præceſſit, Beatum eſſe virum, qui ſuffert tentationem. Deinde frequentiſſimum eſt, vt ille Genitiuus neutralis, pro rebus malis, non autẽ pro hominibus malis accipiatur, vt exemplis oſtenditur: Nã 1. Cor. 10. legimus, *Non ſimus concupiſcentes malorũ* & Rom. 1. *Malorũ inuentores*, & Sap. 15. *Malorũ*, inquit, *amatores digni ſunt morte*: quos textus Græce legimus, *ἐπιθυμητὰς κακῶν: Ἐφευρετὰς κακῶν: Ἐραστὰς κακῶν.* Tertio, quia ſcopus eſſe videtur, probare Deũ, non tentare ad malum, quod ſimpliciter eſt peccatum, vt ipſe exprimit de concupiſcentia, quæ cõcipit primo, & poſtea parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem. Quarto, quia in vniuerſum ipſe ait, *Neminẽ tentat*: non ait, reprobum, aut electum, pium, vel impium. Nec eſt reſtringendus ſenſus Scripturæ ſine aperta ratione, ſicut cum ait: *Nemo cũ tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur*: de vniuerſis enim loquitur, non de impijs ſolis. Et idem replicat, cum ait: *Nolite itaq; errare, fratres mei dilectiſſimi, quod ſcilicet Deus ſit autor peccati*: nam tunc temporis multi illo errore inuoluebantur, & adhuc inuoluuntur omni tempore. Et confirmat adhuc infra, cum ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*, quaſi diceret; peccata, & tentationes à Deo non proueniunt, nec prouenire poſſunt, quemadmodum nec ab igne frigus, nec à luce tenebræ, nec à ſapientia ignorantia, nec à virtute vitium. Quinto, quia Scriptura docere videtur, tam pios, quam impios tentari à Deo. Nã ſicut pios permittit tentari vt perficiantur, & illuſtres euadant, ita etiam permittit improbos ad malum tentari, non intẽdens vllum peccatum, ſed permittens & ſinens tantum illos à ſeipſis in peccatum ruere. Ita enim legimus: *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius*; Dauid quoque de Semei loquens, *Dominus*, inquit, *præcepit ei, vt malediceret mihi*, & Paulus de peſſimis hominibus teſtatur; *Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*; & infra, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum (ſiue in reprobam mentem) vt faciant ea quæ non conueniunt*; & in poſteriori ad Theſſalonicen. de Antichriſto loquens, *Cuius eſt*, inquit, *aduentus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis ijs qui pereunt, eò quod charitatem veritatis non receperũt, vt ſalui fierent. Ideo mittit illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Deinde quomodo non tentat ad malum, cum precemur: *Et ne nos inducas in tentationem?* Hanc autem traditionem, ſeu immiſſionem erroris, ſeu inductionem in tentationem, ſicut indurationem, & obcæcationem, & conuerſionem cordium in odium, cum Catholicis patribus intelligo non effectiue tribuenda eſſe Deo, quaſi ſit autor peccatorum, ſed permiſſiue, quia iuſto ſuo iudicio, vel ſubtrahit gratiam ſuam, vel non apponit eam, qua à peccato impedirentur efficaciter. Vnde beatus Chryſoſtomus interpretans illud, *Quapropter tradidit illos Deus in deſideria cordis eorũ, &c. Nihil eſt*, inquit, *aliud quam permiſit. Quemadmodum enim ſi dux quidam exercitus ab eo ingraueſcente bello ſeſe ſubduceret, quid quæſo aliud faceret, quam quod milites hoſtibus traderet, non quod ipſe illos in ſtragem impelleret, ſed quod eos ſuo priuaret auxilio?* Et Auguſtinus lib. de Gratia, & libe. arb. c. 21. in fine: *Quando*, inquit, *legitis in literis veritatis, à Deo ſeduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum; nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum, vt iuſte iſta paterentur, ne incurratis in illud prouerbium Salomonis; inſipientia viri violat vias eius; Deum autem cauſatur in corde ſuo.* Hæc ille, quibus ſimilia Damaſcenus lib. de Orthodoxa fide infra citato producit.

Locus vero productus ex Clemente: *Ἀδόκιμος ἀνὴρ ἀπείραστος παρὰ τῷ Θεῷ*: poſſet bonam interpretationem accipere: Deum non tentare reprobos, in quibus dæmon habitat, quaſi ſemper, & in perditionem ſuam, & aliorum tentationes eos agitans. Fertur enim ſententia quædam Ioannis Climaci dicentis, quoſdam homines eſſe adeo excæcatos, & datos in reprobum ſenſum, vt non egeant aliquo tentatore diabolo, cum ipſi ſibi ſint Satanæ ad alios tentandos.

Ex quibus elicimus, ſenſum verum

Clem. Rom lib. 10. Recognitionum.

Pſalm. 104.

2. Reg. 16.

Rom. 1.

2. Theſſ. 2.

Quos Antichriſtus ſeducet, ac perdet Domino permittẽte ſecundum Apoſtolum.

Matth. 6

B. Chryſoſt. ſer. 3. tom. 4

Qualis Domini tentatio malorum ſecundum Chryſoſtomum.

Auguſt. tom. 7.

Prouer. 19.

B. Damaſc

Illud apud Clementem: vir reprobus nõ tentatur à Deo quem ſenſum habeat.

Ioan. Climaci notabilis ſententia de impiis hominibus.

Improborum hominum ingenium.

huius loci eſſe; Deum non tentare homines, ſiue ſint pij ſiue impij, ita vt inducat per ſe in peccatum. Solent enim homines quo liberius peccare valeant, Deo imputare peccata ſua, vt primi parentes fecerunt: nam vir in Deum culpam reiecit, & mulier in ſerpentem. Vnde Sapiens Eccleſ. 15. alloquens peccatores, pulchre ait: *Non dicas, Ille me implanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij* ac rurſus in fine: *Nemini mandauit impie agere, & nemini dedit ſpacium peccandi. Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Spacium peccandi Græce vocat ἄνεσιν, id eſt, licentiam, & relaxationem: ſignificat etiam ſpatium, & menſuram, ſiue dilationem, vt etiam non male vertit interpres ſpatium peccandi, quo intelligimus nulli datam vitæ dilationem vt peccet, ſed potius vt de malo ſuo pœnitentiam agat, iuxta illud, *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo in ſuperbiam.* Superbi enim ſunt, qui cum nouerint ſe Dei ſententia ad mortem damnatos æternam, illam reuocari non volunt, ſed negligunt, & contemnunt. Ait etiam Paulus datum vitæ ſpatium ad pœnitentiam, his verbis: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram, &c. Petrus quoque apud Clementem in Recognitionibus hoc dogma; quod peccata ſint à Deo, vehementer confutat contra Simonem Magum. Hæretici etiam omni tempore (vt diximus) id impie docuerunt, & propter ea Patres veteres coacti fuerunt integras homilias, & tractatus de hac re conficere & præcipue Baſilius, & Gregor. Nyſſen. & ante eos Irenæus, vt teſtis eſt Hierony. lib. de viris illuſtribus, ad Florinum ſcripſit li. de monarchia, ſiue quod Deus non ſit Conditor malorum, & Dionyſius c.4. lib. de Diui. nom. eam operam præſtitit, maxime vero Damaſcen. li. 7. de Fide Ortho. cap. 20. vbi ait, moris eſſe Scripturæ, permiſſionem Dei, actionem eius vocare, vt ibi: An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Sed reſpondet 2. Tim. 2. vaſa contumeliæ fieri à ſe ipſis, quia inquit: Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honore ſanctificatum & vtile Domino: ergo ſi non ſe emũdauerit ab iſtis, &c. quare volũtarie fit vas inutile, cũ poſſit eſſe vtile. Ita etiã ait: *Cõcluſit Deus omnia in credulitate; vt omniũ miſereatur:* ſed fides voluntaria eſt, & ſimiliter incredulitas. Dicitur & creare malũ, &, non eſſe malum in ciuitate, quod nõ fecerit Dominus: ſed mala vocantur, non peccata voluntaria, ſed inuolũtariæ pœnæ, & ſupplicia. Moris etiam Scripturæ eſt, quædã etiam quæ ſecũdũ euẽtum dicuntur, cauſaliter dicere, vt illud: *Tibi ſoli peccaui, & malũ corã te feci; vt iuſtificeris in ſermonib. tuis, & vincas cũ iudicaris.* Non. n. peccauit Dauid, vt vinceret Deus quod peccauit: neq; indiget Deus noſtro peccato, vt ex illo victor appareat. Hęc ille in ſẽſu. Nullus ergo tẽtatur à Deo ad malũ, ſed vnuſquiſq; eorum, qui mali ſunt, & reprobi, tẽtatur à ſua cõcupiſcẽtia.

Gen. 3. — Eccleſ. 15. — Quid eſt Deum nemini dediſſe ſpatium peccandi, vt inquit Sapiens. — Iob. 24. — Superbi qui ſint. — Rom. 2. — Baſil. hom. — Mos Scripturæ non infrequẽs. — Rom. 9. — 2. Tim. 2. — Rom. 11. — Quod creet Dominus malum. — Eſa. 45. — Amos 3. — Alter Scripturę mos — Pſal. 50.

Cur baptizati adhuc fomitem retineant.

Concupiſcentia autem, quæ alio nomine fomes appellatur, veluti pellex quædã eſt rationem ſtimulans ad ea quæ carnis ſunt, & ſenſum oblectant. Quam idcirco Dominus in baptizatis reliquit, tum vt memores ſimus peccati antiqui: tũ vt pugnemus cum illa ad victoriam, & maius meritum humiliationis in exercenda virtute, & promerenda vita æterna. Sicut ergo Deus malos non tentat, ita ſcribitur, bonos, & ſanctos tentare. Nam Iudith. 8. legimus, *Et nunc fratres, quoniam vos eſtis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite, vt memores ſint quia tẽtati ſunt patres noſtri, vt probarentur, ſi vere colerent Deum ſuum.* Memores eſſe debent quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes: & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes trãſierunt fideles.

Iudith. 8. — Geneſ. 22.

Effectus concupiſcentiæ, & quam vocet cõcupiſcentiã Apoſtolus. — Supra 3.

Sed redeamus ad concupiſcentiam de qua erat ſermo. Nam cum illi aliquid obijcitur, illud vt magnum bonum à diabolo repræſentatur, & confeſtim in illud cõcupiſcentia præceps fertur, vt fecit Eua dæmoni aſſentiens in eſu ligni vetiti: & ita concipit peccatum ex complacentia obiecti, & quod ad ſe pertinet, parit illud, quod ipſa actu vellet cõſummare, ſed ſola non poteſt, niſi ſuperior pars, quæ eſt veluti via, & Adam, hoc eſt, Ratio conſenſum præſtet & conſummetur peccatũ, quod præſtat mortem animæ. Concupiſcentiam vero hoc loco accipit pro facultate, & potentia concupiſcente, quæ primo concipit peccatum, quod cõſummatum poſtea generat mortem. Et ſicut in conceptione eſt delectatio, ita in partu eſt dolor, iuxta illud, *In dolore paries filios.* Cõcipit ergo concupiſcentia peccatum, hoc eſt, prauos affectus, & vitioſos motus: quos

Geneſ. 3.

quos propterea vocat peccatum, id eſt, defectus; quibus tamen nondum ratio, aut mens præſtitit conſenſum. Quo dato, tanquam Adam conſentiente vxori ſuæ Euæ, fit vt acquieſcat operi prauo, aut delectatiōi moroſę: & ex veniali peccato efficiatur mortiferū: in quo partu eſt dolor, quia ſtatim reclamat conſcientia, &, vt ait apoſtolus, Tribulatio, & anguſtia in omnē animā hominis operantis malū.

Rom. 2.

Rectè autem ait concupiſcentiam tentare, etiamſi maximè per illam tentet diabolus, quia per illam penetrat ad liberum arbitrium, & illud ad ſe trahit, relicto Deo & per illicita allicit, & ineſcat: alludens ad concupiſcentiæ ſuauitatē, & voluptatē qua tanquā piſcis tractus, & ineſcatus in mortis hamū incidit. ¶ Et pulchre addit illas duas voces ἐξελκόμενος, καὶ δελεαζόμενος. Nam in peccato duo inueniuntur, nempè auerſio ab incommutabili bono, quod ſignificatur per primum verbum; abſtrahitur enim homo paulatim à Deo, & à bonorum ſocietate: alterum eſt, Conuerſio ad bonum commutabile, quod eſt voluptate ineſcari ad ruinā, quod eſt relicto Creatore, vt ſummum bonum amplecti creaturam. Docet præterea hic locus, ipſam concupiſcentiā propriè peccatum non eſſe, ſed peccatum parere, ſi accedat conſenſus rationis.

In peccato duo ſunt.

Ad quartam dubitationem, De connexione horum verborum cum præcedentib': Omne datum optimum, &c.

Nunc ad ea, quæ quarto loco dubitauimus, reſponſa dirigamus. Primum fuit circa illud, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Cohęrent autem hęc cum præcedentibus, quia oſtendit, peccata à Deo non procedere, ſed dona ac beneficia tantummodò. Vocat datum optimū vel vt Græcè habetur, *Omnem dationem boni*, hoc eſt, quamcunq; ſupernaturalem gratiam gratis datam: donum verò perfectū, gratuitam ex Dei beneficētia iuſtificationē, adoptionem, & vitæ æternæ donum, & quibus malè vti non poſſumus: quę ſunt gratia, fides, ſpes, charitas. Docet igitur, quòd Deus non eſt tentator malorum, ſed omnium bonorum, à quo ſunt nobis omnia, quæ ad ſalutem ſpectant, ſperanda. Nemo quippè poteſt accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. ¶ Et declarat deſcendere: quia vt omnia dona, quę ſpectant ad fœcundandam terram, & plantis, & fructibus, & cæteris omnibus ornandā, vt ſolis calor, imbres, nix, ros, cœleſteſque influxus, è cœlo in terram deſcendunt, iuxta illud: *Quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, &c.* Ita omne donum, quod in hominem terrenū confertur, vt fœcundetur, & benè agat, & bonos fructus ferat, dicitur de cœlo deſcendere.

Triplex eorum verborum interpretatio.

Ioan. 3.

Eſa. 55.

Alij verò ſubtilius interpretantes hunc deſcenſum, docent ideò dona deſcendere deſuper, quia omne quod deſcendit ex Deo, creatura eſt in nobis, & accidentia finita, q̄ in Deo Deus infinitus erant: Vel tertiò deſcendunt dona, quia nos humiliari, & in nos ipſos deſcendere faciunt, vt arbor procera, quo magis grauatur fructibus, eò inclinatur magis verſus terram. Vt ergo dona naturalia, quæ ex his mundi rebus mendicamus, aſcendere dicuntur, iuxta illud, *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?* ita ſupernaturalia, ac diuina, de quibus hîc eſt ſermo deſcendunt. Vnde & Pater luminū vocatur Deus: nam more Hebræo pater dicitur alicuius rei, qui illius autor eſt. Vnde & Ennius, Epici carminis autor, pater vocatur: *Ennius ipſe pater nunquam, niſi potus ad arma Proſiluit dicenda.* Hinc Iabel vocatur pater habitantium in tentorijs, atq; paſtorum: eius verò frater Iubal, pater canentium cithara, & organo. Deus etiā Filiū generauit, qui ſe vocat mundi lucem: & vterq;, Pater cum Filio, producūt Spiritum ſanctum, qui dicitur Pater pauperum, dator munerum, & lumen cordium. Omnes Angeli præterea lumina quædam ſunt participata, & vocantur Angeli lucis. Contulit & homini lumen rationis naturalis, & lumen gratiæ diuinum, & denique lumen gloriæ, atque adeò, alios aliorū conſtituit lumina. Vnde illud, *Vos eſtis lux mundi*, & Paulus de Philippenſib' teſtatur: *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mūdo, verbū vitæ cōtinētes.* Vt meritò dicatur Pater luminū, in plurali.

Luc. vlt.

Cur Pater luminum Deus appelletur.

Horat. libr. 1. epiſt.

Gen. 3. Ibidem.

Ioan. 8. & infrà 9.

1. Cor. 11.

Matth. 5. Philip. 2.

Sequitur: *Apud quē non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Diſtinguit patrem luminum à Sole, qui eſt lumen mūdi vniuerſale, & oculorum noſtrorum, de quo hîc non loquitur, quia mutatur ob interpoſitam Lunam, vel nubem tempore nubilo, vel terram interpoſitam: qui ideò nocte nobis nō lucet, & ſemper varias luces, & noctes generat, quanquā in ſe lucidus ſit. Et in verbis Gręcis quæ habent ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα alludit ad Solem, qui quadam viciſſitudine, ac ſui ipſius cōuerſione à Tropico in Tropicum, diuerſas generat vmbras, & quā ò magis ad nos accedit, tantò maiores ſunt vmbræ. Deus autem nō patitur has viciſſitudines, quia

Pater luminum quid differt a Sole corporeo ſecundum Apoſtolū.

Ioan. 1.

B. Auguſt. tom. 5.

Idem. to. 6.

lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Auguſtinus tamen lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 21. & lib. de Sancta virginit. cap. 24. legit ῥοπῆς, non τροπῆς, quæ vox ſignificat momentum, ſicut prior viciſſitudinem, vel conuerſionẽ. Vt ſit ſenſus: Apud Deũ non eſt tranſmutatio, nec momentanea obumbratio: & Hieronymus in Iouinian. vertit, Aut conuerſionis vmbraculum. Vmbra aũt nihil eſt inanius, nihil fugacius, aut incõſtantius. In rebus vero creatis mutabilitas varia eſt, nũc lux, nũc vmbra, nunc tenebræ, & crebra viciſſitudo; Deus verò totus lux, qui lucẽ habitat inacceſſã.

B. Hieron. lib. 1. in Iouin. tom. 2.

Mundi huius mutabilitas.

1. Tim. vlt.

Quo modo ſecundum Apoſtolum, ſimus initium creaturæ Dei.

Hieronym.

Ad illud: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius,* Vel vt Hieronym. li. 1. in Iouin. vertit: *Volens genuit nos verbo veritatis, vt ſimus primitiæ creaturarum:* reſpõdemus, his verbis Apoſtolum euertere errorem eorum, qui culpæ autorem ac mali Deum faciebant, voluiſſe: quia voluntarie, inquit, ſiue volẽs, aut iuxta æternum voluntatis ſuæ cõſilium, non neceſſitate, aut coactione, nõ etiam natura, quia hoc modo vnũ tãtum genuit Filium, voluntate autem, aut arte genuit infinitos verbo veritatis, ſiue verbo veraci, quod eſt Euãgelium cum lauacro ex aqua, quia Spiritus vbi vult, ſpirat. Fide enim Chriſtus receptus in corde noſtro, non carne, ſed ſpiritu nouam generationem conſtituit, ac dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, ſed ex Deo nati ſunt; & bonis charitatis operibus paritur. *Vt ſimus primitiæ creaturarum eius:* Videtur de ſe, & Apoſtolis, & ſimilibus, verba facere, qui vt primitiæ extiterunt ſelectæ à Deo, vt ab ipſis funderetur lex Euangelica in omnẽ creaturam, iuxta illud: Euntes in mundũ vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Hinc ſcholia Græca interpretatur, τὰς ἀπαρχὴν τοὺς πρώτους, καὶ τιμιωτάτους, hoc eſt, primos quoſque, & præſtãtiores, & præcipuo honore dignos. Vnde ad Romanos 8. dixit Apoſtolus: *Vt nos ipſi primitias Spiritus habentes, &c.* Hebr. quoque 12. vocat Eccleſiam primitiuorum: Ieremias item dixit. *Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugũ eius.* Nõ ergo aliquẽ ad peccatũ Deus tẽtat, ſed omnib. offert lumẽ, & omnib. medetur. De quo aliqui dictũ eſt.

Ioan. 3.

Ibidem. Supra. 1.

Cur Apoſtoli ſint primitiæ creaturarum Dei.

Marc. vlt.

Hebr. 12. Ierem. 2.

Quorſum ait, Sit omnis homo velox ad audiẽdum, &c.

Subdit Apoſtolus: *Scitis fratres mei dilectiſſimi* (Græcè legimus, ὥστε non ἴστε, id eſt, *Qua propter fratres mei*) *ſit autẽ omnis homo velox ad audiendũ: tardus autem ad loquẽdum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iuſtitiã Dei non operatur,* vel, mandatis Dei non paret. Eſt autem ſenſus: Etſi hoc ſciatis, vt pote in lege inſtructi: hortor tamen vos, vt faciatis. Vel: hoc ſcitote, veriſimile enim eſt in illis Eccleſiæ incunabulis viguiſſe ſpiritum æmulationis, vt Apoſtolicum, & eccleſiaſticum munus multi appeterent. Vnde & in principio tertij capitis habet: Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei. Vnde & de hac erant diſputationes, ex quibus iræ, rixæ, & contentiones oriebantur: quod quidem vitium frater Domini tollere conatur, dum hortatur vti omnes ſint veloces ad audiendum, tardi autem ad proferendum ſermonẽ. Et præſtat humiles eſſe, & doctos diſcipulos, quam ſuperbos & indoctos magiſtros. ¶ Sit ergo velox ad audiendũ: nam ſi dilexeris audire, ſapiens eris, vt teſtatur Eccleſiaſticus: & ſi tis ſapiẽs, hortatur Salomon: *Audiens ſapiens, ſapientior erit.* ¶ *Tardus etiam ad loquendum.* Quia promptus ad loquendum & ad operandum, feſtinat ad pœnitentiam; quia ſicut in multiloquio non deerit peccatum, ita nec in feſtinato ſermone: & Terentius dixit:

Eccl. 6. Prouer. 1. Infra 10.

Qualis eſſe debeat Schola Chriſtiana.

Sæpe me locutũ fuiſſe pœnituit, tacuiſſe nunquã.

Terent. Prouerb. 17.

Et ſchola Chriſtiana debet eſſe Pythagorea, quæ quinquennio ſilentium colebat. Stultus quoque, ſi tacuerit ſapiẽs reputabitur; & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens. Nullus ergo prouinciam dicendi arripiat, niſi vocatus, ac miſſus à Deo. ¶ Sit quoq; tardus, (ſiue lentus) ad iram. Quã nimirum ſolet diſputatio, & altercatio in verbis parere. *Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur.* Quia prohibet iraſci, & vindictã appetere. Quod ſi ira præueniat rationem (vt ille dixit) impedit animum, ne poſſit cernere verum. Si ſubſequatur indignum ſe reddit, cui ab aliis ſides habeatur, & ſuperbia, & animi tumor iudicatur. ¶ Iuſtitiam enim Dei, hoc eſt, Dilectionem proximi, ſicut ſui ipſius, ira non efficit, & minus dicit, quam faciat, quia [illegible] dilectionem proximi. Dil[illegible] cit portare onus proximi, & in ſeipſo peccata aliorum punire. Quod vero ſuperius obiecimus, ſanctos viros magno zelo & feruore, diuinas vlciſcendo iniurias, laudatos fuiſſe; non contradicit huic loco, in quo non de ira Dei ſpiritu & zelo concepta, ſed de propria loquitur Apoſtolus.

Ira cur iuſtitiam Dei non operetur, & quæ ſit illa Dei iuſtitia.

Cat.

Qualis fuerit Sanctorum ira atque vindicta a[illegible] uerſus delinquẽtes.

Ad V. dub.

De abiicienda immunditia, & abundãtia malitię quod nimirum nõ in noſtra, ſed in Domini eſt poteſtate.

At vero quia radix, vnde ira naſcitur, ab immunditia eſt, & omni prauo deſiderio, recte ſubiungit: *Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiã malitiæ, &c.* Iã ſequuntur dubia quinto loco propoſita. Immunditiã, & abundãtiam malitiæ vocat Apoſto. pecuniæ, carnis honoris, & vindictę cupiditates, à quibus ſi impedia-

pediamur, ſolet ira in impedientes inſurgere ad perniciem eorum. Recte ait: *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum.* Ira enim manſuetudini opponitur. Vbi apta ſimilitudine ab agricultura petita, hortatur ad munditiam animi, & corporis. Vt enim agricola ſemen ſuum terræ non committit, niſi prius vrticis, ſpinis, lapidibus, & ſilicibus purgatæ, vt, quod ſeminatur, felicius creſcat, & vberius matureſcat: ita cum regeniti ſumus verbo Dei ſpirituali, neceſſe eſt vt huic naturę reſpondeamus, deponentes omnia animi vitia, quæ ex veteri homine pullulāt, & abiecta omni iracundiæ, & concupiſcentiæ tēpeſtate, in manſuetudine ſuſcipere verbū Dei per generationem cœleſtem nobis inſitum. Ait enim Sapiens: *Eſto māſuetus ad audiendū verbū Dei, vt intelligas, & cū ſapientia proferas reſponſum verum.* Anima ſiquidem quieſcendo fit ſapiens; vt Maria, quę ſedēs ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius. Atq; vt inſitio non fit ſine ſectione aliqua, & immiſſione ramuſculi, & cū humore luteo, & alligatione, quo fortiter inter ſe coeant. Et ita in veteri Teſtamento in circumciſo fiebat inciſio, in qua reſecabatur præputium, & vulnus illatum aliquo adhibito vnguento curabatur, & legi ſeruandæ alligabatur: ita in noua lege, homo inſeritur per baptiſmum Chriſto, vnde debitor fit vniuerſę legis Euangelicæ ſeruādæ, & ramus fidei Chriſti immittitur, & per præcepta Dei negatiua alligatur, vt declinet à malo, & renunciet Satanæ, pompis, & operibus eius & per affirmatiua alligatur ad operandum bona. Ad hæc autem omnia opus eſt, vt diximus, ex parte Dei, verbo, & ſacramento; ex parte autem noſtra, fide, & manſuetudine, quo diſcamus, & feramus hæc omnia.

Eccl. 5. Anima quieſcendo fit ſapiens. *Luc. 10.* Ratio inſitionis naturalis, legalis, atque Chriſtianæ. *Gal. 5.* Effectus inſitionis Euangelicæ.

Græci per inſitum verbum legunt ἔμφυτον λόγον, & intelligunt inſitam à natura rationem, per quam bona à malis, & meliora à minus bonis diſcernimus, per quam Gentes ea quæ legis ſunt, naturaliter faciunt, & de qua Eccl. 32. habetur: *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ*, id eſt, legi ſcriptæ in anima: quā rationē inſeuit Deus homini ab initio ſuper carnem, ſiue corpus noſtrum: vt bona planta inſeritur in deteriorē. Ita interpretatur Oecumenius. Sed ſi verum amamus, hic ſenſus nō videtur verus: quia vt alij ponderant, non dixit rationem naturalem congenitā, ſed inſitum deforis, ſcilicet implantatū. Deinde ſemper in Euangelio, & Paulo, implantatio, vel inſitio fit per prædicationē verbi Dei cū aqua baptiſmi. Tertio, quia ſubdit: *Quod poteſt ſaluare animas veſtras* certum autem eſt, nonniſi gratuitum donum, & à natura ſeiunctum, non autem naturale nos poſſe ſaluare. Quarto, quia Concilium Viennen. interpretatur Chriſtum eſſe inſitum verbum: nam humanitas in verbo diuino inſita eſt, & nos per illam in Verbo, qui quidem Chriſtus in Prophetis truncus dicitur, & germen. *Quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Etiamſi corpora noſtra tribulationi, & morti exponantur. Inſeritur autem hoc Verbum per ſtudium prędicationis, vel inſpirationis, quæ de foris venit. Quinto, quia inſitores, ſiue implātatores Paulus Apoſtolus vocat eos, qui tamen prædicāt, & baptizant, iuxta illud: *Neq; qui plātat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementū dat, Deus.*

Inſitum verbum Græcis quid. *Rom. 2.* *Eccl. 32.* Refellitur ſenſus Græcorū, Latinorumque probatur. *1. Corint. 3.* *Concil. Viennenſ.* *Eſai. 4.*

Poteſtq; non tantū de Chriſto ipſo per fidē, & baptiſmū nobis inſito eſſe ſermo, ſed etiam de verbo ipſo Euangelij, quod nobis per prædicationem inſeritur tanquam ſurculus fœcūdæ arboris in cor noſtrum, quo anima noſtra ſterilis, bonorū operum ferax efficiatur, & ſalutis ſuæ cooperatrix, & adminiſtra reddatur.

Tertius ſenſus.

Sequitur: *Eſtote ergo factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos.* Apoſtolus docet verbi Dei vſum non tantum per fidem, ſed etiam per complementum iuſtificationis ex operibus. Et in primis aperit, non ſatis eſſe verbum Dei noſſe ex auditu. Non enim auditores legis, ait Paulus, iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur; & *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit multū; Beatus quoque*, Ioannes inquit, *qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt.* Quia talis non ſolum nō iuuatur, ſed etiam prævaricatur, & hypocrita oſtenditur, ſeque plus quam alios fallit: qui etſi alij proſit, ſibi tamen obeſſe cognoſcitur. Et tales ſe fallunt, quia putant ſatis eſſe, Chriſtianos eſſe litera, & non ſpiritu.

Rom. 2. *Luc. 12.* *Apoc. 1.* Audientes legem Dei & non facientes, cur fallant ſemetipſos. *Rom. 2.*

Quod vt magis perſuadeat diuinus Apoſtolus Iacobus, elegantē producit comparationem de ſpeculo: *Quia*, inquit, *ſi quis auditor eſt verbi, & non factor; hic cōparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ (id eſt, natiuū) in ſpeculo.* Cuius quidē vultus maculas, & næuos agnitos abſtergere non curauit: *Conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Id eſt: Oblitus eſt vultus ſui, & maculæ, & defectus. Nam ſpecies multæ reflexæ, memoriæ minus hærent, quam ſolet mouere rectus radius. Ita verbum Dei, quod lucidum eſt ſpeculum, indicat vultum natiuū, hoc eſt,

Qualis auditor verbi ſit, & non factor ſecundum Apoſtolum.

naturam corruptam, egẽtem ex parte Dei continuæ gratiæ influxu; ex parte vero noſtra, continua cura, & emundatione: quia etſi culpæ remittantur, cupiditates tamen, & propenſiones noſtræ malæ non ſubito tolluntur, ſed raduntur, & ideo repullulant, & renaſcuntur, & continuo ſtudio ſunt eradendæ: non ſecus atque illi, qui fœtido ore laborant, perpetuo debẽt bonum odorem ori applicare, quo grauẽ illum natiuum & tetrum odorem expellant. Quare Exod. 38. legimus Dominum mandaſſe, vt fieret labrum, ſiue concha ex ære, & ſpeculis mulierum, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi, in quod Sacerdotes ſpectantes, & maculas vultus detegentes, & aqua contenta in labro illo lauantes, ſanctius & mundius ſacrificarent. Ita Dominus Ieſus, vel eius verbum Euãgelicum, non tantum dat nobis cognitionem noſtri vultus, ſed etiam exhibet aquam gratiæ diuinæ, qua loti, & purgati recte operemur. Qui ergo audit, & de remedio adhibendo non eſt ſolicitus, ſed abit in villam, vel in negotiationem ſuam, nec audita operi mandare curat: tantum in ſpeculo, non autẽ in re ipſa, ſe conſiderat; ideo ſtatim obliuiſcitur, & maius iudicium ſibi accerſit. Tãtaq; eſt differẽtia inter ea, quæ intellectu cognoſcuntur tantum, & virtutes practicas, atque eſt inter viſa tantum in ſpeculo, & viſa in ſeipſis.

Qualem munditiã Deus exigebat à veteri Sacerdotio.

Matth. 14. Luc. 14.

Additque: *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, nõ auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Verbum, perſpexerit, Græce eſt παρακύψας, hoc eſt, inſpexerit, vel introſpexerit vultu demiſſo, & oculis in rem ipſam intentis, quod eſt, rem perfecte penetrare, & in ſuperficie ſpeculi non remanere, ſed vt manus per illud dirigat ad componendum vultum, & maculas delendas: quod qui facit, hic iuſtus, & beatus erit *Et in legem*, ait, *perfectæ libertatis*: hoc eſt, in Euangelicam, quæ liberat à peccato, ac dæmone, ab ignorantia, & timore ſeculi quæque etiam minuta, & venialia peccata prohibet. Eſt autem hæc libertas, ipſa gratia, ſiue charitas, quæ filiũ Dei facit, ac Deo obedientem. Addit. *Et permanſerit in ea.* Contra illud quod prius dixerat: Conſiderauit enim ſe, & abijt. Græci addunt aduerbium, οὕτως, id eſt, ſic permanſerit, obſeruando ſcilicet, & poliendo vultum. Ita enim 1. Ioannis. 2. habetur: *Qui ſeruat verbum Dei, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt: In hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Perſpicere in lege perfectæ libertatis, quid.

1. Ioan. 2.

Non auditor obliuioſus factus. Qui videt rem, non imaginem: hic enim eſt, de quo ait Propheta: *Aruit cor meũ, quia oblitus ſum comedere panem meum*, non faciendo quod audio. *Meus*, inquit Dominus, *cibus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Audire etiam Dei verbum, eſt videre cibum: facere vero quod audit, eſt edere. Vnde concludit: *Hic beatus in facto ſuo erit*: hoc eſt, Iuſtus erit in opere, & in merito, & in ſpe beatus: quia operi iuſto debetur beatitudo. Nam vt arbor maxime placet ob fructus quos edit in tempore ſuo, non autem ob ſolam radicem, aut truncum, aut ramos, aut folia: ita etiam renati non tantum placent Deo ob folia verborum, aut viriditatem ramorum, id eſt, profeſſionem externam fidei, ſed maxime ob id, quod fructus dignos ſua vocat one edant.

Pſal. 107.

Ioan. 4.

Quid ſignificet, Hic beatus in facto ſuo erit.

Ad vltimo loco dubitata ſuper illis verbis: *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, huius vana eſt religio*: reſpondemus primum, Sicut poſuit ſimilitudinem de eo, qui ſeipſum male ſpectat in ſpeculo, ita nunc de vtili & vera religione, ac de falſa & inutili loquitur. Et quia primum dubium fuit in hæc verba, An loqueretur de omnibus fidelibus, qui religionem Chriſtianam amplectuntur, an de aliqua ſtrictiori, quæ ad paucos ſpectat, dicendum eſt, quod Græce additum eſt ἐν ὑμῖν, hoc eſt, in vobis, ſiue inter vos, videtur ſane de quibuſdam loqui, qui arctiori vinculo conſiliorum Chriſti perfectionem ſequebantur, quam multi eo tempore, relictis omnibus, ſeruabant, & eunuchiſmum voluntarium propter regnum cœlorum ſectabãtur. Et ſic docet facto declinare à malo, quod exprimit per vnum opus frænandi linguam, & cor: & facere bonum, quod per illud expreſſit: *Viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Qui enim nõ refrænat linguam ſuam à multiloquio, detractione, curioſitate, ſcurrilitate, & ſimilibus, vir eſt, qui patitur fluxum ſeminis, & immundus, vt dicitur Leui. 15. non poteſt retinere ſermonem, & vas carens operculo deſuper, quod immundum erat in lege, de quo Salomon. *Sicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir qui nõ poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.* Hinc apud bonos religioſos magnus eſt cultus ſilentij. Verbo autem Refrę̃nandi, docet, linguam eſſe velut equum præcipitem, niſi habenis gratiæ diuinæ reprimatur.

Ad VI. dub. De quibus religioſis intelligendum ſit cũ dicitur: ſi quis putãs ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuã, &c.

Matth. 19.

Pſalm. 33. 1. Pet. 3.

Qualis vir non refrænans linguam ſuã.

Num. 19.

Prouer. 25.

Circa verbum Religionis, perpende, Religionem, eſſe pietatem in Deum, ſiue

Religio quid ſit.

Lactan. lib. 4. diuin. inſtit. cap. 28. initio.

Cic. libr. 2. de Natura Deor.

Religio vnde dicta ſecundum Ciceronē, & rectè.

timore, de qua Lactantius: *Hac, inquit, conditione gignimur, vt generanti nos Deo, iuſta, & debita obſequia præbeamus, hunc ſolū nouerimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſumus, vnde ipſa religio nomen accepit, non vt Cicero interpretatus eſt, à relegendo.* Hæc ille. Quanquā etiam hæc poſterior etymologia bonum poſſit ſenſum habere. Nam qui perfectionē Chriſtianam profitentur, nouo vinculo per cœlibatum, & vitam communem, quam profitentur, videntur cum Deo ligari.

Seducat quis quomodo cor ſuum.

Expende verbum: *Sed ſeducens cor ſuū,* Id eſt, ſeorſum ducit à cōſideratione eorum, quæ ſibi conueniūt ad aliena: ita vana eſt religio, quia in vacua religione ſeducti cordis cōſiſtit. Contra vero religio munda per ſeipſam, hoc eſt, aliena ab omni immunditia, & immaculata, vel irreprehenſibilis, etiam à dæmone, qui Momus eſt. *Apud Deū, & Patrē.* Hoc eſt, omniū gubernatorem, cui placent hęc, quatenus bonum ciuile, & politicum Reipublicæ iuuāt: ſicut etiā apud Patrem, quatenus hęc opera gloriam æternam promerētur. Atque hæc Gentibus edicit, & Iudęis pręcipuè, ne in ſuis ſacrificijs collocarent vim religionis: legales verò obſeruationes, & oblationes nunquā per ſe fuerunt mundæ. Vnde Paulus Hebręis ſcripſit: Beneficentię & communionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus, *Viſitare,* inquit, *pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Eſt autem viſitare, conſulere, ac proſpicere neceſſitatibus fidelium: & in vno illo opere omnia opera impendenda eſſe intellige. Sicut in pupillis & viduis, id eſt carentibus parentibus, & maritis, intelligit omnes humano auxilio deſtitutos. Vnde à Propheta Deus dicitur Pater orphanorum, & iudex viduarum. Hinc Eccl. 4. dicit Spiritus ſanctus: *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum.*

Religio quæ munda, & immaculata apud Deū.

Hebr. vlt.

Viſitet, quis pupillos, & viduas.

Pſ. 67. Eccl. 4.

Quā impiè & irreligioſe dictis Apoſtoli verbis hæretici contra religioſos abutantur illi nebulones.

Solēt hęretici his verbis detrahere veris religionibus, q̄ in impendenda miſeris & tribulatis miſericordia nō verſantur. Sed iſti nō videntur duo ſpectare, quę in religioſis eminent. Primum, quia plerunque religiones opulentæ infirmis, & fame tabeſcentibus, de cibo, & veſte proſpiciūt: plerę; verò quæ hoc præſtare nequeūt, maioribus hominū neceſſitatibus ſublevandis incumbunt. Nam miniſtrant verbum Dei, quod eſt ſolidus animæ panis, vſum Sacramentorum, conſolationē in Sacramento Confeſſionis: ijdem aſſidua precatione ſalutem hominum apud Deū promouent, ac de ſpirituali auxilio moribundis impendendo proſpiciunt. Vt ſileam, quòd omnes contemnendi mundi, & ſectandæ, & amplectendæ caſtitatis, ſalutare in vtroq; ſexu prębent exemplū.

Bona religioſorū in Christi fideles.

Alterum eſt, q̀ illi non aduertunt in verbis Apoſtoli illud. *Et immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* An quicquam maius, & ſalutarius in religione vlla inueniri poteſt, quàm immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo, hoc eſt, ab amore pereūtium temporalium, & ab operibus concupiſcentiæ carnis, & concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiæ vitæ, quæ non ex patre, ſed ex mundo? Contra q̄ tria mundi bona, nos ad malum pellicientia, vota tria monaſtica per Chriſtum puritatis omnis amatorem, & per Patres introducta ſunt, Propheta ait: *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtiq; facere iudicium* (nempè ſui ipſius) *& diligere miſericordiam* (& non ſolum facere ex vſu quodam, & conſuetudine) *Et ſolicitum ambulare cum Deo tuo*: ne fortè ſegnitie, aut tædio bonorum operum defatigemur, & à bono cœpto reſiliamus.

1. Ioan. 2.

Michea. 6.

Pondera etiam illud: quod quia periculoſum eſt pupillorum curam gerere ſine aliqua lucri emungendi macula: & viduas viſitare abſque pudicitiæ læſæ ſuſpicione: prudentiſſime ſubiunxit Apoſtolus: *Et immaculatū ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Ab hoc, inquam ſeculo, cuius princeps eſt dæmon: cuius amicitia, inimicitia eſt apud Deum: cuius ſapientia, ſtultitia eſt, vt ait Apoſtolus: cuius pax merum eſt bellum contra Deum. Et hæc ſint ſatis de hoc Capite.

Quorſum & id: immaculatū ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.

Ioann. 14.

DISPVTATIO III.

In ſecundi Capitis verba: *Fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri IESV Chriſti gloriæ. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu: & intentatis in eū qui indutus eſt veſte præclara, &c.* vſq; in finem Capitis.

DVBITATVR in primis de horum verborum cum præcedentibus cohærentia. Deinde quale peccatum erat, quod in diſtribuendis ſedibus committebatur: videtur enim non ſatis apertum: & quinam erant illi conuentus: quę item erat illa lex Regalis. Tertiò, qua ratione verum ſit, quòd, *Qui offendit in vno, fiat omniū reus;* cùm conſtet, peccantem

I. Dubitatio ac II.

Tertia.

1. Corint. 5.

non pro omnibus, quæ non geſſit, puniendum, ſed tantùm pro illis quæ admiſit in carne. Quartò quomodo iudicium ſine miſericordia inueniet ille, qui non exercet miſericordiam cum proximo, cū Deus puniat citra condignū? Quomodo item dicitur miſericordia ſuperexaltare iudicium, cum contrà poſſit dici, quod iudicium ſuperexaltat miſericordiam, ſi plures ſunt qui pereunt. Quintò circa illud: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem dicat quis ſe habere, opera autem non habeat?* Contradicunt enim iſti, dicentes fidem non poſſe eſſe ſine operibus: quod quidam ex Lutheranis aſſerunt. Sextò in illud: *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, dubium eſt, an dæmones fidem veram habeant, cùm illorum fides omnino ſit coacta, & non libera. Septimò dubium eſt de his verbis: *Abraham pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuū ſuper altare, & suppleta eſt ſcriptura, dicens, credidit Abraham Deo, &c.* Videtur enim Iacob⁹ Apoſtol⁹ ex eôdem loco, vnde Paulus hauſit, iuſtificationem eſſe ex fide, & non ex operibus, elicere, iuſtificationem conſurgere ex operibus. Octauò dubium eſt ex quibus operibus iuſtificata ſit Rahab: & rurſus an meretrix extiterit, an hoſpita, vt quidam ex Hebræis docent. Poſtremò dubium eſt, quomodo ſit intelligenda illa vltima ſententia: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operib. mortua eſt:* nā ſicut homo ſine ſpiritu mortu⁹ eſt omnino, ita fides ſine operibus omnino mortua erit, & nō erit fides.

[Margin: Quarta. / Quinta. / Sexta. / Septima. *Geneſ.* 22. *Supra* 15. *Rom.* 4. / Octaua. / Nona.]

Primam ſoluimus dubitationem: Cū in præcedentibus docuerit, veram religionem in miſericordiæ operibus conſiſtere, & in cuſtodia innocentiæ: ita etiam oſtendit, religionē veram non eſſe, ſi perſonam accipimus, etſi ſpretis pauperibus benemeritis, diuites, & potentes mundi in pretio habeamus. Vanitatem ergo ſui, & noſtri temporis redarguit Apoſtolus; reprehenduntur enim, qui humilia deſpiciunt, & qui acceptionem perſonarū habent, quę trahitur vel à genere, vel à diuitijs vel à mūdi ſapientia, & à literis humanis: quia infirma mundi, & ſtulta, & ignobilia elegit De⁹, vt confundat fortia, & ſapientia, & nobilia, atq; adeò doceat, in illis veram felicitatem non conſiſtere.

[Margin: I. quæſt. ſol. De connexione. / Acceptio perſonarum vnde proficiſcitur. 1. *Cor.* 1.]

Ad ſecundam dubitationem dicendū: Captans in primis beneuolentiam Apoſtolus, dum eos vocat fratres, proponit: *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.* Id eſt, Qui glorioſus eſt: ita Paul⁹ ad Epheſios c. 1. tali Hebraiſmo vtitur: *Vt Deus*, inquit, *Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ*, id eſt, Deus glorioſus. Et ita τῆς δόξης non accipitur pro opinione, vt Eraſmus vertit: quibus ſanè verbis ſubeſſe videtur quædam Hypallage, quæ ita poſſet explicari: Fratres mei, in fide vel cū fide Domini noſtri Ieſu Chriſti nolite habere reſpectum perſonarū, & neminē ex operib⁹, aut nobilitate, aut Principū gratia, aut ex alijs cauſis, quæ ad mundū ſpectāt, metiamini, ſed ex bonis duntaxat ſpiritualibus ſolidis, ac diuinis. ¶ Neque hæc, quæ de honorificentiori loco tradit Apoſtolus, eò tendunt, vt ſemper, & vbique pauperes æquari debeant ijs, qui potentia, & diuitijs pollent, & par debeat honor, & ordo haberi; ſed vult, ne quemquam contemnamus ex eo quòd pauper, & abiectus iuxta mundum ſit; & ne ideò illum eminenti aliquo loco, & vocatione indignum iudicemus. Ita enim Auguſtinus epiſtol. ad Hieronymum ait: *Nec ſanè quantum arbitror, putandum eſt leue eſſe peccatum, in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi illam diſtantiam ſedēdi, ac ſtandi, ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat eligi diuitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, atque ſanctiore? Si autem de quotidianis conſeſſibus loquitur, quis non hic peccat, ſi tamen peccat, niſi cū apud ſeipſum intus ita iudicat, vt ei tanto melior, quanto ditior ille eſſe videatur? Hoc enim videtur ſignificaſſe, cum dicit: Nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices iniquarum cogitationum?* Hæc ille.

[Margin: Ad II. dub. De ſediū diſtributione vitioſa, & damnanda. / *Epheſ.* 1. / *Hebraiſmus.* / *Auguſt. epiſto.* 29. *poſt med. tom.* 2.]

Eſt autem acceptio perſonarum (quæ Græcè προσωποληψία vocatur, ſiue in iudicio, ſiue extrà, aliquid vni tribuere, quod ex debito iuſtitiæ alteri erat tribuendum, ob aliquam cauſam min⁹ ad rem facientem; vt ratione diuitiarum, vel carnalis cognationis, vel poteſtatis terrenæ. Erat autem acceptio perſonarum, eôdem crimine inuolutos, minus tamen punire in vno, quàm in altero, cæteris paribus: vel laudare magis in vno, quàm in altero vnum, & idem virtutis officium; quod vitium eſt. Vocatur etiam reſpectus perſonarum, vt Matth. 22. Non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum. Item ſumere facies, iuxta illud: *Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorū ſumitis?* Adhæc iudicare ſecundùm faciem, vt Ioan. 7. nolite iudicare ſecundū faciem, Græcè κατ' ὄψιν, id eſt, ſenſum, viſum, cui conſonat Eſaias dicens: *Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium audiet: ſed arguet*

[Margin: Acceptio perſonarum quid ſit. / *Pſalm.* 81. / *Eſai.* 11.]

Sapiem. 6. Quibus maxime fugienda perſonarũ acceptio. *Deut. 1.*

in æquitate pro manſuetis terræ, id eſt, ſine acceptione perſonarum : quo vitio maximè caret Deus, nam puſillum,& magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus: atq; ab hoc vitio longè vult abeſſe omnes, qui iudicia exercent. Vnde præcepit Deut. 1. *Nulla erit diſtantia perſonarum, ita paruum audietis vt magnum : nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.* Lucianus in Hermotino refert, Areopagitas ideò noctu, & in tenebris iudicare ſolitos, ne ad dicẽtes reſpicerent. Socrates quoq; refertur ad æquitatis ſuæ cumulum, vxorem, & filios in iudicium adducere noluiſſe, ad excitandam iudicum commiſerationem : & Ariſtoteles lib.1.Rhetoric. illam partem oratoriæ artis, quæ ad commouendos affectus ſpectat, reiectam eſſe ab Areopagitis laudat.

Areopagitarum iudicium. Integritas teſte Luciano, atque Socrate. *Ariſtotel.*

Quos cõuentus hic memoret Apoſtolus.

Iam verò qui eſſent illi conuentus, de quibus hìc loquitur Apoſtolus, explicat Clemens in Diataxi Apoſtolica libr. 2. c. 59. *Conuenite*, inquit, *in Eccleſiam ſingulis diebus mane, & veſpere ad canendos Pſalmos. & precationes in templo faciendas, potiſſimum autem die Sabbati, & die Dominico, qui eſt dies reſurrectionis.* Hæc ibi : Nec mireris, ſi illa conſtitutio faciat mentionem Sabbati, nam in illis Eccleſiæ naſcentis incunabulis lex Moyſi ſimul cum Euangelio obſeruabatur: nam olim Sabbatum ſolũ in lege ſeruabatur: deinde tempore Apoſtolorum Sabbatum cum die Dominico: poſtea ſepulta cũ honore Synagoga, ſolus dies dominicus celebrandus remanſit. Illa autem traditio Apoſtolica in hunc vſque diem per totum orbem Chriſtianum obſeruatur : de quo conuentu loquitur Apoſtolus. 1. Cor. 11. cũ ait: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnã manducare*: & 1. Cor. nt. 14. *Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnũ, & omnes linguis loquantur, &c.* Actor. etiam 2. habemus: *Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Ecce in quo erant perſeuerãtes. Deinde ſubiungit de loco : *Quotidie quoq; perdurantes vnanimiter in templo.* Rurſus Heb. 10. *Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes.* Et vſus eſt Paulus eôdẽ verbo, quo Iacobus, niſi quod hic συναγωγὴν vocauit, Paul⁹ autem ἐπισυναγωγὴν dixit, vt ſignificet fidelium Eccleſiam in vnum cõgregatam. Habet etiam Clemens ſimile præceptum lib. 2. Diataxeos, c. 58. *Vt in recipiendis videlicet Presbyteris, aut Diaconis, aut Epiſcopis peregrinis, nulla in Eccleſia appareat acceptio perſonarũ.* Lege verba, in quib⁹ inuenies cauendam eſſe acceptionem perſonarum, ſed cuique ſuperuenienti honeſtum locum iuxta gradus ſui rationem tribuendum.

Hebr. 10.

Clem. Rom.

Veſtis candida, anulus item aureus & torques quib⁹ olim conueniret.

Ait autem de diuite : *Si introierit in cõuentum veſtrum vir annulũ aureum habens in veſte candida.* Hæc regalis olim veſtis erat & ingenui homines & rerum geſtarum inſignibus præſtantes illa vtebãtur, ſicut annulis manus ornabãt, & torque collũ. Aut certe nomine annuli aurei fibulam auream ſignificat, qua primarij quondã viri donabantur, vt apud Romanos Tribuni, & ab Antiocho Ionathas, vt Ioſephus refert antiquit. lib. 13. cap 9. qua veſtis præſtringebatur: nã non fuiſſe ornamentum muliebre, tantum, ſed viris etiã fuiſſe conceſſum, ex Liuio. 4. decad. lib. 7. & ex multis alijs ſatis conſtat. Cauendum ergo, ne iſtis propter veſtes & aurum homines adulentur. Et vt reprobet hoc iudiciũ Apoſtolus, inducit ſapientiam Dei, quæ eligit in hoc mundo eos, quorũ tenuis eſt fortuna, & res anguſta: qui tamen diuites facti ſunt, & hæredes regni, quod repromiſit Deus. Cauete verò, ne vos exhonoretis pauperem, id eſt, Chriſtum, qui in vobis eſt pauper. Arguit etiam, quia diuites per potentiam, ac tyrannidẽ, pauperes opprimunt vſuris, rapinis, immodicis tributis, celando etiam frumentum, vinum, & oleum, & cætera victui neceſſaria, quo plus extorqueant pecuniæ: & trahunt eos in iudicia, & ad tribunalia, vt inde etiam poſſint eos expilare. *Nonne ipſi blaſphemant bonum nomẽ quod inuocatum eſt ſuper nos?* id eſt, nomen Ieſu, vel nomen ſuaue Chriſti, à quo denominati ſumus, tentantes ea ratione, ne Chriſtiani appellemur. ¶ Ad illud verò : *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum Scripturas (quæ eſt) diliges proximum tuum ſicut te ipſum, bene facitis.* Primùm dicimus. Perſequitur Apoſtolus ſuum inſtitutum, ne ſcilicet perſonarum acceptio ſit penes nos, idque explicat argumento ab autoritate diuini præcepti ſumpto. ¶ Quidam igitur per legem regalem, intelligunt legem regiam, quæ præcipit, in magiſtratu conſtitutos eſſe honorandos, iuxta inſtitutum illud Aſſueri, qui dixit : *Hoc honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare*, Sed hoc longè abeſt ab Spiritu Apoſtolico, & ſenſu. Loquitur enim, vt ipſe textus exprimit, de illa lege : *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, quæ tunc perficitur quando dilectio ipſa extenditur ad omnes, etiam inimicos. Nam ſi diuites, & pauperes æquè diligitis, oſtendetis vos

Ioſephus.

Liuius.

Contra diuites oppreſſores pauperũ.

Illi quod blaſphement bonum nomen. *Actor. 11.* Quænam illa lex Regalis Apoſtolo. *Leuit. 19.*

Refellitur Caietan⁹.

Heſter. 6.

Matth. 25.

non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

non habere acceptionem perſonarum, nec habere rationem paupertatis, aut diuitiarum: at ſi perſonam accipitis tunc ſanè peccatis & redarguimini ab ipſa Chriſti lege quia hanc acceptionem perſonarum deteſtatur, quæ tanquam iudex damnabit vos, iuxta illud Ioannis 5. *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem: eſt qui accuſat vos, Moyſes* ¶ Loquitur etiam de diuitibus Chriſtianis, non de diuitibus infidelibus. Non enim eſt probabile, quod ad ſua conuenticula, quæ fidei cauſa faciebant, infideles diuites accederent, & Chriſtianis fidelibus anteponerent. Sed ſermo eſt de diuitibus Chriſtianis, quibus honorem deferebant: & propterea non raro apud Ethnicos iudices litigabant, vt habes 1. Corinth. 6. & inde aſſumebatur occaſio blaſphemandi nomen Chriſti, vel fidem, ſiue religionem Chriſtianam.

Ioan. 5.

Quos diuites hic Apoſtolus reprehendit.

III. ſol. dub. Quomodo totam legem ſeruans, offendens autem in vno, fiat omnium reus.

B. Aug. epiſtol. 29. ad Hieron. to. 2

Ad illud verò dubium tertio loco propoſitum: *Quicunque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus*: reſpondentes, dicimus locum hunc eſſe difficilem, vt ait Auguſtinus, ac varias habere interpretationes à Patribus traditas: videnturq; hæc verba introducere connexionem vitiorum, ſicut etiam virtutum vnionem tradebant Stoici, vt qui vnam virtutem, omnes haberet. Et ſanè durum videtur, quòd vno peccato admiſſo, reus quis fiat omnium, ac proinde punitione dignus. Nam qui ſemel peccauerit, ſimul etiam multa peccaret. Hæc autem verba conſequentiam habent ad præcedentia. Nam cum quidam Apoſtoli Iacobi auditores dicere poſſent: Cum honoratiorem locum diuitibus præſtitimus, ob id tamen legem non ſumꝰ tranſgreſſi, quia iſta facientes pauperi nihil detraximus, nihilque illi incommodauimus, quòd in nobiliori loco diuitem collocauimus. Ad quæ reſpondet Iacobus, & præoccupans, ait: Imo tranſgreſſores legis facti eſtis: nam qui offendit in vno, factus eſt omnium reus. Quod quidam ita intelligunt: vt peccare in vno, ſit perinde atq; peccare in primo præcepto, iuxta illud: Factum eſt veſpere & mane dies vnus, id eſt, primus, quod tamen non dicitur de alijs ſequentibus. Alij verò ſentiunt, in vno præcepto charitatis, quod eſt primarium, & magnum, vt Dominus dixit, omnes virtutes continere: qui autem violat, aut amittit charitatem, omnes virtutes, quæ connexæ ſunt, & per charitatem viuunt, amittit. Eſtque Beati Auguſtini ad Hieronymum, à quo ſibi inſtanter poſtulat reſponderi: quem ex Græcis Oecumenius, & ex Latinis Beda ſequuntur. Et videtur eſſe ad rem: quia ſermo fuerat de præcepto charitatis proximi: quia vt in vno præcepto charitatis proximi ſeruatur tota lex Euangelica, in hoc etiam violato, videntur reliqua violari: quia quodcunque pręſtes officium ſine charitate, nihil Deo gratum præſtabis. Sed hic ſenſus videtur idem eſſe cum primo.

Ordo dictorum, varios cōtinens ſolutiones propoſitæ quæſtionis.

Geneſ. 1.

Matth. 22.

Oecumen. in Caten. Græcorum. Beda.

Solutio autoris.

Etſi verò ſenſus hic verus ſit atq; Catholicus, non ita tamen eſt ad rem, & propoſitum Apoſtoli, ſi verba eius diligenter ſcrutemur. Per *vnum* ergo intelligere videtur vnum aliquod Decalogi præceptum, quia opponit illud vnum toti legi, cum ait, Quicunque autem totam legem ſeruauerit. Deinde idem indicant exempla de non mœchando, & non occidendo producta: quorum ſi vnum non ſeruetur, nihil videtur ſeruari. Tertiò, ratio ab Apoſtolo producta ad idem valida eſt. Qui enim dixit, *Non mœchaberis*, dixit &, *Non occides*: nam ſimul omnia ſeruari mandat & idē eſt legiſlator, qui in quolibet peccato in præceptum offenditur: licet non perinde grauiter in vno, quantum in multis. Et ratio eſt: quia teſte Dionyſio Pauli diſcipulo, bonum eſt ex integra cauſa: malum verò ex defectu, vel vnius circumſtantiæ. Et videtur expendere hunc textum Gregorius l. b. 19. Moral. cap. 16. quem confirmat Eccleſiaſtes cap. 9 *Qui in vno*, inquit, *peccauerit, multa bona perdet*: quibus verbis videtur huius loci ſenſum explicaſſe. Quæcunque enim per omnium præceptorum aliorum obedientiam lucratus quis fuerit, & quæcunq; poſt tranſgreſſionem illam ante pœnitentiam obſeruare cōtenderit, indubitatum eſt, peccati vnius operatione omnia amittere, & nullum laboris ſui emolumentum habere. Et quamuis non dicat Apoſtolus: Qui offendit in vno, omnia peccata facere, quæ in lege prohibentur, ſed dixerit, Reus omnium, id eſt, tranſgreſſor, & amittens meritum omnium præcedentium bonorum vnius præcepti violatione: ita meritum nouem præceptorum amittit, ac ſi nihil obſeruaſſet: ſicut non minꝰ remanet extra ciuitatem, qui dimidio horæ ſpatio ſuperueniens, fores clauſas inuenit, quàm ſi poſt ſex, aut octo horas veniſſet: & quæ ſeruauit, non cenſetur ſeruaſſe, quia non puro Chriſti amore ſeruauit: alioqui & illud etiam vnum obſeruaſſet, mœchatus enim fuiſſet, & occidiſſet, & furatus fuiſſet, &

Exod. 20. Ibidem.

Bonum & malum non ex eadem & pari cauſa proficiſcuntur.

B. Dionyſ. lib. de Diu. nom. cap. 4.

B. Gregor. tom. 1.

reliqua

reliqua omnia perpetraſſet, non habent reſpectum ad legem, vel legiſlatorem, ſi eadem commoditas peccandi,& ita fortis concupiſcētia te inuaſiſſet,& perinde haberis, ac ſi non feciſſes vllā legis partem: non tamen dixit,quòd punietur de cæteris mandatis, quæ ſeruauit, perinde ac ſi trāſgreſſus fuiſſet:quod eſſet omnino iniquum,punire peccatū aliquod opere, aut voluntate non commiſſum propter propenſionem ad illud peccatum, quam ſibi comparat ex eo. quòd peccauit, & habitum gratiæ amiſit, qua peccata futura reprimerentur,compeſcerenturq́ue. Natura enim noſtra gratia Dei ſpoliata, apta nata eſt ad quęlibet peccata perpetranda: vnde etiam iuſtus ſe reputat peccatorem, & quidem maximum, vt Paulus, qui dixit: *Quorum* (peccatorum ſcilicet) *primus ego ſum*:quia niſi Deus ſua gratia impediſſet,in omnia peccata prolapſurus erat, & agnoſcit ſe tanquā iam prolapſum, quod ad ſe attinet. Ad hæc idem eſt, qui omnia tradidit ſeruanda, & qui ſingula obſeruari præcepit: ſimulq́ue omnium, & ſingulorum rationem exiget. Nam vt nos debitores ſumus vniuerſæ legis implendę,ita etiam cuiuſlibet eius partis. Prętereà leges omnes ſunt velut corpus quoddam, cuius corporis caput eſt charitatis p̄ceptum: mēbra vero corporis quodlibet legis huius pręceptum. Qui ergo minimū præceptum violat,totū corpus offendere videtur, tantamq́; iacturam facimus per vnius præcepti violationem, & ita bonū infinitum amittimus vno ſolo delicto,atque centum: etſi facilius ſit de vno pœnitentiam, quàm de multis agere. Et alium producens ſenſum Auguſtinus lib. de Vera, & falſa pœnit. capit. 14. aut quicunquę libri autor eſt: *Defleat etiam*, inquit, *quoniam in vno offendens, factus eſt omnium per ingratitudinem reus. Ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit.*

Mira naturæ noſtræ ad peccandum procliuitas.

1.Tim 1.

Gal. 5.

B. Auguſt. tom. 4. propè finem. De Pœnit. diſt. 15. cap. conſideret.

Alia etiam ratione offendens in vno, fact' eſt omnium reus: quia omnis virtus detrimentum patitur ob vnius præcepti diuini violationem. Nam ſi quis cadit in auaritiā, largitatem deſtruit, amore enim pecuniæ poſſidendæ, vel violaret caſtitatem, vel ſaltē minus amaret. Si enim propter Deum tanta adhuc caſtitas ineſt, vt nolit eam perdere: tamen ſaltem minori gaudio, & affectu tuetur eam, vbi videt inde procedere damnum pecuniæ.

Qua item ratione offendens in vno, fiat omnium reus.

Subdit: *Sic loquimini, & ſic facite ſicut per legem libertatis incipientes iudicari.* Vel vt Græca habent, Μέλλοντες κρίνεσθαι, quod vna voce venit interpretādum,hoc eſt,iudicandi. Eſt autem magnum, ac neceſſarium hoc Apoſtolicum documentum, ſed opus eſt intelligentia: nam qui admonitione opus habent, terrore magis admonentur, & ratione vincuntur. Apud Ioannem dixit Dominus: *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die, & cōmemorabit ingratitudinem, & auferet omnem excuſationem.* Omnis enim ignorationis excuſatio eſt, vel ab ignoratione pręcepti, vel à præcepti iniquitate, vel impoſſibilitate implendi. Lex libertatis ignorantiæ prætextum amouet, iam enim lex publicata, & in corde ſuo ſcripta à Deo eſt, vt proximum diligat, qui Chriſtus eſt, & qui te prior dilexit, & ſuo ſanguine Patri reconciliauit. Et omnis homo in Chriſto factus eſt tibi proximus, & dicturus eſt: *Quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, ſiue ad mercedem, ſiue ad vindictam. Non potes etiam legem iniquam vocare, ſi, quod tibi inimico fecit Chriſtus ad tuam ſalutem, à te requirit, vt facias tibi iam amico: præſertim cum hoc ad tuam exigat ſalutē. Mereberis ergo de ingenti ingrati animi vitio damnari, ſi tam iuſto, & amabili præcepto immorigerum te præſtiteris. Nulla etiam erit excuſatio, dicere, Non poſſum: quid enim erit impoſſibile homini poſito in lege libertatis, à peccatis, & dæmonis dominatu, quæ quidem lex eſt charitatis, cuius mandata grauia non ſunt, & de qua Dominus, iugū enim meum ſuaue eſt, onus meum leue? Alludit ergo B. Iacobus ad Chriſti legem, qui dixit: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare*, & quæ ſequuntur: quia ſecundùm merita legis libertatis iudicandi ſumus; & ideò ſecundum eam legem loqui debemus, & facere.

Salutare documentum Apoſtoli.

Ioan. 12.

Ignorationis omnis excuſatio ex tribus oritur.

2.Cor. 5.

Matth. 25.

1. Ioan. 5.

Matth. 25.

Quartum dubium diluamus, dicendo, rectè iudicium damnationis ſine miſericordia ſaluante in eum fieri, qui non præſtiterit fratri ſuo miſericordiam. Ita enim Matth. 18. dixit Dominus: *Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis; ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Cui iudicio non obſtat punitio citra condignum: quia punitio condigna peccato, quod eſt in Deum infinitum bonū, nulla dari poteſt. Et ita ſubdit: *Superexaltat autem miſericordia iudicio.* Græcè habetur in Gignendi caſu, quia illum caſum regit verbū. Interpres verò Latin' vertit in caſu Dandi, etſi aliqui vertant per Accuſa-

Ad IV. dub. Quā verum ſit immiſericordem hominem nullam inuenire miſericordiā apud Deū. Varia lectio huius loci, & interpretatio, ſuperexaltat autem miſericordia iudicio.

tiuum. Alij vero legunt, ſuper exultat: neutri tamen verbo vox Græca reſpõdet, nam habetur κατακαυχᾶται, quod eſt gloriatur. Si ergo iuxta interpretem noſtrum interpretemur, ſenſus eſſet, Miſericordiam ſuperuincere iudicium. Et vt in ſtatera bilanx quæ grauior eſt, exaltat alteram, ita miſericordia quæ plus poteſt apud Deum, eleuat iudicium. Si autem legamus, Gloriatur, ſenſus erit: Miſericordia quam homo homini exhibet, euehit atque illuſtre reddit Dei iudicium, hoc eſt, gloriatur ſupra id, & illud ſuperat, ita vt miſericordia noſtra Deum iudicem reddat miſericordem, iuxta illud,

Matth. 5.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Gloriatur ergo miſericordia de iudicio, & ſuper iudicium: & hic ſenſus verus, & elegans eſſe poteſt, quod etſi quis accipiat ſine miſericordia iudicium, de hoc iudicio gloriatur miſericordia, quę ſui in fauorem gaudet eſſe iudicatum. Si autem condemnet immiſericordem, gloriatur miſericordia, quia ob illam neglectam fit à Deo iudicium, & pro ea ſemper iudicatur. Et vt oleum præſtat vt quis è manibus eorum cum quibus luctatur, facilius euadat: id efficiet miſericordia fratri communicata, vt in die iudicij ab obiectis dæmonum accuſantium criminibus apud iudicem euadamus.

Quidam vero legunt: *Gloriatur miſericordia aduerſus damnationem*: quia ita videtur oppoſitio membri ſuperioris petere. Sicut enim dixit fore, vt à miſericordia damnentur, qui miſericordes non fuerint, ita modo dicit, non modo non reformidaturos damnationem, ſed etiam illi quodammodo inſultaturos aduerſus mortem & diabolum, & gratias acturos Deo, vt habes Roman. 8. & 1. Corinthiorum 15.

Sol. V. dub. De inefficacia & impotentia fidei operibus deſtitutæ, cõtra hæreticorum ſententiã.

Quintum dubium erat circa illud: *Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* Accedit enim ad confutandum eorum errorem, qui inani tantum fidei vocabulo gloriantur, & Chriſtianam libertatem ſuorum peccatorum velamentum faciunt, & ſibi, & mundo, non autem Chriſto viuunt, vt

Prouer. 26. 2. *Petr.* 2.

canes redeuntes ad vomitum. Poſuit ergo miſericordiam ſupra iudicium, & opera miſericordiæ vſque adeo neceſſaria eſſe docet, vt ne fidem quidem abſque operibus quicquam prodeſſe oſtẽdat. Vana eſt autem, & inutilis hæc fides: id enim tantum homini vtile eſſe dicitur in Scripturis, quod ad vitam ſempiternam prodeſt: quod & Paulus docuit, cum dixit: *Si ha-*

Vtile quid cui ſit more Scripturæ.

1. *Cor.* 13.

buero omnem fidem, ita vt montes transferam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Et bis ait, *Quid proderit?* quaſi dicat, nihil. Etſi enim ei adſit fidei habitus, & credat omnibus Scripturis, ac myſterijs reuelatis, id tamen nihil prodeſt ſine charitate, ſeu vita charitatis: eſtque vti arbor ſterilis, & arida ſine fructibus, & vt lampas ſine oleo, quæ confeſtim extinguitur. Quid ergo proderit hæc fides illis, qui dicunt fratribus:

Qualis fides ſine operibus.

Ite in pace, calefacimini & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori? Proinde nec ipſis habentibus, nec alijs talis fides prodeſſe poteſt. Quid enim prodeſt bona verba loqui, & opem eis, & auxilium denegare? Quod ſi argumenteris, fidem ſine operibus mortuam eſſe, & B. Paulum ſtatuere, quod illa ſine opere iuſtificat. Dicendum eſt, fidem ipſam cum timore, & deteſtatione peccati hominem iuſtificare, quod eſt de impio iuſtum efficere: eo quod ſint diſpoſitiones quædã Dei præcedentes ipſam iuſtitiæ, ſiue gratiæ adeptionem: non tamen illa fit ex meritis vllis præcedentibus, quæ ſimpliciter bona opera vocantur, & propriam rationem meriti habent: hęc autem cõſequuntur iuſtificatum, non iuſtificant. Quod ſi iam, poſtquam credidit, & Sacramenta percepit, operari bona opera neceſſaria recuſet, fides eiuſmodi mortua eſt in ſeipſa, id eſt, per ſe ſolam: quoniam mortuũ eſt, quod ſenſu caret, & motu: talis eſt illa fides. Et prius quidem Paulus refellit Iudæorũ hæreſim, qui ſe meritis bonorũ operum ad Euangelicam gratiam peruenisse iactabant, ad quam Gentiles idololatræ recipiendi non erant. Hic vero arguit Iacobus Chriſtianos quoſdam, qui acceptam fidem otioſam tenebant, eam vero ad ſalutem ſatis eſſe putabant.

Si fides ſine operibus iuſtificat, vt ait Paulus, quomodo mortua eſt illis deſtituta, ſecundum Iacobum.

Sequitur: *Sed dicet quis, Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Ita enim Græcè additur, tuis, & meis, quæ particulæ clariorem textum reddunt. Prima particula, quæ Græce Ἀλλὰ dicitur, & interpres vertit, ſed, cõmodius interpretata fuiſſet, Itaq;, aut Quinimo: dixerat enim: *Sic & fides ſi nõ habeat opera, mortua eſt in ſeipſa.* Erit itaque aliquis, qui deriſorie eiuſmodi fidem habenti dicat, Tu fidem habes, nimirũ hiſtoricam, & eam ſolam abſque benefactis ad ſalutem ſufficere putas, ego autem & opera habeo. Quod ſi eam quam habes,

dicis eſſe viuam, & abſolutam, quomodo poteris eam teſtari, aut declarare mihi, tibi illam adeſſe abſque benefactis? quaſi dicat, Oſtendes mihi ad Kalendas Græcas; ego autem facile factis ipſis declarabo tibi fidem meam. Ex quo elicimus, perinde eſſe priori loco legere cum Latinis codicibus: *Sine operibus tuis*, atque iuxta Græcos, ex operibus tuis: nam procliue fuit Græcè ex illis vocibus, ἐκτὸς τῶν ἔργων paulò mutatis, legere, ἐξ τῶν ἔργων σου. Robertus Stephanus legit in. ia. codice χωρὶς τῶν ἔργων, in reliquis omnibus legitur ἐκ τῶν ἔργων. Eſt autem hoc argumentum ad hominem, non autem ad Deum, qui nouit cor, & fidem cuiuſque, ſi adſit. & fides, quæ donũ Dei eſt, velut quædam eſt arbor, quæ habet mandatum Dei, vt fructum proferat. Omnis, inquit Dominus, arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. ¶ Et in hoc ait: *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam*, videtur alludere ad Salomonem, qui Prouerb. 12. habet: ἐπιδεικνυμένην πίστιν ἐπαγγέλλει δίκαιος, hoc eſt, Iuſtus annunciat fidem oſtenſam, ſiue demonſtratam. Significat; Iuſtus non caret teſtimonio bonorum operum, per quæ indicat, & annunciat ſe credere.

Ephe. 2. *Matth.* 7. *Ioan.* 15.

Hæreticorum peruerſa huius loci interpretatio refellitur.

Quod verò quidam ex hæreticis obſtinate ex illis verbis colligunt, fidem veram non eſſe, quæ ſine operibus eſt, ex eo quod ille, qui eam habet, non poteſt illam indicare per opera ſua: falſum eſt, & contra ipſius textus verba. Vocat enim fidem illam otioſam: at verò quod ocioſum eſſe dicitur, intelligitur prius eſſe, quàm otioſum ſit. Et quorſum bis diceret, *Quid proderit talis fides?* nam 1. Corint. 13. fides montes transferens ſine charitate, nihil prodeſt: & ibidem ſubdit in fine capitis: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Quod ergò dicitur mortua fides ſecundum ſe, vel per ſe, ſignificat quòd habentem apud Deum non viuificat, nec eius opera viua reddit: quemadmodum brachium mortuum vocamus, quod ſenſu, & motu caret; & paralypſis ſiue ἡμικρανία mediam hominis partem mortuam conſtituit, id eſt, vita, & anima carentem: aquam item mortuam vocamus illam, quæ motu caret, & in ſtagno continetur: ſicut etiam pecuniam mortuam appellare conſueuimus illam, quæ ſeruatur in theſauro, quia non mouetur, neque currit ad lucrum; quæ verò poſita eſt ad menſam, vt inde aliquod lucrum reportet, viua, ac currens dici ſolet. Quod iam apud omnes Theologos receptiſſimum eſt, & à Concilio Tridentino definitum.

Fides mortua quomodo intelligitur.

Et vt hæc exemplo Scripturæ illuſtremus, & Pauli doctrina confirmemus, audi in primis quid ille dicat ad Rom. 4. de Abraham, Et non eſt infirmatus in fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm iam ferè centum eſſet annorũ, & emortuam vuluam Saræ. Quibus in verbis emortuum corpus Abrahæ vocat, quod tamen adhuc vitæ particeps erat, ſed quia impotens erat, & per ætatem tot annorum ad generandum ex nonagenaria inhabile. Similiter dicitur emortua vulua Saræ, quia natura iam effœta erat ad conceptionem, & generationem filiorum. Vnde & ad Heb. 9. idem tradit Apoſtolus; *Propter quod ab vno orti ſunt omnes (& hoc emortuo) tanquam ſidera cœli*, & quæ ſequuntur.

Huius fidei mortuæ exempla apud Paulum. *Rom.* 4. *Gene.* 15. *Infra.* 18. *Heb.* 11. *Eccl.* 44.

Charitas autem, quæ fidem viuam efficit, aduentitia eſt & extrinſeca eſſentiæ fidei; quæ vt alias omnes virtutes morales vita diuina donat, ita etiam & fidem. Quanquam nonnulli ex Patribus antiquis aliter interdum locuti ſunt, definientes veram fidem non eſſe, quæ opera non habeat, quemadmodum etiam hoc loco loquitur Didymus: *Notandum*, inquit, *quia cùm fides mortua ſit præter opera, tam neque fides eſt: nam neque homo mortuus, homo eſt.* Sic ille. Ergò talis credens intelligendus eſt non habere fidem viuam, de qua paulò antè Iacobus loquebatur. Non autem intendit Apoſtolus docere fidem mortuam, quaſi fides exuta charitate non impleat rationem fidei, ſed tanquam non viua, nec pariens effectus fidei, quos deberet parere: ſicut poſſumus dicere, homines non eſſe veros, qui ratione abutuntur; neque veros Epiſcopos, aut paſtores, qui oues non paſcunt: neque veros ſacerdotes vocamus eos, qui aut non ſacrificant, aut vt oportet, nõ ſacrificant. Et aliter exiſtimare, error eſt pernicioſus in Eccleſia Dei. Vnde Auguſtinus lib. 15. de Trinitate, *Fides quidem*, inquit, *poteſt ſola eſſe, ſed non prodeſſe.*

De vera fide Didymi ſententia.

Falſus ſenſus huius loci de fide mortua reiicitur.

Aug. tom. 3

Subdit Apoſtolus: *Tu credis quoniam vnus eſt Deus. Benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Credere vnum eſſe Deũ, non leue, aut parum aliquid eſt, quia qui hoc credit, ſimiliter etiam credit eſſe creatorem cœli, & terræ, & de omnibus rebus prouidentiam habere: verùm hoc nõ ſatis eſt, niſi accedat obedientia mandatorum Dei: imò noceret permultum

Ad ſextum dubium. De fide dæmonũ.

Gene. 1.

talis fides, cum etiam dæmones credant, & contremiſcant, quia illa veritate turbantur. ¶ Eſt autem dubium inter Doctores Scholaſticos, an ipſi dæmones credant, vel fidei donum amiſerint: quod ſanè veriſimile eſt ab initio habuiſſe. ante caſum B. Thomas aſſerit illud habuiſſe, in caſu autem perdidiſſe. Quod verò hic dicitur, *Credunt, & contremiſcunt*, aſſerit verum eſſe, non quòd ex habitu illius doni eliciant actum credendi, ſed intellectus perſpicacia, qua vident opera Dei.

D. Th. 2. 2. q. 5. art. 2.

Idem tamen Thomas alio loco docet, damnatos habitum fidei infuſum retinere, quoniam & ipſi dæmones credunt, & contremiſcunt. Caietanus hanc Thomæ doctrinam, quæ ſecum pugnare videtur, conciliare nititur. Sed quicquid ſit de mente B. Thomæ, nullum videtur abſurdum, confiteri, hoc donum in dæmonibus manſiſſe, in eorum tamen malum, quia quanto magis agnoſcunt Dei prouidentiam, tanto acerbius torquentur, dum aduerſum ſe vident illam rigidam, & inflexibilem, iuſtam tamen, erga nos autem dulcem, & benignã prouidentiam. Nam Spiritus ſanctus illam fidem vocat hoc loco, vt Auguſtinus, & alij patres faciunt. Ait enim in lib. de fide, & operibus c. 14. in fine, *Tu credis quoniam vnus eſt Deus, benè facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Quid veriùs, breuiùs, vehementiùs dici potuit, cum & in Euangelio legamus hoc dixiſſe dæmonia, cùm Chriſtum filium Dei confiterentur, & ab illo corriperẽtur, quod in Petri confeſſione laudatum eſt? Ante etiam dixerat, *Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionẽ, & vehemẽter aſtruunt fidem ſine operibus nihil prodeſſe.* Hæc ille.

Idem ibid. q. 8. art. 3.

Autoris ſententia.

Aug. tom. 4

Marc. 1.

Matth. 16.

Ponderat etiam Beda, quod dixerit, *Credimus vnum Deum*; non, in vnum Deum quod non eſt ſine dilectione. Item, Credo, vel ſcio Filium, non ait, in Filium eius. Exibant namque dæmonia clamantia, & dicentia, Quia tu es Filius Dei: & increpans Dominus, nõ ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum Chriſtum. Item ſcio (ſcilicet per fidem) quod ſis ſanctus Dei. Fides enim vocatur ſcientia: quemadmodũ alibi per ſcientiam ſignificatur fides, de qua Eſaias, *In ſciẽtia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos*, & de Ioanne dicitur: *Præibis ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiã ſalutis*, id eſt, ad credendum: quod alibi Ioannes expreſſit Euangeliſta, cum dixit, *Hic venit vt teſtimonium perhiberet de Lumine, vt omnes crederent per illum*. Vides ergo quomodo ſcientiam, fidem vocat. Vnde & Martha dicendo: *Scio quia reſurget* (Lazarus ſcilicet) *in nouiſſimo die*, intellexit, id eſt, Credo.

Credere Deum & credere in Deum differunt ſecundum Bedam.

Luc. 3.

Eſa. 53.

Luc. 1.

Ioan. 1.

Infra 11.

Nec tantum dæmones credunt Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ſed & contremiſcunt: vnde legio, quæ hominem obſidebat, dixit Chriſto, *Quid nobis, & tibi, Ieſu Fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos?* Vbi expende alium timorem, vel tremorem ſeruilem, quem dæmones, vel peccatores habent, & rei ſunt æternæ damnationis; alium verò ſanctum & filialem tremorem quem Angeli boni & ſancti in cœlo habẽt, de quo: *Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi*, & Eccleſia in præfatione Liturgiæ: *Per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates:* nouerunt enim, Dei potentiam tantam eſſe, vt vniuerſa condita poſſit annihilare, etiam ſpiritus, & animos immortales. Sed hic tremor reuerentialis ſtat cum charitate, & amore, etiam beato. Eſt tamen hæc fides tam in damnatis, quam in dæmonibus coacta; cum tamen fidei proprium ſit eſſe ſpontaneam, & voluntariam. Nam cætera poteſt homo nolens, ait magnus Auguſtinus; ſed credere non niſi volens: atque in ea præcipuè re diſtinguitur eiuſmodi fides dæmoniorum, ac damnatorum à fide viatorum.

Duplex timor Dei, & qualis dæmonũ ſit, & damnatorum hominũ

Matt. 6

Pſal. 18.

Angelorũ in Deum timor, & qui reuerentia.

Auguſt.

Sequitur: *Vis autem ſcire, ò homo inanis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt?* Græca habent, mortua eſt. Alloquitur Apoſtolus Lutherum, atque eius ſectatores, & omnes qui ea hæreſi laborant. Et cõgruo nomine hos vocat inanes, quia ſectantur inania & ea quæ fundamentũ non habẽt, & ſuper arenam ædificant quemadmodũ dolium inane quo magis eſt inane, & vacat, tanto magis ſtridet, ac reſonat, dum circumuoluitur; at ſi ſit plenum, non item. ¶ Et rectè ait: *Vis ſcire?* quia ſuperbi hæretici nolunt diſcere, vt ſciant ſed vt diſputent, & cõtradicant. Ideò Lutherus vocauit hanc epiſtolam, ſtramineam: quæ ſi verè talis eſſet non ita eam reſpuerent hæretici à ſe ipſis facti iam belluæ, quarum conueniens cibus eſt ſtramen, & palea. Verùm quia eſt aurea, illam deſpiciunt. Nam propone, quæſo bone lector, aurum cum margaritis, & ſtramen ante belluam: certè deſpectis auro & margaritis, ad ſtramen accurret. Et vocat fidem mortuam, ad ſenſum iam dictum, quia videlicet non viuit, nec mouetur per opera pietatis, vt par erat.

Habentes ſolam fidẽ abſque operibus, cur Apoſtolus vocet homines inanes.

Matt. 7.

Ingenium hæreticorum.

Ad ſepti-

Ad ſeptimum dubium. De fide Abrahæ ex operibus iuſtificati: quod negare Paulus videtur.

Ad ſeptimum dubium circa illa verba: *Abraham pater noſter nõne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? &c.* Dicendum eſt, quod vt Paulus exemplo Abrahæ (qui fuit perfectus iuſtificationis typus) eum probat fuiſſe ex fide iuſtificatum, ita Iacobus probat exemplo eiuſdem Abrahæ, non tantum ex fide, ſed etiam ex operibus iuſtificatum, ex quo obtulit Iſaac filium ſuum ſuper altare in holocauſtum. Quod ſi reſpondens, obijcias à B. Paulo hoc negari, dicente ad Romanos; *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt; habet gloriam, ſed non apud Deum*: facile eſt illud reſoluere.

Rom 4.

Ephe. 2.

Quia Paulus loquitur de operibus eorum, qui extra fidem ſunt, & conſequenter ſine Chriſto, & ſine Deo, quomodo omnes peccatores naſcimur Abraham enim ab initio iuſtificatus fuit, non ab operibus, ſed ex fide, iuxta illud, *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiã.*

Gene. 15.

Deinde ſi dixiſſet, ex operibus iuſtificatum eſſe, non dixiſſet illi imputatum ad iuſtitiam, quia imputare, non debitum. ſed gratiam ſignificat: opera autem non nituntur gratia, ſed debito, ſiue merito. Iacobus verò tractat de homine per fidem in Chriſtum ingreſſo, & ſine præcedentibus meritis iã iuſtificato, vt docuerat Paulus Hic autem Iacobus docet non ſatis eſſe, otioſam fidem retinere ad complendam iuſtific tionem, & à Deo comparandam ſalutem. In opere enim & mandato offerendi filium, perfectè iuſtificatus fuit ad meritum vitæ æternæ, quia opus illud ex fide operatus eſt. Nam vt opus ſine fide nihil valet ad ſalutem, ita opus ex fide profectum permultum valet. Ideò ſubiungit: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius; & ex operibus fides conſummata eſt? (non quidem ſterilis, ſed fructuoſa.) Et non ſuppleta eſt Scriptura, dicens, Credidit Abraham Deo. &c.* Senſus eſt: Ex illo opere offerendi filium ſuum Iſaac, fides Abrahæ fuit impleta, & Scripturæ teſtimonio, quæ iuſtificationem Abrahæ teſtificata eſt, perfecta, & conſummata.

2. Timot. 2

Prima namq; iuſtificatio, quæ ex fide ſola erat, non erat plena, quia erat iuſtificatio ad ingreſſum militiæ, vt poſſet legitimè certare, ad præmiũ vitæ æternæ, quod redditur operibus ex fide profectis, comparandum. Vnde ſubdit: *Et amicus Dei appellatus eſt.*

Vbi Abraham amicus Dei appellatus ſit.

Dubiũ eſt, vbi amicum appellauerit Scriptura: non enim conſtat ex libro Geneſis, vbi legitur quidem iuſtificatus, ſed non amicus appellatus. Dicendum eſt, iuſtificatum hominem, amicum Dei eſſe: nam iuſtificatio nihil eſt aliud, quàm reconciliatio, & diuinæ amicitiæ reſarcitio. Expreſſit tamen illud Eſaias, cum ait: *Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei.* & 2. Paral. cap. 20. *Dediſti eam* (ſcilicet terram promiſſam) *ſemini Abraham amici tui in ſempiternum.* Adde, cap. 8. Iudith. *Memores eſſe debent quomodo pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt.*

Eſa. 41.

2. Para 20.

Iudith. 8.

Vnde hanc dignitatem amici videtur ſumpſiſſe Iacobus, quia ſermo eſt illi de ſecunda iuſtificatione, poſtquam amicus appellatus eſt. Nam de prima Abrahæ iuſtificatione Paulus locutus eſt, ſicut Frater Domini de ſecunda ad coronam, & præmium, vt docet Auguſtinus lib. de Fide, & operibus, ca. 14 & ſequenti, & lib. 83. Quæſtionum cap. 76. Et poſt multa egregie concludit: *Quapropter non ſunt ſibi contraria duorum Apoſtolorum ſententia, Pauli, & Iacobi; cum dicit vnus, iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, & alius dicit, inanem eſſe fidem ſine operibus: quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt, iſte de ijs, quæ fidem ſequuntur; ſicut etiam ipſe Paulus multis locis oſtendit.* Hæc ille.

Aug. to. 14

Ibidem.

Octauæ ſolutio quæſtionis. De iuſtificatione Raab meretricis.

Ioſue. 2.

Ad octauum dubium de Rahab, dicendum eſt, hic hæreticorum ſententiam iugulari, qui aſſerunt apertis verbis, ab operibus iuſtificationem non veniſſe. Hæc ſiquidem mulier audierat admiranda Dei opera in Ægypto, & in mari Rubro facta, vnde & fidem concepit: & iuſtificata è fide, vt cœptam impleret iuſtificationem, recepit poſtea nuncios exercitus Dei, ſiue exploratores, & cautè, ac prudenter illos è ciuitate emiſit, nil verita bonorum ſuorum, ac vitæ periculum, vt Dẽo placeret.

An Raab fuerit meretrix, vt Rabinis placet. Auen. Ezra.

¶ Dubitabatur etiam, an hæc verè fuerit meretrix, vt legunt 70. & Rabbi Auen. Ezra: Zonah enim venit à verbo Zana, quod eſt meretricari: quando vero à verbo Zun, deſcendit, quod eſt paſcere, tunc Zonah, hoſpitam, quæ paſcit aduenientes in domum ſuam, ſignificat, & ſic accepit Targum. Poteſt autem vtraque etymologia ei conuenire, nam ſæpè hoſpitæ meretricantur. Et Rahab quidem prima fuit ciuitatis Iericho conuerſa ad Deum, quemadmodum mulier illa Samaritana, quæ quinq; habuerat viros; vt vera quoque eſſet eo tempore ſententia domini: *Publicani, & meretrices precedẽt vos in regno Dei.* Quia verò Paulus, & Iacobus Apoſtoli ſecuti ſuut 70. interpretes, meretricem dixerunt, non hoſpitam.

Ioan. 4.

Math. 21

Hæreticorum falſa de iuſtificatione in-

Subdit: *Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tãtum?* Quod ita expo-

terpretatio huius loci. exponunt hæretici, ſcilicet ipſa opera, vt fructus fidei, iuſtificationem iudicari, atque teſtari: quia idem eſt illis iuſtificari, quod iuſtificatum oſtendi, vt iuſtificatio à fide ſit, probatio verò, oſtenſio ab operibus. Quod non eſt exponere, ſed verba fratris Domini, vel potius Spiritus ſancti violenter torquere: quia ſcopus Iacobi non eſt oſtendere, quomodo iuſtificatio comparetur, vel vnde incipiat, ſed ne ad iuſtificationem perfectam, quæ ſalutem promouet, vllus exiſtimet ſolam fidem ſufficere, ſibique per illam blandiatur. Oportet ſiquidem impleri fidem, & iuſtificationem etiam per opera. Alioqui cum dicimus Abraham iuſtificari per opera, intelligeremus, per fidem oſtendi, non fieri. Non ergo debet huius vocis homonymia admitti.

Solutio nonæ quæſtionis. De ſimilitudine fidei mortuæ cum cadauere. Vltimam dubitationem diluamus circa id; *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Dicet quis, Quomodo poteſt eſſe fides, quæ non ſit formata, cum cuique rei eſſe det forma? Docent ſcholaſtici patres, fidem poſſe eſſe ſinè charitate, ſed informem. Quod ſi eiuſmodi fides informis, & mortua eſt, quomodo poterit vera eſſe fides? ſiquidem homo mortuus, homo amplius non eſt. Reſpondeo, Iacobum non comparaſſe fidem informem homini mortuo, vt inde elici poſſit, quod ſicut homo mortuus non eſt homo, ita fides mortua non eſt fides: ſed comparauit fidem mortuam corpori mortuo, quod etſi mortuũ ſit, & anima ſua priuatum, corpus tamen adhuc reſtat. Neq; credendum eſt, fidem ideo informem dici, quaſi fidei ſubſtantia illi deſit, cum per ſuam formam, eſſentiam ſuam habeat, per quam perficitur, & ab ſpe, & charitate diſtinguitur. Non ergo ei deeſt forma ſua intrinſeca, ſed extrinſeca tantum quædam forma diuina, quæ charitas dicitur, & virtutes omnes, & effectus earum viuificat, & iuſta, & grata opera reddit.

Cur fides informis appelletur.

Caietani interpretatio non inepta. Caietanus hoc loco per Spiritum intelligit flatum: quia vt corpus animalis ſi non ſpirat, eſt mortuum, ita fides, ſi opera non pariat: & vt flatus, effectus eſt corporis viui, ita operatio bona effectus eſt fidei viuæ. Minime autem ſentit Apoſtolus, fidem formatam charitate mortuam eſſe, eo ipſo quod opera non habeat: conſtat enim pueros per illam fidem iuſtificari etiam ſine operibus: conſtat etiam, in adulto baptizato, ſi ſtatim poſt baptiſmum moreretur, opera iuſtificationis non habere: ſed ſentit Apoſtolus, fidem ſine operibus, id eſt renuentem operari, quando oportet, & non paratum poſt fidem ad opera bona, ſterilem, & inutilem eſſe.

DISPVTATIO IV.

In tertii capitis verba: *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam magis iudicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, potens quoque fræno circumducere totum corpus*, & reliqua vſque in finem Capitis.

IN Primis dubitatur de ſcopo, & congruentia horum verborum cum præcedentibus. Deinde quid eſt: *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei*; nam multitudo ſapientium, vt ait Salomon, & doctorum, ſanitas eſt orbis terrarum. Tertiò, quomodo in multis offendamus omnes, cum præceptum ſit neminem offendere: & quomodo viri perfecti ſit verbo quempiam non offendere: & quomodo lingua membrum modicum, magna exaltet, & vt ignis ſyluam incẽdat, & ſit vniuerſitas iniquitatis. Quartò, an verum ſit, quod omnis beſtiarum natura domita ſit ab homine, linguam autem nemo domare poſſit; cum tamen eam quidam edomuerint, vt Propheta ille, qui dicebat; *Dixi, Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Quintò circa illud, *Quis ſapiens, & indiſciplinatus inter vos?* dubium eſt, quare tranſeat à plurali ad ſingulare. Sextò, quis eſt ille zelus amarus, & cõtentiones, quibus mendaces efficimur aduerſus veritatem. Septimò in illud, *Non enim eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à Patre luminum*, quomodo hoc verum ſit, cum ſit doctrina fidei, & Patribus conſona, & omnis ſapientia à Domino Deo ſit.

Prima dubitatio. Secunda. Sap. 6. Tertia. 2. Cor. 6. Quartum dubium. Pſal. 38. Quintum & ſextum. Septimũ Eccl. 4.

Ad horum primum dicendum, Apoſtolum grauem inſtituere reprehenſionem aduerſus ambitioſos Iudæos, qui mox vt tincti erant Baptiſmo, audacter munus docendi alios vſurpabant, vt omnes ad titulum magiſterij aſpirarent, & ſe nemini auditorẽ præſtare volebant. Vnde & Act. 15. dicuntur deſcendiſſe quidam ab Iudæa, qui circumciſionem eſſe amplectendam docebant; & Paulus ad Timotheum ſcribit: *A quibus quidã, aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legulatores, non intelligentes neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*; & ad Titum:

Primæ quæſtionis ſolutio. De ſcopo. Act. 15. 1. Tim. 1. Tit. 1.

Tit. 1.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui, &c. docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

Apollo Alexādrinus vnde euaſerit magnus Chriſti præco. Act. 18.

Appollo tamē Alexandrinus, vir in Scripturis doctiſſimus, ſciens tantum baptiſmum Ioannis, & cum fiducia Chriſtum prædicans, mox vt adfuit doctor (id eſt, Aquila, & Priſcilla) facilimè quod deerat, adimpleuit, & ad prædicandi munus rediijt.

Abuſus noſtri ſeculi in docēdo pernicioſiſſimus.

Videtur etiam noſtrum ſeculum redarguere, in quo ſuas tantùm opiniones, ac dogmata, quæ ex Scripturis ſibi hauſiſſe videtur, quiſque docet, incertus de verbo Dei, & ſenſum volentes Scripturis inferre, & non de Scripturis ipſis ſenſum accipere. Hinc tantus hæreticorum prouentus, & tot errorum, qui iam ſepulti erant, in lucem ſuſcitatio, ac repullulatio.

Doctoris Euangelici partes. 1. Pet. 4.

Debet enim doctor certus eſſe, quod ſyncerum verbum Dei doceat, non autē ſua ſomnia, aut inuentiones, iuxta illud Petri: *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei.* Hic eſt ergo ſcopus Apoſtoli, abducere homines ab ambitione tituli, & muneris huius tam alti, in quo procliue eſt frequenter labi, & errare: vnde & pericula, & incommoda linguæ aperit, & ab æmulatione, & contentionum vitio deterret.

Ratio connexionis horum verborum cum ſuperioribus.

Porrò hæc doctrina meritò coniungitur cum præcedenti de fidei, & operum iuſtitia. Cum enim ſuperficie tenus multi Scripturas diſcuterent, & præcipuè illas Pauli, malè colligebant, iuſtificationem prouenire ex fide, & nulla ratione ex operibus: & hæc erat nouella doctorum quorumdam, qui ſibi ſapere præ alijs videbantur, doctrina. Idcirco ſtatim detegit vitia eorum, qui libenter ad cathedras docendi aſpirabant.

Secundæ ſolutio quæſtionis. De eo ꝙ non debemus plures magiſtri fieri, quomodo intelligē dum ſit. Matth. 23. Eccl. 7.

Ad ſecundum, in illud: *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei.* Vbi in primis expende verbum, Nolite: id eſt, Non quærite, non ambite, non contendite; & vt Dominus etiam ipſe dixit: *Nolite vocari Rabbi*; & infra *Ne vocemini magiſtri*, & Eccleſiaſticus, *Noli quærere ab homine ducatum, neq; à Rege cathedram honoris. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute tollere iniquitates,* quibus in locis voluntatē, & appetitum ſiue iudicatus, ſiue ducatus, ſiue magiſterij, & cathedræ honorificæ redarguit Spiritus Sanctus.

Ioann. 10. 1. Corin. 1.

Non autem eſſe vetat, ſi tamen quis per oſtium ingrediatur, id eſt, per vocationē maiorum. Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus cōmendat, & qui vocatur à Deo, tāquam Aaron.

Heb. 5.

Sicut Dominus cum ait. *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* non prohibet ieiunium, aut triſtitiam, quę naturaliter conſequitur, ſed quæ affectatur: & appetitum laudis, quem ex illo quis quærit.

1. Para. 26. Matt. 6.

Paulus autem gloriatur in titulo Apoſtoli, Doctoriſque Gentium, ad quod vocatione peruenerat, & ſignis, ac prædicationis fructu per totum orbem edito confirmauerat.

1. Tim. 2.

Magiſtri plures fiāt quando ſecundum Auguſtinum. Aug. tom. 1. inu.

Nec tantùm Iacobus dignitatem, & affectionem magiſterij vetat, ſed etiam multitudinem, ſiue pluralitatem, vt ita dicam. Qua de re præclarè Auguſtinus in prooemio libri primi Retractat. *Magiſtros autem plures,* inquit, *tunc fieri exiſtimo, cum diuerſa, atque inter ſe aduerſa ſentiunt. Cùm verò id ipſum dicunt omnes, & verum dicunt: ab vnius veri magiſtri magiſterio non recedūt. Offendunt autem non cum illius multa dicunt, ſed cum addunt ſua. Sic quippe incidunt ex multiloquio etiam in falſiloquium:* Hæc ille. Ex qua ſententia intelligi poteſt illud Eccleſiaſtis: *Faciendi plures libros nullus eſt finis, frequenſq; meditatio, afflictio eſt.* Non enim reprehendit, libros ad eruditionem æternę ſalutis plures conſcribi; niſi quando ſunt plures, hoc eſt, non inuicem concordes, & conſentientes, ſed inuicem à ſe diſſentientes, & diſcordes, & quiſque in illis ſuam hæreſim, aut errorem condit, vt faciunt hæretici noſtri ſeculi, qui ſuis diſſidijs, & diuiſionibus ſchiſma in Eccleſia condiderunt, & plures libros reliquerunt.

Eccl. vltim.

Aug. to. 10. Beda to. 6.

Alibi Eccleſiæ lumen Auguſtinus de eadem re ediſſerens, nempe ſermon. 122. de Diuerſis, capit. 1. (quem etiam Beda citat in epiſtola ad Epheſios. 1. & ad Hebr. 12. vocat ſermonem De viſione Dei) *Quanquam propter cōmoditatem depromendæ vocis, altiore loco ſtare videamur, tamen in ipſo altiore loco vos iudicatis, & nos iudicamur. Doctores dicimur, ſed in multis doctorem quærimus: nec volumus nos haberi magiſtros. Periculoſum eſt enim, & prohibitum, Domino ipſo dicente, Nec velitis dici magiſtri, vnus eſt magiſter veſter.* Et capite ſequenti: *Et quia Doctoris Apoſtolus ſuſceperat neceſſitate perſonam, videte quid dicat: Cùm timore, & tremore multo fui apud vos. Tutius eſt ergo, vt & nos qui loquimur, & vos qui auditis, ſub vno magiſtro condiſcipulos nos eſſe nouerimus. Omninò tutius eſt, & hoc expedit, vt nos non tanquam magiſtros, ſed tanquam condiſcipulos veſtros audiatis.* Hæc ille.

Matth. 23. 1. Cor. 2.

Auguſtini modeſtia.

Volentes fieri magiſtri quid peccarent.

Sequitur in textu: *Scientes quoniam maius iudicium ſumitis.* Hoc eſt: Cum ſcire debeatis, maiorem damnationem incurrere magiſtros, quàm diſcipulos. Peccāt enim

illi per ambitionem, per hæreſim, aut falſa dogmata. Peccant, dum alijs contradicunt, & ſua laudant, & iactant. Peccant per laudem, quàm geſtiunt ab auditoribus aucupari ob nouæ doctrinæ inuentionem. Vanè etiam gloriantur, & inflantur in ſe ipſis. Qui autem vocati ſunt à Chriſto, & eius tantum doctrinam docent, neque alijs repugnant Catholicis, nec laudem quæ offertur, recipiunt in ſe ipſis, aut propter ſe ipſos, ſed ob Chriſtum, & in illa humiliantur; iſti non ferunt grauius iudicium, imò maius præmium reportant. Audi iam quid Auguſtinus ipſe de ſe, & alijs bonis doctoribus dicat in epiſtola ad Aurelium: loquens enim de vitio vanæ gloriæ, ait: *Non enim huius hoſtis vires ſentit, niſi qui ei bellum indixerit: quia etſi cuiquam facile eſt laude carere dum denegatur, difficile eſt ea non delectari, cum offertur; & tamen tanta mentis in Deum debet eſſe ſuſpenſio, vt ſi non meritò laudemur, corrigamus eos quos poſſumus, ne arbitrentur aut in nobis eſſe quod non eſt, aut noſtrum eſſe quod Dei; aut ea laudent, quæ quamuis non deſint nobis, aut etiam ſuperſint, nequaquam ſunt laudabilia; velut ſunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem meritò laudamur propter Deum, gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen nobis quia placemus hominibus, ſed ſi coram Deo tales ſumus, quales nos eſſe credunt, & non tribuitur nobis, ſed Deo, cuius dona ſunt omnia, quæ verè, meritoque laudantur. Hæc mihi ipſe canto quotidie.* Hæc ille diuinus Doctor, modeſtiſſimè, & prudentiſſimè de ſe loquens.

Bonorum magiſtrorum præmiũ apud Deum. *Aug. epiſt. 64. circa ſi. tom. 2.*

Egregia Auguſtini ſententia de vitio vanæ gloriæ.

Ad tertiam dubitationem reſpondemus circa id: *In multis offendimus omnes.* Argumentum eſt ab humanæ linguæ imbecillitate ſumptum, quæ apta eſt errare, labi, & peccare. Omnis enim homo mendax eſt; & ſepties in die cadet iuſtus; & nõ eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonũ, & non peccet, intellige aliquando; ne dicamus cum Luthero, Omnia opera iuſti eſſe peccata. Lapſus autẽ in doctore turpior eſt, quàm in auditore: quemadmodũ næuus in facie fœdior eſt, quam in alia corporis parte. Et eò maior caſus docentis, quia ex editiori loco cadit, vt magis confringatur; & quia eius exemplo, vel doctrina alij interdum pereunt. ¶ Pondera non dixiſſe, Offenditis, ſed, offendimus, vt expendit Auguſtinus ad Hieronymum, qui li. 2. aduerſus Iouinian. prior ipſe ponderauerat; vt ſe etiam Apoſtolum includeret. Subdit: *In multis.* Cum tamen is, qui in vno offendit, fiat omnium reus. Addit, *Omnes*, vt neminem excipiat. Vnde Auguſtinus in ſermone prædicto de Viſione Dei, hãc ediſſerens ſententiam, ſubdit; *Quis non contremiſcat, cùm Apoſtolus dicit, Omnes? Quid ſequitur? Quiſquis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Quis autem audeat dicere ſe eſſe perfectum? Qui ergò ſtat, & audit, in verbo non offendit. Qui autem loquitur, etſi (quod difficile eſt) nõ offendit, patitur tamen, & timet, ne offendat. Oportet ergo vos eſſe non ſolum loquentium auditores, ſed & timentiũ miſeratores: vt in eo quod verum dicimus, quoniam omne verum à veritate eſt: non nos, ſed ipſum laudetis. Vbi autem ſicut homines offendimus, eundem ipſum pro nobis oretis.* Hactenus Auguſt. Hoc etiam ex Didymo Alexandrino in hęc verba annotandum venit, quod ſuis verbis explicamus: *Quando de his quæ agenda ſunt, & ſapienda, aliquis docet ſi habuerit veritatem, ſenſus de huiuſmodi rebus, tunc inoffenſibile habet verbum. Non enim putandum eſt de peccato prolatius ſermonis, ſolœciſmos, & barbariſmos quidam vocant, hæc fuiſſe dicta.* Ita ille. Quomodo etiam non offendens verbo, hic perfectus eſt vir? interrogatum fuit? Reſpondeo: Quia cum tanta ſit ad peccandum linguæ procliuitas, vt Eccleſiaſticus dixerit: Quis eſt qui non deliquerit in lingua ſua? quam Deus propterea vt indomitam feram intra dentes, quaſi intra cancellos & clathros collocauit, & ante quaſi murum, & antemurale, labia præpoſuit: & lingua à ligando teſte Varrone dicitur, ob multa vincula, quibus eſt alligata: habet etiam ſaliuam, qua perungitur, vt prudenter, & ſapienter loquatur, & baptizati linguæ ſal infunditur, vt nonniſi ſale prudentiæ imbuta foras prodeat. Venit etiam Spiritus ſanctus in ſpecie linguæ, vt vitia eius corrigat, & bene, ſpiritualiter, & ſalutariter loqui doceat. Certe nonniſi perfecti, & magni viri erit linguam domare, vt poſſit fræno circumducere totum corpus actionum, id eſt, omnes animæ facultates, habitus, & paſſiones, ita vt in vſu bono, vel malo linguæ noſtræ, & vita, & mors noſtra conſiſtat, de qua ſcriptum eſt; Mors, & vita in manibus linguæ: quod explicauit Chriſtus cum dixit: Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Ciceronem reprehendit Auguſtinus noſter, qui in gloriam ſapientis cuiuſdam Romani ſcripſit: Nullum ab eo emiſſum verbum, quod reuocare vellet. Sed errabat, inquit Auguſtinus, quia hoc proprium eſt eorum, qui

ab Spi-

Solutio tertiæ quæſtionis. In multis offendimus oẽs. *Pſal. 115. Rom. 3. Eccl. 7.*

Lapſus Lutheri.

Iacobi Apoſtoli modeſtia. *Aug. epiſt. 19. Hier. lo. 2.*

Iacob. 2. Idem ſer. 121. de Diuerſis c. 1. tom 10.

Didymi Alexan. documentũ in hæc verba Apoſtoli: In multis offendimus omnes.

Quomodo qui nõ offendit verbo, hic perfectus ſit vir. *Eccleſ. 19.*

Act. 2. Circumducere totum corpus ſuum, quid.

Prou. 18. Matth. 12.

B. Auguſt.

ab Spiritu acti locuti ſunt: cæteros vero ſcriptores, & ſapientes huic infelicitati fuiſſe ſubiectos, vt ſæpe vel loquendo, vel ſcribendo offendant. Vnde vel Ioannes Baptiſta in deſertum ab infantia penetrauit *Ne leui ſaltem* (vt canit Eccleſia) *maculare vitam Famine poſſet.*

Luc. 1.

Si autem equis frena in ora mittimus, ad conſentiendum, & reliq. Plures ſubiungit ſimilitudines Apoſtolus, alteram ab equo, alteram à naui deſumptam. Equos fræno ducimus quo volumus, eos nobis aſſentiri, & parere facimus ad arbitrium. Naues etiam cum magnæ ſint, & à validis ventis agantur, modico tamen gubernaculo nautæ pro voluntate, eas ducunt in portum, quem attingere cupiunt: atque his puſillis inſtrumentis magnam molem circumagunt. *Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat.* Verbum Græcum ſonat: Magnificè ſe iactat, ac ſe venditat. Beda legit, Exultat, id eſt, iactanter gloriatur. Ita enim eo verbo vtitur Cicero libr. De ſenectute: Fabius, inquit, Anibalem iuueniliter exultantem, patientia ſua molliebat. ¶ Cum ait: *Si autem equis frena in ora mittimus*; ſupplendum eſt aliquid, velut hoc: Quantò amplius decet, vt nobis ipſis frænum cõtinentiæ in ora mittamus ad obſequendum Creatori? Si autem legamus: *Sicut equis frena in ora mittimus*, nihil eſſet opus ſubaudire, quia integra conſtaret oratio. Sapientis eſt ergo linguam gubernare ſuam, iuxta illud Salomonis: Intelligens gubernacula poſſidebit.

Triplex ſimilitudo ab Apoſtolo petita, ad linguæ ferociam, quæ edomari nequit, indicandam.

Quid eſt, quod lingua membrum modicum cum ſit tamẽ magna exaltet.

Prou. 1.

Tertiam addit ſimilitudinem: *Ecce quãtulus ignis* (ita enim Græcè legimus μικρὸν πῦρ) *quantam ſyluam incendit.* Id eſt, Quantulus, vel quantus ignis, vt velut vna ſcintilla ſyluam magnam incendat. Nam Arrius, ſiue Lutherus, vna ſcintilla fuit, & toti Eccleſiæ incendium inferre tentauit. Et lingua ignis ſpeciem, & colorem reddit, neque aliter rotunda, ac volubilis, atque flammeus ignis, quo nos ipſos, & alios in perpetuum gehennæ ignem, mortemque detrudimus. *Vniuerſitas iniquitatis.* Græcè eſt Κόσμος τῆς ἀδικίας. Quæ vox ſignificat, aut congeriem, & cumulum multarum rerum, ſicut mũdus iſte corporeus ex innumerabilibus rebus conſtat, ſicut etiã ſuo modo mundus muliebris ex multis eſt compoſitus. Similí metaphora dicimus Iliadem malorum, vel Oceanum malorum. Alij verò κόσμον interpretantur, Ornatum iniquitatis, & intelligunt, linguam conſueuiſſe ornare peccata, & iniquitates, & falſum tanquam verum ſua perſuaſione oſtendere. Cuncta enim facinora per linguã concinnantur, vt homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, periuria, hæreſes. Eſt ergo mundus quidem iniuſtitiæ, vt omnes literæ Alphabeti, in quibus vitia linguæ explicantur, docent: vt adulatio, blaſphemia, calumnia, detractio, excuſatio in peccatis, famæ ablatio, fraudes, gloriatio vana, hypocriſis, vel hæreſis, iuratio, lamentatio, mendacium, mordacitas, nugæ, periuria, querela, rixæ, ſuſurratio, vel ſecretorum reuelatio, taciturnitas importuna, vituperatio, zelus amarus. Vt vndique lingua habeat per omnes voces Alphabeti excurrere. Et licet interdum bona ſit lingua, & virtuti ſeruiat; plerunque tamen vitioſa eſt; vt rectè ſit dictum.

Linguæ pernicies immenſa.

Lingua vniuerſitas eſt iniquitatis dupliciter.

Quid melius lingua? Lingua quid peius eadem:

Addit etiam quod *Maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.* Maculat autem totum corpus, quia virulenta eſt. Dices; Quomodo maculat? quia ex affectibus maculati cordis procedit: quod etiam lingua teſtis ſit omnium macularum cordis, nam illa oſtendit omne peccatum, & auget, cum habitus ab operationibus incrementum accipiant, & propenſiores ad operandum reddant. Inflammat etiam rotam natiuitatis noſtræ Græce τρόχον vocat inceſſabilem vitæ curſum, quo à natiuitate vſque ad mortem, velut currente rota inceſſanter agimur. Et comparatur rotæ, eo quod ſemper in ſe voluatur: & inflammant vitam noſtram cum noſtræ conuerſationis rationem praue loquendo exponimus, & naturæ noſtræ in primo parente læſæ vitium oſtendit. Codex Syriacus pro illis verbis: *inflammat rotam natiuitatis*: legit, *Incendit ſeriem genealogiarum*, in quibus quidam gloriantur; & ob id alios præ ſe ipſis contemnunt.

Lingua vt maculet totum corpus, & inflammet rotam natiuitatis noſtræ.

Lectio Syriaca huius loci.

Expende vltimò quod ait: *Inflammata à gehenna.* Hoc eſt, Incitante dæmone, & Angelis eius, gehennæ, & inferni ciuibus & ad peccata ſolicitante.

Quartum erat dubiũ, an omnis natura beſtiarum edomita ſit à natura humana, & ſubiungit: Linguam autem nullus hominum domare poteſt. Dicendum eſt ad prius, ante peccatum omnia animalia domari facile potuiſſe ab homine: quia Dominus dixit primis parẽtibus, Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur

Ad quartum dubium. An omnis natura beſtiarum edomita ſit à natura humana. *Gen. 1.*

ſuper terram:ſed peccato nato,& reddito rebelli homine ſuo Creatori, rebellarũt, & homini non tantum ſua inferior pars, & caro,ſed etiam vniuerſa animantia quę vix eius dominium agnoſcunt: nec tantum illi non parent, ſed inuadunt eum multa ex illis,& aggrediuntur. Dei autem gratia,& virtute videmus multas feras beſtias ſanctis viris pepercisſe,& non nocuiſſe: vt cetum Ionæ,leones Danieli,& venenatos ſerpentes B. Theclæ, & viperam beato Paulo, & alijs ſanctis. Sed hoc loco Apoſtolus non loquitur de hac obedientia, quam præſtitiſſent in ſtatu innocentiæ,ſi homo non peccaſſet,nec de iſta quę gratia Dei, & miraculo contigit, ſed ſermo eſt de illa, quæ arte, & ſagacitate hominis conſtat. Nam vt loquamur primũ de feris, & venenatis animalibus,deinde de volucribus poſtremò de piſcibus:non eſt dubium,leones, tigres,elephãtes, rhinocerotes, vrſos, pantheras;atq; alia immaniſſima, ferociſſimaque animalia vel ſolo nomine nos perterrefacientia, arte hominum manſueuiſſe: nam vt ille dixit *Longa dies homini docuit parere leones.* Et Plinius in octauo libro de naturali hiſt.cap. 11. Iuncti primum,inquit,currum ſubiẽre elephanti Pompeij Magni Africo triumpho. Nouimus etiam tigres currum Liberi Patris traxiſſe, de quo Poeta dixit:

Liber agens Niſæ ſummo de vertice tigres.

Nouimus & elephantos magiſtris ſuis paruiſſe,vt de quibuſdam illorum docet ſupra dicto loco Plinius, ſuper triclinia in conuiuijs tanta dexteritate ambulaſſe, intactas vt dapes, & vaſa relinquerent. Pingebant quoque Græcos characteres, teſtibus Plinio, & Æliano: & edocti in prælium ſe duci ſinebant. Rhinocerotas ſcimus tempore Domitiani Romam aduectos, & morigeros ſe præſtitiſſe ſuis præceptoribus:ita vt Marti.dixerit:

Sollicitant pauidi cum rhinocerota magiſtri,
Et dum ſe tardæ colligit ira feræ.

Serpentes etiam, quos nomine reptilium complectitur Iacobus, etſi non ita manſueſcant;refert tamen Plinius immaniſſimam quandam aſpidem à quodam patrefamilias in Ægypto domitam;quæ quotidie de cauerna ſua ad menſam eius veniebat, & annonam percipere ſolita erat. Conſtat etiam quotidie multas vi capi, aut ad eſum, aut ad conficiendum ex eis medicamenta,vt theriacam, aut incantationibus infrigidatas,& ſopitas; aut denique hominis virtute interfectas,quod eſt etiam eas domare.

Ioan. 2. Dan. 6. Infra vlt. — *Iuuenal.* — Mira elephantorum ſolertia. — *Baruch.3. Plin.lib.10. cap. 7. in fi.*

Quod ad volatilia attinet,nemo ignorat, multis modis nos illa inſidijs petere, & capere,& non tantum paruas volucres, ſed etiam grandes, vt aquilas & falcones, ſtruthiones quoque. Vnde nata eſt ars nutriendi falcones: & per illos venationes exerceri notum eſt : de qua dixit Baruch: *Vbi ſunt principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias,quæ ſunt ſuper terram? Qui in auibus cœli ludunt?* Et rectè ait,ludunt:nam vt olim gladiatores ludebant ad ſpectaculum populi, mortem ſibi inferentes, ita falcones ludere dicuntur, dum alias volucres ſpectantibus nobis interficiunt.

Volatilia humanis etiam artibus, & ſolertiæ ſubiacere.

Vnum illud ſupereſt explicandũ,quomodo domari poſſint piſces,quia peculiariter de ceto eſt ſermo,quod & ipſe quoque dometur. Sed & quædam marina animalia domita eſſe ab hominibus conſtat.Certè Delphinum legimus apud Plinium,ſolitum fuiſſe voce hominis audita egredi ad litus,& quendam dorſo ſuo ſuſcepiſſe,& vectaſſe per mare:& cognita illius morte, indoluiſſe belluam,atque ingemuiſſe. Delphinos etiam nouimus inſidias thunnis inſtruere,& illos ducere,vt retibus captari valeant, & illos lætabundos ſignum dare piſcatoribus incluſionis intra rete. Et certè poſtquam Apoſtolus dicit cetos edomari poſſe, credibile eſt aliquando contigiſſe :& fit, quoties à piſcatoribus capti interficiuntur. Nec enim omnes piſcium mores ex hiſtorijs diſcere poſſumus : ſed admonendus eſt lector, Græcè legi ἐναλίων, id eſt,& cetorum,ſed interpres noſter videtur legiſſe, καὶ τῶν ἄλλων,id eſt,& aliorum:pro quo aliqui legebant: Et cæterorum: quod corruptè poni potuit pro cetorum : ſed melior eſt prior lectio. Homo igitur ſola ratione inſtructus,vt ait Galenus in libris de vſu partium,& manibus munitus,etſi ferocitate, ac fortitudine leones, & alias feras beſtias non ſuperet; inſtrumentis tamen quibuſdam, manibus, ingenio omnia domat, aut ſaltem domare poteſt.

Cetos quoque & Delphinos homini parere. — *Plin.lib.9. cap. 8.* — Altera lectio vtra magis probetur autori.

Ad ſecundam autem illam partem: *Linguã autem nullus hominum domare poteſt:* cum illa indomita, nulli homini ſalus cõtingere potuit, quomodo nullus hactenus domare poteſt?Reſpondeo cum beato Auguſtino lib. de Natur.& Gra.ca.15. *Non mihi videtur*, inquit, *ita intelligendum, vt exponere voluit, quaſi per exprobrationem dictum, tanquam diceretur: Ergone linguam nullus hominum domare poteſt? tanquam obiurgans, & dicẽs: Domare feras poteſtis,linguam non poteſtis? quaſi facilius ſit linguam domare,*

Verum vt ſit,nullum hominum linguam domare poſſe ſecundum Auguſtinum. — *Aug.to.7.*

quam feras. *Nō puto quod iſte ſit ſenſus hoc loco. Si enim hoc ſentiri vellet, de facultate domandæ linguæ, cætera ſequerētur in beſtiarum comparatione.* *Nunc vero ſequitur:* *Inquietum malum, plena veneno mortifero; vtiq; nocentiore, quàm beſtiarum, atque ſerpentum. Nam illud carnem interficit, hoc verò animam.* infra: *Neque hoc ideo dixit, vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, ſed vt, ad domandam linguam, diuinæ gratiæ poſcamus auxilium. Non enim ait: Linguā nullus domare poteſt; ſed, nullus hominum, vt cum domatur, Dei miſericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poſcat auxiliū: & oret lingua, vt dometur lingua domante illo, qui dixit ad eos. Nō enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Oecumenius notat, non eſſe aſſertiuè legendum, ſed per dubitationem, aut interrogationem: *Si enim feras domamus, & manſuefacimus, an non etiam linguam domare poſſumus?* Hæc ille, comprobans ſenſum Auguſtini, qui ſerm. 4. de verb. Dom. c. 2. *Ergo intelligimus, chariſſimi, quia ſi linguam nullus hominum domare poteſt, ad Deum confugiendum eſt, qui domet linguam noſtram: ſi eam domare volueris, non potes, quia homo es? Linguam nullus hominum domare poteſt. Attēdite ſimilitudinē ab ipſis beſtijs quas domamus. Equus non ſe domat: Camelus non ſe domat: Elephantus non ſe domat: Aſpis non ſe domat: Leo non ſe domat: ſic & homo non ſe domat. Sed vt dometur equus, bos, camelus, elephantus, Leo. aſpis, quæritur homo: ergo Deus quæratur, vt dometur homo.* Et paulo poſt: *Dubitare debemus, quia manſuetos nos faciet Dominus, ſi nos domandos ei præbeamus: Domuiſti leonem quē non feciſti: non domat te, qui fecit te?* Hæc ille doctè, & eleganter. Vera eſt igitur ſententia, Linguam nullus hominum domare poteſt: quia nullus bonorum doctorum poteſt domare linguas eorum, qui ſe ipſos à ſtulta verboſitate cohibere negligunt: & nullus loquentium eſt, qui non aliquando delinquat in lingua ſua: de viro perfecto in articulo tentationis conſtituto veraciter dictum eſt: *In omnibus his nō peccauit Iob labijs ſuis, neq; ſtultum quid contra Deum locutus eſt*: & tamē ipſe poſt modum auditis Dei ſermonibus, de ineptia ſtultæ locutionis ſe ipſum reprehendit, dicens: vnum locutus ſum, quod vtinam nō dixiſſem: & alterum, quibus vltra non addam.

Matth. 10.

Aug. tom. 10.

A Beda citatur ad Hebræos 12.

Iob. 1.

Infra 39.

Cur inquietum malum ſit lingua, & plena veneno mortifero.

Sequitur in Apoſtolo: *Inquietum* (ſiue incoercibile) *malum.* Ab homine nimirū puro incoercibilis eſt lingua, non à Deo. Inquietum malum eſt lingua; quia áb vna maledictione ſaltat in alteram, & ab vno, cui maledictionem intulit, iaculatur gladium maledictionis in alterum. *Plena veneno mortifero.* Id eſt, detractione, contumelia, quæ eſt iurgiorum omnium ſeminarium, de quo Propheta: Venenum aſpidum ſub labijs eorum. *In ipſa benedicimus Deum, & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad imaginem, & ſimilitudinem Dei facti ſunt.* Sunt qui ſibi religioſi videntur, dum benedicunt Deum, & Patrem, habentes Pſalmos, Cantica, & diuinas laudes: ſed ex alia parte maledicunt hominibus, qui ad Dei imaginem ſunt creati. Non dixit, Deum; ob honorem. Detrahunt tamen ſuperiori, & Prælato, vt indiſcreto, & negligenti, eumque occultè calumniantur: ita vt ex eodem fonte procedat benedictio, & maledictio.

Pſal. 13.

Gen. 1.

Deum benedicentes, ſed hominibus maledicentes, irreligioſos merito cenſeri.

Sed dices, nihil eſſe abſurdi: quia eodem ore benedicimus homini, & amicis: inimicis vero, & diabolo maledicimus. Sed qui homini maledicit ad Dei imaginem creato, & ipſius factori maledicit; nec poteſt quis artificis opus maledicere quin ipſum autorem maledicat. ¶ Dices; Non vitupero hominem, vt homo eſt, & opus Dei, ſed quatenus improbus eſt, & iniuriam mihi intulit. Bene habet, ſi ſolum vitium oderis, quod ex Deo non eſt. Sed falleris, quia prætexu vitij, & peccati, odiſti hominem: ſi enim vitia odiſſes, non hominem, vtique & miſereri hominis vitioſi ſtuduiſſes, & remedia, quæ poterant, adhibuiſſes, vt fraternam correctionem, preces, lachrymas, quæ eum reuocarent. Nequit enim fieri, vt ex eodem fonte amara, & dulcis aqua emanet, id eſt, emanando ſcaturiat: & ſi miſcentur in vaſe. vel in ciſterna, dulcis mox amareſcit ab amara, amara autem ex admixtione dulcis in dulcedinem neſcit mutari: ita in homine, qui maledicit, & benedicit, quia corrumpunt mores bonos colloquia praua. *Nunquid poteſt, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus?* Pro, vuas, Græcè legimus, oleas, quæ aliquam amaritudinem habent: vel oliuas, quæ fructus ſunt oleæ: non ſolum per ſe, ſed neque quidem per inſitionem.

Homini qui maledicat, & Deo ipſius factori maledicere.

1 Corin. 15

Ad illud quinto loco propoſitū: *Quis ſapiens. & diſciplinatus* (*ſiue ſcientia præditus*) *inter vos? Oſtendat ex bona cōuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.* Hactenus ambitionis magiſtris, & indoctè doctis ſilentium impoſuerat, quos à magiſterij gradu tenendo abduxit, quia eos nec vitæ perfectionem, nec continentiā habere cernebat: modò vero admonet, vt omnibus omnia fiant, & omnibus

Solutio quintæ dubitationis. De tranſitu pluralis numeri ad ſingularē, cum ait: Quis ſapiens inter vos, &c. *1. Cor. 4.*

lucri-

lucrifaciendis intendant:& hoc eſt potius vita docere, & moribus, quã verbis;quia teſte Salomone, *Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.* Cur autem à plurali deſcendat ad ſingulare,cum ait, *Quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos?* in promptu eſt ratio. Nouerat enim viros doctos, & ſapientes, rariſſimos inueniri, de quibus intelligi poteſt.

Prou. 14.

Rara auis in terra, nigroq; ſimillima cygno. Ideoque in ſingulari ait: *Si quis inter vos ſapiens eſt, Dei ſcientia imbutus, oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.* Comes enim ſapientiæ eſt manſuetudo, qua cum fructu recipitur, & communicatur in alios ſapientia.

Sapientiæ comes, manſuetudo.

Rurſus loquens de doctoribus cõtentioſis, qui plures eſſe ſolent, redit ad numerum multitudinis, dicens: *Quod ſi zelũ amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem.* Vbi manſuetudini æternæ opponit zelum amarum, vel æmulationem amaram, & externam contentionem. Zelus in Scripturis interdum eſt bonus, & dulcis, à quo Simon Apoſtolus dictus eſt Zelotes, & quo Zelo Elias plenus fuit, & Apoſtolus Paulus dixit; *Aemulor vos Dei æmulatione.* Aliquando autem zelus in malam partem accipitur, & ſignificat inuidiam, quæ motus eſt amarus. quia ex alterius bono iudicamus noſtra bona imminui, & contemni:& ita ſignificat indignationem, & inuidẽtiam. Contentiones etiam ſunt inter magiſtros, & inter diſcipulos, ſiue auditores, vt quidam pro hoc, quidam pro altero, quaſi doctiore, contendãt:quod carnale eſt prorſus, & hominum mundi huius, dicente Apoſtolo ad Corinthios: *Cum ſint inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Eſt & alia bona contentio, qua contendimus intrare per anguſtam portam, & qua contendimus, & certamus in charitatis officio, & humilitatis exercitio cum fratribus. *Nolite,* inquit, *gloriari & mendaces eſſe aduerſus veritatem.* Hic eſt finis huius præcepti, nam gloriari de tali ſapientia, eſſet de peccato gloriari. *& nolite mendaces eſſe aduerſus charitatem.* Quia pro tuenda noſtra ſententia, mendacium ſæpe tuemur contra apertam veritatem, quæ non probat eſſe gloriatione dignos, qui ſapientia verba ex ore depromentes, zelum amarum in corde ſuo, & amaram contentionem gerunt in animo. Et ita euacuauimus ſextam dubitationem.

Ad ſextum dubium. De zelo amaro quiſnam ille ſit.

Duplex zelus bonus, & malus.

3. Reg. 13. *2. Cor. 11.*

Contentiones quæ malæ quæ bonæ.

1. Corint. 3.

Matth. 7.

Septimam, & vltimam diluamus de duplici ſapientia, quænam illa ſit. Ac de mala quidem teſtatur Apoſtolus: *Non eſt enim iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à Patre luminum, ſed terrena, animalis, diabolica.* Duo de iſta ſapientia pronuntiat: alterum eſt, quod non eſt de ſurſum deſcendens, ſed à terra aſcendens in corda noſtra, id eſt, ab hominibus terrenis, & à creaturis emẽdicata, quanquam deſint hæc verba: *Patre luminum.* in Græco textu, ſicut & apud Bedam. *Sed terrena, animalis, diabolica, ſiue dæmoniaca.* Reijcit enim priorem ſapientiam, cum inuidia, & cõtentione communicatam, quod non ſit de cœlo: et ſi omnis ſapientia à Domino Deo ſit, ac proinde de cœlo quaſi per nos tranſit: quemadmodum aqua fluminis de fonte profluit, quæ propter terrarum qualitatem modo ſalſa, modo ſulphurea, modo terram, modo ferrum ſapit: ita dona Dei fiunt terrea. quia per ea aſpiramus ad terrena huiuſmodi bona. Idcirco eiuſmodi ſapientiam vendimus, iactamus, & de illa gloriamur. ¶ Deinde hæc ſapientia *Animalis eſt.* Id eſt, Carnalis, genium, ſenſum, & voluptatem fouens. Vocaturque animalis non ab animali, quod ζῶον Græce vocatur, ſed ψυχικὴ, ἀπὸ τῆς ψυχῆς, id eſt, ab anima, quæ corpus fouet, & refrigerat, ac delectationi vacat. Eſt tertio *Diabolica,* aſpirans ad alta ſubſellia, primos honores, magiſtratus, & ad primas cathedras, quæ ait in corde ſuo: In cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, &c. Aſcendam ſuper altitudinem nubiũ, ſimilis ero Altiſſimo. Et ita comprehendit hæc ſapiẽtia omnia huius mũdi bona, quæ ſunt concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbiæ vitæ. *Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtãtia, & omne opus prauum.* Hoc eſt. Quiſquis habet prauam hãc ſapientiã, ambitioſam, & rixoſam in corde; conſequitur, illum in nullo bono conſtantem eſſe, & ad omne malum eſſe propenſum : quoniam ex illa pullulant vniuerſa mala. Adde quæſo quid de Luthero ſcribat Ioannes Aurifaber, qui de Patribus ita Lutherum domi apud ſuos pronũtiaſſe refert in eo libro, cui titulus eſt: Colloquia menſalia Martini Lutheri; *Hieronymus legi poteſt propter ſolam hiſtoriã: nam fidei, & veræ religionis ne ſemel quidem in ſuis ſcriptis meminit. Origenem iam olim excõmunicaui. Chryſoſtomũ nullo loco habeo. nihil eſt enim niſi loquaculus. Baſilius planè nihil valet: totus eſt monachus: ego ne pili illum facio. Cyprianus infirmus eſt Theologus : Apologia Philippi Melãchthonis ſuperat omnes Doctores Eccleſiæ: etiã ipſum Auguſtinũ.* Item: *Hieronymus inter Doctores Eccleſiæ numerari nõ debet,*

Diabolica ſcilicet, & diuina.

Eccle. 1.

Quæ non eſt de ſurſum ſapientia cur animalis, & diabolica appelletur.

Eſa. 14.

1. Ioan. 1.

Zelus, & contentio quid pariant ſecundum Apoſtolum.

Lutheri, & ſuorum mira arrogantia, & impudentia.

fuit

fuit enim hæreticus: credo tamen illum ſaluatum per fidem in Chriſtum. Nil loquitur de Chriſto, niſi quod nomen illius in ore ferat: nullum inter Patres ſcio, cui ita ſim inimicus, atq; Hieronymo. Nihil enim ſcribit niſi de ieiunio, & delectu ciborum, & de virginitate. Rurſus de ſanctis Patribus: *Omnes perierunt, ſi ſenſerunt vt ſcripſerunt: niſi fortè qui reſipuerunt ante ſupremam vitæ diem.* Pomeranus rurſus in Ionam: *Noſtri Patres, ſiue Sancti, ſiue non Sancti, nihil moror: excæcati ſunt Montanico ſpiritu per traditiones humanas, & doctrinas dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium.* Et iterum: *Non debetis Patribus credere, quia ex vno ore calidum, & frigidum efflant.* Hæc ille, quibus nihil arrogantius, nihil inſolentius dici poteſt: vt noueris ad quam ſapientiam ex iſtis à Iacobo propoſitis ſpectent.

Diuinæ ſapientiæ laudes Apoſtolicæ.

De altera verò ſapientia per contrarium ſubdit: *Quæ autem de ſurſum ſapientia.* Quæ ſcilicet à Deo ad nos deſcendit, & quam in nobis ſinimus operari: imò illi nobiſcum operanti cooperamur: *Primùm quidem pudica eſt*, ſiue pura, & caſta, quæ dicitur ἁγνὴ, & opponitur alteri, quam dixit animalem. Et per eam deteguntur hæretici noſtrates illam non habere, apud quos nulla eſt virginitatis, aut caſtitatis doctrina, atque cura, ſed omnes genio, atque carni tanquam immundæ ſues vacant. Deinde, *Pacifica eſt.* Quia per elationem minimè à ſuis ſeipſam ſeiungit: ſeparat tamen ab improbis, hæreticis, & infidelibus: & propter fidem ſeparat filios à patre, & matre, & fratribus, & propter colendã caſtitatẽ ſeparat ab adulteris, inceſtis, & ſtupratorib. Tertiò, *Modeſta eſt.* Et in externis omnes ædificat & exemplum bonum præſtat: cum tamen ſapientia hæreticorum ſit ſcandaloſa, inuolans in bona aliorum, & ea ſibi vſurpans: blaſphema etiam in Deum, Chriſtum, Sanctos, & in Virginem Deiparam, in Pontificẽ Romanum, Epiſcopos, Sacerdotes, & religioſos. Quarto ait: *Suadibilis.* Græcè εὐπειθὴς, hoc eſt, ſuaſibilis & tractabilis, & cui facile perſuadetur veritas. Ideò proprio dicuntur iudicio condemnari hęretici, quia vt aſpides ſurdæ obturant aures ſuas ad vocem incantantium ſapienter, id eſt, Catholicorum Doctorum. Quintò: *Plena miſericordia.* Tum ad ſe, tum ad aliorum animas, & corpora: cum iſti ſua doctrina ſeipſos, & alios ad tartara detrudant. Et qui ſibi non parcit, nec ſui miſeretur, quomodo alijs miſeris, & afflictis parcet? Denique de omnibus bene mereri ſtudet: deſperantes in ſpem reuocat, lapſos releuat, indoctos erudit, & otioſos ad bonum extimulat. Addit etiam: *Plena fructibus bonis.* Nimirum, pœnitẽtiæ, charitatis, iuſtitiæ, & deniq; ad alios ſe offundit per fructus dignos miſericordiæ. Et hæc eſt bona conuerſatio, quam ſapiẽtem quemque oſtendere monet. Sextò: *Non iudicans.* Græcè ἀδιάκριτος, id eſt, Nihil diſcernens. Et poſtremò addit: *ſine ſimulatione.* Græcè ἀνυπόκριτος, id eſt, Neque diſſimulans, neque aliena facta iudicans, vel condemnans. Sine ſimulatione etiam, id eſt, ſine fuco, hypocriſi, vel fraude. Tandem concludit: *Fructus autem iuſtitiæ, in pace ſeminatur facientibus pacem.* Senſus eſt: Omne quod in hac vita agimus, ſemen eſt futuræ retributionis: ipſa autem retributio, fructus eſt operum iuſtitiæ, quæ nunc operamur: quia teſte Apoſtolo: *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet, & qui ſeminat in Spiritu: de Spiritu metet vitam æternam. Fructus autem* (ait) *iuſtitia, in pace ſeminatur.* Qua pace, quaſi optima ſemente terrã ſui cordis aſpergit: quia qui ſeminant in lachrymis, & bello externo, in gaudio, ſiue exultatione, & pace metent. Si ergo quis vult fructum iuſtitiæ percipere, id eſt, vitam æternam, ſemina iaciat pacifica. Ac vt in primo capite diſtinxit Apoſtolus inter vanam, & ſolidam religionem, & in ſecũdo inter fidem inanem, & otioſam ſeu mortuam, & in viuam, & per charitatem operantem: ita in hoc tertio capite diſtinxit inter ſapientiam quæ de ſurſum eſt, & eam, quæ de mundo eſt, terrena nimirum, animalis, diabolica. Ideò tradidit modum oſtendendi fidem per opera bona, hic verò modum exercendi ſapientiam diuinam in manſuetudine: ſicut capite quarto diſtinguit inter ſcientem bonum, & non facientem; & inter neſcientem, & non facientem. Vt hinc colligas, diſtinctiones rerum ipſarum, ſcientiam veram gignere in nobis, & aptas eſſe, & vtiles ad docendum alios veritatem, quæ latet in puteo Democriti. Alioqui res inuoluuntur, & in obſcuro iacent, vt hæreticis contingit.

Hæc quã ſit pudica

Pacifica.

Matth. 10.

Modeſta.

Suadibilis.

Tit. 3.

Pſal. 57.

Plena miſericordię.

Plena fructibus bonis.

Non iudicans & ſine ſimulatione.

Bonorum operum ſemen, & fructus qui nam ſit.

Gal. 6.

Percipiat quis fructum iuſtitiæ.

Pſal. 125.

Diuiſiones ſeu partitiones vtilitas.

DISPVTATIO V.

In quarti capitis verba: *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne ex concupiſcentijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis, & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis; & non*

habetis propter quod non poſtulatis. Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis, &c. in finem vſq; Capitis.

1. Dubitatio, 2. & 3. PRIMA interrogatio ſit circa hoc caput de ſcopo eius, & connexione cum pręcedentibus. Deinde cur incipit per interrogationem: *Vnde bella, & lites in vobis?* Tertiò, cur amicos huius mundi vocat adulteros: videtur enim hoc verbum parum honeſtum, præſertim in ore grauis viri, nedum Apoſtoli. Quarta. Quartò, ex quo loco Scripturæ accepit illud: Ad inuidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis: ac rurſus, Vnde hauſerit teſtimonium illud: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam:* quis etiam ſit ſenſus vtriuſq; ſententiæ, & maxime prioris. Quinta. Quintò interrogatur de ſenſu illorum præceptorum: *Subditi eſtote Deo: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis: Emundate manus peccatores, & purificate corda, duplices animo: Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem:* denique, *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos:* & quo tendit tanta præceptorum multitudo. Sexta. Sextò quæritur circa illud: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.* videtur enim eandem rem repetere: & quis eſt qui iudicat legem? Septima. Septimò cum ait: *Ecce nunc qui dicitis, Hodie, aut cras ibimus in illam ciuitatem, &c.* videtur non reprehendere Apoſtolus aliquod peccatum: quia omittere huiuſmodi verba: *ſi Dominus voluerit:* non imputatur ad culpam, quia vel ſubintelliguntur hæc verba, vel communiter ſupplenda ſunt, vt res tam parua nō videatur vt crimē redargui. Octaua. Pſalm. 89. Octauò, quo modo vita noſtra, quæ in ſeptuaginta vel octoginta annis conſiſtit, teſte Dauide, dicatur vapor ad modicum parens, vel apparens. Nona. Poſtremò quid eſt illa vltima ſententia: Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi: quod ſi verum eſſet, fruſtra ſcholas frequentaremus, vt ſcientias addiſcamus, & non ſolum infructuoſe, ſed etiam perniciose doctos libros, atque ſcriptores legeremus, quo à nobis ignorantiam propulſemus.

Sol. 1. quęſt. De ſcopo & connexione. Primum dubium ſoluendo, dicimus: Cum in præcedentibus multa dixerit de ſapientia terrena, quæ zelum amarum, & contentiones alere ſolet, eandem materiam nunc proſequitur, & maxime originem eorum detegit, vt certum poſſit illis adhibere medicamentum, & ſaltem vt mitiores, ac minus vehementes cupiditates, ſeu concupiſcentiæ reddantur.

Secundæ quæſtionis ſolutio ſit: Exorditur per interrogationem Apoſtolus nō ſolum quo dilucidior ſit oratio, & reſponſio apertior, ſed vt etiam in docēdo, & exhortando reddat ſe vehementiorem, efficacioremque. Ad 2. dub. De cauſa interrogādi: vnde bella, &c. Dixeram iuſtitiam, & pacem maxime decere Chriſtianos: ſed inter vos, vt video, nullus relictus eſt locus paci, vel iuſtitiæ. Radix omnium malorum cupiditas eſt. 1. Tim. 6. Veſtra ſtudia ſunt poſita in exaturandis veſtris cupiditatibus & in dāda opera auaritię, vnde omnia mala procedunt, tanquam à radice in vobis prædominante. Vnde enim bella, & lites, id eſt, ſectæ, & cōtentiones, in vobis, id eſt, inter vos? non quidem à Deo, qui malorum, & ſcelerum autor eſſe non poteſt, & Græca habent: οὐκ ἐντεῦθεν, id eſt, non exinde, quia Deus autor eſt iuſtitiæ, & pacis veſtræ. Deus cur auctor malorum eſſe nō poſſit. Sunt ergo ex vobis ipſis, ſiue concupiſcentijs, quæ militant, id eſt, vigent, ſeu pugnant contra ſpiritum, regnantes (in membris veſtris) id eſt, in vobis ipſis: ſicut Rom. 7. ait Paulus, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. id eſt, in me ipſo. Rom. 7. Supra 6. Idem cap. ſuperiori dixerat: Non ergo regnet peccatū in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. Vnus enim gloriam hominum concupiſcit, alter mammonæ, id eſt lucro inhiat: alius voluptates carnis venatur, multi gulæ, & opiparis cōuiuijs vacant: alij cædibus, & vindictis impensè ſtudent. Hominū cupiditates variæ, & deſideria mala. Sunt qui ludis, ſpectaculis, & venationibus vel piſcationibus, delectantur, & nullus eſt, qui ſua careat concupiſcentia.

Subdit: *Concupiſcitis, & non habetis.* Hoc eſt: Concupiſcitis, quia non habetis: & quæ non poteſtis aſſequi, quæ tam vehementer expetitis. Hebraiſmus. Et qui appetunt, nunquam recta monenti, aut ſimplici Dei verbo cedere volūt. *Occiditis, zelatis.* Gręci quidam codices non habent φονεῦτε, quod eſt, Occidite, ſed φθονεῖτε. Vt ſit ſenſus, Inuidetis, & inuidia, & amaro zelo vrimini: interpretanturque Græci, cædes & bella ſpiritualia de nece animarū. Vel: Incipitis odio, & inuidia eos proſequi qui habent: & nec ſic tamen poteſtis cōſequi. *Litigatis, & belligeratis.* Senſus eſt: Lites forenſes, & contentiones rixoſas ſuſcitatis in vos ipſos inuicem. *Et nō habetis, propter quod non poſtulatis. Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis.* Quod eſt ac ſi diceret: Si in manſuetudine quæ deſunt vobis, à Deo poſtularetis, & eſſent vobis ad ſalutem neceſſaria, vel ſpectarent ad Cur Iudæi quæ optabāt à Deo minime conſequebantur.

Dei

Dei gloriam illuſtrandam omninò obtineretis: ſed vos per iniuſtitiā, & fraudem vultis veſtræ auaritiæ ſatisfacere. Quod ſi qui ſint qui petant; adeò tamen frigidè petunt, & ſine fiducia, nec tam corde, quā ore petunt, vt ita malè petentes exaudiri non mereantur, non tam ad ſatis faciendum naturali neceſſitati, quam ad impendendum quod obtinuerint, carnis deſiderijs, & guſtus & tactus voluptatibus, quibus vos ipſos conficitis, & conſumitis.

Concupiſcentia, & vna eſt & multiplex. *Rom. 7.* *Exod. 20.*

Ita explanatum reddidimus hunc textum: aduertentes, Concupiſcentiam, quā ἡδονὴ vocat, & in ſingulari dici concupiſcentiam, iuxta illud; Concupiſcētiam neſciebam, niſi lex diceret, *Non concupiſces*, quia vna eſt in genere. In ſpecie autem multiplex eſt, tum ob duo præcepta poſtrema Decalogi, tum ob triplicem concupiſcentiam à Dilecto Ioanne diſcipulo aſſignatam, nimirum carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ: tum ob Scripturas, quæ eas pluraliter concupiſcentias vocant, vt hoc loco teſtatur Iacobus Apoſtolus, & alibi Eccleſiaſticus: *Si præſtes*, inquit, *animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*: & Apoſtolus Paulus: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius*, id eſt, actibus, ad quos ſolicitat illa veteris hominis concupiſcentia.

1. Ioan. 2. *Eccle. 18.* *Rom. 9.*

III. Quæ. ſolut. De amicis huius mū di, adulteris appellatis. *Matth. 12.*

Ad tertium dubium reſpondemus: Vocat amicos huius mūdi, adulteros: neque hoc verbum Apoſtolum dedecet, ſicut nec Chriſtum dedecebat illud de Iudæis: Generatio mala, & adultera ſignum quærit, &c. Quamuis B. Ioannes Baptiſta reprehendens hoc crimen, & veluti corrigere volens, mitiori verbo id ſignificauerit Herodi cum dixit, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: & vt Paulus auaros, idololatras vocat, ita Iacobus deditos pecuniæ, & vehementer illam amantes, adulteros appellat. Eſt enim illa adultera quæ viro alieno iungitur: vir verò adulter, qui alterius vxorem vitiat: ita anima mundo adhærens, adulteratur, quia nihil cum mundo commune habet. Et more Hebræo, adulterium, magnam perfidiam, & turpem defectionem à Deo ſignificat. Græce tamen habetur, Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, hoc eſt, Mœchi, & Mœchæ, ſiue adulteri, & adulteræ, vt vtrumque ſexum complectatur. Sunt quippe tales, qui relicto cœleſtis ſapientiæ amore, ad amplexus humanæ amicitiæ deflectunt.

Marc. 6. *Ephes. 5.*

Anima quæ adultera.

Græciſmus.

Subiungit: *Neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei?* Alij codices legunt inimicitia eſt Dei: quia ἔχθρα cum accentu in prima ſyllaba, ſignificat inimicam. Simili phraſi ad Romanos dixit Paulus: *Prudentia carnis mors eſt; prudentia autem Spiritus vita, & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo; legi enim Dei non eſt ſubiecta; nec enim poteſt.* Neque tantum fit inimicus Deo qui amicus eſt mundi, ſed & ille, qui vult fieri. Et ſi illa poſterior lectio retineatur, mox explicando, ſubdit per voces concretas: *Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei cōſtituitur.* Cuius rei rationem hanc dilectus tradit, dicens; *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt: Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.* Quoniam omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Concupiſcentia autem tentat, & abſtrahit à Deo, & iungit terrenis. Fugiendus eſſet mundus, quia proditor eſt, nec promiſſis ſuis ſtat, quia vt proximè ſubiungit: Mundus tranſit, & concupiſcentia eius. At verò mundus non ſolum non amat, ſed odit nos, peccatis nos inuoluendo, atque torquendo. Didymus verò Alexand. in hunc locum ſcriptum reliquit: *Qui peccando amat mundum, inimicus Dei eſſe monſtratur: ſicut è diuerſo qui non peccando amicitias apud Deum pietate confirmat, continuo mundi aduerſarius inuenitur. Vnde ſicuti impoſſibile eſt ſeruire Deo, & mammonæ, ita amicum Dei eſſe ſimul, & mundi.* Hæc ille.

Rom. 8.

Cur qui amicus ſeculi huius eſſe vult, inimicus Dei conſtituitur. *1. Ioan. 2.*

Effectus concupiſcentiæ.

Didymi Alexandrini ſententia.

Matth. 6.

IV. ſoluitur quæſt. Vnde illud petitum ſit: Ad inuidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in nobis, & quid ſignificet. *Ephes. 1.*

Soluamus quartam dubitationem circa illud: *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat: Ad inuidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam:* quæ certè obſcura verba videntur. Videtur ergò hic eſſe ſenſus. Si verum eſt, & falſum eſſe nequit id, quod ait Scriptura, nempe quod Spiritus ſanctus, quo ſignati eſtis in die redemptionis, & qui habitauit in vobis per baptiſmum, *Concupiſcit ad inuidiam*, id eſt, inuidet vos alteri coniungi, & mammonæ adulteræ, idololatriæ: concupiſcit, inquam, vos, veſtrique deſiderio ardet vſque ad inuidiam, quam gerit contra mundum, ac diabolum, qui vos ab ſeſe alienauit: id enim ſignificat, πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ, id eſt, vſque ad inuidiam peruenit eius ardens amor erga vos: quod per ἀνθρωποπαθείαν de Spiritu ſancto dictum eſt, de eo quaſi de homine loquendo. Sicut enim procus, & zelotypus, ſi cuius feruenti amore tenetur, non fert vllum alium alteri amicitiam præſtare, inuidetque illi, quem amare nouit: ſic Spiritus ſanctus præ nimio amore zelotypus, pati non

Proprium Spiritus ſancti.

poteſt, imo indignatur, ſi mundi amicitiam recipiamus, nec in amicitia aliquem riualem ferre poſſumus, vel ſummumDeum, de quo Poeta dicere auſus eſt:

Ouid.

Riualem poſſum non ego ferre Iouem.

Quanto magis Deus non patietur riuales qui ſuas ſponſas, animas videlicet pretioſo Chriſti ſanguine redemptas, abducant ab amore ſui? Inuidiam ergo vocat, Zelotypiam, id eſt, flagrantiſſimam Dei erga nos amicitiam, ne pereamus: ita vt exprimat vindictam diuinam ex zelo prodeuntem.

1. Athanaſ.

Loquitur ergo in præſentia Apoſtolus non de ſpiritu humano, vel de ſpiritu malo, quia Græcè cum articulo dicitur. τὸ πνεῦμα, quo ferè ſemper exprimitur Spiritusſanctus teſte Athanaſio epiſt. ad Serapionem: nec Spiritus hominis, aut dæmonis propriè habitat in nobis: ſed de Spiritu ſancto habetur ſermo. Vnde ad Rom. 8. dicitur: *Qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.* Alibi quoq; ait: *Neſcitis quia templum Dei eſtis; & Spiritus Dei habitat in vobis?* Et Eccleſia precatur: *Spiritus ſanctus quæſumus Domine, cordis noſtri maculas emundet, vt digna efficiatur eius habitatio.* Neque ſpiritui humano aut dæmoniaco conuenit maiorem dari gratiã. Id eſt: Spiritus nõ inuidet, qui per Scripturam loquitur, ſed quærit ipſã, vt cũ maiori gratia in nobis inhabitet.

Rom. 8.

1. Corint. 13.

Solutio quæſtionis propoſitæ.
Exod. 20.

Iam ſupereſt inueſtigare, vnde hos locos Scripturæ produxerit B. Iacobus. Et prior certè expreſſe in Biblijs non inuenitur, licet ſenſus eius facilè inueniri poſſit. Alij dicunt colligi ex illo loco Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes*, Vbi primò dicitur, Deum eduxiſſe Iſrael de terra AEgypti. Et quod iſte dixit habitauit in vobis, & concupiſcit ad inuidiam zelotypiæ, ſignificat, amicitiam mundi, eſſe inimicitiam Dei; & vindictam diuinam zelum conſequentem. ¶ Quod verò ait: *Maiorem autem dat gratiam*: idem eſt cum eo quod ſubiungit: Et faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.

Altera ſolutio, quæ eſt Bedæ.
Exod. 23.

Cæterùm Beda non putat eſſe vllam peculiarem Scripturam, ſed illam, quæ in genere fideles à ſocietate malorum arcet; *Non inibis*, inquit, *cum eis fœdus, nec cum dijs eorum. Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, ſi ſeruieris dijs eorũ: quod certè tibi erit in ſcandalum.* Et per interrogationem dicit eſſe legendum: *Ad inuidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in vobis? vt inuideatis alterutrum?* quaſi dicat, Nequaquam. Subiungit Beda, ſimilem eſſe loquendi modum in Scriptura Dauidis: *Frater non redimit, redimet homo?* quaſi dicat. Minimè. Superbos, vocat illuſores: Humiles verò eos qui ſunt manſueti, & quibus Deus ſuã gratiã tribuit. ¶ Alter verò locus deſumptus eſt ex c. 3. Prouerb. quod iuxta Hebræum vertit Hieronymus: *Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam.* Septuaginta verò interpretes, quos ſecuti ſunt Iacobus hoc loco, & Petrus cap. 5. prioris epiſtolæ, noſtram hanc per omnia lectionem ſequuntur.

Pſal. 48.
Idem ex quo loco ſcripturæ ſit. Maiorem autem dat gratiam.
Prouerb. 3.

Ad V. dub. Quid ſignificet: Subditi eſtote Deo.

Quinta ſoluenda eſt dubitatio de verbis illis: *Subditi ergo eſtote Deo.* Vt indiuulsè illi hæreatis, ſicut ſolet ſponſa viro ſuo obtemperare. *Reſiſtite autem diabolo* Nempe per fidem in Chriſtum (vt habet B. Petrus) qui malè habet, quando vos illum fugitis. Hunc locum expendens Bernardus ſerm. 85 ſuper Cantica habet: *Iſte eſt, qui ſtantes in paradiſo impulit inuidus, & vertit, ſed conſentientes, non reſiſtentes. Iſte eſt qui ſeipſum de cœlo ſuperbus nullo impellente præcipitauit: vt ſciat multo magis hominem ſuo ipſius caſus imminere. quem propriæ ſubſtantia põdus grauat.* Hæc ille. Benè ait: *Reſiſtite diabolo, & fugiet*: Sicut è conuerſo fugiẽdo vincitur peccatum carnis. Fugite, inquit Apoſtolus, fornicationem; vt fugit Ioſeph à conſpectu dominæ ſuæ, & victor euaſit. Quod verò diabolus ſemel victus, de eodem peccato non amplius tenet, vt quidã opinantur, aſſerere non auderem, quia contrarium lego in hiſtorijs Sanctorum.

1. Pet. 5.
B. Bernar.
Gen 3.
Eſai. 14.
1. Corint. 6.
Geneſ. 39.
Diabolum ſemel victum de eodem iterũ peccato ſuum victorem tentare, vnde conſtare poſſit.

Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Appropinquate, per preces nimirum, & orationes agitati huc atque illuc à dæmone tentante. Sed niſi ipſe vocet, & præueniat, quis poterit appropinquare? Sed ipſe certè ſtat ad oſtium cordis tui, & pulſat: Si aperias, intrat ad cœnam tecum, & pugnat pro te contra dæmonẽ. Ait enim ipſe de iuſto: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Vti Deo appropinquemus.
Apocal. 3.
Pſalm. 90.

Emundate manus, peccatores. Hoc eſt, opera bona externa per aquam pœnitentiæ, iuxta illud: Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. *Et purificate corda duplices animo.* Id eſt, actiones internas, & ſpirituales, quę purificandæ ſunt, vt opera bona externa grata Deo reddantur. Græcè dicuntur Δίψυχοι, qui Deo & mammonæ ſeruire volunt & ſedere ſimul in duabus ſellis, ſuntque illorum inſtar, qui ex Babylonia ad colendum Samariam venerant, Deum terræ, Iſrael ſcilicet, & patrios ſuos Deos adorare volentes.

Emundate quas debeant manus peccatores, & quomodo.
Pſal. 25.
Purificent corda qui duplices animo.
Matth. 6.
4. Reg. 17.

Miſeri

Quid eſt illud: Miſeri eſtote.

Miſeri eſtote, & lugete, & plorate. Primum verbum Græcè eſt, ταλαιπωρήσατε, quod eſt, affligite animas veſtras, ac ieiunijs, atque orationibus inclinate vos ad patiendum, & ad portandam crucem veſtram; quia ſic eſſe miſerum, eſt effici beatum. Ideò lugete, & plorate tanquam ſponſæ virum ſuum extinctum cernentes. *Riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.* Alludit ad ſententiam Chriſti dicentis: *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis, & flebitis.* Riſus in fletum, & gaudium in mœrorem malis conuertitur, contra verò bonis mœror in gaudium conuertitur, exemplo Chriſti, de quo Apoſtolus: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atque in dextra ſedis Dei ſedet.*

Luc. 6. Riſus in mœrorem & luctus in gaudium quibus vertatur. *Hebr. 12.*

Quos exaltet Deus quos humiliet. *Luc. 14. Infra 18. Philippen. 2. Luc. 1.*

Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos. Hanc regulam aſſignauit Dominus, cum dixit: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Qui propterea quod ſeipſum humiliauit, factus obediens vſque ad mortem Crucis, Deus exaltauit illum. B. quoque Deipara dixit: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* ſuperbia excluſit nos de paradiſo: humiliatio ſuiipſius, clauis eſt à Chriſto fabricata ad ingrediendum.

Detractio quid ſit. Ad VI. quæſt. De non detrahendo.

Sequitur ſexto loco propoſita dubitatio diluenda. Quia vbi eſt vera, & Chriſtiana humilitas, nullum eſt vitium detractionis: propterea ſubiungit Apoſtolus: *Nolite detrahere alterutrum fratres mei.* Superbia liuorem parit, liuor autem detractionem, quæ eſt læſio famæ proximi abſentis, per obiectionem criminis, aut extenuationem virtutis: quod quidem vitium Scriptura reprehendit; Vt etiam ſi ſuperius iam de eo aliquid dixerit, non ſine cauſa eius reprehenſionem repetat. Adeò enim frequens eſt hoc vitium, etiam apud pios, & religioſos, vt nomen Quinti Elementi, ſine quo viui nõ poteſt, apud quoſdam obtinuerit. Hinc Bernardus occultas deſcribens detractionis ſpecies, ſerm. 24. ſuper Cantica pulchrè ait: *Vnus eſt qui loquitur, & vnum tantũ verbum profert, & tamen illud vnum verbum vno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cor ſiquidem felle liuoris amarum per linguæ inſtrumentum ſpargere niſi amara non poteſt, dicente Domino: Ex abundantia cordis os loquitur. Et ſunt ſpecies peſtis huius, dum alij quidem nudè atque irreuerenter vti in buccam venerit, virus euomant detractionis. Alij autem quodam ſimulata verecundia fuco conceptam malitiã, quam retinere non poſſunt, adumbrare conãtur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſupercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quam malitioſe proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me nunquã innotuiſſet. At quoniã per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum: dolens dico, reuera ita eſt. Et addit: Grande damnum. Nam alias quidem in pluribus valet; cæterum in hac parte, vt verum fateamur, excuſari minimè poteſt.* Hæc Bernardus.

Egregia B. Bernardi de detractione, detractoribusque ſententia.

Luc. 6.

Contra iudicium temerarium.

Subdit Apoſtolus: *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem.* Ecce aliud vitium adiunctũ detractioni, nempe iudiciũ temerarium. Vt verbi gratia: Si quis adeat eremum, ſtultus, vel (vt alij dicunt) Humoriſta vocatur. Velut cum ſui voluerunt tenere Chriſtum, dicebant, *Quoniam in furorem verſus eſt.* Quia ergo propter hæc, & ſimilia facta fratrem ſpernit, aut quia condonat inimico iniuriã, vitio cerebri laborare dicitur. Talis ergo *Detrahit legi, & iudicat legem, ſiue damnat legem.* Eam blaſphemans. Et hæc rectè cohærent cum præcedentibus, vbi ſuadet pœnitentiam, luctum, & humiliationem Crucis, quæ apud homines animales ſunt ſtultitia, & pro talibus habentur: vt per hoc detrahatur ſimul & legi ipſi, & hominibus, qui illi parent. Iudicat autem legem, & eam damnat, qui facit ſe lege ipſa, & legis latore ſuperiorem, & non eſt factor legis, ſed iudex potius, quod eſt proprium Satanæ. Ac ſubdit: *Vnus eſt enim legulator, & iudex, qui poteſt perdere, & liberare.* Hic vnus, eſt Chriſtus homo, & Deus: nã vt homo, pro nobis eſt, & vt Deus, nouit quæ talenta diſpenſauerit cuiq; & quis eorum vſus extiterit: ideò poterit iuſtè iudicare, quia iudex eſt incorruptus, & teſtis oculatiſſimus, & pars quæ offenſa eſt, dixit enim, *Eſuriui, & non dediſti mihi manducare: Sitiui,* & quę ſequuntur. Iudicat autem detractor legem illam: *Nolite iudicare, & non iudicabimini:* & Paulo aduerſatur, dicenti, *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* Certè nulli priuato eſt iuriſdictio in fratrem ſuum. Nec tamen loquitur de iudicijs ſecularibus, quæ à terrena poteſtate, quam Deus ipſe probat, proueniunt: neque de Eccleſiaſtica Prælatorum, quia illi peruigilant tanquam rationem reddituri de animabus ſubditorum: ſed ſermo eſt de vſurpatis, & temerarijs priuatorum iudicijs,

Marc. 3.

Detrahat legi quis.

1. Corint. 2.

Quis ille vnus legiſlator, & iudex.

Matth. 25

Ibidem. Detrahẽs alicui, quam iudicet legem. *Supra 7. Rom. 14.*

Quæ iudicia nequaquam hic damnet Apoſtolus. *Supra. 13. Hebr. vlt.*

I. ſol. qu. De reprehenſione huius omiſſæ ciuilitatis in omni negotio: Si Dominus voluerit, quale id tandem peccatum ſit.

Ad ſeptimum dubium reſpondeamus in illud: *Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut craſtino ibimus in illam ciuitatē, & mercabimur, & lucrum faciemus, &c.* vbi obijciebatur, hoc, aut nullum, aut leue eſſe peccatum; cum iſta conditio: Si Dominus voluerit: ſubintelligatur ab omnibus. Dicimus tamen, Apoſtolum exprimere magnam arrogantiam, & inconſiderationem hominum, qui cum ante pedes mortem imminentem habeant, nihilominus ita ſecuri viuunt, quaſi perpetuò eſſent victuri. Cū tamen dicendum illis eſſet, & nobis omnibus: Si Deus velit, aut ſi Dominus nos viuere ſua bonitate permiſerit, vel ſi Dominus vitam conceſſerit.

Iuriſconſultorum quædam obiectio diluitur.

Neq; in contrarium dicat Iuriſconſultus ex ſua regula, has nimirum conditiones tacite ſubintelligi, ideò fruſtra exprimi. Ait enim regula per eos tradita: *Expreſſio eorū, quæ tacitè inſunt, nihil operatur.* Reſpondeo tamen, ſecus ſe habere in propoſito noſtro: quia cogitare de imminenti morte, multarum inanium cogitationum, & operationum turba nos liberat. Nam à concepto mortis expreſſæ metu & præſentia venturi iudicis, tanquam fræno quodam à peccatis abſtinemus, & quaſi calcari ad currendū, & operandum in vinea Domini, incitamur vehementius. Hinc ſcriptum eſt: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum nō peccabis*, Ac diuiti illi, qui multos vitæ annos ſibi pollicebatur, ac dicebat, *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare*: à Deo dictū fuit: *Stulte, hac nocte repetam animam tuā à te: quæ autem paraſti, cuius erunt?* Vnde & iſti dicebāt: *Ibimus in illam ciuitatē, & faciemus ibi quidē annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Aeſtimauerunt enim luſum eſſe vitam noſtrā, & conuerſationem vitæ ad lucrum eſſe compoſitam,* vt ait Salomon Sapien.15.

Eccl.7. Luc.12.

Quare Apoſtolus Paulus obſeruatorem ſe huius præcepti oſtendit, cum ad Rom.1. ſcribit, quod proſperum iter optabat in voluntate Dei, veniendi ad eos; & 1.Corinth.4. *Veniam autem ad vos citò, ſi Dominus voluerit*: & cap. vlt. *Nolo vos modo in tranſitu videre: ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit.* Demum ad Heb.6. *& hoc faciemus,* inquit, *ſi quidem permiſerit Deus.* Legimus etiam, eundem, & qui cum eo erant, vetitos fuiſſe à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia: cum veniſſent autem in Myſiam, tentaſſe ire in Bithyniam, & non permiſiſſe eos Spiritum Ieſu. Dominus quoque frequenter in Euangelio de morte ſua verba faciebat, & de mortis genere, & à quibus eſſet inferenda, atque hoc ad inſtitutionem noſtram, quia de ſe certiſſimus erat.

Rom.1. 1.Corint.4. Infra 16. Hebr. 6. Actor.16.

Paulus quoque Apoſtolus: *Ego enim iam delibor,* inquit, *& tempus reſolutionis meæ inſtat.* Petrus item. *Certus (ſum) quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi.* Quę quidem omnia ſatis oſtendunt, quam ſit vtile mortis noſtræ meminiſſe. Chriſtiani præterea, qui Chriſtum in Cruce extinctum venerantur, & perpetuo eius exequias in ſacrificio Miſſæ celebrant, & qui toties ad nos dixit: *Ideo & vos eſtote parati, quia qua hora nō putatis filius hominis veniet*: &, *Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam*: præcipue de hoc deberēt eſſe ſoliciti. Ethnicis etiam aliter hoc dictum, & alijs exemplis ſignificatū fuit, quod vera Philoſophia præparatio ſit ad mortē ſecundū eos.

2.Tim.4. 2.Pet.1. Ioan.21. Luc.12.

Vera philoſophia, ad mortem præparatio eſt, clamant huius mundi ſapientes.

Quod ergo in omnibus actionibus quas aſſerimus nos ſuo tempore perfecturos, prudens ſit, & Chriſtianum conſiliū adijcere: Deo benefauente, aut Deo volente: ecce Solymannus Turcarum Rex potentiſſimus cum permoleſtè ferret regnum ſuum a filio perturbari & vnus ex primarijs principibus; & miniſtris qui ſibi de more aſſiſtebat, in gratiam eius dixiſſet: Ego illum de medio quamprimum auferam, ne tibi moleſtus eſſe pergat, ac ita ſedabo regnum tuum: eo quod non addiderat: Si ita Deo viſum fuerit; continuò iuſſit illum ante ſe decollari. Vt intelligas, hoc documentum Apoſtolicum hominis naturæ eſſe valde conſonum, & omnibus ſalutare.

Mirum quid de Solymanno rege Turcarum.

Expendamus verba quæ ſequuntur: *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt, ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Id eſt, Vapor ad modicum tempus apparens, qui vt bulla ſubitò euaneſcit. Meminit etiam Salomon Sap.2. huius vitæ breuitatis: *Quoniam,* inquit, *fumus afflatus eſt in naribus noſtris; & ſermo ſcintillæ ad commouendum cor noſtrum: quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs Solis & à calore illius aggrauata*, Et paulo poſt: *Vmbra enim tranſitus eſt noſtrum.* Etſi verò hæc verba impiorum ſint, quatenus tamen breuitatem vitæ oſtendunt, vera ſunt: non ea tamen ratione, qua mortalitatem animæ aſtruunt, illa vera ſunt. alias etiam voces inuenimus apud Poetas legis Dei ignaros: nam Horatius dixit:

Qualis vita noſtra, teſte Iacobo, & Salomone. Sap 2.

Puluis, & vmbra ſumus;

Pyndarus vmbræ ſomnium vitā vocauit. Quod ergo ſupra obiectum fuit, quod

Horat. libr. 4. Carm. Pyndarus.

vita ad ſexageſimum, ſeptuageſimum etiam,&centeſimum,& eo amplius annum interdum producatur: facile eſt reſpondere, mille annos omne longiſſimum tẽpus,quod tamen finitum ſit,eſſe apud Deum (vt Propheta dixit) tamquam diem heſternam quæ præterijt.

Pſal. 89.

Exultare in ſuperbijs, quid & cur hæc exultatio ſit maligna.

Vltimo loco propoſitam quæſtionem diluamus. *Nunc autem exultatis in ſuperbijs veſtris*. Hoc eſt, in diuitijs, quæ ſuperbos vos reddunt,& inflatos ſuper alios. *Omnis exultatio talis maligna eſt.* Ex qua nimirum oritur contemptus proximi, conuitium, ac maledicentia. Et ſubiungit: *Scienti igitur bonum facere,& non facienti peccatum eſt illi.* Hæc ſententia conſona illi eſt, quam protulit Dauid, *Intellectus bonus omnibus facientibus eum:* & ſententiæ Domini, qui dixit: *Seruus qui cognouit voluntatẽ domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecũdum voluntatem eius; vapulabit multis.* Sciẽs autem, non tantum eſt, qui nouit, & actu ſcit, ſed etiã qui ſcire debet, & noſſe lege tenetur. Nam Scriptura, & ius ipſum humanum pro ſciẽtibus habet eos, qui culpa ſua neſciũt ea quæ ſcire debebant. Vnde Petrus dixit: *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitam retrorſum cõuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mãdato.*

Quid eſt: Scienti bonum facere,& non facienti peccatum eſt illi.
Pſal. 110.
Luc. 12.
Sciens ſumitur in Scripturis dupliciter.
2. *Pet.* 2.

Egregia ſententia B. Bernardi ſuper hunc locum.

Bernardus ſerm. 36. ſuper Cantica, interpretans, & exemplo illuſtrans hunc locum, ait: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt ei. Ac ſi per ſimilitudinem dicat: Sumenti cibum,& non digerenti, pernicioſum eſt ei. Cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores & corrũpit corpus, & non nutrit. Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet, atque actus transfuſa, atque digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ nouerit, vita atteſtante, & moribus bona efficiatur: nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuerſus in prauos, noxioſque humores.* Hæc ille, eleganter ſatis. ¶ Illud ſupereſt aduertendum, non hic eſſe ſermonem de bono perfectionis. ſiue ſupererogationis, ſed de bono perfecto, ſiue debito.

DISPVTATIO VI.

In quinti capitis verba: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſerijs veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum, & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis,* & reliqua in finem Epiſtolæ.

1. Dubitatio.

NOn ſunt obſcuræ admodum, ac difficiles dubitationes circa huius capitis verba: poſſunt tamen nonnulla annotari, & expendi, vt lumẽ maius accipiant. Primum igitur dubium erit, quomodo hæc cum præcedentibus coniungantur, & cur inuehitur in diuites abutentes diuitijs ſuis, ac nemini illas communicantes ex charitate. Deinde, quare introducit putrefactionem, tineas, ac rubiginem teſtimonium reddentes contra ſuos poſſeſſores. Quomodo item merces operariorum defraudata clamat; & quis eſt ille clamor. Tertiò dubitamus, quis ſit ille dies occiſionis, ſiue mactationis: & de quo iuſto ait: *Addixiſtis, & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis*, de Chriſto ne an de alio quopiam. Quarto exemplum agricolæ allatum quomodo applicandum eſt: & rurſus exemplum laboris, & patientiæ, Iob ſcilicet, & Prophetas, vt applicet Apoſtolus prædictis; & quis eſt ille finis Domini. Quinto, qua ratione intelligendum eſt præceptum non iurandi neq; per cœlum, neq; per terram, &c. & quomodo præcipit omnino à iuramento abſtinere: Sexto, vt legendum eſt illud; *Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? & pſallat*: nam quidam textus habent: *Oret æquo animo, & pſallat*: alij vero legunt: *Æquo animo eſt aliquis? pſallat.* Septimo circa illud: *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo, in nomine Domini*; dubium eſt, an ſit ſermo de Sacramento extremæ Vnctionis: quia ſunt quidam, qui ſuſtinent Apoſtolum loqui de quadam Vnctione, qua apoſtoli vngentes infirmos, miraculo ſanabant eos: de quo Marc. 6. Octauo in illud, *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*; &, *Orate pro inuicem vt ſaluemini*, quæritur de qua confeſſione ſit ſermo: nam videtur loqui de oratione Eliæ, qua & clauſit cœlum, & aperuit. Poſtremò dubiũ eſt, qua ratione, qui alterum ab errore conuerterit, animam eius ſaluet, & operiat multa peccata: non enim alius ſaluat, aut peccata noſtra operire poteſt, quam Dominus Ieſus, ſaluator & redemptor noſter.

Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Sexta.
Septima.
Marc 6.
Octaua.
3. *Reg.* 17.
Infra 18.
Nona & vltima dubit.

1. ſolu. dub. Quo tendat Apoſtolus.

Ad primum dicimus, ſuperius ſermonem de diuitibus habitum fuiſſe, & quibus moris erat dicere, hodie, aut craſtino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum & mercabimur, & lucrum faciemus: iam explicat quale, & quan-

tum lucrum fecerit. Nam diuitiæ,inquit, congeſtæ,& iniuſtè comparatæ,& in quibus exultatis,& deliciati fuiſtis,cauſa erūt mœroris, & fletus veſtri. Atque ita hæc cum præcedentibus conſonāt.Et inuehitur in diuites, & quidem terrificis,ſed ſalutaribus verbis. ſi fortè audirent Deùm per ſuos Prophetas,& Apoſtolos loquentem.Et niſi multo auro occluſiſſent aures ſuas, audirent vtique vocem incantantis ſapienter, ſaltem intelligerent quid futurum eſſet eis,& eventurum in nouiſſimo die. Et vt iuſtus, cum Domini ſententia conſentit iniurias vindicātis, iuxta illud:

Ibidem.

Lætabitur iuſtus cū viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoru: quaſi diceret Iacobus: Iudicium Domini video ſuper vos,& cum vita veſtra fuerit perpetuus riſus,merito illi ſuccedet ploratus,& vlulatus multus in ſempiternis gehennæ miſerijs: quia non eſt locus pœnitentiæ poſt diem iudicij. *Agite*,inquit, *nūc diuites*.

Diuitum miſeriæ,& ærumnæ, quibus diuinitus ſunt obnoxij.

Age,habetur in ſingulari, Age diues,quæ aduerbij excitantis eſt particula vt ea quę ſint mala, quæ eos circumdant, videant. *Plorate, vlulantes in miſerijs veſtris*. Id eſt,ad perpetuum planctum, & eiulatum vos voco,niſi tempeſtiue velitis reſipiſcere,& veſtro iudicio, ac ſpontanea punitione coactam, & miſerabilem Dei vltionem perſpicite.Ponitque culpam eorum:*Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt*.Naturales quidem vt frumenta in horreis abſcondita, expectando vt carius venderentur; vinum verò corruptum,ac fęculentum.*Et veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt*.Id eſt,periêrūt, quæ vobis, & proximis veſtris fuiſſent vtilia. *Aurum, & argentum veſtrum* (quibus abundaſtis,& in vſus pauperum non contuliſtis) *æruginauit*.Siue ærugine vitiatum eſt:nam ærugo propriè eſt æris vitium, vt ferri ferrugo: quæ transfertur ad alia metalla.

Ærugo, & Ferrugo differunt.

Hæc autem putrefactio & tinea,& ærugo, teſtis erit contra vos, quam aridi, & immiſericordes in pauperes extiteritis. *Et manducabit carnes veſtras*. Quia auaritiæ dediti, aculeos in conſcientia ſentiunt, mille punguntur curis & ſolicitudinibus macerantur. *Sicut ignis*,ſiue flamma edax.

Diuitiarum voracitas. *Matth. 13.* *Infra 25.*

O qualis erit dolor, cibum,potum veſtrū Chriſto denegaſſe, & potius illa perdidiſſe,vt nec ſibi,nec alijs prodeſſe potuerint. O quis gemitus opem victus, & veſtitus fratribus ſubminiſtrare recuſaſſe? Multo enim magis Chriſti pauperibus indigent diuites, quā diuitibus pauperes. Quod ſi pauperes non eſſent niſi apud Indos, illuc eſſet nobis nauigandum, vt eos victu, & veſtitu proſequeremur. Nam pauperes poſſunt quidem ſalui fieri ſine opera diuitum : at ſalus diuitum non conſtat niſi per miſericordiam in pauperes, iuxta illud Danielis ad Regem Nabuchodonoſor, Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.

Quo loco pauperes habendi ſint a diuitibus.

Pauperum melior conditio, quam diuitum cur ſit.

Dan. 4.

Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus.Id eſt, Sempiternis,qui erunt poſt iudicium.In Græcis codicibus deeſt nomē, Iram: ſed vel ſupplendum eſt,vt conſonet Paulo Rom. 2. vel ſi non legatur, per ironiam intelligendum, quaſi dicat, Egregiè theſaurizaſtis. *Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis,clamat*. Vult dicere:Non ſolum pauperes paſſim occurrentes ſuſcipere, ac reficere ſpreuiſtis, ſed ipſis quoque famulis veſtris debitam laboris ſui mercedem reddere recuſaſtis. Qua de re Iob dixit, *Si aduerſum me terra mea clamat & cum ipſa ſulci eius deflent. Si fructus eius comedi abſque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur tribulus, & pro hordeo ſpina*. Et quod ait, *Clamat, & clamor eius in aures Domini Sabaoth introiuit*: alluſio eſt ad verba Domini Deuter. 24. *Et grauiſſima ſunt peccata, quæ in conſpectu Dei vindictam efflagitant, etſi omnium peccatorum vltor ſit Deus*. Sunt autem eiuſmodi peccata quatuor vno diſticho contenta, nimirum:

In quibus nouiſſimis diebus ſibi diuites theſaurizent iram.

Iob 31.

Deut. 24.

Clamitat in cœlis vox ſanguinis, & Sodomorum,
Vox oppreſſorum, & merces detenta laborum.

Quatuor peccata quæ clamant apud Deum.

addiditque: *In aures Domini Sabaoth ſiue exercituum introiuit*: quia tales adiutorē habent Deum cum exercitu omnium Angelorum; iſte autem clamor per Proſopopæiam à Spiritu ſancto proponitur.

Ad II. dub. Operariorum merces de fraudata clamans cui dicitur à Deo exaudiri.

Sequitur: *Epulati eſtis ſuper terram*, ſplendide ſcilicet, & omnem diem feſtiuum habuiſtis in comeſſationibus, & ebrietatibus, & ſpectaculis. Vnde ſubdit: *Et in luxurijs enutriſtis corda veſtra in die occiſionis*. Non tantum corpora, inquit, ſed etiam corda ſplendore menſæ, delicijs, paraſitis, comœdijs, & ſimilibus quibus vetus homo nutritur, & delectatur. Et videtur hoc eſſe conſonum cum eo, quod Lucas dicit cap. 14. Actorum, Pauli verba referens ad Lycanios: *Implēs cibo, & lætitia corda eorum*, ac illi verbo Dauidis: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, viuent corda eorum in ſeculum ſeculi*. Quanquam etiam dici poſſit, panem, qui confirmat cor hominis, & vinum cor lætificans, non tantum externum hominem alere, ſed etiam vitam animæ, quæ in corpore conſeruatur.

Quibus rebus vetus homo nutritur.

Act. 14. *Pſal. 21.*

Panis corporalis vt eo: firmet etiam cor, atque animam hominis.

Pſal. 103.

Sequitur. *In die occiſionis addixiſtis, & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis*. Si verbum

Ad III. dub. Quis ſit ille dies occiſionis.

hoc, *In die occiſionis*, cum ſuperioribus iungamus, addita voce ſimilitudinis, nempe, ὡς, id eſt, ſicut, quod familiare eſt Hebræis omittere, ſenſus eſſet: Sicut in die occiſionis victimæ, id eſt, vt ſolennes victimę immolantur, & homines ſolent genio indulgere, & animalia ad mactationem ſaginantur: id enim ſignificat vox Græca σφαγῆς: ita ſanè vos corpora veſtra ad mortem ſaginaſtis in lanienam inferni. Si vero illa verba cum ſequentibus legenda ſint, ſenſus eſſet: Sicut in die immolationis, & mactationis addixiſtis iuſtum, id eſt, condemnaſtis, Græce κατεδικάσατε addicere enim morti, eſt damnare, vt Cicero in Piſonem dixit: *Ipſius domum euertiſti, cuius ſanguinem addixeras.*

Duplex lectio huius loci.

Tullius.

Dubium autem erat, de quo iuſto ſit ſermo, de Chriſtone, quem in die ſolenni Paſchæ Iudæi damnarunt, & cruci affixerunt, & in eo feſtum diem egerunt. Iuſtus enim eminenter dicitur Chriſtus, teſte Stephano Act. 7. *Et occidiſtis*, inquit, *eos, qui prænuntiabant de aduentu iuſti.* Talis etiam fuit Herodes, qui in die conuiuij caput Ioannis præcurſoris Domini, viri maximè iuſti, præcidi iuſſit. ¶ Sunt qui etiam hæc verba accipiant propheticè de ipſomet Iacobo Apoſtolo, qui cognomentum habuit Iuſti, qui de pinna templi præceps actus eſt, ac fullonis fuſte percuſſus. Sed præſtat ſenſus de Ioãnis Baptiſtæ, aut Chriſti Domini. *Et nõ reſtitit vobis.* Nimirum Chriſtus oblatus eſt, quia ipſe voluit. Alij verò iuſti caput ſuum imitati, occiſoribus non reſtiterunt ſuis.

De quo iuſto ſit ſermo cuius ſanguinẽ addixerũt Iudæi.

Matth. 14. Alter ſenſus. Ioannis Baptiſtæ, Chriſtiq; mãſuetudo, patientia *Eſai. 53.* Longanimes debemus eſſe, & patientes exẽplo Chriſti. *1. Petr. 2.*

Patientes igitur eſtote fratres, vſq; ad aduentum Domini. Exemplo Chriſti iuſti, qui cum malediceretur, non maledicebat. Grçcum verbum proprie ſignificat: Longanimes eſtote; ſicut ſæpe interpres illam vocem transferre cõſueuit. Et intelligenda eſt longanimitas, quæ etiam ſuo modo aliquid continet patientiæ, eo quod moleſtũ carni eſſe ſoleat diu expectare. Quia ergo vltionem differt Dominus eorum hominum; rogat vt longanimes, & conſtantes ſimus, vſquequo reuertatur, vnicuique vt reddat iuxta opera ſua. Et mortem ſibi illatam à Iudæis Chriſtus patienter, ac longanimiter tulit ad quadraginta annos; ita acerbę Martyrum mortis vltionem diu prorogat, vt interim impij pœnitentiam agant, & agnoſcant illos tandẽ in aduentu Domini, in qua accipient coronam. Et declarans modum longanimitatis, ſubdit: *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ: patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum.* Teſte Clemen. in 2. lib. Diataxis, inter Apoſtolos, Iacobus & Iudas fratres, arte erant agricolæ: ideo vtrique ex illa exempla deſumunt. Hinc Iudas ex illa producit illud; *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ* de hæreticis habens ſermonem: hic verò Iacobus c. 1. de inſitione fecit mentionem; nam inſitio, pars eſt agriculturæ, & hoc loco exemplũ ex agricolatione, cum exhortatione ad longanimitatem producit. Agricola dum ſeminat, æquo animo fert labores, & ſuſtinet, ac fructum ſuo tempore venturum expectat; curam verò Deo committit, vt proſpiciat de feracitate agri, & det pluuias opportunas, Solem, ventos & ſimilia, quæ non accipit agricola quando vult ipſe, ſed quando Deo collibitũ eſt: ita nobis patienter ferenda ſunt aduerſa, vt expectando accipiamus copioſam meſſem, & promiſſam vitæ coronam, quæ æterna erit. Ita etiam Chriſtus ex agricultura multas parabolas, & ſimilitudines in Euangelio producebat, quia multis agricolis prædicabat. Piſcatoribus etiam ex arte piſcandi, nonnulla exempla deprompſit, vt vnumquemq; ex his quæ manibus contrectabat, ad ſalutem peruenire erudiret.

Mira Chriſti in Iudæos longanimitas.

Ad quartum dubium. Qualis lõganimitas noſtra eſſe debeat ſecundum Apoſtolum.

Clem. Ro. Iacobus & Iudas Apoſtoli quã artem colerent ante Apoſtolatum, teſte Clemente.

Agricolarum officium.

Scriptura autem de duplici pluuia ſolet mentionem facere: altera eſt matutina, quã Hieronymus ſemper vocat Temporaneam; altera, ſerotina, quæ gratior eſſe ſolet. De quib. Deut. 11. ita ſcribitur: *Si obedieritis mandatis meis, quæ ego præcipio vobis, &c. Dabo pluuiam terræ veſtræ temporaneam, & ſerotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum.* Per primam pluuiam ſignificatur lex, quæ terret conſcientias peccatumque oſtendit, & iram operatur. Per ſecundam autem Serotinam, quæ per noctẽ humectat terram, vtilis eſt, & Euangelium adumbrat, quæ conſcientias conſolatur, & aridam terram rigat, dando miram Spiritus S. exultationem: de qua intelligi poſſet illud: *Pluuiã voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* Ac pij quidem temporaneam pluuiam recipiunt, quando poſt mortem accipiũt coronam vitæ, quod ad animum attinent; at ſerotinam conſequentur in corporum glorificatione.

Pluuia quæ temporanea quæ ſerotina, & qd ſignificẽt. *Hieronym.* *Deut. 11.*

Rom. 7. *Infra. 4.*

Pſal. 67.

Et applicans hoc exemplũ, ſubdit: *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniã aduentus Domini appropinquabit.* Ad copioſè, ſc. remunerandum. Latina tamen lectio, & ipſe ſermonis tenor, magis poſtulant vt intelligamus fructum temporaneum, & ſerotinum, id eſt, tempeſtiuũ ſiue præcocẽ, & ſerum, ſiue tardum: præceſſit enim: Ecce agricola expe-

Ad quartum dubium. De applicatione exempli agriculturæ ad exhortationem patientiæ, & lõganimitatis.

Beda.

ctat pretioſum fructum. Ita Beda interpretatur, nempe fructum tempeſtiuũ in opere, & ſerũ in morte. Cùm tamen Græca litera habet: Μακροθυμῶν ἐπ' αὐτῷ ἕως ἂν λαβῇ ὑετὸν πρώιμον, ϗ ὄψιμον, hoc eſt: Longanimiter expectans propter ipſum imbrem præproperum, & ſerum. Subdit: *Nolite ingraueſcere fratres in alterutrum.* Id eſt: Si inter expectãdum Domini aduentum, cõtingat vos varijs preſſuris premi, nolite propterea gemere, aut triſtitia, quæ ſecundum ſeculum eſt, affligi. *Vt non iudicemini.* Id eſt: Per impatientiã condemnemini. Eſt enim ingemiſcere, plus æquo querulari propter mala, quę quis patitur. Addit: *in alterutrum*: Dicendo quod hic, vel ille minus patitur, quam vos, vt hac ratione fructum patientiæ amittatis. Sed exultate, ſi maiora, & grauiora damna toleratis. *Ecce, iudex ante ianuam aſſiſtit.* Id eſt, Præ foribus eſt, videns omnia, vt nihil eũ latere poſſit, & in proximo eſt, vt nos à ſe prius commendatos coronet, iuxta illud: Euge ſerue bone, & fidelis, intra in gaudium domini tui. ¶ *Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, & laboris, & patiẽtiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini.* Poſt exemplum agricolę, producit hiſtoriam Prophetarũ, qui dura, & admiranda propter Deum ſuſtinuerunt. Græcæ voces ſunt: Υπόδειγμα τῆς κακοπαθείας, ἀδελφοί μου, ϗ τῆς μακροθυμίας, id eſt, laboris, ſiue afflictionis, & lõganimitatis. Prima vox ſignificat aſperã mortem, quam Prophetæ perpeſſi ſunt, vt Abel, Eſaias & Ieremias, in quibus lõganimiter egerunt. Et peculiariter nominat ſanctũ Iob, cum ait: *Sufferentiã Iob audiſtis, & finẽ Domini vidiſtis, quoniã miſericors Dominus eſt, & miſerator.* Quidã interpretantur finem Domini, pro exitu, ac morte Chriſti. Sed ſanè præſtat de ſolo Iob hæc intelligere, qui patiẽtiæ, & longanimitatis magnũ extitit exemplũ. Et finem, inquit, Domini vidiſtis: qualis ſcil. extiterit: nam eduxit eum ex tot cruciatibus, ac tormẽtis, quibus eum Satan affligebat: nam duplicata omnia eius bona illi reſtituit. Et hoc videtur magis cõgruere, quia de Iob proximè præceſſit ſermo: *Sufferentiam*, inquit, *Iob audiſtis*: de cuius liberatione nihil dixiſſet, ſi finis Domini ad Chriſtum referretur. Deinde quia propoſuerat de ſanctis Prophetis loqui. Tertiò, quia Chriſtus reſurrectionis ſuæ gloriam ex iuſtitia promeruit, & non propriè ex miſericordia, quia ſcriptũ eſt: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum,* & reliqua. Eſt enim Chriſti regula: *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Atq; Iob accepit à Deo, partim quidem ex iuſtitia, partim verò ex miſericordia accepit.

Cur non ingemiſcendum, ſi Dominus ſuum differt aduentum ad iudicium.
2 Cor. 3.
Ingemiſcat quomodo quis in alterutrum.
Matth 25.
Prophetarum, & Iob patientia, & longanimitas.
Gene. 4.
Iob. 1.
Quis finis Domini.
Iob. vlt.
Philipp. 2.
Luc. 14.
Infra 18.

Non tamen diſſimulabo ponderationem Auguſtini, quã facit pro priori ſenſu in epiſtola ad Honoratum: ait enim, non dixiſſe Apoſtolum: Sufferentiam Iob, & finem Domini audiſtis; ne temporalem remunerationem ſperaremus, quando mala temporalia pateremur. Ac ſubdit: *Mala temporalia ſicut Iob ſuſtinete, ſed pro hac ſuſtinentia nõ temporalia bona ſperate, quæ illi aucta redierunt, ſed æterna potius quæ Domino præceſſerunt.* Idem ante dixerat: Nam & ab illo vulnere, atque putredine (Iob nimirum) ſaluus factus eſt, & ei cuncta quæ amiſerat, duplicata ſunt reſtituta, vbi etiã commendata eſt reſurrectionis fides. Nã filij, non dupli, ſed totidem redditi, etiam illos quos amiſerat, reſurrecturos ſignificauerunt. Idem lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 3. in fine apertius ait: *Quare patientiam Iob, & finem ipſius Domini vidiſtis? Fauces aperies ad dupla: diceres, Deo gratias, ſuſtineã, duplum recipio ſicut Iob: patientiam Iob, finem Domini. Patientiam Iob nouimus, & finem Domini nouimus. Quem finem Domini? Deus Deus meus vt quid me dereliquiſti? Verba ſunt Domini pendentis in ligno. Quaſi reliquit illum ad præſentem felicitatem, ſed non eum dereliquit ad æternam immortalitatem.* Hæc ille, quæ acute videntur eſſe meditata.

Auguſtini ponderatio.
Augu. epiſt. 120. c. 10. initio. to. 2.
Idem to. 9.
Matth. 27.

Vt autem melius agnoſcas hanc decantatam Iobis patientiam, aduerte primum, illum paſſum fuiſſe in ſubſtantia ouium, armentorum, in domo terræmotu euerſa, in morte ſeptem liberorum eodem temporis articulo peracta, in carnis doloribus vſq; ad oſſa penetrantibus, ſiccisque ex hoc medullis, quæ etiam caro vermibus ſcatebat, vt cap. 3 eiuſdẽ libri habetur: nam & ſaniem capitis teſta radebat. Item paſſus eſt ab vxore ſolicitante ad blaſphemiam, c. 2. & virum ſuum exhorrente: itẽ ab amicis, qui eum c. 4. leonẽ, & tigridem vocant, arrogantem & hypocritam, c. 15. item furioſum ca. 18. ad hæc oppreſſorem pauperum & tyrannum c. 22. adde etiam vaniloquum, & impium, c. 8. Orat enim Eliu, vt hic, & in inferno Iob probetur. Paſſus eſt etiã à ſeruis ſuis, & ab indignis, c. 30. & à vulgo cap. 17. Pręterea in animo paſſus eſt à dęmone, non ſolum vigilans, quẽ viſionibus terrebat, ſed etiã in ſomno, c. 7. Laborauit etiã perplexitate mentis & dubitatione, an ei tribulatio cederet in bonũ, & ſalutem, c. 9. Ad hæc nõ con-

Qualis quantaq; Iobis patientia.
Iob. 1.

cedebat

cedebat requieſcere ſpiritum eius, dubitando de ſua iuſtitia: ob quod dixit c. 3. *Viro cuius abſcondita eſt via, & circumdedit eum Deus tenebris.* Deſolationem quoque perpeſſus eſt, Deo abſcondente vultum ſuum, quo facto, quis eſt qui contempletur eum? vt in 34. cap. habetur. Item cap. 3. dicebat: *Mutatus eſt mihi incrudelem.* Timebat etiam ne ſibi augerentur pœnæ, & ne afflictus peccaret: *Conſiderans,* inquit, *cum timore ſolicitus:* & cap. 16. *Hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, non pereã, nec contradicant ſermonib. ſanctis.* Deniq; multo tempore paſſus eſt, quia per multos menſes noctes duxerat inſomnes. Vt merito intelligamus, Iobem ſingulare fuiſſe patientiæ exemplar, ac multis modis fuiſſe perpeſſum: quæ tamen omnia Dei ope, & magna virtute ſuperauit.

Solutio quintæ quæſtionis. De vetito iuramēto alioqui licito, nobiſque diuinitus. *Heb. 6.*

Ad quintum de iuramenti prohibitione dicendum eſt, Apoſtolum quodcunq; iuramentum nō abſolute prohibuiſſe, vt decepti Anabaptiſtæ putarunt, dicentes, iuſiurandum eſſe per ſe malũ, cum tamen in Scripturis paſſim legamus, Deum, Angelos, & Apoſtolos, ac Prophetas iuraſſe: iudices item tam ſeculares, quam Eccleſiaſticos, iuramentum, exigere ſolitos, & omnis controuerſiæ eorum finis eſt iuramentum, vt veritatem aliter credere nobis nolentibus perſuademus: ſed vt facilis conſuetudo iurandi, & conſequenter periurij, & aſſumendi nomen Dei in vanum, remoueatur; aut ne quis iuramentũ exiſtimet non eſſe, iurare per cœlũ, & terram, per caput ſuum, & per alias creaturas, hæc tanta aſſeueratione prohibuit. Poſtquã enim Chriſtus venit, & ſanguine ſuo mundum purgauit, omnia ſacrata ſunt, & per illa iuramentum vſurpari poteſt. Vnde Sapiens: *Iurationi,* inquit, *non aſſueſcat os tuũ, multi enim caſus in illa:* quia vel falſum, vel minime neceſſarium, vel præ leuitate otioſum, vel ſine reuerentia, & cultu diuini numinis iuratur, quoniam vocamus in teſtem Deum alteri, cui notiſſima eſt veritas. Ideo cultu latriæ eſt venerandus Deus, non ad quælibet vel nota, vel leuia nomen eius ſacroſanctum aſſumendum.

Eccl. 23.

Quid eſt: Vt nō ſub iudicio decidatis.

Ac ſubdit rationem hanc: *Vt non ſub iudicio decidatis.* Græce dicitur: ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν, id eſt, Ne iudicium, vel damnationem cōparetis, vtendo falſo, aut temerario iuramento. Alij legunt: ἵνα μὴ εἰς ὑπὸ κρίσιν; id eſt. Vt non in ſimulationem incidatis: nam qui iuramento aſſueſcit, incidit in hypocriſin, ſiue ſimulationem, quando videlicet qui mentitur, iuramento ſuo cupit verax videri. Certe ſcholia Græca ὑπὸ κρίσιν pro κρίσιν ſumunt, vt etiam interpres noſter accepit. Cum autē ait: *Neq; per cœlum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum:* Phariſæorum errorem iugulat, qui putabant, non magnopere referre, ſi quis iuraret per cœlum, & terram, & ſimilia, etiamſi falleret.

Error Phariſæorum circa iuramentum.

Quando ſit ſermo noſter Eſt, eſt, non non.

Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non. Id eſt: Sermo veſter nihil ſimulationis habeat, aut diſſimulationis, & purus ſit, & ſimplex, nihil mendacij in Dei ignominiam, vel proximi detrimentum contineat: ſed loquimini reuerenter, religioſe, & conſtanter. Addidit vero Chriſtus illud apud Matthæum: *Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Non ait: Malum eſt; ſed *A malo eſt,* ſcilicet incredulitatis alienæ, & non eius, qui nomen Dei aſſumit iurando, quia alter non vult credere. Veſtra ergo affirmatio ſit. Eſt, eſt, vel quod in idem recidit, Eſt, Etiam, ſiue ita. Veſtra negatio ſit: *Non, minime, nequaquã.* Mendax eſt autem omnis hypocrita, quia contra id, ꝙ in corde tenet, enuntiat, ſiue pronunciat.

Matth. 5. Quorſum id: Quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.

Ad ſextum dubium. De diſtinctione, atque ordine horum verborũ: Triſtatur aliquis veſtrum? oret, &c. de ſententia eorundem.

Sextum erat dubium in illud; *Triſtatur aliquis veſtrum? oret: æquo animo? & pſallat:* quomodo ſcilicet interpungenda ſit hæc clauſula. Non ſunt enim vnum preceptũ, ſed duo, etſi Beda legat, quaſi eſſet vnum, nimirum: Triſtatur quis in vobis? oret æquo animo, pſallat. Sed melior eſt prior lectio. Et primi quidē præcepti ſenſus eſt: Triſtatur aliquis inter vos? ſiue vt Græca vox ſonat κακοπαθεῖ; id eſt, Affligitur, aut tentatur? remedium eſt contra talem triſtitiam oratio. Quod & Chriſtus ipſe ſuo exemplo docuit: nam triſtis, & factus in agonia prolixius orabat; & diſcipulos iuſſit vt orarent, & vigilarent, ne à triſtitia abſorberentur; quod erat incidere in tentationem. Et ita in tempore tribulationis admonemur confugiendum eſſe ad preces, & litanias ſanctorum.

Luc. 23.

Matth. 26

Æquo animo qui eſt, quo modo pſallat.

Alterum preceptũ eſt: *Aequo animo* (eſt ſcilicet) *& pſallat.* Grecum verbum eſt εὐθυμεῖ τις, ꝙ opponitur verbo κακοπαθεῖ. Si quis ergo eſt æquo animo, ac læto, & proſpere agit: lætitie ſecularis, & vanæ remedium eſt pſalmodia, & gratiarũ actio Deo omne bonũ adſcribens: nam per hec modeſtiam in animo, & temperantiam in corpore cuſtodimus. Non diſſimulabo, quoſdam textus habere ἀθυμεῖ; Ægro, ac puſillo animo eſt aliquis? Verum ea lectio conſiſtere nequit, quia idem eſſet huius, & præcedentis præcepti ſenſus.

Altera lectio ſed incongrua.

Ad ſeptimum dubium.

Septimo loco dubitatum fuit circa hoc tertium præceptum Apoſtoli: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ;*

& orent

De vnctione infirmorum, an hic pertineat ad ſacram vnctionem, nec ne.

& orent ſuper eum, vngētes eum oleo in nomine Domini, &c. Primum verbum Græcum eſt: Ἀσθενεῖ τις: hoc eſt: Debilis eſt & imbecillus aliquis? ſiue languet, & infirmatur? Et quia aperte Eccleſia Catholica hunc locum de Vnctione extrema, quæ Sacramentũ eſt, intellexit, reijciendi ſunt illi interpretes, qui ad aliam vnctionem hunc locum detorquere nituntur. Inter quos Caietanus dixit: *Neq; ex verbis, neq; ex effectu verba hæc loquuntur de Sacramentali vnctione extrema, ſed de Vnctione, quam inſtituit Marc. 6. Dominus Ieſus, & diſcipulis obſeruandā tradidit. Quia nō dixit: Infirmatur quis ad mortē? ſed abſolute, infirmatur quis? Et effectum docet, infirmi alleuiationē. & de remiſſione peccatorum nonniſi conditionaliter loquitur: cum Extrema vnctio nonniſi in articulo mortis detur, & directè, vt eius forma ſonat, tendit ad remiſſionem peccatorum: & Apoſtolus ad vnum infirmum plures vngentes, & orantes presbyteros mittit.* Sed ſane hæc falſa ſunt, & inepta, & contra conſuetudinē, & vſum Eccleſiæ, & contra fratres effuſa. Concilium ſiquidem Tridentinũ hoc de Sacraméto Extremæ Vnctionis docet intelligendũ: Romana etiam in Eccleſia in miniſtrando hoc Sacramento. his verbis B. Iacobi Apoſtoli vti conſueuit, dicens: *Deus, qui per Apoſtolum tuum Iacobum locutus es, dicēs: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ*, & quæ ſequuntur: at Apoſtoli nō eſt, vllum condere, aut inſtituere Sacramentũ, quia in eo pactum de danda gratia, & interdum ſanitate inuenitur; quod ſolius Dei propriũ eſt. Quare cogimur confiteri, Sacramentum hoc à Chriſto inſtitutum, per Apoſtolũ hunc fuiſſe promulgatum. Accedunt & duo Pontifices Romani, quorum alter eſt Innocentius Primus in ſuo Decreto 8. alter vero Innocent. III. c. de Sacra vnctione. Chryſoſt. etiam l. 3. de Sacerdotio, c. 6. idem aſſerit his verbis: *Parētes nos in præſentē, ſacerdotes in vitā æternā generant. Atq; illi certe in corporalē quidem interitum à liberis amoliri poſſunt, neq; ingruentē morbum propulſare: cũ hi laborantem, ac morti iam iam propinquam animā identidem ſeruarint: alijs remiſſiorem pœnā infligentes: alios prorſus labi non permittentes, nō doctrina ſolum, atq; cōmonitionis, ſed etiā precum præſidio. Neq; enim ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiā condonandorũ nobis peccatorum facultatē obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? Accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & obſecratio fidei ſaluũ reddet laborantē, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittentur ei. Iam vero naturales parentes, ſi quos eorum liberi Principes, magnateſve offenderint, opē certe illis nullā adferre poſſunt, cum Sacerdotes nō Principes, non Reges, ſed ipſum Deum nobis infenſum ſæpenumero concilient.* Auguſtin. item l. 2. de Viſitatio. infirmorum, c. 4. & li. 5. contra Donat. c. 20. docet, oleũ adhibendũ, conſecratum eſſe oportere. Bernardus quoq; in vita Malachiæ Epiſcopi, recenſet, quod cum vellet vngere ægrotantē fœminam, Sacramenti gratia fraudata obiuit: & ipſe Malachias vnctus, & viatico munitus deceſſit. Petrus ēt Cluniacen. Bernardo æqualis l. 6. epiſt. 1. Vnctionē infirmorum Sacramentũ vocat, & per eam ait remitti peccata: cauſamq; reddit cur iteretur illa vnctio, cũ aliæ vnctiones, vtpote Baptiſmi, Cōfirmationis, & Ordinationis, minime iterentur. Ac vt forma Baptiſmi apud Latinos affirmatiua eſt, nempe, ego te baptizo, apud Græcos deprecatiua, nempe: *Baptizetur ſeruus Chriſti*: ita etiam mirum eſſe non debet, ſi inſtituta per B. Gregorium forma vngendi, ſit deprecatoria. Ait enim: *Parcat tibi Deus quicquid per hunc ſenſum, &c. deliquiſti.* Ambroſius tamē in Eccleſia ſua per cōtrarium inſtituit aſſertoriā. Præterea ſicut fruſtra fuiſſet baptiſmus, & confeſſio Ioannis, quæ baptizatos, & cōfitentes non ſanctificabant, niſi ſubſecuta fuiſſent Sacramenta Baptiſmi, & Cōfeſſionis Euangelicæ, quæ per illa Ioann. præfigurabantur; ita ſane in vanum præmiſſa fuiſſet vnctio, qua Apoſtoli ſanabant infirmos Mar. 6. miracula potius, quam alia virtute oleo indita, ſi Sacramentum Extremæ Vnctionis ad ſananda peccata eorum, qui grauiter infirmantur, ſubſecutũ fuiſſet. Chriſtus itē eſt ille Samaritanus Euangelicus in typo vngens oleo & vino hominem vulneratum: & ſtabularius eſt ſacerdos: qui curam illius habet, & in perſona Chriſti vngit ipſum vulneratum, hoc eſt, peccatorem, & infirmitate laborantē, eiq; pœnitenti confert gratiam remiſſionis peccatorum.

Contra Caietanum.

Trid. Syno. ſeſſ. 14.

Chryſ. to. 3. Parētum, & ſacerdotum comparatio beati Chryſoſtomi ſane elegans, & docta.

idem to. 7.

Petrus Cluniacen.

D. Gregorius deprecatoriam Ambroſius aſſertoriā inſtituit formam Extremæ vnctionis.

Chriſtus qualis Samaritanus, & quis ſtabularius, quis item ille qui incidit in latrones. *Luc. 10.*

Adhæc non ſunt audiendi, qui negant hic agi de Sacraméto, quo extremè laborantes vnguntur: quia ſi recte circumſtantias horum verborũ expendas, inuenies & materiam, & formam, & miniſtrũ, tam ordinarium, quam extraordinariũ. Ita vt auſim dicere, vix inueniri locum in Scripturis de aliquo Sacramento inſtituto, vbi omnes eius partes ita expreſſim ac diligenter enumerentur, atque in iſto. Nam materiam aſſignat, cum ait, *Oleo vngentes*, formam illis verbis: *Orent ſuper eum.* Vt enim diximus, forma huius ſacra-

Partes Sacramenti extremæ vnctionis non obſcure hic ab Apoſtolo inſinuatæ.

menti deprecatoria eſt. Miniſtrum aſſignat, dicens: *Inducat presbyteros Eccleſiæ:* quo verbo diſtinxit presbyteros Eccleſiæ à presbyteris ſecularibus, qui etſi iudices Reipublicæ ſint, non tamē ſunt presbyteri Eccleſiæ, qui ſunt, vt ſuperius dixi, aut Epiſcopi, aut ſacerdotes. Nam etſi ſacerdos ordinarius ſit miniſter, Epiſcopus tamen ſuo iure poteſt quando vult, conferre. Nam ita habet Innocentius I. in dicta

Innoc. 1.

epiſtola; *Cæterum illud ſuperfluum videmus adiectū, vt de Epiſcopo ambigatur, quod presbytero licere non dubium eſt. Nam idcirco de presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire nō poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignū ducit aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt. Effectum vero oſtendit, addēdo: Et ſi in peccatis fuerit remittentur ei; & oratio fidei ſaluabit infirmū & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Caietani & aliorum argumenta ſoluuntur ad probandum de Extrema vnctione hic nō eſſe ſermonem.

¶ Neq; obſtat, q̄ Extrema vnctio nō confertur niſi extremè laboranti, & à medicis deſperato: quia opus erat Apoſtolū dicere dummodo infirmus extremè laboraret, quia ſcrupulū inijceret presbyteris, vt iudicarent, an extremè laboraret infirmus, necne: quod cum omnib. non ſatis cōſtare poſſit, plurimi abſq; hoc Sacramento decederent. Vtile etiam eſt, vt ægrotans quid circa ſe fiat à Sacerdotibus intelligat, & fide ſua, ac deuotione Sacramento cooperetur.

Secundū argumentum.

Secundò non obſtat, quod dicitur: *Inducat presbyteros Eccleſiæ*, in plurali: ex quo argumētatur Caietanus, nō opus eſſe tot presbyteris ad vnū infirmū vngendū: Reſpondemus enim, vnū ſatis eſſe ad vngendum, reliquos adeſſe ad precandū, & orationis ſtudio infirmū adiuuandū.

Tertium.

Tertiū argumētum eſt: Quia pro effectu, inquit, corporis, nullum eſt inſtitutum ſacramētum; hîc autem promittitur, quod oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Confitemur enim effectū proprium & primarium eſſe remiſſionē peccatorum, ſecundariū autē, & qui nō ſemper comes eſt huius Sacramenti, ſanitatē corporis, & ſubleuationem infirmi: at illa ſanitas, & ſubleuatio nō tam ſacramento tribuenda eſt, quā orationi eorū, qui aſſiſtunt.

Vt Baptiſmi, ita & Extremæ vnctionis ſecundarius effectus.

Quemadmodū in Baptiſmo præter effectum regenerationis ſpiritualis, miraculo ſolet Deus interdum baptizatum à morbo aliquo inueterato liberare; vt liberando à lepra, ſicut fecit cū Cōſtantino Imperatore, & reddendo oculos cæcis, & mutis loquelam, & ſimilia, quæ tamē proprius Sacramenti effectus non ſunt.

Ad quartum dubium. De qua confeſſione ſit ſermo, Sacramentali ne, an generali, & humana.

Octauo dubitatum fuit in hoc quartum præceptum: *Confitemini ergo alterutrū peccata veſtra; & orate pro inuicem, vt ſaluemini. Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* In primis particula illa, Ergo, in Græco non eſt, nec videtur neceſſaria, quia melius ſine tali aduerbio legeretur hic locus. Non enim recte infertur ex ſuperius dictis, vbi nullam de confeſſione mentionem fecerat Apoſtolus, ſed alloquitur omnes, qui poſſunt ſacramentum conferre, vt ſunt ſacerdotes, & Epiſcopi, vti frequēter hoc ſacramentum peccatoribus adhibeant.

Refelluntur Sectarii confeſſionem Sacramentalem reſpuentes.

Sed opponunt ſe noui Sectarij intelligentes non de ſacramentali confeſſione, quia dicit, *Alterutrum*; Et quia non eſt cuiuſuis hoc ſacramentum conferre: ſed loquitur Apoſtolus de illa confeſſione, qua mutuo nos peccatores corā alijs confitemur, vt mutuam reconciliationem pro iniurijs inuicem illatis, & orari pro nobis petamus. Sed profecto hæc confeſſio generalis, quod ſumus peccatores, ad rem non eſt: nam vel tacentibus nobis res ipſa clamat, quod de peccatis loquitur confitendis in aurem ſacerdotis Apoſtolus. Adhæc cum præcedat vnctio infirmi, quæ proculdubio inſtituti diuini eſt, & ſequatur hoc præceptum aliud: Orate pro inuicem, quod proculdubio quia iuris diuini eſt, ſequitur quod inter mediū præceptum diuini quoque iuris, & inſtituti ſit, vt ita loquatur de confeſſione Sacramentali.

Confeſſio generalis cur minime ſufficit ad ſalutē.

De erratis vero noſtris, quibus nos inuicem offendimus, non ſatis eſt inuicem confiteri, quia ſæpe fama proximi læſa eſt, vel perſona eius. Loquitur ergo de Sacramentali cōfeſſione à Chriſto inſtituta, & à Chriſtianis vſitata: vt oſtendunt illi, qui in vrbe Epheſo confitebantur, & annuntiabant actus ſuos. Adde, quod Paſchaſius lib. de corpore Chriſti, & ſanguine Domini, cap. 8. habet: *Vnde ſecundum Apoſtolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda eſt confeſſio peccati, deinde oratio plurimorum, poſt ſanctificatio vnctionis. Quia impoſſibile eſt per medicinam illius artis ſanari, quem diuina vltio premit. Et ſi medicina eſt ſectanda, tamen hoc prius agendum Chriſtiano.* Hæc ille de præmittenda confeſſione in Sacramento Extremæ vnctionis ſuſcipiendo.

Act. 19.

Nec obſtat, quod ait inuicem cōfitendum: quia ſicut cum dicimus, Sacrificate pro inuicem, vel docete vos inuicem, vel confirmate alterutrum, non ſignificamus omnes homines, ſed eos tantum, qui apti ſunt ſacrificare, aut docere, aut confirmare: ita hic, cum ait, inuicem, ad eos, qui

pote-

poteſtatem habent confeſſiones audiendi, ſermonem dirigit Apoſtolus. Similiter cum præſules concedunt, tempore præſertim iubilei, vt quiſque confiteatur cum quocunq; quem elegerit, & voluerit; non ſignificant vt adhibeant laicos in confeſſores, ſed vnum ex ſacerdotibus probatum pro voluntate ſua aſſumant. Atque ita Auguſtinus lib. 50. Homiliarum, hom. 12. in init. de confeſſione Sacramentali intelligendum docet. *In omnibus*, inquit, *Scripturis diuinis, fratres dilectiſſimi, vtiliter, ac ſalubriter admonemur, vt peccata noſtra debeamus iugiter, & humiliter non ſolum Deo, ſed etiam ſanctis, & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum Apoſtolum nos admonet Spiritus ſanctus: Confitemini alterutrum peccata veſtra; & orate pro inuicem, vt ſaluemini. Et Pſalmiſta: Confitemini Domino quoniam bonus, & iterum, Dixi, Pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Quomodo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deeſſe poſſunt, ſic & confeſſionis medicamenta deeſſe non debēt. Non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata noſtra, quod ea ipſe ſcire non poſſit: ſed quia diabolus hoc deſiderat, vt inueniat quod nobis ante tribunal iudicis æterni obijciat: ideo vult vt magis defendere, quam accuſare peccata noſtra velimus. E contrario autem Deus noſter, quia pius eſt, & miſericors, vult vt ea confiteamur in hoc ſeculo, ne pro illis cōfundamur poſtmodum in futuro. Si enim confitemur, ille parcit. Si nos agnoſcimus, ille ignoſcit.* Hæc ille.

Aug. to. 10. Egregia Auguſtini ſententia de confeſſione peccatorum apud ſacerdotem. *Pſal. 11. Pſal. 31.* Cur Deus velit vt confiteamur peccata noſtra. *Eccl. 2,*

Sequitur quintum præceptum: *Et orate pro inuicem, vt ſaluemini, multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Hic eſt fructus confeſſionis, vt ſacerdos, qui audit noſtros defectus, & errata, ſolicitus ſit fundere pro nobis preces. Vnde Ambroſ. l. 1. de Cain, & Abel, c. 9 in fi. *Si pro te roges*, inquit, *tantummodo pro te rogabis. Et ſi pro ſe tantum ſinguli orent, minor peccatoris, quam intercedentis eſt gratia. Nunc autē quia ſinguli orant pro omnibus, etiam omnes orent pro ſingulis. Ergo vt concludamus, ſi pro te roges tantum, vt diximus, pro te rogabis. Si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt.* Hæc ille. Nec enim aliorum orationes promeretur, qui pro alijs ad Deum preces non fundit. Innocētius quoq; Primus: *Gaudere* (inquit) *in Domino veſtram germanitatē, amantiſſimi, cupimus, & pro nobis paria apud Deum vota rependere precamur, quia vt bene noſtis, communibus, & alternis plus agimus orationibus, quam ſingularibus, aut priuatis.* Polycarpus quoq; vt tradit Euſebius lib. 4. Eccl. hiſt. cum à lictoribus quæreretur ad martyriū; impetrato orandi ſpatio per horam, totam illam expendit in commemorandis, & Deo commendandis Chriſti fidelibus ſibi commiſſis, ſui vix habita mentione, tanta erat Patrum charitas in ſuos, & precandi ſtudium. Chriſtus quoque, qui orationem Dominicam condidit, & per eam nos ad orandum inſtituit, ita nos pro nobis ipſis orare voluit, vt etiam fratres noſtros, & proximos cōplecteremur. Paulus quoq; in vniuerſis epiſtolis ſe pro alijs orare paſſim oſtendit. Id quod etiam Eccleſia Catholica ab Spiritu ſancto edocta, & in Miſſę ſacrificio, & in Litanijs, & in vniuerſis ſuis orationibus ſatis conteſtatum reliquit, & Dominus ait: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quacunq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis eſt. ¶ Subdit Iacobus: *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Qui enim verè iuſtus eſt, non ſolum pro ſe, ſed etiam pro alijs deprecatur. Vox autem, Deprecatio, quæ Græce dicitur δέησις, propriè eſt oratio pro euadendo malo, aut fugiendo peccato: ſicut precatio, eſt bonæ alicuius rei poſtulatio. *Aſſidua.* Græce eſt ἐνεργουμένη, id eſt, efficax, & quæ operanda eſt, & exercēda. Etſi aſſiduitas magis hic videatur ad rem facere, quia Maieſtas diuina, & beneficiorum largitas tales requirit precantes, vt eam ſaltem perſeuerantia expugnemus: ita vt oratio aſſidua, ſit oratio perſeuerans. Et confirmat exemplo Heliæ hanc precandi aſſiduitatem, qui *Similis*, inquit, *erat nobis, paſſibilis.* Id eſt, ſimilibus, quibus nos ſumus, paſſionibus obnoxius. *Et oratione orauit.* Vult dicere; Perſeueranti precatione vſus eſt: phraſis enim eſt Hebræa id ſignificans. Quid orauit? vt cœlum nimirum clauderet impijs idololatris, & peccatoribus. *Et rurſum orauit.* Pro pluuia videlicet obtinenda, vt terra daret fructum ſuum: & etiam obtinuit.

Fructus confeſſionis Sacramentalis. *Ambroſ. tom. 4.* *Innocen. I. apud Aug. epiſt. 97. tom. 2.* *Euſeb. to. 1.* Mira martyris Polycarpi charitas. *Matth. 6.* *Matth. 18.* Cur multum valeat iuſti deprecatio apud Deum aſſidua. Deprecatio & oratio differunt. Orationis Eliæ efficacia. *3. Reg. 17.* *Infra. 18.*

Ad poſtremum reſpondendum eſt in illud; *Fratres mei, ſi quis ex vobis errauit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, &* quæ ſequuntur. Ante omnia aduerte, Iacobum vti ſolitū illo blando verbo, *Fratres mei*, quod ſuperius in hoc capite bis vſurparat, in primo capite ter, in 2. vero bis, in 3. ſemel, in 4. etiam ſemel: Paulus autem conſueuit dicere, *Fratres chariſſimi*, vt iſtis titulis charitatem præ ſe ferre oſtendant, ac facilius quod volunt, perſuadeant. Tranſit vero Apoſtolus à corporis morbis ad animi infirmitates, inter quas præcipuam nominat iſtam: *Si quis errauit à veritate*, id eſt à via ſalutis, quæ eſt fides, & Catholica doctrina, declinauerit, ſiue

Cauſa huius appellationis Fratres mei, &c. fratres chariſſimi apud Paulum. Errare à veritate quid.

per

2. Tim. 3. 1. Tim. 6. Matth. 22. 2. Theſſ. 2.

per apoſtaſiam, ſiue per hæreſim, nã hoc eſt errare à via per Chriſtum tradita, ſicut Paulus ad Timoth. docet, cum ait: *Mali homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes*, & Dominus etiã dixit Sadducæis, *Erratis, neſcientes ſcripturas, neq; veritatem Dei*; & apud Ioannem Spiritus veritatis opponitur Spiritui erroris. Vnde & in poſteriori ad Theſſal. ait Paulus; *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent, Ideo mittet illis Deus operationẽ erroris, vt credant mendacio.*

Alter ſenſus, & quidem probabilis. Rom. 1.

¶ Nõ negauerim tamen hæc verba extẽdi poſſe ad quodlibet peccatum mortiferum, quia errant omnes, qui operantur malum, & mali homines veritatem Dei in iniuſtitia detinent: proprius tamen intelligitur de defectu fidei, & de apoſtaſia deſertæ veritatis. Nam vt Ezechiel propheta ait, Errauerunt à me poſt idola ſua. *Et conuerterit quis eum.* Id eſt, reduxerit ab errore ad veram fidei, & doctrinæ Catholicæ viam, & ad doctrinam Euangelij. *Saluabit animam eius à morte.* Quia addit, eius, explicanda eſt ambiguitas de qua anima Apoſtolo ſit ſermo, an eius qui reducitur, an reducentis. Sed tamen non eſt dubium, de anima eius qui reducitur, ſermonem eſſe, quæ perierat, nõ autem de anima reducentis. Quia etſi ſcriptum ſit de ſpeculatore domus Iſrael, qui non annuntiat gladium: *Animam autem eius* (ſcilicet ouis nolentis parere, & ſequi conſilium à Deo per Prophetam oblatum) *de manu tua requiram.* non tamen quiſque fidelis ad hoc obligatur, etſi Epiſcopi & Paſtores ad hoc præſtandum, præcepto cogantur. Et ait: *Saluabit animam eius à morte*: quia apoſtaſia, & hæreſis, mors quædam eſt, quoniam ablata fide, quæ eſt animæ noſtræ vita, & per quã iuſtus viuit, peſſima morte perit hæreticus, niſi potenti manu Dei, & aſſidua precatione conuertentis, veluti à morte ſuſcitetur. Secus eſt, ſi erraret in moribus, quia ſic talis reduci poteſt in Eccleſiam per fidem, & correctionem, & per ſacramenta Eccleſiæ, & per aliorum bene viuẽtium exemplum.

Ezech. 44. Cuius, peccatoris ne conuerſi, an eum conuertentis anima ſaluetur. Ezech. 33. Habac. 2. Rom. 1.

Ad nonũ dubium. De eo quod conuerſio peccatoris, cum opus Dei ſit, homini tribuitur. Rom. 11. 1. Cor. 9.

Apto autem, & pulchro ſaluandi verbo vſus eſt; vt intelligamus, eos, qui operam dant conuertendis hæreticis, miniſtros eſſe Ieſu Chriſti, qui non inuidet, nec dedignatur alios vocare ſaluatores. Atq; ita Apoſtolus ad Rom. 11. ait: *Si quo modo prouocem carnem meam* (Iudæos ſcilicet) *& ſaluos faciam aliquos ex illis.* Qua in re Dominus oſtendit miſericordiam ſuam, qui quod ſuum eſt, nobis quoque communicat, officium ſcilicet ſaluandi. Sed nos è contrario dicere debemus: *Serui inutiles ſumus*, &, *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Cum enim ipſe ſine Angelo, aut homine ſancto hoc poſſit efficere, voluit tamen inſignem hanc gratiam illis concedere tanquam adminiſtris.

Luc. 17. Pſal. 113.

Multitudinem peccatorum cur operit charitas.

Additque: *Et operiet multitudinem peccatorum.* Aduerte, quod vbi hæreſis eſt, vel Apoſtaſia, ibi eſt multitudo peccatorum, nimirum ſuperbiæ, iactantiæ tumoris, contentionis, conuiciorum, & pertinaciæ; ibi etiam ſunt multa peccata carnis, quæ vt plurimum omnes hæretici ſectantur. Operit autem peccata omnia charitatis pallium: nam peccata, opera mortua ſunt, & terræ proiectione, hoc eſt, humilitate fidei, & notitia ſui ipſius ſepeliuntur, maxime ſi ſit presbyter aliquis ex paulo ante dictis, quia cum iam conuerſum à peccatis abſoluit; vel Doctor, qui nouit Scripturas, & qui iudicio, ingenio, & eloquio valeat ad hoc, vt eum conuertat ab errore vitæ ſuæ. Deinde multitudinem peccatorum illorum tollit, quæ (ſi permanſiſſet in errore ſuo) feciſſet, volẽdo alios pertrahere in ſuam perditionis naſſam. Operit igitur illa, quæ tollit, & ea, quæ tracti ad eius ſectam operari poterant. At conuertens, in ſe ipſo tollit venialia, & futurorum peccatorum præſeruationem meretur, & eius fortaſſe peccati, quod cõmiſiſſet, niſi eum auertiſſet, ab errore, quod poterat eſſe ſibi mortiferum, quia Deo inſpiranti, & mouenti ad eius conuerſionem non paruiſſet.

Quomodo charitas operit multitudinem peccatorum. Pſal. 31.

Operit autem multitudinem peccatorum; ne videantur in futurum, vel ab ipſo qui peccauit, ne de ſua ſalute deſperet, vel à dæmone, ne illa coram Deo accuſet; vel denique à Deo ipſo, ne ad pœnam æternam imputet, *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.*

De hac Epiſtola B. Iacobi, deque epiſtola Pauli ad Romanos, autoris ſententia.

Et hactenus quidem explicata eſt Epiſtola B. Iacobi, quæ etſi parua ſit, & quinque capitibus comprehenſa; auſim tamen aſſerere, non pauciora habere vitæ bene inſtituendæ præcepta atque documenta, quam fortaſſis Paulus in Epiſtola ſua ad Romanos, & vtraque ad Corinthios, etſi integris, & plenis: quanquam Paulus eſt in dogmatibus, & Scripturis interpretandis, mirum in modum excellat omnes alios.

IN EPISTOLAM PRIMAM B. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS.

DISPVTATIO. I.

In qua primum de ſalutatione quam præmittit, diſſerendum eſt, nempe: *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: Gratia vobis, & pax multiplicetur.*

VII. dubitationes diluendæ. HIc Primum de ſcriptore, quis fuerit, diſſeritur. Deinde de his, ad quos hęc epiſtola deſtinatur. Tertiò, vnde ſcripta ſit, & miſſa. Quartò, cur non meminit ſui ſupremi paſtoratus, ſiue Pontificatus, ſeu Papatus ſiue vicariatus Chriſti, ſed Apoſtolatus tantum. Quintò explicabitur hæc prima clauſula, in qua continetur ſalutatio. Poſtremò quale ſit totius huius Epiſtolæ argumentum, breuibus aperietur.

Autoritas epiſtolæ huius, & obſcuritas. *Euſeb. Cæſ.* Certa, atque indubitata ſententia veterum Patrum eſt, Epiſtolam hanc Petri priorem verè Canonicam, & receptam eſſe ab vniuerſa Eccleſia, vt tradit Euſebius Cæſarien. libr. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 3. & 4. Scribit autem ad Gentes in principio Epiſtolæ nominatas (quæ omnes ſunt Græcæ, Aſiam minorem inhabitantes) & quæ Chriſti Ieſu Fidem ſuſceperant. Eſt autem obſcura, tum ob reconditas ſententias, tum ob confuſum, & perturbatum ſermonis ordinem, vt non minus poſſit de ea dici, quam quod apoſtolus ipſe Petrus de Pauli epiſtolis pronuntiauit: In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant. *2. Pet. 3.* Et magnam quidem præ ſe fert autoritatem, & Apoſtolicam maieſtatem; ac proinde verè digna eſt Principe Apoſtolorum.

Solutio I. quæſtionis. De ſcriptore huius epiſtolæ. *Ioan. 1.* Quantum ad primum igitur, ſcriptor ſe ipſum prodit, cum ait: *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti.* Petrus, nomen eſt, quod iam Chriſtianus à Chriſto accepit, quod illi quidem Dominus promiſit à principio, cum intuitus Ieſus, dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Deinde nomen Petri impoſuit ei Dominus Mar. 3. vbi eadem hiſtoria narratur cum ea quæ habetur Matt 10. quod eſt, ſolidum, & firmum, vt poſſet eſſe Chriſtianæ Eccleſiæ fundamentum. At Matth. 16. dicens, *Tu es Petrus*, cum etiam fecit Petrum, hoc eſt, ſolidam petram: tu es, non tantum vocandus, vel vocatus, ſed etiam iam es Petrus: *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et multo magis. cum dixit Luc. 22. *Ego rogaui pro te (Petre) vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Solidi enim eſt confirmare, ac roborare. Et in hac Epiſtola Apoſtolus tantum ſe à nomine à Chriſto accepto denominauit, in ſequenti vero vtrumque nomen profeſſus eſt, vt nullus ſuperſit ſcrupulus, quin binæ hæ epiſtolæ verè ſint Simonis Petri. Petri officium.

Vocat ſe præterea Apoſtolum Ieſu Chriſti, id eſt, non quemlibet nuncium, ſed peculiarem legatum, & oratorem, qui conceptis verbis non ſua, ſed ipſiſſima mittentis Principis mandata refert. Petrus qualis Apoſtolus. Vnde Tertullianus libr. de præſcriptionibus Hæretic. *Nobis vero*, inquit, *nihil ex noſtro arbitrio indulgere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus autores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignauerunt.* Hæc ille. *Tertull.* Hinc Homerus in legationibus quibus Mercurius mittitur vt nuncius ad mortales, eadem omnino verba quæ accepit, enunciat, nec addit, nec minuit; vt doceat vniuerſos, quantam fidelitatem obſeruare debeant legati, ſiue nuncij, illis, à quibus mittuntur. *Homer.* Apoſtoli, ſeu legati partes. Et Petrus apud Clementem libr. 2. Recognit. ad Simonem Magum ita loquitur: *Nos enim Apoſtoli illius, qui miſit nos, verba exponere miſſi ſumus, & affirmare ſententias: proprium vero dicere aliquid, non habemus in mandatis, ſed verborum illius, vt dixi, aperire veritatem.* *Clem. Ro.*

Subdit dignitatem Apoſtolici muneris amplificans: *Ieſu Chriſti.* Quaſi dicat: Sum enim legatus Ieſu Chriſti, qui nihil aliud, quam ſalutis veſtræ negotium ex mãdatis ipſius ſaluatoris tractare debeo. Captat ergo miro modo beneuolentiam.

Quis enim eſſet, qui legatum Ieſu Chriſti ad ſe miſſum non libenter ſuſciperet, atque audiret? Legatus etiam inter duodecim Apoſtolos primus, ſua ſingulari vocatione factus eſt, & qui nihil minus quam hoc, de ſe ipſo cogitabat futurum: ſed cogitauit Deus, pro illo, nam vt Paulus ait: *Qui operatus eſt Petro in apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi inter Gentes.* Et ſic ſoluimus primam dubitationem.

Gal. 2.

Solutio II. quæſtionis. Quibus ſcripta ſit hęc epiſtola.

Ad ſecundam veniamus, & eos, ad quos ſcripta eſt hæc epiſtola, diſcutiamus. In primis igitur aduerte, nomen diſperſionis aliter ſumi, atque in priori Epiſtola Iacobi, vbi dixit: *Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione,* id eſt, quæ ſunt per orbem diſperſæ, & non in vno loco ſitæ: hoc autem loco ſumitur pro ipſis diſperſis. Sicut nomina electionis Roman. 11. & vocationis. 1. Corinth. 1. & Circumciſionis ad Galat. 2. pro electis, vocatis, & circumciſis interpretanda ſunt. Ita apud Ieremiam, & Ezechielem nomen Tranſmigrationis pro Tranſmigratis accipitur, abſtracto pro concreto, Hebræo more poſito. Eadem phraſi apud Ioannem dicitur: *Nunquid in diſperſionem iturus eſt, & docturus Gentes?* & Iudæi precabantur: *Congrega Deus diſperſionem noſtram.* Ita vulgò loqui conſueuimus, dum dicimus, Congregationem, aut Deputationem aut ſanctam inquiſitionem hoc, aut illud feciſſe: intelligendo eos, qui congregati ſunt, vel deputati, vel Inquiſitores hoc, aut illud feciſſe ad inquirendum in peccata in fidem.

Hebraiſmus. *Ioan. 7.* *2. Mach. 1.*

Iudæorũ quinque diſperſiones.

Annotandum, multas fuiſſe diſperſiones Iudæorum. ſub Aſſyrijs, Babylonijs, Perſis, Græcis, & Romanis: vnde & in varia loca diſperſi fuerant. Deinde inueſtigandum, quid per aduenas intelligere debeamus: quidam enim, quos minimè ſequendos iudico, proſelytos intelligunt, qui de Gentibus nati, in Deum Iſraelis crediderant, & Circumciſione ſuſcepta iuxta legem Moſaicam vixerant: de quorum numero multi in die Pentecoſtes ad Chriſtum conuerſi ſunt. Ita Beda interpretatur. Sed ſane falſum eſſe videtur, vt alias ſæpe diximus, aduenas ſignificare proſelytos, cum infra dicat, Obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos, Græcè παροίκους καὶ ξένους, Paulus Epheſ. 2. *Non eſtis hoſpites & aduenæ,* Græcè ξένοι, καὶ πάροικοι, & Dauid, *Aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Aduena enim eſt, qui aliunde venit ad incolendam terram: &

Qui ſint aduenæ. *Leuit. 12.* Aduenã, & Proſelytum differre. *Beda.* *1. Pet. 2.* *Pſal. 386.*

Act. 2. dicuntur Aduenæ Romani, Iudæi, & proſelyti. Abraham quoque dixit, *Aduena ſum, & peregrinus apud vos.* Diſtinctus eſt ergo aduena à proſelyto. Et aperte Oecumenius: *Ne quis tale aliquid iudicaret*, ſcribit. Significat autem nomen παρεπίδημος, aliud quam προσήλυτος. Id enim ſignificat eum, qui aliunde, ſiue peregre aduenit: hoc autem παρεπίδημος plus aliquid, & abiectius: ſignificat enim peregrinos, & obiter per aliena tranſeuntes. ¶ Non negauerim tamen, vocem Gręcam Proſelyti verti aliquando voce Aduenæ, vt Act. 6. cum ait Lucas: *& Nicolaum aduenam Antiochenum*: vbi annotant docti, verti, fuiſſe proſelytum Antiochenum.

Act. 2. *Gen. 23.*

Aduenarum myſtica interpretatio, non propria, reiicitur. *Heb. 11.*

Ad eundem lapidem impingunt, qui per Aduenas interpretantur eos, qui ſecundum Deum viuunt: qui ſunt ſpiritualiter velut aduenæ, & velut peregrini in hoc ſeculo, qualem ſe Dauid agnoſcebat, & de Abraham, & alijs patribus teſtatur Apoſtolus: *Iuxta fidem*, inquit, *defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus: ſed à longè eas aſpicientes, & ſalutantes, & cõfitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram*, quos Græcè vocat ξένους, καὶ παρεπιδήμους: Quia ea ratione incertum nobis redderetur, quinã ſint iſti, qui dicuntur aduenæ: & quia Gentiles, qui in Chriſtum crediderãt, tales reuera erant: & hęc Epiſtola miſſa fuiſſet ad omnes bonos Chriſti cultores, ſiue Iudæi eſſent, ſiue Gentiles; cum tamen Gentes nequeant numero diſperſorum cenſeri. & tales non minus erant in Ponto, & alijs nominatis Prouincijs, quam per totũ orbem. Et ita Petrus ſi Gentibus ſcriberet, plus eſſet Paſtor, & Apoſtolus Gentiũ, quam Iudæorum. Petrus etiam ca. 1. teſtatur, illos liberatos fuiſſe à vana conuerſatione paternę traditionis: at paternæ illæ traditiones propriæ erant Iudæorum. Vnde Paulus ad Gal. 1. ſcribit, abundantius ſe æmulatorem extitiſſe paternarum ſuarum traditionum: quod quidem de Gentibus nuſquam legitur.

Solutio obiectionis ex verbis Oſeæ apud eundem Petrum.

Neque rurſus illi ſententiæ fauet illud Petri capite 2. ex Oſea productum: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti*: quæ verba Paulus Rom. 9. de Gentibus interpretatur, non de Iudæis: Quia reſpondendum eſt, non ſolum ad Iudæos, qui erant ſine Chriſto poſt reſurrectionem Domini, donec illis B. Petrus prędicaret: ſed quod vnus & idem locus Scripturæ ad Iudæos,

Vnde conſtet, hanc epiſtolam ad Iudæos tantum, eoſque diſperſos, non ad Gentes factas proſelytas, eſſe conſcriptam.

& ad Gentes ſpectaret. ¶ Ex quibus elicimus, hanc Epiſtolam non ad Gentes factas proſelytas, quia pauciſſimi erant, & ignoti, ſi cum alijs Iudæis conferantur, dictatam: neque ſimpliciter ad Gentes, quæ in ſpiritu aduenæ, & peregrini erant, in hoc mundo: ſed ad eos, qui ex Iudæis oriundi, & diſperſi habitãt regiones Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ. Quod confirmatur: quia infra ait: Conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: ergo iſti Iudæi Chriſtiani erant inter Gentes habitantes, qui eis vt magis, ac maleficis obtrectabant. Quod etiam ſtabilitur ex ijs, qui dubitãt, cur Petrus ſententiam Oſeæ impletam in Gentibus (vt ait Paulus Rom. 9.) applicauerit ad Iudæos, de quibus hic agi intelligitur.

Cap. 2.

Theodore. *Oecumen.*

Theodoretus tamen, & Oecumenius in Proœmio putant, nõ ſcribi epiſtolam ad Ponticos, ſed ad Galatiam Ponti, vel quæ eſt iuxta Pontum, vt diſtinguatur à Gallia, quę Gręcis dicitur Galatia. At verò Cyprianus l. 3. ad Quirinum, cap. 26. & ſequen. & Hieronymus putant ſimpliciter ad Ponticos ſcribi. Et ſæpe ait; *Petrus in epiſtola ad Ponticos*, per ſynecdochen vniuerſas illas prouincias denotans.

Cyprian.

Pontus, quæ prouincia, ea quibus maxime viris clarueric.

Põtus, prouincia eſt minoris Aſiæ proxima Ponto Euxino (vnde & nominata) & multas habebat ciuitates inſignes, & inter alias Cæſaream, quæ olim dicta fuit Maza, & Mazacha, ſub Argæo monte altiſſimo, quę etiam Euſebia & Magna Cęſarea nuncupata eſt, & Metropolis Cappadociæ aſſignata: cuius Epiſcopus fuit Magnus ille Baſilius, & ante eum meruit habere inſignem vita, & miraculis Gregorium Thaumaturgum, hoc eſt ſingularem miraculorũ opificem. Poſt hos duos habuit alios duos præclaros Archiepiſcopos, nimirum Andream Cæſarien. & poſt illum Aretam Cretenſem, qui duo & Apocalypſim commentarijs egregijs illuſtrarunt. In hac Ponti prouincia regnum erat quondã Mythridatis Regis maximi, quẽ Lucullus ægrè multis annis ſuperauit. Erant & Gregorius Nazian. & Gregorius Nyſſenus frater Baſilij ex finitimis eius vrbis locis, vt Cappadociæ, &c. Habuit præterea multos alios viros præſtantes, & etiam Chriſto aduerſantes: qualis fuit Aquila Ponticus, quẽ teſtatur Epiphanius in lib. de Menſu. & ponderibus Græcum fuiſſe, & ſocerum ipſius, ab Sinope, Pontico oriundũ, ab Hadriano Imperat. extruendæ vrbi Ieruſalem præfectum fuiſſe: & proſelytum ſacra Biblia conuertiſſe eo animo, vt aliqua ex receptis peruerteret: & irruit in 70. interpretationẽ, vt teſtimonia de Chriſto aliter ederet. Nam, viſis multorũ Chriſtianorum, qui ex Pella oppido Agrippæ, quo confugerant in obſidione Ieruſalẽ, redierant tantis miraculis, quæ in Chriſti nomine in Ieruſalem faciebant, tandem ad Baptiſmũ venit. & Chriſti fidẽ acceptauit. Cæterũ cum plus æquo tribueret Aſtrologicis artibus, ac Genetliacis, & correptus à Chriſtianis noluiſſet reſipiſcere, tandem cenſurę eccleſiaſticæ innodatus, & de Eccleſia ciectus, moleſtiſſime tulit, & in vltionem huius infamiæ, iterum tranſtulit Biblia, & multa vitiauit, & dictiones adulteratas recenſuit, vt Epiphanius dicto libro cõmemorat. Quare miratus ſum, Hieronymũ tantũ illum cõmendaſſe in ſcriptis ſuis: nã in Epiſtola ad Marcellã loquens de Sela: *Aquila*, inquit, *verborũ Hebræorũ diligentiſſimus explicator eſt*; Idem ad Damaſum de tribus quæſt. *Aquila, qui non contentioſius vt quidam putant, ſed ſtudioſius verbum interpretatur ad verbũ*, & reliq & in cap. 3. Ezechielis: *Aquilæ vero ſecunda editio, quam Hebræi* κατὰ ἀκρίβειαν *nominant, tranſtulit, hoc eſt, exactam, & diligentem.* Et in c. 3. Habacuc. *Egreſſus es in ſalutem cum Chriſto tuo: Theodoſio*, inquit, *verè quaſi pauper, & Hebionita, ſed & Symmachus eiuſdem dogmatis, pauperem ſenſum ſecuti Iudaicè tranſtulerunt: egreſſus es in ſalutem populi tui, &c. Rem incredibilem dicturus ſum, ſed tamen veram. Iſti ſemichriſtiani Iudaice tranſtulerunt: & Iudæus Aquila interpretatus eſt vt Chriſtianus.* Hæc ille: quę ideo attuli, vt Lectores iudicent quantũ tribuendum ſit Aquilæ, quem tantopere celebrat Hieronymus, & de quo Epiphanius tam contraria, & diuerſa & ſenſit, & pronuntiauit, & quem conſtat ſine Spiritu ſancto vertiſſe: idque in odium Chriſtianorum, ob illatam videlicet illi excommunicationis ſententiam; & quia in 70. interpretes, qui tanquam Prophetæ Biblia tranſtulerunt, multa, vt ait Epiphanius, comminiſcitur.

Epiphanij de Aquila Pontico Fidei Apoſtata, Chriſtique hoſte teſtimonium.

Quantum eius interpretationi bibliorum tribuat S. Hieronymus.

Hier. epiſ. 128. initio tom. 3.

Idem Epiſ. 125. q. 2. eodem.

Idem to. 5.

Aquilæ interpretatio carpitur.

Galatia, proxima prouincia eſt Ponto, ſicut & Cappadocia, quã Apoſtolus Euangelio illuſtrauit, & hac Epiſtola ab erroribus reuocare ad Chriſtum nixus eſt. At vero Aſia hoc in loco appellatur, non illa maior, neque tota minor altera, ſed peculiariter certa quædam Aſiæ minoris prouincia, quæ Aſia dicta fuit, cuius metropolis fuit Epheſus: in qua ſignificatione hic accipitur, ſicut & à Paulo. 1. Corinth. vltimo, & à Ioanne Apocalyp. 1. ¶ Deplorandum vero eſt, quod cum

De Galatia, & Aſiæ prouinciis.

in illis

in illis olim Prouincijs vigeret religio Chriſtiana, ac fides, nunc magna ex parte exulat, quare metuendum eſt, ne tenebris hæreſeôn & peccatorum Sol veritatis à nobis tandē recedat, & cum Chriſtus Sol iuſtitiæ ſine habitatione quieſcere non poſſit; alio curſum radiorum ſuorum conuertat, vbi fidem, & manſionem inueniat.

Fidelium ex Iudæis, quibus eos Petrus exornat illuſtria cognomēta.

Addit de iſtis aduenis per illas prouincias diſperſis: *Electis*, inquit, *ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* Hæc enim omnia, in commendationem eorum ad quos ſcribit, à Beato Petro dicuntur. Tribuit enim illis hæc egregia, & ſaluberrima ornamenta. Primò enim vocat eos, electos ſecundum præſcientiam, vt omnia diuinæ bonitati, & electioni, & non vlli merito ſuo tribuant. Idem enim eſt præſcientia, quod prædilectio, iuxta illud ad Roman. octauo, *Quos præſciuit*; *& prædeſtinauit*; & infra capite 11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit*, hoc eſt, teſte Auguſtino, lib. de bono perſeuerantiæ, cap. 18. tomo ſeptimo, amore ſingulari proſecutus eſt. Petrus etiam in hoc eodem capite inferius ait, Chriſtum præcognitum ante mundi conſtitutionem. Porrò propriè eligitur, qui ex pluribus, & præ pluribus ad aliquam functionem, ſiue finem eligitur, & pro varia functione, varia etiam eſt electio. Electi igitur, in primis ſunt prædeſtinati, qui ad finem vitæ æternæ poſſidendum, copioſiore gratia ordinati ſunt, ita vt ab ea in finem vſque cadere nequeant: de qua electione habemus illud Chriſti verbum: *Ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*; Et Epheſ. 1. ait Apoſtolus: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Eſt præterea electio ad munera diuerſa in Eccleſia, vt ad Apoſtolatum, Prophetiam, ſacerdotium: ad quem ſtatum qui electus eſt, non omnino habet certam ſpem ſuæ ſalutis. Dixit enim Dominus Apoſtolis: *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt?* quod non poteſt intelligi de priori electione, in qua nemo perit, aut perire poteſt. Sicut alibi dixit: *Nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Idem rurſus, *Non de omnibus dico, ego ſcio quos elegerim.* Cum autem hîc dicat: Electis aduenis, nequaquam de primo electionis genere, ſed de electione audiendi verbum Dei, & qua nedum omnes digni, ſed etiam indigni erant multi, ſermonem habet Apoſtolus. Ideo in Aſia, & Bithynia, quæ erant de ijs

Præſcire, & præſcientia in Scripturis quid ſignificet.

B. Auguſt.

Qui eligitur.

Qui ſint electi.

Matth. 24.

Variæ electiones in eccleſia.

Ioann. 6.

Infra. 10.
Infra 13.

Quo ſenſu Apoſtolus hic aduenas Iudæos vocet electos.

Prouincijs, ad quarum incolas Iudæos, has ſcripſit Epiſtolas Petrus, prohibetur prædicare Paulus Act. 16.

Act. 16.

Electi autem Theſſalonicenſes, & Philippenſes ad ſalutarem Fidei auditum fuerunt, qua ratione Paulus ſcripſit: *Scientes fratres dilecti à Deo, electionem veſtram: Quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, &c.* & iterum. *Nos autem*, inquit, *debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem*, non enim illi nouerāt aliam electionem, quam illam dictam, nimirum ad audiendum Dei verbum, vt priores in ea eſſent multis alijs, qui ex primitiuis non fuerunt. Fauet & huic intelligentiæ, quod capite 1. poſterioris Epiſtolæ, quam ad eoſdem ſcripſit B. Petrus: *Quapropter fratres*, inquit, *magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Prior namque illa electio firma eſt, & certa per ſeipſam, & à noſtris operibus non pendet.

Electio Theſſalonicenſium qualis fuerit.
1. Theſſ. 1.
2. Theſſ. 2.
2. Pet. 1.

Hicque agnoſcere poteris Myſterium Trinitatis, nam meminit Patris, cum ait: *Secundum præſcientiam Dei patris.* Meminit & perſonæ Filij, dicendo: *In obedientiam & aſperſionem, ſanguinis Ieſu Chriſti.* Facit poſtremo mentionem Spiritus ſancti, illis verbis: *In ſanctificationem Spiritus.* Ac prima ſanctificatio Spiritus actiua, à prima iuſtitia oritur, quæ per fidem viuam purificat corda noſtra. Sic namque Spiritu dicimur renaſci: quia quod natum eſt ex Spiritu, ſpiritus eſt. Poſſumus & intelligere ſanctificationem paſſiuam ſpiritus noſtri, qui ſanctificatur per renaſcentiam ex aqua, & Spiritu ſancto: & de prima dicitur ab Apoſtolo Corinthijs: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Atque hic ſenſus præſtat alteri, quia Græcè vox Spiritus articulo caret.

Myſteriū ſanctiſſimæ Trinitatis non obſcure à Petro inſinuatum.
Duplex ſanctificatio ſpiritus.
Act. 15.
Ioann 3.
1. Cor. 6.

Addit: *In obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* Finem noſtræ ſanctificationis proponit eſſe in obedientia: quia nemo poterat obedire præcepto charitatis ſine Spiritu Dei. Lex enim charitatis corda immunda non poſſidebat: vbi autem munda facta ſunt, & ſcripta eſt lex in cordibus noſtris, facilè præceptis charitatis obedimus: præſertim cum aſſiduè Ieſu ſanguine irroremur, & aſpergamur ad aſſiduam carnis noſtræ immunditiam expurgandam. Non inepte etiam interpretabimur, ſi obedientiam Chriſti intelligamus, qua Patri obediuit vſque ad mortem crucis, & effuſionem ſanguinis ſui, vt nos efficeremur iuſti: ſicut cap. 5.

De obedientia, & aſperſione ſanguinis Chriſti duplex interpretatio.
Philip. 2.

ad Romanos declarat Paulus: *Per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi.* Et quia Chriſti obedientia non omnibus prodeſt, quia non omnibus fides, & ſacramentum applicatur; propterea addit: *Et aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti*: vt idcirco dicat, iſtos ſanctificari propter obedientiam Chriſti Patri ſuo præſtitam. ¶ Hæc autem metaphora Aſperſionis ſanguinis, ex veteri Teſtamento ſumpta eſt, in quo variæ ſanguinis brutorum animalium aſperſiones continentur, quorum alijs deſignatur ipſe Chriſtus ſuo ſanguine perfuſus, in alijs vero homines paſſionis fructum percipientes, ſanguine Chriſti aſpergi dicuntur. Nam aſperſio in ſanguine holocauſti, & pacificorum Leuit. 1. 3. 4. & 16. Capitib. & expiatio per ſanguinem vitulæ ruffæ, Chriſtum ſanguine tinctum denotant. Aſperſio vero, de qua Exod. 23. dicitur: *Hic eſt ſanguis fœderis, &c.* & aſperſio ſacerdotis in die conſecrationis, qua veſtes eorum aſpergebantur. Leuit. 8. & emundatio leproſi, Leuit. 14. Aſperſio item poſtium & ſuperliminaris in ſanguine agni in Paſchate: Hæc inquam, omnes aſperſiones, & ſimiles ſignificarunt Chriſti ſanguinis participationem in domo vna Eccleſiæ Exod. 12. ad quas aſperſiones hîc reſpexit Petrus imitatus prophetam Dauidem, qui dixit: *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.* Et Eſaiam, qui c. 52. habens ſermonem de Meſſia, ait: *Iſte aſperget gentes multas*, nimirum ſanguine ſuo. Vnde & de latere emiſit aquam in ablutionem, & ſanguinem in redemptionem; & Paulus ad Hebr. 10. *Aſperſi corda à conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda*, ſcilicet Baptiſmi: Aſperſit vero corda noſtra ſanguine ſuo à mala conſcientia: Aſpergitur vero ſanguis Chriſti ſuper nos, cũ in Miſſæ ſacrificio offertur pro viuis, & mortuis. Et ita abſoluimus ſecundum caput.

Vnde hãc metaphoram Apoſtolus aſperſionis ſumpſiſſe videatur: & quid ſignificauerit.

Heb. 9.

Pſal. 50.
Eſa. 52.
Ioann. 19.
Heb. 10.

Quando abluimur aqua Chriſti, & aſpergimur ſanguine eius.

Tertio loco interrogatum fuit, vnde ſcripta, & miſſa hæc Epiſtola. Reſpondemus, admodum veriſimile eſſe, miſſam fuiſſe ex vrbe Roma: Tum quia vocat illam, Babylonem, in fine Epiſtolæ, vbi comprobatum relinquemus, de vrbe Roma intelligendam Babylonem: tum quia ſubiungit: *Salutat vos Marcus filius meus*; at vero Marcus Romæ fuit cum Petro, atq; illius erat comes: vbi etiam ſcripſit Euangelium ſuum. Tabellarius autem harum literarum, fuit Syluanus, de quo inferius cap. 5. ait: *Per Syluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter ſcripſi*, quo in loco Syrus codex habet: *Pauca hæc, vt arbitror, ſcripſi vobis per Syluanum fratrem fidelẽ, &c.* Et dicitur, Syluanus ſcriptor, & amanuenſis huius Epiſtolæ, & per eum ad Ponticos delata: quemadmodũ Tertius, ſeu Terentius fuit ſcriptor Epiſtolæ ad Romanos. Ac fortaſſis, vt quidam tradunt, non tantum Paulus, ſed etiam Petrus in vinculis alligatus detinebatur.

Ad III. dub. De loco vnde ſcripta, & miſſa hæc epiſtola, & quis eius tabellarius.

Rom. 16.

Quartæ dubitationi reſpondemus aſſerentes, Petrum, nullam feciſſe mentionem ſui Pontificatus, ſiue paſtoratus ſuper totam Eccleſiam; etſi ſummè corroboraſſe eius autoritatem, & Eccleſiæ Romanæ cathedram videretur; quemadmodum alij Pontifices eius ſucceſſores facere frequenter conſueuerunt, quia neceſſarium erat, vt toti Eccleſiæ Chriſtianæ innoteſceret primatus eius, & quod eſſet caput Chriſti vicarium, per quod omnes fidelium controuerſiæ, & contentiones terminandæ eſſent. Sicut in lege veteri Deut. 17. ſummus Sacerdos cum alijs inferioribus ſacerdotibus, qui ſupremi conſultores erant, omnia iudicia, & cauſas decidebat: ita vt qui nollet ſtare eius iudicio, ſententia iudicis interfici præciperetur.

Ad IV. dub. De prætermiſſa Pontificatus ſui mentione.

Dicendum itaque eſt (vt quæſtionem ſoluamus) Petrum penitus non fuiſſe muneris ſui, & poteſtatis oblitum. Tum quia capit. 5. dixit: *Seniores, ſeu presbyteros, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paßionum*, & reliq. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coacte, ſed ſpontaneè ſecundum Deum. Et cum apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam*: quoniam ipſi ſoli peculiariter dictum erat: *Diligis me plus his? paſce oues meas.* Idcirco ſummũ Paſtorem ſpectabat, hoc præceptum, ſiue exhortationem facere. Adde præterea quod cum ipſe optime nouiſſet, multa Chriſtum Dominum prædixiſſe, & conſtituiſſe de eius clauibus ad aperiendum regnum cœlorum, deque eius paſtoratu, & fratrum ſuorum confirmatione, non putauit illis tantis Chriſti teſtimonijs omnibus compertis, & patefactis neceſſarium eſſe aliud ipſum de ſe ipſo teſtimoniũ adferre. Ad hæc cum Petrus non tantum eſſet paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, ſed etiam Apoſtolus, cuius proprium erat munus, vniuerſum orbem luſtrare, & Euangelio illuſtrare; maluit tamen perfungi Apoſtolico munere, diſcurrendo per omnes prouincias, erigendo Eccleſias & miniſtros, & Epiſcopos ordinando; quam Paſtoratu, in quo tantum coryphæus, & vniuerſarum Chriſti ouium iudex, &

I. Ratio.
1. Pet. 5.
Ioan. vlt.
II. Ratio.
Matth. 16
Luc. 22.
III. Ratio.

ſub ſe peculiarium paſtorum: ita vt videretur quodammodo paſtoratum ſuum negligere & primatum: & cum cæteris Apoſtolis tanquam frater, atque æqualis ſe gerere elegit, non autem vt maior, & ipſo-
IV. Ratio. rum caput, & rector. Succurrit & aliud magnopere ponderandum. Nam ſi Petrus vt Romanus Pontifex, Chriſtique vicarius, atque vniuerſalis Eccleſiæ paſtor ſcripſiſſet, videretur in ſuis ſcriptis ius Eccleſiaſticum, ſiue quod idem eſt, Canonicum, ac Pontificiũ dictaſſe potius, quam Diuinum. Non enim ſummi Pontifices quæcunque epiſtolis decretalibus ſtatuunt, ſtatim ius Diuinum condunt, atque præcipiunt, ac inſtituunt mandata, tanquam à Chriſto ἀμέσως data ſint: exceptis tamen illis, quæ Dominum conſtat in Euangelio de fide, ſpe, charitate, & ſacramentis, ſeruandaque lege ſua fidelibus omnibus tradidiſſe. Reliqua verò omnia, ſpectantia ſiue ad vniuerſalia Chriſti pręcepta determinanda, ſiue ad diſciplinam Eccleſiaſticam tuendam, ſiue ad ordinem hierarchicum in Eccleſia obſeruandum: præcepta quidem canonica, & eccleſiaſtica ſunt. Et quamuis diuina dicantur, ſunt tamen diſpenſabilia, & aliquando, ſi opus ſit. & amplius non ædificent, abrogabilia. Scripſit ergo Beatus Petrus vt merus Chriſti Apoſtolus, tradens quæ Chriſti ſunt, quæ Diuinam, & indiſpenſabilem habent autoritatem: quamuis nihil vetet in diuinis, & Canonicis Scripturis inueniri interdum præcepta Eccleſiaſtica, ſiue Canonica, quæ Apoſtoli, teſte
Act. 5. Luca, in Concilio Ieroſolymitano tradiderunt Antiochenis, de ſuffocato non edendo, nec ſanguine, nec idolothytis. Paulus quoque præceptum tradidit de non promouendo in Epiſcopum digamo, de neophyto, & percuſſore: quæ cum
1. Tim. 5. immediatè ſint ab Eccleſiæ paſtoribus inſtituta, poſſunt per eoſdem moderationem, & diſpenſationem accipere ad Eccleſiæ ædificationem.

Solutio V. dubitationis. De ſalutatione. Ad extremum ponderanda eſt ſalutatio: *Gratia* (inquit) *vobis, & pax multiplicetur.* Eiſdem verbis ſalutat, quibus Paulus ſalutare conſueuit: vt planè ſit Apoſtolica ſalutatio; quibus verbis ſumma tum præſentia, tum vero futura bona à Deo Patre per mediatorem Ieſum Chriſtum exoptantur. Quæ quia alibi copioſe dicta ſunt, non eſt operæ pretium actum agere. Et addit verbum, quod in Paulo ſemper fuit addendum, nimirum, multiplicetur: vt ſcilicet quod bene cœpiſtis, bene etiam compleatis, in quibus eluceant Dei dona, & quoad vixeritis, multiplicentur, vt magis gratia Dei, abundetis, paceque cum Deo per ſerenam, & tranquillam conſcientiam perfruamini, & creſcat de die in diem vſque in finem. Iudas in epiſtola ſua canonica pro, multiplicetur, ponit, adimpleatur, nam Græca vox eſt & hic, & in hoc loco πληθυνθείη, & idem ſignificat.

Iam huius Epiſtolæ argumentum breuiter eſt expediendum. Petrus, peculiaris Circumciſorum Apoſtolus, exhortatoriam hanc Epiſtolam ſcribit ad Iudæos Chriſtianos, vt eos in ſuſcepta Euangelij veritate, & afflictionum tolerantia confirmet, & Chriſtianæ pietatis puritatem in Baptiſmo promiſſam ad finem vſque tueantur. Ac primum quidem gratias agit Deo, qui per Chriſtum nos ad æternam felicitatem vocat, ſi modò redemptionis noſtræ agnito pretio, hoc eſt, Chriſti ſanguine, improbas noſtras cupiditates reprimamus, & puerorum inſtar, purum Euangelij lac concupiſcamus. Deinde Chriſtianorum ornamenta late oſtendit, inter quos nimirum tantus Deus verus inuenitur, qui regale conſtituit ſacerdotium: idcirco obſecrat, vt inculpatis moribus apud infideles vitæ curſum teneant, omnibus honorem, & officia cuique debita reddentes: iniurias verò illatas Chriſti exemplo patienter ferant: viros ac mulieres pro ratione perſonę commonefaciant. Et paſſim hortatur vt benefactis incumbant: quia rectè agendo, neminem prorſus habent, quem timere debeant. Figuram Baptiſmi, in quo renouamur, arcam fuiſſe Noe proponit. Poſtremo loco paſtores adhortatur, vt gregi ſuo proſpiciant, quibus iubet iuniores cum omni humilitate eſſe ſubditos. Quæ omnia vt præſtare valeant, ad ſobrietatem, & vigilantiam eos ſeriò adhortatur, & ad reſiſtendum rugienti leoni, & ad noſtram perniciem ſemper vigilanti.

Solutio vltimæ quæſtionis. Quod ſit huius argumentum epiſtolæ. *Gal 2.* *1. Pet. 2.*

DISPVTATIO II.

In illa Petri verba: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarceſcibilem conſeruatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per*

fidem in ſalutem,&c.& reliqua in finem vſque Capitis.

Quale ſit exordium huius Epiſtolæ.

VERBA huius Epiſtolæ clara eſſe videntur;ſenſus autem magnifici ſunt illuſtres. Et in hac prima clauſula obſeruat Petrus, quod Paulus ſeruauit in Epiſtolis ad Romanos, Epheſios, & Hebræos,in quibus prolixiori vſus eſt exordio: quod obſeruatum à præclaris oratoribus, traditum nobis eſt.

I. Dubitatio.

Primum igitur dubitatur, cur à benedictione Dei initium facis dicendi.

Secunda.

Deinde, quæ eſt iſta magna miſericordia, per quam regeneramur in ſpem viuam; nam omnis Dei miſericordia magna eſſe videtur: Et quæ eſt iſta ſpes viua, quæ per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis concipitur.

Tertia.

Tertiò, quæ nam eſt hæc hæreditas, quam vocat incorruptibilem,incontaminatam,& immarceſcibilem conſeruatam in cœlis, & paratam reuelari in tempore nouiſſimo.

Quarta.

Quartò, quomodo exultamus, etiam ſi nunc modicum oporteat nos contriſtari in varijs tentationibus, vt probatio fidei noſtræ multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur.

Quinta.

Quintò, quem ſenſum faciant illa verba: *Quem cum non videritis,diligitis:in quem nunc quoque non videntes, creditis: credentes autem exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata:* dubium enim eſt, quomodo poſſit diligi nondum viſus, aut quomodo haberi fides homini ignoto.

Sexta.

Sextò,quomodo Prophetæ exquiſierunt, ſiue ſcrutati ſunt de futura in nobis gratia: quæ itẽ ſint illæ in Chriſto paſſiones,& quę poſteriores gloriæ:nam conſtat,Prophetas nihil ingenio proprio inquirere, aut ſcrutari, ſed quæ tantũ reuelabat Deus,prædicere. Non enim voluntate humana allata eſt aliquãdo prophetia, vt ipſemet Petrus in poſteriori Epiſtola docet.

2. Pet. 1.

Septima.

Septimò, quæ ſint illa, in quæ deſiderant Angeli proſpicere, cum Angeli iam videant faciem Patris, qui in cœlis eſt. Quomodo item de Patre ait, *Qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſq; opus*;cum tamen Chriſtus dicat, quod Pater neminem iudicet, ſed omne iudicium dedit Filio.

Matth. 18.

Ioan. 5.

Octaua.

Octauo, quid eſt ſuccingere lumbos mentis; & perfectè ſperare in eam quæ offertur nobis gratiam;quia obſcurè dictum videtur.

Nona.

Nonò,quid eſt redimi de vana noſtra cõuerſatione,in ſanguine agni:& cur dicitur Chriſtus quaſi agnus,cum tamen verus agnus eſſet,de quo canit Eccleſia:Ipſe enim verus eſt agnus,qui abſtulit peccata mundi.

Ioan. 1.

Quid item, animas caſtificare in obedientia charitatis;& quid,*Renati non ex ſemine corruptibili ſed incorruptibili per verbum Dei viui.*

X. & vltima.

Eſa. 40.

Poſtremo,quomodo ſint intelligenda verba Prophetæ: *Omnis caro vt fænum & omnis gloria eius tanquam flos fæni.* Hæc pauca dubitare voluimus, vt obſcuriora illuminemus,&pondus aliquod Petri verbis addamus.

Solutio I. dubitationis Cur Petrus à benedictione Dei ſermonem inchoauit.

Ad primum ergo dicimus, rectè à benedictione Dei exordiri Apoſtolum,ſiue à gratiarum actione, quia locuturus erat de grauiſſimis noſtræ Fidei myſterijs, & par erat,vt ad hæc enucleanda,& tractanda,benedicendo,& gratias agendo conciliemus nobis diuinam gratiam, ad rectè de illis ſentiendum, & alijs eloquendum. Qua ex re colligimus, & vnũ, & eundem Spiritum Chriſti fuiſſe in Petro, qui in Paulo:nam Paulus ita ſalutat eos, ad quos ſcribit, vt Petrus: & poſt ſalutationem,à Diuinæ beneficentiæ laudibus & gratiarum actione incipere ſolent.

Petri, & Pauli in docendo concordia.

Et indicant nobis, quid ſerio hæc meditantibus, & contemplantibus agendum eſſet; nimirum vt in perpetua gratiarum actionis oblatione permaneamus, quo ſcilicet & data cuſtodiamus beneficia, & vt cuſtodita perficiamus. Nihil enim indignius in filijs gratiæ, quam animus beneficij immemor & beneficio ingratus.

Ad II. dub. Quæ ſit miſericordia Dei magna, quæ parua.

Vt ſecundum dubium diluamus: Miſericordiam magnam vocat Petrus multam, diuitem, & copioſam, & quæ effectum magnum parit:etiamſi omnis miſericordia,quod ad Deum ſpectat, æqualis ſit,non tamen in effectu,& fructu:qualis extitit illa, qua mundo Filium ſuum dedit, vt per eius merita nobis peccatorum remiſſionem donaret, & adoptionem,& libertatem à peccato, & vitam æternam;

Ioan. 3.

ad differentiam paruæ olim exhibitæ miſericordiæ,quando ab incommodis temporalibus & captiuitate,& diſperſione liberabat: donabat etiam vitæ præſentis commoditates, & hoſtium victorias qui Iudæos inuadebant iuxta illud Eſaiæ: *Si volueritis,& audieritis me; bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis:gladius deuorabit vos.*

Eſa. 1.

Hæc autem beneficia temporalia parua ſunt, & pueris conueniunt; cum nobis pretioſa, ſpiritualia,& æterna reſeruauerit. Et reuera remiſſio peccati, magna eſt miſericordia, de qua dixit Propheta, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam:Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam*: quia hæc miſericordia requirit aduentum,& mortem Filij Dei.

Remiſſio peccatorum quãta Dei miſericordia.

Pſal. 50.

Explica-

E quibus malis & miſerijs nos eripuit Dei miſericordia.

Explicauit porrò Apoſtolus hanc magnam miſericordiam, dicendo: *Regenerauit nos in ſpem viuam.* Et certè tanta Dei beneficia expendere non valemus, niſi prius expendamus mala, & incommoda, quæ nos oppreſſos, & calamitoſos poſſidebant. Ex Adamo nati eramus; ſed in peccato, & Filij iræ, & mortis vitam agebamus: opus ergo fuit gratia Dei, quo per aquam, & Spiritum ſanctum renaſcamur, Filijque adoptionis efficiamur, & interim vitæ æternæ ſpe viuamus, & hæredes ſimus ſecundum ſpem, vitæ æternæ; deinde illam re ipſa accipiamus; poſtremò illam in corpore etiam glorificato percipiamus, in qua reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. *In ſpem*, ait; non vt Moyſes, qui mortalia mortalibus promittebat.

Epheſ. 2. *Ioan.* 3. *Tit.* 2. *Philip.* 3.

Legis, & Euangelij diſcrimen.

Quid ſit ſpes viua hoc loco.

1.Cor. 13. *Tit.* 2.

Dubium autem eſt, an hęc ſpes viua ſit actus, vel habitus ſpei infuſæ, de quo: *Nūc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc*: vt ſit ſpes non mortua, ſed viua, & per charitatem operans, an verò accipiatur more Hebræo pro re ſperata, vt ibi; Expectantes beatam ſpem. Sed reuera mihi magis placet prior acceptio ſpei pro habitu diuino certæ expectationis, quia de re ipſa ſperata multa ſubiungit, nimirum: In hæreditatem incorruptibilem, incōtaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis, & quæ ſequuntur: vt ſignificet quam ſpem induere debeant omnes regenerati, & filij Dei, nempe nō mortuam aliquam, ſegnem, atque torpentem, ſed viuam, & efficacem, & per charitatem operantem; ſicut & fidem viuam: nam fides, & ſpes, & omnes aliæ virtutes infuſę, ſi charitas non adſit, quæ illas, & ipſos fideles habentes viuere faciat, & æternæ gloriæ corona dignos efficiat; mortuæ ſunt prorſus, & mortui earum poſſeſſores.

Gal 5. Charitatis neceſſitas.

Reſurrectionis Chriſti beneficium. *1.Cor.* 15. *Rom.* 4.

Subdit: *Per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.* Hanc enim ſpem indubitatam, ac firmam obtinuit nobis Chriſti reſurrectio; & in nouam vitam tranſtulit. Si enim non reſurrexiſſet, inanis eſſet fides noſtra, inanis quoque & ſpes noſtra. Traditus eſt enim propter delicta noſtra, ſcilicet abolenda, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram dandam. Nam ſpes viua operari facit, & per merita bonorum operum ſalit in vitam æternam.

Spei viuæ efficientia.

Ad III. dub De hæreditate incorruptibili, &c ad quā fideles regenerātur.

Tertio loco explicanda eſt illa hæreditas, quam vocat incorruptibilem, & incontaminabilem, vt denotat vox Græca, & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis, & paratam reuelari in tempore nouiſſimo. Indicat Iudæis ad Chriſtum conuerſis, aliam eſſe hæreditatem Chriſtianis, quàm fuerit olim promiſſa Iudæis, & longè præſtare promiſſa Euangelica promiſſis veteris legis. Olim enim hæreditas Iudæorum fuit corruptibilis, & contaminabilis, & marceſcibilis. Erat enim Terra Chanaan data ſpiritum ſeruitutis habentibus, & vmbratilem quandam adoptionem accipientibus. At hæreditas Noui Teſtamenti incorruptibilis eſt, quia non in terris, ſed cœlis ſita eſt, dē qua: *Portio mea ſit in terra viuentium*: Item nec ſenio, nec morti, nec vlli morbo, nec dolori obnoxia. Hinc illud; *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt.* Secundo eſt incontaminata, ſeu incontaminabilis: quia non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium; ac, vt Eſaias inquit: *Non adijciet vltra, vt pertranſeat per te incircumciſus, & immundus*: Cum tamen in Terram Chanaan, hæreditatem Iudæ, intrauerint peccata, & Gentiles peccatores, qui Iudæos punirent, ac ipſa tandem terra ſpoliarent.

Rom. 8. *Pſal.* 141. *Apoc.* 19.

Ea hæreditas cæleſtis quare dicitur incōtaminata. *Infra.* 21. *Infra.* 21. *Eſa.* 52.

Immarceſcibilis.

¶. Tertio addit: *Immarceſcibilem.* Nam pręſentis ſeculi luxus, ac deliciæ nonnunquam diutina conuerſatione in nauſeam veniunt, & faſtidium; at illa cœleſtis hæreditas ex Beatorum mentibus & ex longo vſu non vileſcit, nec tam familiaris eſt, vt pariat contemptum: quia familiaritas cœleſtis cum Bono infinito, hoc eſt Deo, coniungit, de quo: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me adhuc ſitient.* Vnde nullo ſitu, aut carie contrahet putredinem corpus noſtrum; aut menſa illa fruitionis Dei ſatiatos conuiuas à ſe expellet.

Eccle. 24

Vbi conſeruata hæreditas illa

Quartò ſubiungit: *Conſeruatam in cœlis.* Hoc eſt, abſconditam, ac bene cuſtoditam in cœlis pro filijs ſuis. Et ideò addit, *in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini.* Id eſt, Quo fur non appropiat, neque ærugo, aut tinea corrumpit. Vnde ad Coloſſen. dixit Apoſtolus: Vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Ac licet impij nobis nunc moleſti ſint, & corpora noſtra membris detruncent, aut interficiant; hæreditatem tamen noſtram non poterunt occupare, quia conſeruatur à bono cuſtode Deo, in loco, ad quem ipſi pertingere non poſſunt: cum tamen Terra Chanaan expoſita eſſet omnium deprædationi. Et oſtendens quibus ſit conſeruata, ſubdit: *In vobis qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem, in ſalutem.* Id eſt, pro vobis, vel erga vos, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem:

Luc. 13. *Coloſſ.* 3.

Quibus aſſeruetur, & quanā virtute & merito.

fidem: quaſi dicat, non viribus veſtris, aut meritis, & virtute veſtra, ſed virtute Dei. Nobis enim eſt illa felicitas cuſtodita, & nos etiam ad illam cuſtoditi, & hoc *per fidem*, quod eſt donum Dei, vincens dæmonem, mundum, ac triplicem eius concupiſcentiam. Propugnaculum eſt enim inexpugnabile fides viua virtuti Dei innixa.

Epheſ. 2. *1. Ioan. 5.* *Supra 2.*

Expendendum eſt autem verbum Græcum φρουρουμένους, quod propriè ſignificat cuſtodire ciuitatem ab hoſtibus obſidentibus: vnde & φρούριον, præſidium eſt, ſiue locus munitus; quo verbo vſus eſt Paulus, cum dixit ad Philippen. *Cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras.* Aſſeruamur itaque Dei virtute ob Spiritum ſanctum, Angelos, Paſtores, preces, ſacramenta, & bonorum exempla, & verbi Dei prædicatores. Certè Eccleſia in Completorio precatur: *Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant.* Dauid quoque dixit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos*, Vbi Græca vox pro verbo immittet, habet παρεμβαλεῖ, hoc eſt, caſtra ſua inſtructis aciebus Angelorum collocabit: vt Heliſeus montem vidit plenum equorum, & curruum igneorum circumquaque ad ſui patrocinium, vt Regum narrat Hiſtoria. Explicansque quando declaranda ſit illa hæreditas ſubiungit: *Paratam reuelari in tempore nouiſſimo.* Tempus nouiſſimum, vocat horam mortis; quaſi diceret, Hinc poſtquam in cœlum ſoluerimus, & paradiſi portum attigerimus: nam poſt finem vitæ huius veniet vineæ procurator, & diſpenſabit denarij mercedem operarijs: etiam ſi non ſint condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Philip. vlt. *Pſal. 33.* Quid eſt, immittet Angelus Domini in circuitu, &c. *4. Reg. 6.* Tempus cœleſtis hæreditatis adeundæ. *Matth. 20.* *Rom. 8.*

Quartum fuit dubium in illud: *In quo exultabitis modicum nunc, ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus.* Interpretemur clarius: in quo, ſcilicet nouiſſimo die, ſiue tempore vos, qui nunc gaudente mundo fletis, exultabitis præ gaudio, vt ait Beda. Nã tunc ſalus hæc reuelabitur, ac dignis tantum conferetur. ¶ OEcumenius verò de præſenti, ob certam eius, & viuam ſpem, legit: Exultatis. *Modicum nunc, ſi oportet cõtriſtari.* Id eſt: etiamſi oporteat nunc pro Euangelij defenſione affligtari: breuis enim hæc eſt moleſtia, & tempus breue: nam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et efficimur hæredes quidem Dei, Cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur vt & conglorificemur. Atque hæc compaſſio in multis tribulationibus exercenda eſt, ſiue ſubſtantia facultatum eripiatur, ſiue in corpore ſuſtinendum ſit, ſiue in honore probandi, ſiue in fama lædendi, ſiue in anima tentationibus agitandi, aut fidei, & ſpei ſcrupulis torquẽdi, & ſimilibus multis modis vexandi. Nam etſi per proſpera homo probetur; tamen longe magis innoteſcit ſibi homo per aduerſa, vt Paulus ait: Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem. Ac reddit rationem Petrus, cur ſuos Deus hic velit affligi: quia per afflictiones, quanta ſit fides veſtra, agnoſcimus, & patientia, quam ſit fortis, & robuſta. *vt probatio*, inquit *fidei veſtræ.* Id eſt: Veſtra fides probata per patientiam, *Multo pretioſior auro, quod per ignẽ probatur, inueniatur.* Meritò quidem comparatur fides auro, & patientia confertur igni nam vt aurum illud eſt purum, quod in ignem mittitur, nec conſumitur, ſed egreditur purificatum, ac defæcatum; ita ſanctorum patientia in perſecutionibus videtur quidem contemptibilis, ſed in die iudicij eius dignitas detegetur, ac meritum. *Pretioſior*, inquit *auro*: quod vilis eſt creatura, & rubra terra; ſicut argentum, alba. Græce tamen legitur: quod perit, dum probatur per ignem, id eſt, quod ex parte deteritur, dum probatur igne: ita fides conſtans præſtantior eſt, quam aurum, quod igne abſumitur. Nam fides perſtat, & corroboratur, aurum autem illud, vt adulterinum, etſi alijs metallis ſit pretioſius, vim tamen ignis non ſuſtinet: fide, autem roboratur per patientiam, & alias virtutes, etſi ipſa fundamentum ſit omnium. Nam vt robur corporis cauſa eſt exercitij, coque augetur, & quælibet res propria ſua roboratur, atque perficitur operatione, ita fides. *In laudem, & gloriam, & honorem.* Illum ſcilicet, de quo Deus Dominus noſter teſtatur; *Euge ſerue bone, & fidelis.* Eritque illa gloria, & laus à Deo, & à Chriſto: honor verò, ille nimirum: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum* PATER *meus:* & ita gloria ſuis laboribus parta dulcior erit, & multò glorioſior, & illi Chriſti ſimilis, de qua dixit: *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Sequitur: *In reuelationem Ieſu Chriſti.* Id eſt: Cum venerit Dominus in ſede maieſtatis ſuæ reuelandus, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

Ad IV. dubitationem. In verbo Exultabitis. *Beda.* *OEcumen.* Quomodo pro cœleſti hæreditate conſequenda, contriſtandum nobis ſit & compatiendum. *Act. 14.* *Rom. 8.* *Rom. 5.* Tribulationum fructus & vtilitas. Cur fides auro, igni tribulatio ſimilis perhibetur. Quid aurum ſit, quid argẽtum. Vnde fides roboretur atq; confirmetur. *Matth. 25* *1. Corint. 4* *Ioan. 12.* *Luc. 24.* Quænam Chriſti reuelatio. *Matth. 25.*

Soluamus quintum dubium circa illa verba: *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes, creditis,*

Ad quintum dubium.

Quomodo Iudæi Chriſtum quem non viderant, diligebant tamen.

credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, &c. Reſpondemus igitur in primis iuxta doctrinam Auguſtini: Incognita non poſſumus diligere, inuiſa autem poſſumus. Deinde dicimus, ignotis, fide tamen dignis, conſueuimus fidem habere. Nam & Prophetas, & Sibyllas, quas nunquam vidimus, fide certa accipimus. Præterea Paulus ait: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Benè tamen fides ſpectat ad videntes ea eſſe credibilia, & fide digna iuxta illud: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Nam creditis, olim Deum per Prophetas prædixiſſe: audiſtis, aut vidiſtis illa conſona fuiſſe vitæ Ieſu Chriſti: miracula confirmauit mors, quam conſecuta reſurrectio, & aſcenſio in cœlum conſtabilierunt: prædicatio per vniuerſum orbem ab Apoſtolis facta, & Gentium ad Chriſtum conuerſio, idem firmum, & certum reddiderunt. Eum ergo non viſum, diligitis tamen, dilectione à Deo Domino noſtro donata; qui & in ſe credi, ac ſe diligi donat. Etſi enim Dominus noſter Ieſus ſeſe à mortalibus oculis ſubduxerit, creditis tamen in eum, & ſpem totam in ipſo collocatis: & non videntes eum, creditis tamen, *Et exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata*: Inenarrabili quidem, quia quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quomodo enarrari poteſt? Glorificata verò, quia arrha quædam eſt, & inchoatio gloriæ in æterna vita poſſidendæ, præſertim perfectis.

Heb. 11. *Pſal. 92.* *Matth. 27.* *Marc. vlt.* *Pſal. 18.* *Rom. 10.*

Lætitia cœleſtis cur inenarrabilis dicitur, & glorificata. *1. Cor. 2.* *Eſa. 64.*

Beatus tamen Auguſtinus aliter videtur legiſſe libr. 1. de peccat. meri. & remiſſ. cap. 27. nempe: *Inueniamini*, inquit, *in laudem & honorem Ieſu Chriſti, quem ignorabatis, in quem modo non videntes creditis: quem cum videritis, exultabitis gaudio inenarrabili, & honorato gaudio percipientes teſtamentum fidei ſalutem animarum veſtrarum.* Hæc ibi, quæ mihi videtur non ſatis ex correcto codice, aut ex aliquo non admodum probato interprete accepiſſe. Nam dilectionem omittit, & verba inuoluit.

Altera lectio huius loci, quæ eſt apud Auguſtinum quæ reijcitur.

Præter dictum tamen ſenſum alius plenior, & illuſtrior occurrit, quem à quodam ex noſtris Patribus Catholico, & erudito viro, vt ingenuè veritatem fatear, accepi. Videtur enim de Euchariſtiæ Sacramento hic eſſe ſermo, etſi tectè admodum, & obſcurè proponatur. Cum ergo ibi prius de ſacramento Baptiſmi dixiſſet, Per quod nos Deus Dominus noſter regenerauit in ſpem viuam, & reliqua quæ vſque ad hunc locum proſecutus eſt, ſubdit. *Quem cum non videritis, non diligitis*: alludens ad illud: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*, ſcilicet vt credentes, diligerent. Tum verò adiungit: *In quem nunc quoque nõ videntes, creditis: credentes autem, exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata.* Vt quid enim dixiſſet: *In quem nunc quoque non videntes, creditis*; cum illud ſatis eſſet: *Quem cum non videritis, diligitis*? Declarat ergo B. Petrus tempus præteritum, quo diſcipuli viderunt eum in terris: at eos, ad quos ſcribebat, diſtinguit ab eo tempore, quo facti erant Chriſtiani, quo tempore non videntes in cœlo ſedentem, nec in Euchariſtia, credebant tamen in eum, etiamſi in ſpecie corporali, aut ſenſibili nobiſcum non ſit; cum tamen præſentem quidem, ſed in Euchariſtia non apparentem credebant, quod eſt oculis fidei eum ibi adeſſe, firma fide recipere: quod ipſe protinus adorationis cultus, quem illi exhibemus, cum ad adorationem eleuatur, abundè teſtatur. Et Beatus Thomas in Opuſcul. quod inſcripſit. De venerabili corporis Chriſti Sacramento cap. 15. interpretatur, aſſerens hic apoſtolum loqui de credentibus Chriſtum in Sacramento hoc, etſi eum oculis corporis non videant, & magnum fideles habere meritum, quod tanta credant. Et cum Petrus ait: *In quem nunc quoque non videntes creditis*, non negat illud genus videndi, quod Paulus concedit, videndi ſcilicet per ſpeculum in ænigmate, ſed videndi in propria ſpecie.

Tertius ſenſus, pius admodum, nec ineptus.

Ioan. 20. *1. Cor. 13.*

Huic autem ſenſui videntur fauere quæ ſequuntur. Primum, quod ait: *Exultatis lætitia inenarrabili, & glorificata*, de qua lætitia dixit Præcurſor: *Amicus Sponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi.* Eſt enim illa lætitia glorificata, guſtus quidam æternæ, & cœleſtis gloriæ. Quæ enim lingua exprimere valeat admirabile gaudium, & ſuauiſſimam dulcedinem in ſumptione Euchariſtiæ? raptus item, & extaſes, quas interdum fideles accipiunt, dum credunt Chriſtum præſentem eſſe ſub ſpeciebus panis, & vini, & à nobis Filium Dei, ac animarum Sponſum participari? Fauet etiam quod ſequitur: *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum.* Cibus namque ille inſtitutus eſt ad alendam animam: & Dionyſius capit. 1. Eccleſiaſt. hierarch. Deificationem vocat, ſiue θέωσιν, quæ vt idem ait, ſimilitudo eſt cum Deo, & cum

Huic ſenſui quam aptè ſingula verba reſpondeant. *Ioan. 3.*

Deificatio quid ſecundum Dionyſium, & vnde comparatur. *1. Pet. 1.*

co vnio,

eo vnio, quæ fit per dignam corporis Chriſti communionē, & per eam efficimur conſortes diuinæ naturæ: & ibidem aſſerit illud Prophetæ impleri: Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.

Pſal. 33.

Angelorum in Chriſtum reuerentia in Euchariſtiæ ſacramento.

Tertiò fauet huic ſenſui, quod ſequitur: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Aſſiſtunt enim Angeli adorabundi ad Chriſti præſentiam: & Chryſoſtomus fatetur ſe pluries eos vidiſſe teſte Iſidoro Peluſiota eius diſcipulo, & in Liturgia Beati Iacobi lector admonet, *Taceant mortales, & ſtent cum metu, & tremore, nihil terrenum cogitantes. Rex enim Regum Chriſtus Deus noſter exit vt mactetur; & detur in cibum fidelibus: eum verò chori Angelorum antecedunt.* Idem Chryſoſtomus in Homilia de Sacra & diuina menſa, & iudicio: *O miraculum*, inquit, *menſa tam magnificè inſtructa, in qua agnus Dei pro te mactatur, ad quam aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis prædit alis vultus demittunt: vbi omnes Angeli cum ſacerdote pro te legationem obeunt.* Ambroſius in cap. 1. Lucæ, *Non dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur: etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Lege etiam quæ Gregorius lib. 4. Dialog. c. 58. de Angelis aſſiſtentibus Sacramento dicat. Ab eodem quoque huius ſenſus autore citatur Liturgia B. Marci in Miſſa Alexandrina, quæ in hodiernum vſque diem legitur, & in vſu eſt. Ait enim: Poſt conſecrationem in animos beneficia confers, & eis qui in te puſillo fiduciam collocant, illa tribuis, quæ in ſe Angeli proſpicere deſiderant, & reliqua quæ ſequuntur.

B. Chryſoſt. tom. 3.

1 *Corint.* 5.
Ambroſ. tom. 5.

Liturgia S. Marci Euangeliſtæ.

Poſtremò ſumitur alia coniectura ex ſequētibus. Nam quia agnus typicus, qui à Moſe in lege immolandus præcipitur, accinctis renibus edebatur; ideò Petrus ad illam alludens ceremoniam, dixit: *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij, perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis gratiam*, ſcilicet quæ in fonte ipſo guſtatur. Vult ergò, vt partes animæ ſuperiores cuſtodiantur, ne corruptæ, indignum reddant Euchariſtiæ beneficio participātem.

Exod. 12.

Ad ſextum dubium de Prophetarum ſcrutatione reſpondemus, probare Apoſtolum Chriſti religionem certam, ac veram, argumento à teſtibus antiquiſſimis ſumpto, quia pia quadam diligentia exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt futuram in nobis gratiam, & audita, præceptaque ab Spiritu ſancto prænunciarunt per Euangelicam Chriſti fidem ad ſalutem perueniri. *De qua*, inquit, (ſalute animarum illis prorſus ignota, & occulta, quia non erat manifeſta, ſed noua) *exquiſierunt Prophetæ.* Vt Daniel, qui vir deſideriorum ab Angelo ob id eſt dictus, & ab eo accipiebat Diuina reſpōſa. Porrò exquiſierunt, *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret eis Spiritus Chriſti.* Qui in eis erat, & tempus aduentus Meſſiæ, vt ablationem ſceptri Iudæ, & Danielis hebdomadæ completæ, & iudicij vniuerſalis dies, & conſummationis ſeculi. ¶ Quod verò obiectum eſt de ſcrutatione, & inquiſitione: ſoluitur, dicendo, nequaquam contradicere Prophetis ratiocinationem, & mentis diſcurſum, etiamſi ſcriptum ſit, voluntate humana nunquam allatam eſſe prophetiam. Dicendum enim eſt, Spiritum ſanctum non excludere ratiocinationes, & operationes noſtræ voluntatis, & intellectus. Nam & Prophetæ magni quædam interdum ignorant, quædam alia inquirunt: vt Moſes faciebat accurrens ad tabernaculum. Vnde S. Maximus in hæc verba Petri ſcribens ait: *Vim quidem ſcrutandi, & inquirendi de rebus diuinis habet natura hominis ſibi inſitam ab autore ſuo, reuelationes verò gratia Spiritus ſancti aduentus facit. Nec enim licet dicere quod ſola gratia operabatur in ſanctis cognitionem myſteriorum ſine facultatibus ad percipiendam cognitionem à natura datis. Non igitur abſq; Spiritus ſancti gratia ſolis viribus naturalibus cognitionem rerum, & myſteriorum conſecuti ſunt: alioqui ſupernacanea fuiſſet Spiritus ſancti gratia, quæ nihil efficeret ad manifeſtationem veritatis. Neq; gratia Spiritus ſancti operaretur in ſapientiam ſine mente eam recipiente. Id autem declarant omnes Sancti; ſiquidem poſt reuelationes factas inquirunt rationes reuelatorum, vt Abraham, quomodo poſſeſſurus ſit Terram; Moſes, Dauid Daniel, & Zacharias, quærentes rationem viſionum.* Hęc ille, doctè, & eleganter. Ita etiam de Maria legimus, quod conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo; vt eius exemplo Scripturas ſcrutemur, & corde conferamus, ad quod Chriſtus Iudæos cohortatus eſt, & Theſſalonicenſes laudantur, quod id facerent.

Sextæ ſolutio quæſtionis. De eo quod prophetæ futuram Chriſti in nobis gratiam ſcrutati ſunt.

Dan. 9.
Infra 10.

Gen. 49.
Dan. 9.

2. *Pet.* 1.

B. Maximus.
Sine gratia Spiritus ſancti aſſequi neminem poſſe diuinorum ſcientiam myſteriorum.

Sancti vt ait Max cur poſt reuelationes acceptas rationes reuelatorum inquirant
Gen. 15.
Luc. 1.
Infra 2.
Ioan. 5.
Act. 17.

Docet hoc loco B. Didymus, eos, qui fuerunt poſt Chriſtum, vel ante, minores, aut inferiores non fuiſſe ijs, qui tempore Chriſti ipſum viderunt, & audierunt: quia etiam improbi, & mali fuerunt conſecuti, qui tunc viuebant. De qua, inquit, animæ ſalute mentionem fecerunt ſancti Prophetæ, quæ certè res noua eis erat, & auribus eorum, ad quos ſcribit, inſolita. Quare Prophetas in medium producit: nam prædictio Prophetarum mirificè fidem corroborat, & confirmat;

Didymi ſententia

cum

Aug. lib. 12. c. 1 & inde & lib. 13. cap. 1. & 6.

Quomodo Prophetæ ſcrutati ſint tempus Meſſiæ eiuſq; myſteria.

cum ea, quæ nunc impleta videmus, ante multa tempora prophetata agnouimus, vt Auguſtinus in libris contra Fauſtum docet. Et cogitatio ardentiſſimi deſiderii Prophetarum, ingratum noſtrum excutit torporem. Seruati ſunt autem, magnis deſideriis, & precibus ad oſtium diuinæ miſericordiæ pulſantes, quæ quidem illis interdum aperiebat. *Seruantes in quod, vel quale tempus.* Vbi circa Grammaticam primùm aduerte, apud Petrum præpoſitionem εἰς interdum ſuperfluere; vt cùm dicit: *Conſeruatam* (ſcil. gloriæ coronam) *in cœlis, in vobis*: ita hîc, in quod, vel quale tempus, pro, ſcrutantes quod, vel quale tempus. Et infrà: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, pro, Quem deſiderant Angeli proſpicere. Niſi forte illud verbum talem proprietatem in lingua Hebræa haberet, vt cum illa præpoſitione regat Accuſandi caſum: qualia ſunt; *Reſpice in me, & miſerere mei*: *Reſpice in faciem* CHRISTI *tui*: *Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua*, &c. *Aſpicient ad me, quem confixerunt.* Apparet quidem dies ſalutis, & Meſſias promiſſus in lege: ſed Iudæi proprio ſpiritu coniectabant, & expectabant ſuis diebus videre, & intelligebant quòd nõ ſibi ipſis canerent, vel miniſtrarent, ſed nobis per Euangelicam prædicationem Spiritu ſancto de cœlo miſſo inſtructam, & myſteria etiam nobis pateſacienda.

Pſal. 24. Pſal. 83. Pſal. 89.

Zach. 12. Deut. 18.

Aduerte etiam, verbum Græcum παρακύψαι, quo verbo vtitur beatus Ioannes capit. 20. cùm de ſe ait, quod cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, &c. non eſſe ſimplex verbum Videndi, ſed accuratè, & ſtudioſè aliquid ac perſpicacibus oculis intueri, & rem penitus penetrando contemplari, quod mirificè conuenit angelis, qui magna cum veneratione, ac voluptate Chriſtum ſub Euchariſtiæ ſpeciebus ſpectant.

Quæ nam Chriſti paſſiones, & poſteriores gloriæ.

Luc. vlt. Virg. lib. 1 Æneid.

Ait enim: *Paſſiones, & poſteriores glorias*: quia ſemper præceſſit crux reſurrectionem, & mors vitam, & ignominia gloriam. Nam dixit, *Oportuit pati Chriſtũ, & ita intrare in gloriam ſuam*; quaſi diceret: *Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.* Et in plurali, paſſiones, & glorias nominauit: quia ſicut multæ fuerunt, & variæ Chriſti paſſiones, ac diuerſa tormenta; ita variæ extiterunt gloriæ, vt reſurrectio, & aſcenſio in cœlũ, & ad Patris dexteram ſeſſio, miſſio item Spiritus ſancti, & clarificatio nominis ſanctiſſimi Ieſu, & iudiciaria poteſtas exercenda in die iudicii.

Marc. vlt. Philip. 2.

Ioan. 5.

Subditque, quomodò gratia Chriſti & ſalus ſit nobis annunciata, cùm ait: *Per eos, qui euangelizauerunt vobis.* Quibus non inſinuat Petrus ſe fuiſſe illorum prædicatorem: nec tamen obſtitit, quo minus literas has ad eos daret; quemadmodùm neque Paulus impeditus fuit à literis dandis ad Romanos, in qua tamen vrbe nunquam anteà prædicauerat. Tamen ſi conſulamus Auguſtinum, Euſebium, & cæteros Patres, inueniemus, hoc ipſum apertè profeſſos fuiſſe, & teſtatos. Satis tamen poſſumus dicere, Petrum euangelizaſſe Ponticis, quia per alios adminiſtros id præſtitit. Sed veriſimilius videtur, quòd ſi binis literis, etiam verbis euangelizauerit, etſi id rarius præſtiterit, vt in inſtituendis Eccleſiarum miniſtris, & in aliis magnis negociis occuparetur: & ſicut Paulus alios conſortes ſuarum epiſtolarum, & conſcriptores fecit, vt Syluanum, Soſthenem, Timotheum; ita Petrus ſuas prædicationes aliis adminiſtris ex charitate adſcripſerit.

De quibus Petrus aſſerat, quòd euãgelizarunt Iudæis in Ponto, & finitimis regionibus.

1. Cor. 1. 2. Cor. 1.

Soluitur ſeptima dubitatio. In quem, & quomodo deſiderant Angeli proſpicere.

Ad ſeptimum in illud: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*: quomodo ſcil. hoc Angeli deſiderare poterant, qui ſemper vident faciem Patris qui in cœlis eſt, cum tamen hoc proprium ſit Angelorum, & beatorum, vt quò magis Deum vident, eò magis videre ſitiant. Habent autem quidam codices: In quem, ſcilicèt Chriſtum, εἰς ὅν, in quem; alii, εἰς ἅ, in quæ, ſcilicèt afflictiones, ſeu paſſiones, & glorias, quæ propter Euangelium veniunt. Exhibent verò athletæ Chriſti ſpectaculum mundo, & Angelis, & hominibus. Tametſi beatus Irenæus lib. 4. cap. 77. Aduerſus Valentinum, & eius ſectatores, hoc de promiſſis prophetarum intelligit, quæ Chriſtus adueniens impleuit, atque ſuis obtulit.

Matth. 18 Eccleſ. 24

1. Cor. 4.

B. Irenæ.

Ad octauum dubium. De ſuccinctione lumborũ, & ſpe in gratia Iudæis oblata.

Octauum dubium diluamus in illud: *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii, perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis gratiam.* Hactenus Apoſtolus enarrauit ſingularia Dei beneficia nobis collata: nunc jam hortatur Ponticos ad pia ſolicitudine ea complectenda. Et his primis verbis ſeruari vult caſtitatem per ſuccinctionem lumborum ſignificatam: vt beatus Hieronymus lib. 1. in Iouinia. & Gregorius in homilia in illud Euangelium: *Sint lumbi veſtri præcincti*, & Beda hoc loco teſtantur, & ex ſequentibus probabiliùs, & clariùs apparebit, quia coniungit illam cum ſobrietate, & caſtitate. Succingit ergò lumbos, qui à cogitatione impura, nedum ab opere, vel verbo ſe ipſum reſtringit. Et expendit Oecumenius, quòd dixit cum aduer-

Hieron. tom. 2. Greg. hom 13. in Euãgelia, to. 2. Luc. 12.

bio, perfectè ſobrii: quaſi lex tenuem, & introductoriam exegerit caſtitatem. Alii verò cum verbo Sperate, adiungunt perfectè; eo quòd caſtitas, & ſobrietas auget ſpem, illamque perſeuerantem efficit.

Contra hæreticos, quos vocant fiduciarios.

Et ſic, perfectè ſperare, ait, contra vanam eorũ ſpem, qui libidini, & concupiſcentiæ fræna laxantes, audent præmia ſperare æterna: in ore frequenter habentes illud: Chriſtum omnia crimina noſtra ſuper ſe portaſſe, & liuore eius nos ſeruatos fuiſſe. ¶ Rectè etiam ſobrietatem coniungit cum caſtitate: eo quòd ſobrietas, & cibi, & potus parcitas, materia ſint caſtitatis.

Sobrietas quid conferat.

Cur gratiam Petrus dicit nobis offerri.

Sperate, inquit, *in eam, quæ offertur vobis gratiam.* Id eſt, eam, quæ nunc vobis offertur, gratiam vitæ æternæ, quæ offertur ſine labore veſtro, ſine vlla etiam peregrinatione, vt non ſit opus, vt Paulus dixit, aſcendere in cœlũ, aut in abyſſum deſcẽdere, ſed offertur, vel defertur, imò obtunditur. *Ego*, inquit, *ſto ad oſtium, & pulſo.* Et offertur omnibus, etiam non prædeſtinatis, quia remiſſio peccatorum, & bona opera, quibus vita æterna redditur, æquè omnibus neceſſaria ſunt.

Rom. 10.

Deut. 30.

Apoc. 3.

Quid etiã lumbos mentis noſtræ habere ſuccinctos.

Luc. 12.

Aduerte ergò ſuccinctos lumbos mentis veſtræ, hoc eſt intellectum, & voluntatem, ſuccinctos, & ornatos charitate, & veritate: alludens, vt Paulus ad parabolam Euangelicam: Sint lumbi veſtri præcincti. Pauli enim verba ſunt ad Epheſios huiuſmodi; State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate, dando operam, ne vllus à mente veſtra prodeat conſenſus aduerſus legem Dei. Sequitur: *In reuelationem Ieſu Chriſti.* Id eſt, Dum vobis patefit, ſiue reuelatur Chriſtus: *Quaſi filij* inquit, *obedientiæ, configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſiderijs.* Qui patri ſuo obedit, filius obedientiæ vocatur: quaſi per obedientiam ius paternæ hæreditatis acquirat. Neq; cõfigurati, denſiſſimis hominis veteris tenebris, in quibus ante fidem eratis, & ducebamini à Principe tenebrarũ, & ratione prorſus cæca. Et obedire, eſt credere, iuxta illud, Ad obediendum fidei in omnibus gentibus. Dicens verò: *Quaſi filij obedientiæ*, aduerbium Quaſi poſitum eſt pro, Vt, Tanquam, Velut. Quaſi, enim tribuitur ijs, quæ cùm videantur eſſe, non ſunt, ſed paulo minus, *ſed ſecundùm eum, qui vocauit vos, ſanctum.* Id eſt, vt ijs, qui vocauit vos ad hanc nouam, & ſynceram vitæ ſanctitatem, qui Chriſtus eſt, & ſingulariter à Patre ſanctificatus, & in mundum miſſus, & per eundem vos in eandem imaginem transformauit: *Vt & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis*

Epheſ. vlt.

Filius obedientiæ quis.

Quid etiã obedire more Scripturæ.

Rom. 1.

Ioan. 10.

Leuit. 19.

quoniam ſcriptum eſt, Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. Eſt autem ſanctum, ſecundùm Cyrillum, quod à mundi ſordibus longè abeſt. Quælibet res ex permixtione inferioris ſordida fit, ex coniunctione verò cum meliori, munda. ideò ſanctum ſegregatum eſt à communibus rebus. Videtur Cyrillus explicaſſe etymologiam vocis ἅγιος, id eſt ſine terra, ſiue qui terrenum nihil habet. Leo quoque ſerm. 8. de ieiunio ſeptimi menſis, interpretans hæc verba: *Sancti eritis, &c.* pulchrè ait: *Præcipit ſanctitatem, & modum eius acquirendæ. Hoc eſt, inquit, me diligite, & ab illis, quæ mihi diſplicent, abſtinete. Facite quod amo, amate quod facio. Et cum videtur difficile eſſe quod iubeo, ad iubentem recurrite: vt vnde datur præceptum, præſtetur auxilium: non negabo opem, qui tribuo voluntatẽ.* Quæ verba literis aureis eſſent ſcribenda, & ante oculos ſemper nobis habenda.

Sanctum quid Cyrillo.

Ad illud verò, quod Pater dicitur iudicare; cuius tamen oppoſitum videtur docuiſſe Chriſtus Ioann. 5. reſpondet Didymus, Patrem, qui in eadem diuinitate eſt, iudicante Filio, ipſum etiam iudicare, quia eadem eſt Patris, & Filii, & Spiritus ſancti eſſentia, & poteſtas: ac ita non inconuenit dicere, Patrem iudicare ſine acceptione perſonarum, quia in Filio iudicante, Pater etiam (vt & Spiritus Sanctus) eſt iudicans. Sextus ergò eſt: Si eum inuocatis, qui Deus eſt ſub hoc nomine Pater, vt oratio docet Dominica & ipſe iudicat pro meritis operum; non vt pater carnalis qui filiis peccantibus, ac pœna dignis parcit, & indulgentiùs cum illis agit, quàm cum famulis: Pater tamen ſpiritualis, & cœleſtis, iuſtus iudex eſt, qui eos, qui quondam erant regni filii, eiicit in tenebras exteriores: non conſiderans, an quis Iudæus, an Gentilis ſit, ſed ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundùm vnius cuiuſque opus. Hinc efficitur, vt in timore Domini, incolatus veſtri tempore conuerſari debeatis. Hic autem timor primò offenſam Dei reſpicere debet, quam ſuper omnia odiſſe conuenit. Et filius, qui patris metuit offenſam, timere quoq; debet, quæ ex offenſa eius naſcuntur, nimirum hæreditatis priuationem, & gehennæ ſupplicium: ideò cum omni timore conuerſari debemus in hac vita, quod eſt idem cum eo, quod dixit Apoſtolus Philippenſibus: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.*

Si Pater eſt qui iudicat ſecundùm vnius cuiuſq; opus, cur Chriſtus cum dicit non iudicare quenquã ſed omne iudicium Filio tribuiſſe.

Matth. 6.

Infra 8.

Timor Domini qualis eſſe debeat.

Philip 2.

Nonò dubitatum fuit in his verbis: *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel ar-*

gento

Beneficij magnitudo ex tribus perſpicitur.

gento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, &c. Vt beneficii magnitudo intelligatur, pretium eius in primis conſiderandum venit, deinde donantis autoritas, ac dignitas, poſtremò animus promptus, & benè affectus donandi: quod tunc apparet, qnando cum magno ſuo incõmodo donat: quę tria expendenda docet B. Petrus.

Ad nouum dubium.

Quid ſit redimi vana conuerſatione paternę traditionis.

Heb. 7.

Nam in primis magnum donum Dei fuit abſtrahi à vana conuerſatione paternarũ traditionum, quæ conſiſtunt in vtilibus ceremoniis, quia nihil ad perfectũ adduxit lex: quibus adiungebant illi ſua peccata, quæ ipſi habebant, & Dominus pręſertim Matt. 23. reprehendit. Erant ergo cõtra legem Dei, aut errores manifeſtos cõtinebant. Atque ita gratulatur ipſis, quòd à vana conuerſatione eſſent erepti, & ad veram filiorum Dei adoptionẽ per Euangelium euecti: & hoc quidem à Deo viuo, & vero, & tanto Domino cõſecuti erant, tam magnum enim erat beneficiũ, vt maius eſſe nõ poſſet. Porrò quòd omnia hæc condiuit, & hãc redemptionẽ iocundiſſimã, & dulciſſimã effecit, eſt, quòd nõ auro, vel argẽto, ſed pretioſo ſanguine Ieſu Chriſti parta eſt.

Quid ſit propriè redimere.

Eſt autẽ propriè redimere, dato pretio, à ſeruitute ad priſtinam libertatẽ reſtituere. Hinc dicimur redimi ab iniquitate, & dominatu dæmonis, & morte. Et voluit nos tanto pretio redimere Filius Dei, non ſolùm vt intelligamus quãti olim nos fecerit, ſed quanti nos hodie faciat: nam id quod cariſſimo pretio emimus, maximè & amamus, damuſque operam, ne perdamus: demum intelligamus illum, quod ad ſe attinet, maximè curaturum ne pereamus, ſed vt ad pœnitentiam reuertamur, & nos ipſos propter Deum redimendum magnifaciamus.

Agnus qualis ſit Chriſtus.

Quod autem nominetur Chriſtus à Petro non agnus abſolutè, ſed quaſi agnus, non tollit veritatem eius dicti: *Ipſe enim verus eſt agnus*: quia ipſe Chriſtus iuxta ſenſum carnalem agnus non fuit, ſed verus homo: quia tamen Chriſtus agni cõditiones nobis exhibuit, nempè innocẽtiam, manſuetudinem, & rationem ſacrificii, & alia re ipſa, & ſpiritualiter habebat, propterea agnus vocatus eſt. Dixit tamen Petrus, vt imitaretur Eſaiam, & Ieremiam ſimiliter loquentes. Ait enim Eſaias capite 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum*: Ieremias verò: *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*. Erat tamen verus agnus reſpectu veteris figuræ, quæ iſtum præfigurabat, quaſi agnus verò, quia homo

Eſai. 53.

Ierem. 11.

erat, vt diximus; & quia ſic vocatur à Prophetis. Ac vt nomen voluit ſibi imponi Ieſu nobis dulciſſimum, quò alliceret nos, & ad ſe traheret; ita etiam nomen animalis innocentis, & ſimpliciſſimi, & per quem nos omnes innocentes, & mãſuetos ſignificare ſolemus, nomen aſſumpſit, vt ita magis noſtrum conciliaret amorem.

Luc. 2.
Matth. 1.

Chriſtus cur agnus immaculatus.

Exod. 12.

Præterea vocatur immaculatus: quia juxta legẽ agnus typicus anniculus erat, ſine macula: ita Chriſtus nulla peccati proprii macula aſperſus fuit. Particula autem, Quaſi, non cadit ſuper verbum, Immaculati, ſed ſuper verbum, agni. Verè enim, & propriè erat immaculatiſſimus; non tamen quaſi immaculatus, ſed tantũ quaſi agnus. Subdit etiam de hoc agno, quòd eſſet pręcognitus, ſiue pręſcitus ante mundi conſtitutionem. Græcè eſt, προεγνωσμένου, hoc eſt, prædilecti, & prædeſtinati, & primi in mente Dei, antequam reliqua pars adoptanda, quæ mundi nomine venit, ordinaretur ad gloriã. Quibus verbis extimulat auditores ad amorem, & ſalutem Chriſti, qui in alio loco dicitur agnus occiſus ab origine mundi, Hæc autẽ addidit Apoſtolus, vt occaſione accepta, quemadmodum ſæpè ſolent Apoſtoli, excurreret in laudes, & encomia Chriſti, & vt pictores præter inſtitutũ, aliquando floſculos operi ſuo inſerũt, quò id, quod pingunt, ornatius reddant, ita Apoſtoli ornatus gratia, beneficia Chriſti exaggerãt, & amplificant; ſi tamẽ vlla ſit lingua, quæ illa pro dignitate exornare, & amplificare valeat. Ac vt ſuperius dixit electos ſecundum præſcientiã Dei Patris: ita caput illorum Chriſtum eodem verbo Præſciendi, vel Præcognoſcendi, vocat Præcognitum, ſiue præſcitum ante mundi conſtitutionem.

Idem vt præcognitus ante mundi conſtitutionem.

Apoc. 13.

Petri artificiũ.

Chriſtus olim præcognitus cur manifeſtatus tamen ſit in nouiſſimis temporibus, non ante.

Subiungit: *Manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis in Deo qui ſuſcitauit eum à mortuis*. Quaſi diceret; Si eſt præcognitus ante mundi cõſtitutionem, cur tam tardè, hoc eſt, nouiſſimis diebus, venit ad vos? Et reſpondet, ita Deum voluiſſe, & beneplacitum eius extitiſſe, eo opportuno tempore venire, id eſt, vltima ætate: quæ tam magna eſſe poteſt, atque præcedentes ſimul omnes: ſicut interdum ſenectus alias ætates ęquare ſolet. Nouiſſima autem tempora ſunt, poſt quæ non aliud ſupereſt tempus, in quod vocentur operarij ad operandum: vel tempus acceptius, in quo ſit maioris gratiæ accipiendæ ſtimulus, aut ſalutis promerẽdæ opportunitas, ſed venit nox,

Matth. 20.

Ioan. 9. Philip. 2. Rom. 8.

quando nemo poteſt operari. Sumpſit autem hoc Apoſtolus Petrus ex Ioele c.2.& Eſaia c.3.& ex Michea c.4. *Qui per ipſum*, inquit, *fideles eſtis in Deo*, ſiue in Deum, id eſt, per Chriſtum, ſiue eius prædicationē, & obediētiam vſque ad mortem. Vt ſenſus ſit: Creditis in Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis per Chriſtū mediatorem & miniſtrum ſalutis. Ita Acto.3. idem Petrus dixerat: *Fides, quæ in eum*, ſiue per eum eſt, &c. ſcilicet Chriſtum hominem, qui promeruit nobis omnia dona in Cruce: & orauit vt mundus crederet in Deum, Ioan.17. Quæ quidem eſt Auguſtini doctrina lib.1. de Perſeuerantia, cap.7.& epiſt.ad Sixtum Pontificem. At Leo ſerm.de Paſſ.Domini: *Crux*, inquit, *tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Hæc ille. Credimus ergo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum, ſed credimus per Chriſtum mediatorem, & inſtauratorem noſtrum, & cui Pater dedit gloriam, ſcilicet reſurrectionis, & aſcenſionis, & nominis claritatem.

Aug. tom.7. Idem epiſt. 105. tom.2. Leo ſerm. 8. circa finem. Encomium Crucis ex Leone Magno. Philip. 2.

Addit: Propter vos, vt ſe non excluſos eſſe à ſalute intelligerent. Vt enim Paulus dixit de Chriſto: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Ita hic Petrus dixit, *Propter vos*, vt illis augeret fiduciam. Vnde Auguſtinus lib.3. Confeſſ. eleganter dixit. *O tu bone Omnipotens, qui ſic curas vnumquemque noſtrum, tanquam ſolum cures, & ſic omnes tanquam ſingulos.* ¶ *Vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo.* Qui fructus eſt reſurrectionis Chriſti: nam ex fide agnoſcimus, illū eſſe caput noſtrum à Deo ſuſcitatum, vt etiam ſperemus nos eius membra aliquando ſuſcitanda ad vitam. Vbi videtur Petrus argumentum reſurrectionis à Paulo factum imitari. Quia ſi dux & caput noſtrum reſurrexit, ergo & nos eius membra reſurgemus. *Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis.* Præſens præteriti ſignificationem habet, id eſt, qui caſtificatis animas veſtras in obedientia charitatis, obediendo ſcilicet veritati prędicatæ per Spiritum. Anima enim minimè purificata per infuſam fidem ab Spiritu ſancto, non poteſt ambulare ſecundùm veritatem fidei, quę tota reſoluitur in amorem fraternitatis. Omnes enim in Chriſto fratres ſumus, & hoc vnum præcipit, vt diligamus inuicem propter Deū ſimplici oculo, & non propter nos ipſos, ſicut & ipſe dilexit nos. Idem eſt autem caſtificatio, & ſanctificatio hoc loco, quæ

Gal. 2. Aug. c.11. to.1. Aurea Auguſtini ſententia de Dei prouidentia. Rom. 8. 1. Cor. 15. Philip. 3. Quomodo Iudæi caſtificauerint animas ſuas in obedientia charitatis. Matth. 25.

& animam, & corpus caſtificat, eſtque cingulum lumborum, & renum noſtrorum.

Qua ratione ſpiritalis generatio conſeruetur. Ioan. 3.

Ac ſubiungit: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* Regenerationem ſpiritualem in Baptiſmo partam oſtendit conſeruari per amorem, quia qui non diligit, manet in morte: qualis item ſit regeneratio, & natiuitas noſtra in Chriſto, de qua ab initio dixerat: Regenerauit nos in ſpem viuam: quale autem quidque ſit, ab eius origine cognoſcitur. Fruges enim ſementis naturam referunt, & filij mores parentum exprimunt. Et vt ad Scripturam redeam: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Et cum ſemen, vnde ſumus, ſit incorruptibile Dei verbum: fructus quoq; in ęternum permanebit: &, Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum nō facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. Ac Beda quidem nomine ſeminis incorruptibilis non tam Verbum ipſum permanens in ęternum intelligit, quàm ipſum Baptiſmū incorruptibilem, quia pręſtat incorruptionem.

Ioan. 3. 1. Ioan. 3. Semen incorruptibile quid ſecundum Bedam.

X. quæſt. ſol. Quid eſt: Omnis caro, vt fœnum. Eſa. 40.

Vt poſtremum dubium reſoluamus, locus productus ex Eſaia venit expendēdus: *Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, &c.* Arguit Apoſtolus à corruptione fœni ad corruptibilem, & flaccidam carnem, quæ citò perit, & miſeriis eſt expoſita: A verbo autem Dei, ſcilicet promiſſionis, permanēte in æternum, ad ſpem ſalutis. Et, Carnem, vocat hominem ipſum, vt eſt animal corruptibile, & marceſcibile, & quaſi fœnum, id eſt, cibus beſtiarum, ac vermium, ſiue immundorum ſpirituum. At quia multi opulenti, & glorioſi in mundo videntur, ob opes, ſcientiam, & potentiam, ſubiungit: *Et omnis gloria eius tanquā flos fœni:* quod arefactum, ſiue præciſum, citò marceſcit. Solum autem verbum illud, quod nobis euangelizatum eſt, quia veriſſimum eſt, & irritum, & mendax fieri non poteſt; & quia fructum parit ſempiternæ ſalutis, incorruptibile vocatur.

Verbi Euangelici ſtabilitas, & incorruptibilitas.

Petri & Pauli Apoſtolorum in verbis, & ſententijs inter ſe mira cōſenſio.

Iam verò explicata litera huius capitis, producenda ſunt parallela quædam Petri cum Paulo, vel in ſententijs, vel in phraſibus, & verbis, vt agnoſcas, vnum, & eūndem Spiritum in vtroque habitaſſe, & epiſtolas tam Petri, quàm Pauli dictaſſe. Ecce vterque ſalutat eodem modo: vterque à benedictione Dei, & gratiarum actione exorditur: vterq; Chriſtum celebrat à beneficiis acceptis: vterque conſtituit,

Heb. 11.

ſtituit, fidem eſſe argumentum rerum, quæ non videntur: ait enim Petrus: In quem nunc quoque non videntes, creditis: vterque Euangelica Chriſti facta ex verbis Prophetarum confirmat: vterque vult vt habeamus ſuccinctos lũbos mentis noſtræ: vterq; non vult nos configurari prioribus ignorantiæ noſtræ deſideriis: vterq; aſſerit, Deum ſine acceptione perſonarum iudicare: vterq; ad timorem ſanctum hortatur: *In timore*, inquit Petrus, *incolatus veſtri tempore conuerſamini*:

Philip. 2. Paulus verò, *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini*: in vtrôq; eſt illa phraſis:

Rom. 5. *Scientes quòd non corruptibilibus, &c.* Paulus verò, *Scientes quòd tribulatio patientiam operatur*: id eſt, cum ſcire debeatis, vel debetis: in vtroq; eſt mentio paternarũ traditionũ, de quo Paulus

Gal. 1. Gal. 1. In vtroq; eſt videre, quantum ſit beneficium ſanguinis Chriſti. *Empti enim eſtis*, inquit Paulus,

1. Cor. 6. *pretio magno*: Petrus verò, *Non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis, &c.* Et in aliis quamplurimis, (ne prolixior ſim in iis recẽſendis) hi duo magni Chriſti Apoſtoli ſibi inuicem reſpondent.

DISPVTATIO III.

In capitis ſecundi prioris Epiſtolæ Petri Apoſtoli verba: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractationes, ſicut modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem. Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus*, Vſque ad illa verba: *Vos autem genus electum, &c.*

I. Dubitatio. PVLCHERRIMA ſanè eſt, & ſalutaris hæc B. Petri doctrina, & tanto Apoſtolorum Principe digna. Quam vt melius deguſtemus, in primis dubium eſt de ſcopo quò tendat, & de cohærentia huius exhortationis cum ſuperiori in-

Secunda. ſtitutione. Deinde quomodò illos confert modò genitis infantibus, cùm multi eſſent inter eos perfecti, ac dixiſſet, Perfectè ſperate in eam, quæ offertur vobis

Tertia. gratiam. Tertiò loco, cur lapidi viuo Chriſtum conferat: vbi etiam profert

Eſai. 82. ex verbis Eſaiæ teſtimonium: *Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, &c.* de quo dubitare poſſumus, an aptè, & ad rem producatur; & an aliquid adiungat Petrus verbis Eſaiæ: an demùm producat ea in ſenſu literæ, an in myſtico.

Quartò producit titulos, & ornamenta piorum, & elegantem quandam apoſtrophen à Chriſtianis ad Iudæos ad fidem Chriſti conuerſos, vbi illos ſpeciatim vocat Regale ſacerdotium; & cur non dixit, regnum ſacerdotale, vt in Exodo legitur; & an ex illis verbis euincant hæretici, omnes, etiam laicos, veros eſſe noui Teſtamenti Sacerdotes. Quintò, quid eſt quod ait: *Vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuũ*; & quid intelligat per virtutes. Sextò ſuper illud: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei*, & reliq. quia hic locus ab Apoſtolo Paulo ad Rom. 9. tanquam de Gentibus ad fidem vocatis producitur; hîc autem ad Iudæos refertur, ad quos epiſtola hæc conſcribitur. Septimò, cùm ait. *Obſecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abſtinete vos à carnalibus deſideriis*, cur nouam inducit exhortationem de abſtinentia à carnalibus concupiſcentiis, de qua ſuperius multa dixerat: & nunquid aduenæ abſtinent à carnalibus deſideriis? nam prodigus aduena fuit in longinqua regione; & tamen fœdis, & carnalibus concupiſcentiis deturpatus fuit. Item cum ait: Conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonam, dubitatur, quibus hoc dicat, Iudæis, an Gentibus, vt quidam opinantur; quod proptereà explicandum venit. Octauò circa illud: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*, dubium eſt, cur præſcribat ſingulis Chriſtianorum ſtatibus accommodatam doctrinam? & nunquid nomine omnis creaturæ veniunt pueri etiam, & amentes? Cũ etiam vult ſeruos ſubditos eſſe dominis, etiam dyſcolis dubitatur: nam impios, & tyrannos interficere licet, maximè ſi à fide Chriſti conentur nos auertere. Nonò, quid eſt propter Dei conſcientiam pati: videntur n. hæc paulò obſcura, cùm poſſint intelligi de conſcientia, quam habet Deus de nobis, & de conſcientia noſtra erga Deum. Decimò, non videtur ſatis probari Chriſtus alienus à peccato, ex eo quod ipſe peccatũ nullum fecit, nec dolus fuit inuentus in ore eius: quia etiamſi non fecerit, potuit tamen contrahere, cum filius fuerit Adæ, vt dicitur Lucæ 3. Vndecimò quæ ſit vera lectio: *Tradebat iudicanti ſe iniuſtè*: an verò, *Tradebat vindictam ei, qui ſe iuſtè iudicat*, cùm vtraque lectio inueniatur. Quomodo item peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: cùm lignum materiale ſubiectum eſſe

[Right margin notes: Quarta. — *Exod. 19.* — Quinta. — Sexta. — Septima. — *Luc. 15.* — Octaua — Nona. — Decima. — *Eſa. 53.* — Vndecima]

non poſſit peccatorum noſtrorum, quæ ſunt actiones ſpirituales: quid etiam intelligat per peccata, an pœnas, an culpas. Poſtremò, qua ratione aſſerat, illos olim fuiſſe ſicut oues errantes, & ſine paſtore, cum haberent Moyſem, id eſt, legem, & Prophetas; Chriſtus item quomodò ſit Epiſcopus, & paſtor animarũ noſtrarum.

VII. & vlt.

Luc. 16.

Solutio primæ quæſt. De ſcopo.

Ad primum reſpondentes dicimus, Apoſtolum efficacẽ adhibere paræneſim, ad ſanctimoniam, & vitæ innocentiam conſeruandam, quam renaſcẽtes Chriſti beneficio conſecuti erant: & contendit, eos ad maiores progreſſus in ſemel ſuſcepto nouo pietatis ſtatu faciendos incendere: propterea hortatur ad lac guſtandum, vt in eo creſcant in ſalutem. Pulchrè autem hæc præcedentibus reſpondent, in quibus mentionem fecerat de regeneratione, & ſemine incorruptibili, quod eſt verbum Dei in æternum permanens. Etſi enim nemo poſſit ſeipſum generare, quia eſſet antequam eſſet; poteſt tamen ſeipſum regendo, & edendo, ac bibendo, atq; aliis actionibus augere.

Solutio II. De Iudæorum comparatione genitis nuper infantibus.

Secundum dubium diluendum eſt in illud: *Deponentes igitur omnem malitiam & omnem dolum*; ſiue, Depoſitâ omni malitia, & omni dolo, quia Græcè eſt aoriſtus ἀποθέμενοι. Quia enim renati recentes adhuc ſunt imperfecti, & de veteri fermento aliquid retinẽt, & oblata occaſione peccandi, facili negotio relabuntur, & tanquã candela nuper extincta, & adhuc fumans, ſine mora: iterũ accenditur hortatur, vt renouati iterum renouentur, ac depoſita omni malitia, quæ omne, quod ex carne eſt, comprehendit, multaſq; ſpecies complectitur. Græcè verò vocatur κακία, quæ ſignificat nequitiã, otioſitatẽ, tædium, quod eſt omnis boni operis tinea. Depoſita ergo omni malitia, & omni dolo, quo frater aut decipitur verbo, & dicitur mendacium; vel fallacia, aut opere, aut habitu, quæ vocatur hypocriſis, quæ etiam complectitur ſimulationẽ, & diſſimulationem. ¶ Addit: *Et inuidias.* Quæ plures ſunt, quia aut bona temporalia, aut ſpiritualia reſpiciunt: qui grauiſſimus eſt morbus, quo quis de felici ſucceſſu proximi triſtatur: quo Cain infelix laborauit, videns, ac dolens Abelis ſacrificia à Deo accepta, ſua verò minime: & Iudæi ægrè ferebant Chriſti doctrinam, & miracula, quibus illuſtrabatur, & Gẽtes vocatas per Apoſtolos ad Euangelium. Stultiſſima etiam eſt inuidia, ꝓpter bona temporalia alterius cõcepta, cũ non ſint verè bona, & quib. ſępe magis lędimur, quã iuuamur, ob abuſum illorũ. Nequiſſimum etiam eſt, & propè diabolicum, propter ſpiritualia aliis inuidere. Et certè ſi communionis Sanctorum articulum meditaremur, nulla nos vreret inuidia ob ea verè bona, quorum participes ſumus.

1. *Corin.* 1.

Mendaciũ & hypocriſis differunt.

Inuidiæ morbus.

Gen. 4.

Inuidorũ ingens ſtultitia, & nequitia.

Detractio vnde: detractores qui, ſuſurrones.

Et quia ab inuidia proficiſcuntur detractiones; ſubdit; *Et omnes detractiones.* Quo verbo præcidit omnem linguæ petulantiam in proximum, ſiue præſentem, ſiue abſentẽ. Detrahunt autẽ, qui laudes alterius imminuunt: qui verò in aurẽ detrahũt, ſuſurrones appellãtur. *Quaſi modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac cõcupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutẽ.* Duplex eſt vita hominis, carnalis nẽpe, & ſpiritualis, & vtraq; eget ſuo alimẽto, vt ſuſtentetur, nec omnibus idẽ cibus cõuenit: Primum hominis alimentum eſt lac, donec dentes, & fauces creſcant, & idoneæ reddantur, vt ablactati ſolidum cibum percipiant. Hic autem mollis, ac dulcis cibus, eſt meditatio bonorum, quæ à Deo in vita recipimus, & quæ ſperamus in patria. Creſcimus tamen ad ſolidiorem cibum, qui nimirum, in afflictione crucis, & flagellis reconditus eſt: Gaudentes pro nomine Ieſu contumeliam pati; quanquã exterior homo ingemiſcat & doleat, vt ita ablactemur. Matris ergo Eccleſiæ lac de eius vberibus ſugimus, quando ſimplicia fidei rudimenta tenemus, & argutias fidei circa Trinitatis myſteria, & Incarnationis, & quæſtiones de Euchariſtia, & prædeſtinatione, & reprobatione, & ſimilibus ſubterfugimus: nam talia cibus ſunt grandiũ, & eorũ qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.

Vitæ corporalis, & ſpiritalis alimenta.

Actor 5.

Lac ſugere de vbere matris Eccleſiæ quid.

Hebr. 5.

Quid rationale, & ſine dolo lac concupiſcere.

Quod ait: *Rationale, & ſine dolo lac concupiſcite*: videtur interpres legiſſe, λογικοὶ, καὶ ἄδολοι: modò tamen legimus λογικὸν, καὶ ἄδολον, id eſt rationale quidẽ ad differentiam irrationalis, ſiue animalis doctrinæ: ſine dolo autem, vt diſtinguat à doctrina hæretica, quæ doloſa eſt. Quæ lectio videtur melior, & preſſior. *Vt in eo,* (ſiue per illud) *creſcatis in ſalutẽ.* Id eſt, Creſcere valeatis. Etſi verò in Græco non ſit, ſalutem, facile tamen ſubintelligendum eſt. Siue abſolutè, Diſcatis creſcere, ſcilicet, in ſalutem, quæ doctrina nobis traditur per Eccleſiam. Explicat hunc locum Auguſtinus hom. 20. & 50.

B. Aug. to. 10.

Si tamen guſtatis, quia dulcis eſt Dominus, Affirmat, non dubitat, cùm ait: Si tamen, pro quo recentes interpretes legũt. Siquidem. Si modò lac ipſum placeat, in quo ipſius Dei dulcedo guſtatur. Alludere autem videtur Petrus ad vltimum caput

Petri alluſio ad Eſaiam.

Eſa. 66.

Eſaiæ, vbi præcipitur vniuerſis, vt Ieruſalem matris ſuæ vbera ſugant. Quia peccata modo ſuo lactant, & in eis guſtatur ficta dulcedo diaboli, de qua Prouerb. 1. dicitur: Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis.

Prou. 1.

Dubitatum fuit, quomodò Petrus omnes vocet infantes, cùm inter eos eſſent perfecti, iamdiu renati. Reſpondemus: Quãdiu hîc ſumus, paruuli ſumus, & reſpectu virilis ætatis, & robuſtæ, quã paulò pòſt in futuro recipiemus, paruuli ſumus, non autem viri, quales tunc erimus in cœlo. Vnde & Paulus, & Dauid, inter eos lactanti ſe cõparant. *Cũ eſſem paruulus* (inquit Paulus) *loquebar vt paruulus, ſapiebã vt paruulus, cogitabã vt paruulus*: Dauid verò, *Sicut ablactatus*, inquit, *ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Quid verò ſit lac, ſi quis volet intelligere, legat Auguſtinũ in Pſalmũ 130. itẽ tractatũ 98. in Ioã. & tract. 3. in epiſtolam Ioannis, ac 14. ca. lib. Enchirid. vbi ait, vnũ eundẽ fidei articulum eſſe lac, & ſolidum cibum: lac quidẽ, iis, qui eum credunt, & non perfectè intelligunt: ſolidum verò cibum, intelligentibus. Ideoq; non eſſe aliqua dogmata paruulis, ſiue infirmis abſcondenda: nam omnia tanquam prima rudimenta proponi poſſunt venientibus ad Chriſtum: ſed non ſtatim danda eſt opera, vt omnia exactè intelligant, iuxta illud Eſaiæ: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Hic primò Incarnatio Domini, & quæ in carne geſſit, lac dici poſſunt; Diuinitas autem ſolidus cibus, nõ quia vtraq; ſint ſolidus cibus, & vtraq; etiam lac, ſed quia facilius eſt capere humanitatẽ Chriſti, quàm diuinitatẽ.

Futuræ, & præſentis diſcrimen ætatis in ſtorum hominũ.

1. Cor. 13.

Pſal. 130.

Aug. to. 8. Idem to. 9. Idem eod. Auguſtini interpretatio elegans, & docta huius loci.

Eſai. 7. iuxta 70. interpretes.

Sunt qui per hoc lac rationale, & ſine dolo, intelligant Euchariſtiam: vbi enim locutus eſt, de renatis in baptiſmo, nõ ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili verbi Dei, ad aliud accedit Sacramentũ, per quod augemur, vt in eo creſcamus in ſalutem. Quæ quidem verba Occidentis Eccleſiæ ritus & Orientis interpretari videntur. Vtraque enim in more habet, vt cùm grandiores, & adulti baptizantur, ſtatim vt ſunt ex ſemine incorruptibili renati, cibum ſalutiferũ ſacroſanctæ Euchariſtiæ illis porrigãt. Et præterea in Oriẽtis Eccleſiis infantib. baptizatis, ac renatis porrigebatur Euchariſtia: quod ex Apoſtolica traditione profectũ eſſe aſſerit Dionyſius Areop. c. 5. Eccleſ. hierar. De piè defunctis loquens, *Tribuit*, inquit, *Sacerdos Sacramentum infanti, vt in eo nutriatur, & creſcat ſacris augmentis.* Hæc ibi. Apteq; Euchariſtiam vocant lac, propter lactis proprietates, quas Clemens Alexand. explicat lib. 1. Pædagogi c. 6. quarum præcipua eſt paruulis conueniens, vis auctrix, ſiue augmentatiua, quam Petrus explicauit illis verbis. *Vt in eo creſcatis.* Itaq; nõ accipitur hoc loco lac pro doctrina inchoata, cuius meminit Paulus ad Heb. 5. *Quod colligitur ex eo quod praecedit: Depoſita omni malitia, ſeu peccato, & omni dolo, rationabile lac concupiſcite*: hæc enim non eſt neceſſe deponere ad audiendam doctrinam verbi Dei: imò ideò audienda, vt hæc vitia deponantur: illorũ tamen vitiorum depoſitio neceſſaria eſt ad fructuoſam communionẽ. Sicut dixit Paulus: *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento malitiæ, & nequitiæ.* ¶ Datur huic lacti eſſe rationale, vel rationabile: quia viuus cibus eſt mentium, & ratione, ac mente præditus. Eſtque ſine dolo, quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius.

Alter ſenſus nec ineptus ille quidẽm.

Dionyſ. Areop.

Clem. Alexandr.

1. Cor. 5.

1. Pet. 2.

Hunc ſenſum euincit, quod ſubdit: *Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus*: quod quidem B. Dionyſius libr. Eccleſ. hierar. cap. de Communione, ad Euchariſtiam retulit, & alii magni autores, vt B. Iacobus Apoſtolus in Liturgia Ieroſolymitana, ac Cyrillus Alexan. homil. de Cœna Dom. & lotione pedum, Gaudentius item ſerm. 2. de Paſcha. Præterea totus ille Pſalmus, in quo eſt ille verſiculus, de Euchariſtia venit interpretandus ſecundùm veteres Patres. Nam vt Dauid coram Abimelec vultum ſuum mutauit, & tunc accepit panes Propoſitionis, qui erant certus Euchariſtiæ typus, ita Chriſtus in Sacramento ſimulat ſe panem eſſe, quia propriè panis non eſt, etſi eſſe maximè videatur. Ac ſicut recenter baptizatis lac, & mel in ſymbolum Euchariſtiæ porrigitur: quod etiam Græci hodie in Liturgia obſeruãt. Nam ex magno pane fragmento paruulo Euchariſtiæ conficiendæ, & benedicendæ præciſo, reliquum in fruſta parua conciſum, & in caniſtro repoſitum diſpenſant per miniſtrum omnibus fidelibus, qui aſſiſtunt ſacrificio: Ita lac & mel, in ſymbolum myſtici lactis, & mellis porrigitur. Manentes ergo in Chriſto, creſcimus ſecundùm proprietatem, quæ teſte Dionyſio in epiſt. ad Titum, ineſt illi. Meminit autem huius conſuetudinis inprimis Tertullianus lib. de Corona militis, & Hieronymus in illud Eſaiæ. *Emite abſq; argento, & abſq; vlla commutatione vinũ & lac*: pro quibus 70. verterunt, Vinum & adipem ſcilicet frumenti: quod Cyrillus in il-

Eſai. 53.

Dionyſ. Areop.

Liturgia B. Iacobi Apoſtoli. Cyril. Alex. Gaudentius.

1. Reg. 21. Quid quod Rex Dauid vultum ſuum immutauit, vt panibus propoſitionis frui poſſet.

Ritus Eccleſiæ Græcorum in Miſſæ ſacrificio.

Dionyſius Areop. Tertull. Eſai. 55. Hieron. in 55. caput Eſaiæ. tom. 5. Cyril. Alex.

lum locum Eſaiæ, ait non eſſe alienum à myſterio corporis Chriſti. Hieronymus quoq; ſcribit: *Spreto igitur illo argento, & pecuniis, quibus aquas Domini emere non poſſumus, pergamus ad eum, qui tenens calicem Sacramenti, diſcipulis loquebatur: Accipite, & bibite, hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quod vinum miſcuit & Sapiẽtia in cratere ſuo: omnes ſtultos ſeculi, mundiq; ſapientiam non habentes, prouocans ad bibendũ: & vt non ſolùm vinũ emamus, ſed & lac, quod ſignificat innocentiam paruulorum, qui mos ac typus in occidentis Eccleſiis hodie vſq; ſeruatur: vt renatis in Chriſto vinum, lacq; tribuatur.* Et paulò poſt ex Septuaginta, pro, lac, legit στέαρ id eſt, adipem: producitq; ex Dauide in primis illud, *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* Deinde, *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.* Et concludit: *Qui adipes*, inquit, *non aliud quàm myſticam carnem ſonant*, & quæ ſequuntur.

Matth. 26

Prou. 9.

Quid lac myſticè ſecundum Cyrillum.

Pſal. 62.

Pſal. 80.

Quod 2. ſequitur in textu: *Ad quem accedentes lapidem viuum, &c. tanquam lapides viui ſuperædificamini, domos ſpirituales, in ſacerdotium ſanctorum*, & reliqua: ad idem Sacramentum referri poſſet. Quod enim lac rationale dixit, iam lapidem viuum vocat: quia hic panis mirificus firmamentum quoddam eſt. Nam panis Sacramentalis cor hominis, confirmat, & vires ſpirituales reſtituit, & terrenus corporeas. Cum hoc autem lapide viuo coagmentamur per ſacram communionem, ſi tamen & ipſi lapides viui ſimus, & non potius per peccata, & cupiditates noſtras mortui, vt ei agglutinari non poſſimus. Et cũ vnus ſit Chriſtus lapis viuus: plura tamen ſunt Euchariſtiæ Sacramenta, quæ pluriũ numero Petrus propterea vocat hoſtias ſpirituales, & acceptabiles. Nam Fulgentius præclarus autor, & ſuo ſeculo valde eruditus, lib. ad Monimum ita intellexit, & interpretatus eſt. Sic enim habet: *Hæc itaq; ſpiritalis ædificatio corporis Chriſti, quæ fit in charitate, (cùm iuxta B. Petri ſermonẽ, lapides viui ædificantur in domum ſpiritualẽ, in ſacerdotiũ ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias & acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum) Hæc, inquam, ædificatio ſpiritalis, nunquã opportunius petitur, quàm cũ ab ipſo Chriſti corpore (quod eſt Eccleſia) in Sacramento panis, & calicis ipſum Chriſti corpus, & ſanguis offertur. Calix enim quem bibimus, communicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis quẽ frangimus, participatio corporis Domini eſt. Quoniã vnus panis vnum corpus multi ſumus, omneſq; de vno pane participamus.* Hæc ille. ¶ Quia verò Petrus docet oportere fieri domus ſpirituales, & ſacerdotium ſanctum, ad offerẽdas ſpirituales hoſtias, & acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtũ, & hoc non contingit niſi ijs tantùm, qui exhibent corpora ſua hoſtiam viuentem, ſanctã, & ſpiritualem: conſequitur, illas alias hoſtias ſpirituales Deo acceptabiles per Ieſum Chriſtum, diuerſas eſſe ab hoſtiis proprii corporis, orationum, laudum & bonorum operũ, vt illis digni efficiamur ad offerendum corpus: & ſanguinem Chriſti, quæ per Chriſtum ipſum acceptabiles ſunt Deo Patri. Nam hîc, Sacerdos, & hoſtia, idem ſunt: ſicut olim in lege non tantùm Sacerdotes, ſed etiam laici faciebant, vt docet Phil. lib. 3. de Vita Moſis, vbi ita habet: *Quo tempore* (Paſchali ſcilicet) *non vt alias plebey hominis victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus, ſed iubente lege tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiuq; mactat hoſtiam ſuis manibus.* Idem in lib. de Decalogo: *In paſchate*, inquit, *populariter ſinguli ſacrificant non expectatis Sacerdotibus, ipſi permiſſu legis fungentes ſacerdotio quotannis per vnum diem deſtinatum huic negotio.* Hactenus Philo.

Quis panis cor hominis confirmans.

Pſal. 103.

Fulg lib. 2.

Coloſ. 1.
Epheſ. 1.
1. Cor. 10.

Duplex genus hoſtiarum, ſeu ſacrificiorum, Deo acceptabilium per Chriſtum.

Rom. 2.

Phil. par 2 Sigiſmundo Geſenio interpret.

Ad tertiam dubitationem dicendum, Apoſtolum aliis metaphoris declarare eorum excellentiam, prærogatiuas, vt ſicut per regenerationem ſunt filii Dei, & vnum cum ea, ita per metaphoram lapidis viui, qui Chriſtus eſt, eorũ augmentum deſignatur. Nam ex charitatis glutino, quo fideles ſunt inter ſe coniuncti, conſurgit tanquam domus quædam, quæ Eccleſia vocatur. Et alludit Petrus ad verba illa Dauidis. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Aitque ab ædificantibus reprobatum, quia ſcribis, & Phariſæis, & Sacerdotibus non quadrauit: Erat enim Chriſtus pauper, infirmus carne, & cruci affixus: illi verò deſiderabant diuitem, opulentũ, & glorioſum Meſſiam, quò diuites ipſi, potentes, & glorioſi magis apparerẽt. Vnde & reputarunt eum quaſi leproſum, & dixerunt, *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Fuit autem Chriſtus à Deo electus ad vnionem, & hypoſtaſim Verbi: vnde & honorificatus dicitur, quia ſuſcitatus à mortuis, & ad dexteram maieſtatis collocatus à Patre, ac datum illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Ac rediens deinde ad metaphorã lapidis, ſubiũgit: *Et ipſi tanquã lapides viui ſuperædificamini.* Viui, inquit, non mortui, ſed vt ſilices, qui habentur lapides viui, & qui percuſſi ſcintillant, & ignis ſpeciem exerunt: ita vos participes eiuſdem excellentiæ efficiemini. Et (vt

Sol. III. dub. Cur lapidi viuo Chriſtum comparet Apoſtolus.

Pſal. 117.
Chriſtum lapidem reprobauerint qui nam ædificantes, & cur.

Eſa. 53.

Ioann 19.
Chriſtus cur lapis à Deo electus, & probatus.

Phil. 2.

ait Beda)

Bedæ præclara ſententia.

ait Beda) ſicut ordines lapidum in pariete portantur alij ab alijs, ita portantur fideles quique à præcedentibus in Eccleſia iuſtis: Portant & ipſi ſequentes iuſtos per doctrinam, & tolerantiam, vſque ad vltimum iuſtum. Qui cùm à prioribus portetur, quem portare debeat ipſe ſequentem non habebit. De his dicitur: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Chriſtus autem ipſe omnes portat, & ſuſtinet, & à nemine ſuſtinetur, quia vi infinita præditus nullius ope indigebat: reliqui omnes & portari indigent, & portare alios debent. Videtur autem Petrus alludere ad cap. 54. Eſaiæ, vbi Eccleſia comparatur ciuitati constructæ ex omnibus lapidibus pretioſis: & ad verba Chriſti dicentis ſibi: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram* (id eſt, ſuper te Petrum) *ædificabo Eccleſiam meam.* Quaſi dicat: Ego à Chriſto petra Petrus ſum cognominatus, & non tantùm ego Petrus ſum, ſed & vos omnes Petri eſtis: Quemadmodùm à Chriſto Rege, Sacerdote, Paſtore, atque Doctore, omnes fideles de regno eius, & ſacerdotio, & paſtoratu, atque doctoratu participant. Mortui enim, & materiales lapides cum parantur, aut ponuntur in ædificio, nihil ipſi operantur, nihil iuuare poſſunt, & per ſe aliud non poſſunt, quàm cadere: at vos cooperari poteſtis. Ideò ait: Superædificamini, quia ſine Chriſti fundamento nulla ſpiritualis ædificatio ſtare, aut inchoari poteſt.¶ Ac ſubdit: *Domos ſpirituales.* Notat Beda, quoſdam legere in ſingulari, domus ſpiritualis; alios, in domum ſpiritualem. Et prima lectio magis conſonat literæ. Vbi aduerte vocem Spiritualis, propriam eſſe ſcholæ Chriſtianæ, & idem eſt ac ſi diceret, allegoricum, vel figuratè dictum, vel per aliam rem ſenſibilem delineatum. Ita in priori ad Corinth. Paulus dixit: *Omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt* (& ſubiungit) *bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra.* Eccleſia enim domus eſt, non lignis, aut lapidibus ſenſibilibus conſtans.¶ Addit etiam: *Sacerdotium ſanctum.* Id eſt: Vt ſitis ſpiritalis domus, & ſitis ſacerdotium ſanctum; ſicut poſteà ſubdit: *Vos autem genus electum* (eſtis ſcilicet) *regale ſacerdotium,* id eſt, Sacerdotes ſancti: quemadmodum circumciſio pro circumciſis accipitur. Sacerdotes, inquam: *Hoſtias offerentes ſpirituales acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* Hoc dicit, ad differentiam legalium Sacerdotum, qui offerebant hoſtias carnales, non autem ſpirituales, & acceptabiles, non ex ſeipſis, ſed per Ieſum Chriſtum.

Gal. vlt.

Chriſti proprium.

Matth. 16. Expenditur verbum, Superædificamini, ſcilicet tanquam lapides viui.

Quid eſt, domus ſpiritualis.

Beda.

1. Cor. 10.

Sacerdotium ſanctum.

Hæreticorum duplex dogma refellitur de ſacrificio, deq; Sacerdotibus noui Teſtamenti.

Hîc inſultant hæretici dupliciter. Primum, contra ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacrificium, quod externum eſt, & ſenſibile, & ſatis eſſe docent vnum vnum Crucis altare, & vnicam oblationem. Deinde volunt omnes, etiam laicos verè, & propriè eſſe Sacerdotes noui Teſtamenti: quod & confirmant ex Apocalypſi, vbi dicitur: Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes. ¶ Sed ad prius dubium: non debent refutare externum Miſſæ ſacrificium, quia etiam illud crucis corporeum fuit, & ſenſibile: quod Chriſtus obtulit per ſe: quia corpus ſuum, & ſanguinem pro ſalute noſtra Patri obtulit. Illud verò quod nos offerimus ſub ſpeciebus panis, & vini, ipſiſſimum eſt Chriſti corpus, ipſiſſimus ſanguis: & quod ipſe Chriſtus in Cœna inſtituit, & offerre nos docuit. Et Chriſtus qui ſe obtulit in Cœna, & poſteà in Cruce, non ſuſtulit oblationem incruentam; imò præcepit, dicens: *Hoc facite in meam commemoratione:* vbi quæ offeruntur, ſunt Deo gratiſſima & acceptiſſima: ſunt etiam, quatenus à nobis fide offeruntur, acceptabiles hoſtiæ per Ieſum Chriſtum. Nihil eſt ergò quod gloriari poſſimus, quia per Chriſtũ, & propter Chriſtum nos orantes, & ſacrificantes exaudimur.

Apocal. 5. *Infra 1.*

Duplex ſacrificium in Eccleſia.

Matth. 26.

Luc. 22. *1. Cor. 11.*

Ad ſecundum, dicimus, non omnes eſſe idoneos ad offerendum ſacrificium altaris, ſed tantùm ſanctificatos, & ad ſacros ordines promotos: ſicut olim etiam in lege tantùm conſecrati, & inuncti ſacrificabant. At verò ad omnia alia ſacrificia ſpiritualia, vt ſunt Dei laudes, orationes, & gratiarum actiones, ieiunia, corporis macerationes, eleemoſynæ, verbi Dei auditio, conciones, & ſimiles actiones, quæ ſpiritales hoſtiæ vocantur, quiſque Chriſtianus idoneus eſt, & ius habet illas offerendi, imò etiam cum ipſo Sacerdote in altari ſacrificante illam eandem hoſtiam ſpiritus Deo offerendi: atque ea ratione confitemur, omnes, & ſingulos fideles Chriſti ſacerdotio ſpirituali fungi. Sed quia de hac re alibi latius diſſeruimus, eò ſtudioſum mittimus lectorem.

Ad ſacrificium Miſſę celebrandum qui ſint ſtatim idonei.

Exod. 28. *Leuit. 9.*

Lib. 9. enarrat Euang.

Producit autem ex Eſaiæ cap. 28. teſtimonium: *Ecce pono in Sion lapidem.* Hoc eſt, inter fundamenta domus, & arcis Dei, quæ dicitur Sion. Et pono, ait, de præſenti, pro futuro, ponam: quia rem nouam promittit. Cum enim homines tam impij eſſent, vt mererentur contra ſe mitti, aut poni exterminatorem: Dominus bonum pro malo reddens, Saluatorem mittit. *Lapidem angularem,* ſiue ἀκρογωνιαῖον, id eſt, vt vna voce exprimam, ſummangularem. Phraſi

Ponere in Siõ lapidem, quid Dei Patris benignitas aduerſus Iudæos.

Chriſtus quare lapis angularis.

namque

namque Hebræa, Græca, Reges, & Principes, anguli po[p]ulorum dicuntur, vt in lib. Iud.20. & Michæ.3. & 1. Reg.14. id eſt, in ſummo angulo poſitum, in quo duo populi, Gentium, & Iudæorum, connectuntur. Quia enim habebat aliud ouile præter illud Iudæorum. Chriſtus dixit: *Erit vnum ouile, & vnus Paſtor*.

Ioan.10.

Verbum verò, *Electum*, addidere 70. & deſignat, ad ſumma Dei negotia feliciter peragenda electum, vt noſtram etiam electionem promereretur. Eſt enim ille, de quo ait Sponſa, Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. *Probatum*. Quia certauit, & peruicit dæmones, mundum, carnem, infernum: probatum etiam, ſapientia, miraculis, & patientia. Item, *Pretioſum*, non tantum ſui dignitate, & valore, ſed merito ſuo, & Patris æterni æſtimatione, in quo ſibi mirificè complacuit. Vnde eius diuinitatem inſinuat: quia erat Deus, & Dei Verbum. *Et qui crediderit in eum, non confundetur*. Ita dixerunt Septuaginta: quia omnis qui in eum credit, tandem ad ſalutem perueniet, etiamſi ad tempus opus ſit vt apud homines confundatur propter Chriſtum. Hebræa habent: *Qui crediderit, non feſtinet*: ſcilicet ad palmam vitæ æternæ obtinendam, quia longa adhuc reſtat via, ſed patienter agat, & viam mandatorũ currat, quod eſt contra Lutheranos: quia vna, & ſola fide putant omnia perfecta, & completa: quæ quidem fides digna eſt confuſione, & illuſione.

Electus. Cant 5. Probatus. Pretioſus. Matth 3. Infra 17. Credentis in Chriſtum ſecuritas, ſaluti[ſ]que firmitas. Pſalm.118. Notatur Lutheranorum inanis fiducia.

Allegat autem Petrus hunc locum maximè ad rem, & ſecundùm Hebraicam veritatem, & iuxta 70. qui ſenſum, non ordinem verborum ſeruant. Ac peculiariter Iudæi dicuntur impegiſſe in petram, ſiue lapidem, & ſcandalum paſſi in Chriſto: qui à principio aliquid boni habebant & recta via ambulabant, colentes verum Deum, ſed cum Chriſtus venit, offenſi eius infirmitate, & externa vilitate, in bono cœpto non ſunt progreſſi: nam impingere, propriè ambulantis eſt. Et ſubdit: *Nec credunt in quo & poſiti ſunt*. Didymus refert hæc verba ad illud: Ad non credendum, & offendendum, in quo poſitos dicit eos, qui ab eius doctrina diſſentiunt: eſt autem hæc poſitio voluntaria; poſiti ergò ſunt à ſeipſis. Vides ergo, Iudæos non fuiſſe reprobatos à Deo, ſed ad vitam ordinatos, ſi eam non reſpuiſſent, & non dilexiſſent magis tenebras quàm lucem.

Quo modo Iudæi in Chriſtum lapidem impegerint. Didymus. In quo poſiti ſunt Iudæi Chriſto increduli. Act. 13. Ioan. 3.

DISPVTATIO II.

In illa verba: *Vos autem genus electũ, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, & quæ ſequuntur in finem vſque Capitis.

PRIMO in hæc verba ſuperius dubitatum fuit, cur recenſeat Apoſtolus magnificos titulos eorum, qui Chriſtum profitentur; & quid ſingulus titulus ſignificet; & quid ſit, annuntiare virtutes eius, qui eos vocauit, & quod eſt illud lumen admirabile. Reſpondemus, diſtingui hìc ab Apoſtolo fideles Iudæos ad Chriſtum conuerſos, & oſtendit quas excellentias & prærogatiuas ab eo acceperint: atque ita interpretatur traditio Apoſtolica apud Clemen. lib. 2.c.25. *Audite hæc*, inquit, *ô laici, & Eccleſia Dei, electa: prius enim populus, populus Dei, & ſancta vocabatur. Et vos igitur eſtis ſancta, & ſacra Eccleſia deſcripta in cœlis, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ſponſa, ornata Domino Deo*, & reliq. In quibus apertè diſtinguit laicum ſacerdotium, quod eſt, metaphoricum, à vero, & proprio. Vocat igitur in primis genus electum, præ cæteris Iudæis in tenebris ſuis, & à ſe dilectis, relictis. Pro quibus verbis habetur Exod.19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*. 70. verò habent *Eritis mihi populus peculiaris*: Nec loquitur de electione prima, quæ eſt perpaucorum, neque detegeret illam Deus ob vtilitatem noſtram, ſed de ſecunda electione ad fidem. Vnde prædicto loco habetur: Si ergò audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis.

Ad quartam dubitationē. De titulis recenſitiſq́; quib. Petrus Iudæos cohoneſtat, atque ornat. Clem. Rom. Laici ſacerdotij à Leuitico diſcrimen. Exod.19. Iudæi fideles cur genus electum. Exod.19. Cur Deus electionem ſuam prædeſtinato non reuelet.

Deinde ſubiungit Petrus: *Regale ſacerdotium*. Ita legunt Septuaginta, quorum lectionem ſemper ſequitur Petrus. Neque dixit: Sicut Moyſi, regnum ſacerdotale: nam in populo illo principale erat regnum, cui ſuccedebat carnale ſacerdotium, ad offerendas hoſtias carnales. Nunc verò ſpirituale eſt ſacerdotium, cui regia carnalis poteſtas accedit. Fuit namque Chriſtus Rex, & Sacerdos, qui, teſte Apoſtolo, corã Pilato bonam confeſſionem cõfeſſus eſt. Cum enim à Pilato rogaretur, num Rex eſſet? reſpondit: *Tu dicis quia Rex ſum ego*: prius tamen declarauerat, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, ſed à Deo, & deſuper. Et regnum quidem, non ſeculare, quod habet pro fine diuitias, honores, & gloriam mundi: nam hoc regnũ cùm Chriſto eſſet oblatũ, fugiẽs recuſauit; ſed ſpirituale eſt, cuius finis eſt vita, & gloria æterna. Nomine autẽ ſacerdotij, in-

Quare Petrus Iudæos regale ſacerdotium potius, quam regnum ſacerdotale nominauit. 1. Tim 6. Ioan 18. Quale fuerit regnũ Chriſti. Ioan 6.

tij,intellige poteſtatem intercedendi inter Deū & homines per hoſtias,& munera, & orationes. Hos autem eſſe ſacerdotium,nō ita ſtultè intelligas cū hæreticis, vt omnes Chriſtiani ſint æquè Sacerdotes, atq; illi,qui publicè miniſtrāt in Miſſæ ſacrificio:ſed quod Eccleſia Dei habet in ſe ſacerdotii dignitatem, & vtilitatem; & Papa nō tantùm ſummus eſt Sacerdos loco Chriſti, ſed etiam verè eſt Rex, ſed ſpiritualis, vice eius verbo, & exemplo per ſeipſum, & per alios Eccleſiam gubernans, & paſcens gregem Domini, & mediator primarius poſt Chriſtum pro omnibus ouibus hoſtiam offerens viuentem, vt ipſe, ſi opus fuerit, hoſtia pro ouibus ſuis efficiatur. Quod intellexit Petrus, cum tertiò interrogatus à Chriſto, contriſtatus fuit, & poſteà illi dixit, *Tu me ſequere.*

Quo ſenſu dicantur Iudæi ſacerdotiū.

Papa vt ſit Rex.

Ioan. vlt.

Fecerit nos Deo Chriſtus vt regnū, & Sacerdotes.

Apoc. 1. *Infra 5.*

Quod ergo Ioan. in Apoc.c.1.& 5. dixit: *Fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo*: & *Feciſti nos Deo regnum, & Sacerdotes*: haud fauet hæreticis: quemadmodum n. reuera,non omnes fecit Reges regnum proprium habentes,ac poſſidentes,ita nec Sacerdotes omnes effecit, ſed tantùm ſacerdotii,& regni donis,&commodis participātes.Sicut dicimus Romanos habuiſſe Regnū,Conſulatum,Imperium; non quidē in omnibus, ſed in quibuſdā perſonis ſelectis tantummodo. Et ſicut in Eccleſia non omnes Apoſtoli, nō omnes Prophetæ,vel Doctores,ſiue Epiſcopi,ita neq; omnes Reges, vel Sacerdotes. ¶ Subdit: *Gens ſancta*: hoc eſt, per baptiſmū mundata,ac Deo ſacrata.Et vocabulū Gentiū Iudæis carnalib. erat valde inuiſum,non tamen veris Iudæis,&Chriſti cultoribus,qui in conuerſione Gentiū lætantur. *Populus acquiſitionis.* Græcè eſt, λαὸς εἰς περιποίησιν, quod ineptè verterunt quidam,populus qui accedit ei in lucrū: nam potius vertendū erat, quem ille emit,multo ſcilicet ſui ſanguinis pretio. Et alludit fortaſſis ad figuram populi Iſraelitici educti, & acquiſiti de Ægypto, pro qua voce in Exodo habetur: *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptijs,quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi*: Dixit quoq; Paulus,quòd Chriſtus acquiſiuit Eccleſiam ſanguine ſuo.

1. Cor. 12. *Epheſ. 4.*

Iudæi fideles cur gēs ſancta, & populus acquiſitionis.

1 Pet. 1. *1. Cor. 6.*

Exod 19. *Deut. 32.*

Act. 20.

Sequitur id,de quo quinto loco dubitatum fuit: *Vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Græcè virtutes appellat vocabulo communi ἀρετὰς, quod complectitur omnes virtutes morales, & intellectuales: non autem dixit δυνάμεις, id eſt, poteſtates,ſiue potentias. Hæc autem vox, ἀρετὴς, rara eſt in Scripturis noui Teſtamenti,& habetur hoc loco tantùm, & bis in 2. epiſt. cap. 1. & 2. & ſemel tantummodò apud Paulum, nempe Philip. vltim. cum ait: *Si qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ.* A qua voce Græca, teſtatur Auguſtinus, Latinos accepiſſe nomen artis, per quam opera artificialia rectè perficiuntur, & diſtinguntur ab his,quæ fiunt ab hominibus arte deſtitutis. Virtutes ergo, quas debent annunciare, & prædicare fideles in Chriſto, ſunt obedientia,charitas, patientia, humilitas,liberalitas, iuſtitia,ſtudium precandi, & alia ſanctiſſima charitatis officia: ad quæ enarranda, & prædicanda,populus iſte ſaluatus eſt, non tantùm in alio ſeculo, ſed etiam in præſenti;nec tantùm lingua, & verbo, ſed præſertim vita, & imitatione eorum. Alluditq; ad Prophetam Eſaiam, dicentem: *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit*: & ad Dauidem; *Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus*: ait item Paulus, *Quotieſcunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Eſt autem, annunciare Græcis, εὐαγγελίσασθαι. Et eſt ſenſus verborum Pauli: Mortem Domini laudibus, & gratiarum actione celebrate.

Ad V. dub. De virtutibus quas annuntiare fideles debent quæ nam illæ ſint.

Nomen artis vnde Græci traduxerint ſecundum Auguſtinum.

Auguſt. l. 4. de Ciuit. Dei. c. 21. tom. 5.

Eſa. 43.

Pſal. 21.

1. Cor. 11.

Et ſubiungit: *Qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Non fuit hæc phraſis ignota Ciceroni, qui in oratione pro Rege Deiotaro: *Rex*, inquit, *Deiotarus veſtrā familiam abiectā, & obſcurā, è tenebris in lucem vocauit.* Sed hîc maiores ſunt tenebræ ſpiritus, & maius eſt lumen, ad ꝙ vocamur. Nam ſicut de tenebris, & anguſtiis Ægypti per columnam nubis & ignis ducē itineris educti ſunt in terram latam ac ſpatioſam, lacte, & melle manantē,promiſſionis: ita etiam de tenebris peccatorū,ac errorum, de tenebris quoq; dæmonum, atq; adeò de poteſtate tenebrarum eripiens, tranſtulit in regnū Filii dilectionis ſuæ,hoc eſt, ad lumen Euangelii,ꝙ Chriſtus Dominus attulit, ꝙ admirabile fuit,& eſt, & maxima hominum ingenia,imò nec ipſi Angeli perſpicaciſſimi,admirari ſatis pro dignitate poſſunt. Tantumq; fuit hoc lumen, vt non iſtum modò Solem clariſſimū,quantus eſt, obſcurauerit,ſed etiam lumen rationis,& ſapientiæ humanæ obſcuratū, & infatuatū reddiderit: adeò vt Aug. in lib. Confeſ. in contemplatione diuinæ munificentiæ in Incarnationis beneficio poſitæ, veluti

E quibus tenebris Deus nos vocauerit in admirabile lumen ſuū, & quodnam illud lumen.

Exod. 13.

Coloſ. 1.

1. Cor. 1.

B. Aug. l. 9. c. 6 & alibi tom. 1.

ſuſpen-

ſuſpenſus, & extra ſe raptus ſatis capere non valeret. Fuit enim primum Chriſti incorporatio ex Virgine, natiuitas, ſigna, & miracula, vitæ ſuæ vel minimæ actiones, mors, reſurrectio, aſcenſio, ac myſterium Euchariſtiæ, & reliqua omnia omni admiratione, & ſtupore digna. Et ſic ſoluimus ſecundam dubitationem ſuperiori diſputatione propoſitam, quæ quinta in ordine fuit.

VI. ſol. dub. De applicatione teſtimonij Oſeæ ad conuerſionem Iudæorum, quod tamen, teſte Paulo ad Gentes conuerſas ſpectare dignoſcitur.

Ad ſextam illam, quomodò ſcilicet, quod Oſeas Propheta de Gentibus prædixerat, vt Paulus interpretatus eſt ad Rom. 9. Petrus tamen hoc loco producat, & accommodet ad eos, qui ex Iudæis crediderant, vt probatum reliquimus à principio. Illa enim verba de decem tribubus prænuntiauit Propheta, vt interpretatur Origenes, Chryſoſtomus, & alii Græci Patres, & ex ipſo textu comprobatur. Cũ enim in odium Iehu, comminatus fuiſſet: *Voca nomen eius* (ſcil. Iſraëlis, quatenus à Iuda diſtinguitur) *Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus* (quod verò diſtinguatur à Iuda, explicat ſuperius, cùm ait: *Voca nomen eius abſq; miſericordia: quia non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum: & domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo:*) Poſteà tamen in 2. cap. ſub vaticinio Chriſti venturi redit ad Iſraël, dicens: *Et miſerebor eius, quæ fuit abſq; miſericordia. Et dicam, Non populo meo, Populus meus es tu, & ipſe dicet, Deus meus es tu.* Et ita hoc teſtimonium à B. Apoſtolo Petro ad literam productum eſt. Quod autem Paulus ad Gentes traxerit Rom. 9. ſuo loco explicatum reliqui.

Origen. in c. 9. epiſt. ad Rom. tom. 2 Chryſoſt. homil. 16. tom. 4.

Lib. 3. diſp. in epiſt. ad Rom.

De qua ſalute Iſraelis ſit ſermo in præſcripto Oſeæ teſtimonio.

Loquitur autem de ſalute, non corporalis reductionis ex diſperſione, quam habuit Iudas, qua caruerunt decem tribus, & Iudas habuit, ſed de ſalute ſpirituali per Meſſiam, de qua dixerat, loquẽs de Iuda: *Et domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo,* id eſt in Iehouah: inſinuans Meſſiam. Addit præterea B. Auguſt. lib. 18. de Ciuit. Dei, c. 28. initio: *Et quia ipſe quoq; populus Gentium ſpiritualiter eſt in filijs Abrahæ, ac per hoc rectè dicitur Iſrael: propterea ſequitur, & dicit: Et congregabuntur filij Iuda, & filij in idipſum, & ponent ſibimet principatum vnũ, & aſcendent à terra.* Et infra: *Iſtos autem carnales Iſraelitas, qui nolunt credere in Chriſtum poſteà credituros, id eſt, filios eorum (nam vtiq; iſti in ſuũ locum moriendo tranſibunt) idem Propheta teſtatur, dicens: Quoniam diebus multis ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ſacerdotio, ſine manifeſtationibus. Quis non videat nunc ſic eſſe Iudæos? Sed quid adiungat, audiamus: Et poſteà, inquit, reuertentur filij Iſrael, & inquirent Dominum Deum ſuum: & Dauid Regem ſuum: & ſtupeſcent in Domino, & in bonis ipſius, in nouiſſimis diebus.* Hæc ille de vltima conuerſione Iudæorum ad Chriſtum, de qua Paulus loquitur Rom. 11.

B. Auguſt. tom. 5.

Oſeæ. 3.

Altera Petri alluſio in verbis præcitatis. *Deut. 32.*

Et quia Græcè non eſt: *Qui aliquando non populus Dei, nunc autem populus Dei:* ſed, *Qui aliquando non populus,* ſimpliciter: nec additur, *Dei,* videri poſſet Petrus etiam ad Canticum Moyſi reſpexiſſe, in quo legimus: *Et ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.* Id eſt: qui non habebantur digni nomine populi, nunc digni etiam populo Dei, hoc eſt, qui nouit cultum, & ritum, quo Deus colendus eſt. Dicuntur autem phraſi Hebræa ea non eſſe, quæ vilia, & obſcura ſunt, & quæ nullo in pretio habentur. Vt cùm in priori ad Corin. ait Apoſtolus: *Elegit ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret.* Fauet huic ſenſui, quod ſequitur in Propheta: poſtquàm enim Oſeas decem tribubus diſperſis Dei nomine repudium denuntiarat, ſpem tamen illis facit futuræ reconciliationis: quod Petrus ſuo tempore impletum aſſerit. Nam huc atq; illuc diſſipati erant Iudæi, & quaſi laceri corporis membra, imò ex Dei populo reſecti videbantur: cùm autem in Chriſto colliguntur, verè ex non populo fiunt populus Dei: atque ad Gentes hoc vaticinium trahit Paulus. Ex quo n. ruptum eſt fœdus Domini, quo ſolo Iudæi excellebant Gentibus per omnia illis fiunt æquales. Vnde ſequitur, communiter ad vtroſque pertinere, quod Deus promittit: nam Iudæi etiam poſt eius reſurrectionem ſine Chriſto erant, donec Petrus illis prædicauit. Hæc ergo, quæ hoc loco narrat Petrus, impleta ſunt, quando Gentes, & iudæi ſuſceperunt Chriſtum vnum Regem & Meſſiam: atque ita vna, & eadem prophetia poteſt ſæpius impleri, etiam in vno populo, vt conſtat ex hoc loco, & ex illa abominatione deſolationis poſita in loco ſancto: ſed Petrus ad literam, Paulus verò per ratiocinationem quandam; & ſimilitudinem accepit Oſeæ vaticinium: & ita pluſquam myſticè, quia omnia verba: *Non populus: Non miſericordiam conſecuti: Non dilecta:* illi conſonant, & mirificè quadrant, vt ita de vtroque vno, & eôdem verbo prænuntiauerit Propheta, & pro vtrôque populo produxerit. Paulus quoque inquit: *Quos & vocauit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam*

Populi prærogatiua Chriſtiani.

1. Cor. 1.

Petri conciliatio cũ Paulo, circa locum Oſeæ.

Dan. 9. Matth. 24

Rom. 9.

ex Gen-

ex Gentibus. Et probat ex Oſea.

Solut. VII. dub.
Cur ſecūdò Apoſtolus Iudæos exhortetur, vt abſtineant à carnalibus deſideriis.

Septimò dubitatum eſt in illud: *Chariſſimi, obſecro vos tanquā aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis*: cur videl. nouam hanc ſecundò inducat exhortationem Petrus, abſtinendi à carnalibus deſideriis. Reſpondemus ideò feciſſe, vt tanti rem momenti magis eorū mentib' imprimeret. Redit igitur ad exhortationē, q̄ cœperat & in declaratione gratiæ Dei occupatus prætermiſerat. Ac vocat illos, Chariſſimos, hoc eſt, ſanguine Chriſti redemptos. Ideò probabile eſt, ꝙ eos aliqui in docendo deciperēt. Et obſecrat per miſericordiā Dei, ex qua oritur gratia, per quam præſtatur quod rogamus.

Cur obſecrat per miſericordiam Dei.

Tanquam aduenas, inquit, *& peregrinos*: hoc eſt, Exules, & à patria ſua cœleſti extorres, & per hunc mundum, tanquam per alienā terram tranſeuntes ad patriā. Quare aliter vocat hic aduenas, quàm in principio ſalutationis: nam hic alloquitur Chriſtianos, qui more aduenarum, & peregrinorū non conſiſtunt, ſed futurā ciuitatem, & patriam inquirunt: ita exulātes à terra promiſſa, quia diſperſi per vniuerſum orbem erant, aduenas ſuperius vocauit, modò verò quaſi Chriſtianos alloquitur.

Aduenæ, & peregrini quomodo Iudæi.
Hebr. 11.
Infra. 18.

Tanquam diceret: nolite adhærere huic mundo quaſi ciues, & indigenæ, qui hîc patriā habentes, futuræ cœleſti renunciant. Abraham a. primus fuit, qui ſe vocauit aduenam: ꝙ ſumptum eſt ex Geneſ. 23. c. vbi habetur: *Aduena ſum, & peregrinus apud vos.* Hæc ille ad filios Heth pro iure ſepulcri Saræ ab eis obtinendo: & ex Gen. 37. in fine, vbi dicuntur duces, ſeu principes Edon habitaſſe in terra imperii ſui. Et c. ſequenti in initio: *Habitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater ſuus peregrinatus eſt*: de quibus ait Paulus: *Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ideò Deus mittebat eos in diſperſionem, vt verè eſſent aduenæ, & peregrini.

Primus Iudæorum aduena & peregrinus quis.
Gen. 23.

Hebr. 11.

Quod a. obiectum fuit, multos eſſe aduenas, & peregrinantes, qui non ſe abſtinent à carnalibus deſideriis, ſed ex peregrinatione occaſiones captant magis peccandi: vt fecit ille prodigus Euangelicus. Dicendū eſt, peregrinos non habere tā firma, & tenacia deſideria, cùm agnoſcant ſe inter alienos, & ignotos periclitari, & tandē ſibi progrediendū eſſe, quouſq; perueniant. Hinc illis litigare, aut cū aliis pugnare neceſſum non eſt, neq; ſarcinis grauari, ne oneri ſint, nec quieſcūt, vt paſcant porcos; nec fabricāt domos, ſed tabernacula, in quib. ad horam remanent. Ideò primi illi patres non habuerunt Terrā Chanaā, nec domus, ſed ſepulturā, quæ olim limbi, modò cœli ianua eſt. Ab Abrahā, ad Moſem, & à Ioſue ad Apoſtolos habuerunt Iudæi Terrā, ſed exiguam, & afflictā & eſt Apoſtolis conſultū, vt venderent omnia, & darēt pauperibus nec ſalutarent in via aliquē, vt eſſent magis expediti, ac min' curioſi in aliena republica.

Quam verum ſit, aduenas, & peregrinos abſtinere à carnalibus deſideriis.
Luc. 15.
Matth 19.
Luc. 10.

Abſtinere, inquit, *vos*, Hoc eſt, mentem veſtrā & corporis mēbra, quæ concupiſcentiis carnis acquieſcēdo pereunt: quia ſi præſtes animæ tuæ cōcupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis. Vocat carnalia deſideria, illa, quæ ſunt veteris hominis etiam, ſi maximè ſpiritualia ſint peccata, vt, irā, inuidiā, hęreſim, &c. quia anima in carne ei afficitur vt hoſpiti: animam verò hoc loco, ſpiritum nominat, ſiue conſcientiā: quia vt Paulus dixit, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, in quo ſunt fides, ſpes, & charitas: ad quas virtutes ſpoliandas, dæmon per carnem, tanquam olim Adam per Euam, impugnat.

Quid ſit, Abſtinere à carnalibus deſideriis.
Eccl. 18.
Gal 5.
Gen. 3.
Tim. 2.

Subdit: *Conuerſationē veſtram inter Gentes habentes bonam.* Erāt ergò Iudæi iſti ad fidē conuerſi inter Gentiles, & vt vnius Dei cultus faciebat vnam gentē Iudæorum; ita plures infideles, & varii, plures gentes. Et vincēs, cultum Dei ab altero victo tollebat. Conuerſationem, inquit, veſtrā inter Gentes habentes bonā, hoc eſt honeſtam, ac miſericordem. *Vt in eo quod detrectan* (vel obtrectant) *de vobis, tanquam de malefactoribus.* Aut potius maleficis. quia ſigna, & miracula fideliū, magiæ infideles tribuebant; conuertant illa in gloriam Dei. *Ex bonis operibus vos cōſiderātes.* Id eſt: Dum vos ex benefactis, q̄ in vobis eluxerint, exiſtimabunt. *Glorificent Deū in die viſitationis.* Græcè habetur, Epiſcopatus, ſiue inſpectionis, nimirū per gratiam; Vel, tempore afflictionis, qua ſolet Deus viſitare ſuos. Præſtat tamē prior intelligētia, de viſitatione per gratiā. Nunquā n. pia Chriſtianorū vita impiū conuerteret, niſi Deus ſingulari eum gratia reſpexerit Calumniæ verò, & detrectationes Gentiliū plures erant: nā teſte Iuſtino martyre in Apologia pro Chriſtianis imponebāt illis, quod carnibus humanis veſcerentur: in ſecunda verò Apologia, ꝙ in Myſteriis promiſcua venere vterentur. Addit ipſe, quòd cùm adhuc eſſet Gentilis, cogitabat impoſſibile eſſe, eos tales ſectari voluptates, qui tam conſtanter mortem

1. *Cor.* 11.
Conuerſatio inter gentes bona, quæ nam ſit.

Gentiles quid Chriſtianis obtrectabāt.

Glorificare Deum quid in die viſitationis.

Dictum Iuſtini de Chriſtianis tanto viro digniſſimum.

Euſeb. Cæſarienſ.

pro Chriſto adirent. Prioris calumniæ meminit Euſebius. l. 5. Hiſt. Eccl. cap. 1. vbi narrantur quidam infideles ſerui accuſaſſe dominos ſuos Chriſtianos, quòd Thyeſtæas cœnas præpararent:& huiuſce rei cauſam rectè interpretatur Oecumenius: quòd nimirum Pagani audierant in Myſteriis corpore, & ſanguine Chriſti Chriſtianos ſolitos ſe reficere. Altera verò calumnia inde nata erat, ꝙ diſcipuli Simonis Magi eiuſmodi nefanda exercerent; cùm ſe tamen vocarent Chriſtianos: vt eſt apud Epiphaniũ in hæreſim Gnoſticorũ. Tertia calumnia Paganorũ erat, qua dicebant Chriſtum magnũ, & diſcipulos eius,& præſertim Ioannẽ Euangeliſtam mentitos fuiſſe, & Chriſti geſta magnificaſſe ſupra veritatem: cuius calumniæ meminit Augu. lib. 1. de conſen. Euange. cap. 9. 10. 11. & 53. Item lib. 18. de ciuitate Dei cap. 53. & Euſeb. lib. 4 c. 15. Gentilium calumnias contra Chriſtianos ex Iuſtino martyre recenſet. Vitam item Chriſtianorum inquirentes edicto Imperatorum, nihil in eis mali inueniebant, vt idem Euſeb. lib. 4. c. 8. & Plinius epiſt. ad Traianum Imper. referunt. Qua ratione etiam multi Pagani ad fidem ſint conuerſi, manifeſtum eſt, quia plus permouebant eos ſancta vita, & inuicta patientia, q̃ verba & miracula. Vnde Euſeb. lib. 2. c. 9. recenſet, quod tortor B. Iacobi Apoſtoli, conſiderata eius charitate, & patientia, ad fidem ſit conuerſus, ſicut & carnifex B. Albani martyris, qui cum percuſſurus erat, ſiccati ab eo aluei viſo ingenti miraculo, continuò enſem abiecit, & cũ ſancto Albano martyr effectus eſt. Ipſe etiã Albanus olim Paganus cũ eſſet, ex conſideratione cuiuſdam clerici ſanctè, & religioſè viuentis perfectus Chriſtianus euaſerat teſte Beda l. 1. Hiſto. Anglicanæ, c. 7. quod poſſet multis aliis exemplis illuſtrari, ſi opus eſſet. Accedit & alia ratio: quia magis ſunt continuæ vitæ actiones, quã ſigna, q̃ Deo tribui ſolẽt, ac debent: at vita bona vel ab ipſis infidelibus agnoſcitur: vnde vt Putiphar ſacerdos agnoſcebat Dominũ eſſe cum Ioſeph ſeruo ſuo in omnibus, ad quæ miſiſſet manus. Signa verò vel obliuioni traduntur, vel magiæ, ſiue dæmoni tribuuntur: tamen, vbi coniunguntur cum vita bona, & doctrina, faciunt funiculum triplicem, qui difficilè rumpitur. *Glorificent Deum,* Quẽ antea blaſphemabãt, nec illi tribuebant opera ſua. Ita inferius dicit idẽ B. Petrus, *Vt benefacientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.*

B. Epiphã.

Aug. t. 4.

Beda t. 3.

Bona vita ad conuerſionẽ infidelium quantum valeat.

Gen. 39.

Eccl. 4.

1. Pet. 2.

Octauæ ſolutio dubitationis.

Cur Petrus velit Chriſtianos ſubiectos eſſe omni humanæ creaturæ, id eſt poteſtati. *Act. 5.*

Ad illud octauo loco propoſitum: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum,* & reliq. ſit hæc reſponſio: Inter cæteras calumnias aduerſus Chriſtianos excitatas, vna erat, ꝙ docerent Apoſtoli, illos non debere Principib. ſubiici, ob ſeditionem ortam per Iudam Galilæum, dogmatizantem, quòd non liceret populo Dei tributum pendere Cæſari Gentili. Hinc Chriſtiani cognatæ cum Iudæis religionis huius erroris accuſabantur, vt teſtantur Hieronymus in epiſt. ad Titum, & Auguſtinus epiſt. 5. & Chryſoſtomus in caput 13. epiſt. ad Roman. Quamobrẽ Principes Apoſtolorũ Petrus hoc loco, & Paulus ad Rom 13. & ad Tit. 3. diligenter docent obedientiam præſtandam à fidelibus, Principibus ſuis: docent etiam ſeruos obedire dominis, etiam dyſcolis: & vt vxores maritis deferant: ne dicere poſſint Gentiles, vt ait Oecumenius, quòd vitæ, ac politiæ ſubuerſionẽ adferret Chriſtiana religio. Et in primis in genere ait: *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ* vel: *Omni humanæ ordinationi:* nã id ſignificat Græca vox κτίσις; *Nouit* (inquit Oecum.) *Scriptura conſtitutionem vocare creaturam, vel creationẽ, ſicut ad Epheſ. dixit Apoſtolus, Duos populos creare in vnum nouum hominem. Ordinationem verò humanam, vocat poteſtatem, ſiue hominem poteſtate præditum: quæ humana dicitur, quod hominum diſpoſitione conſiſtit, & humanis ſuffragijs creatur.* Et, Omni, inquit, ſiue ſit Chriſtianus, ſiue Gentilis, ſiue Iudæus, neq; dixit, Omni homini, vel omni tyranno. Addit: *Propter Deum,* Vt intelligant hac ratione ſe in foro conſcientiæ ad ſubiectionem teneri, & quia Dominus mandauit cum dixit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Vel quia Principes vicem Domini gerunt, *Per me,* inquit Diuina Sapientia, *Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Debet ergò quiſq; ex conſcientia iuſtis Principum legibus parere. Iuſtæ autem leges ſunt, quæ nec contraria legi Dei præcipiunt, nec priuata autoritate feruntur, nec ad priuatum commodum inſtituuntur, nec inæqualiter æquales grauant.

Hieron. t. 9. Aug. t. 2. Chryſ. t. 4.

Oecumenij ſententia.

Epheſ. 2.

Quare propter Deum.

Matth. 22.

Prou. 8.

Quæ ſint leges iuſtæ.

Scholia Græca, atq; adeo Didymus, annotant, humanam creaturã hîc dici Præſides ipſos, quòd ab hominibus creantur. Ita etiam Auguſtinus tradit in libro, quẽ ſcripſit: Speculum, & recenſet duo genera poteſtatis. *Siue Regi, quaſi præcellenti; ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis.* Præcellentem vocat Regem, ſiue Imperatorẽ: & intelligit omnes eos, qui ſumma poteſtate funguntur, & aliis, quàm Deo, non ſunt

Græca ſcholia, Didym.

B. Aug. t. 9.

Quis rex præcellẽs: qui duces ab eo miſſi.

ſubie-

ſubiecti. Duces appellat, ſiue vt Græca vox ſignificat, *ἡγεμόσιν*, Præſides Prouinciarũ à Regibus miſſos, vt vices eorũ gerãt in Prouinciis, & iuſtitiã adminiſtrent. Et ſubdit finẽ: *Ad vindictã* inquit, *malefactorũ, laudẽ verò bonorũ.* Quib. verbis non tam, quid ſemper agant, dicit, multi n. tyranni fiunt, & innocẽtes, ac iuſtos homines interficiũt; ſed quid agere pro officij ſui æquitate deberent. Ait ergò, *Ad vindictam malefactorũ*: non n. priuato cuiq; licet, ſed Principibus tantũ, peccata publica vindicare: quo vel ipſi corrigantur, vel cæteri eorũ exemplo diſcãt, à quibus debeant cauere. Altera pars officij Principis eſt: *Ad laudem vero bonorũ.* Bonos hoc loco non tam vocat eos, qui iuſta coram Deo operantur, ſed ab obſeruatione legũ, quæ in ea Prouincia vigent. *Quia ſic eſt voluntas Dei*, ſcil. ſubdi Præſidibus, & Magiſtratibus. *Vt bene facientes*, & ex corde de legibus ac mandatis Principum obtemperantes. *Obmuteſcere faciatis imprudentiũ hominum ignorantiam.* Senſus eſt: Ora obturetis ſtultorũ hominũ, qui captant occaſiones detrahendi religioni Chriſtianæ. *Quaſi liberi, & quaſi velamen habentes malitia, libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Liberi*, ait Beda, *rectè vocamur, qui per baptiſma peccatorum ſumus nexibus abſoluti. Quia dæmoniaca ſeruitute redempti: qui filij Dei effecti, non tanto dono libertatis, potiorem peccandi facultatem, vel licentiam accepimus: quinimò ſi peccamus, mox libertate perdita, ſerui efficimur peccati. Et quiſquis ſe ad hoc libertatũ à Domino putat, vt licentiùs peccet, talis ſuã libertatẽ in velamen malitiæ mutat.* Hæc ille. Quæ quidẽ Petri doctrina confirmatur ſententia Pauli Apoſtoli ad Gal. 5. vbi ait, *Vos in libertatẽ vocati eſtis fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis*: quod Gnoſticis, & Valentini ſectatoribus dici videtur. Vnde in poſteriori epiſt. c. 2 ait Petrus: *Libertatem illis promittẽtes, cũ ipſi ſibi ſint ſerui corruptionis.* Subdit: *Sed ſicut ſerui Dei.* Qui vt liberati à peccato, ſeruos ſe agnoſcunt eſſe iuſtitię. Vnde in ſuperiori teſtimonio ad Gal. Paulus ſubiungit: *Sed per charitatẽ Spiritus ſeruite inuicẽ*, & ad Rom. 6. *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Omnes honorate* Ne Gentiles quidem deſpicientes. *Fraternitatẽ diligite.* Nimirũ Chriſtianos fratres veſtros ex regeneratione per Baptiſmũ *Deum timete.* Senſus eſt. Illũ in omnibus operibus veſtris ante oculos habete. Quòd ſi Princeps Deo contrarium præcipiat, quicunq; ille ſit; veniat vobis in memoriam Apoſtolica regula: *Obedire oportet. Deo magis quàm hominibus Regẽ honorificate.* Id eſt: Omni beneuolentia, ac reuerentia, ac debita obedientia, & ſtudio proſequimini. *Serui, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Permulti Inter initia fidei putabant, Gentiles dominos contemnendos eſſe à ſeruis, vt Hieronymus docet in cap 6. ad Epheſ. cui errori manifeſtè ſe opponunt Petrus & Paulus frequẽter, & inculcant, vt ſerui dominis ſuis obediant, etiamſi ſint Gentiles, vt publicè teſtarentur ſe contrariæ eſſe ſententiæ. Et maximum ſeruorum vitium eſt teſte Hieronymo, muſſitare, aut reſponſare. Atq; : *In omni timore.* Vt ſeruus Chriſtianus addiſcat cum omni reuerentia, & beneuolentia obediẽtiã præſtare. *Non tantũ bonis & modeſtis.* More vulgi bonos vocat eos, qui iniuſtè, non affligunt, aut qui nõ vexant illos victus, & veſtitus inopia: modeſtos verò, non nimium rigidos, nec tã exactè imperata exigentes. *Sed etiã dyſcolis.* Hoc eſt, moroſis & aſperis: nã vt prouerbium Græcorum habet Δύσκολα τὰ καλὰ, hoc eſt: Ardua, & difficilia, quæ pulchra. Græcè tamẽ eſt, non δυσκολοῖς, ſed σκολιοῖς, id eſt, prauis, & malignis, ſiue vt Beda interpretatus eſt, indiſciplinatis: quę ſignificationes nõ longe à ſe diſtare videtur. Iubet ergo Petrus, vt ſerui propter iniurias quas patiuntur, non ſe ſubtrahant per figuram, ſeu ſeruitium quia id iniuſtum eſt, cùm non ſint ſui iuris, ſed poſſeſſio, ſeu, vt ait Scriptura, pecunia domini ſui: niſi de periculo animæ illorum ageretur, aut certum mortis immineret diſcrimen, cui niſi per figuram occurri non poſſet.

Finis poteſtatis iuſtæ, atq; legitimæ duplex ex Apoſtolo. *Rom. 13.*

Chriſtiani cur ſint ſerui Dei.

Quaſi velamen malitiæ libertatẽ habeat quis. *Gal 5.*

1. Pet 2.

Gal. 5.

Rom. 6.

Act. 5.

Qui Regẽ honorificet.

Hieron t. 9.

Seruorum vitium maximum teſte Hieronym. *Hieron. in c. 3. ad Tit.*

Græcorum prouerbium.

Exod. 21. Serui quatenus ſubditi ſint dominis ſuis.

Dubitatum quoque fuit in hæc verba: *Hæc eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiã, ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſte* quid ſit propter Dei conſcientiam pati. Sed ſenſus horum verborum eſt: Hoc eſt maximè gratum Deo ſi quis propter conſcientiam ſuſtineat triſtitias, & moleſtias, & in pura conſcientia ſtudeat placere Deo, ſiue quia quis conſcius eſt ſibi, quod Deum colit. Videbantur enim infideles homines, pluſquam par erat, & iniuſtè, ac ſine cauſa afflixiſſe ſeruos Chriſtiãos. *Quæ enim eſt gratia ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis?* Quaſi dicat Petrus parua, & exigua laus eſt patienter ſuſtinere, quæ quis peccatis ſuis, & malefactis cõmeruit: verũq; de ijs, qui agunt pœnitentiam, digni laude ſunt, tanquã ad correptionẽ accedentes: at hæc parua laus eſt præ ea, quam referunt, qui ſine ſuo merito iniuriam æquo animo ferunt: minima verò eſt illo-

Nonæ ſolutio quæſt. Quid ſit ſuſtinere triſtitiam propter Dei conſcientiam.

Quæ parua laus, quæ magna hominũ patientum.

Matth. 5.

rum comparatione, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: & ſi propter benefacta percutiantur, magna demum ea laus eſt apud Deum.

Luc. 6.

Sequitur: *In hoc enim vocati eſtis.* Vt ſcil. pro bene actis, ac bene dictis afflicti, & vexati patiamini. Ita accipitur hæc phraſis à Domino, cum ait: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia?* Grecè ποία ὑμῖν χάρις; Paulus quoq; dixit ad Felicem præſidem: In hoc & ipſe ſtudeo ſine offendiculo conſcientiã habere ad Deũ, & ad homines ſemper. Bonam ſcil. quia nihil ago, quod eos offendat. Cæterum ſi, quod Deo gratius eſt, diſplicet hominib⁹, conſcientia hominum negligenda eſt. Hæc eſt enim potius gratia, ſi neglecta conſcientia hominum propter conſcientiam Dei, qui nouit mentem tuam bonam, patienter feras moleſtias, beſtias, carceres, & ſimilia. Hæc eſt illa conſcientia, de qua Poëta quidam dixit:

Act. 24.

Conſcientia hominũ quando negligendæ.

Horat. in epiſt.

Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Solutio decimi dubii. De exemplo Chriſti, nobis ad imitandum propoſito.

Producit verò Chriſti exemplũ Apoſtolus, qui pro nobis paſſus eſt, ad probandũ, nobis vtile eſſe labores ferre, & moleſtias deuorare, *Nobis relinquẽs exẽplũ.* Melior eſt alia lectio, quæ habet: Vobis relinquens exemplũ, quia ſequitur, vt ſequamini veſtigia eius. Proponitur a. hæc doctrina à B. Petro ſeruis imitanda, quẽadmodũ etiã Paulus eã ꝓduxit, ſimiliter ad ſeruorũ eruditionẽ, quando dixit: Apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri, &c. ante quæ verba ait, ſeruos dominis ſuis ſubditos eſſe debere. Tũ quia apud Deũ nõ eſt ſeru⁹, neq; liber: tũ quia afflictis, & tẽtatis magis paſſio Chriſti applicatur, quia etiã magis egẽt: tũ deniq; quia ſerui, per occupationes, & obſequia dominis præſtãda vix vacare poſſint, vt diſcãt quæ debent, cõpendiaria, & breui indigẽt doctrina. Chriſtus igitur paſſus eſt ob exemplum bonæ vitæ nobis exhibendum; & opem gratiæ ſuæ nobis præſtandam. Et de primo quidem ait: *Qui peccatum non fecit:* doctrinæ quoq; bonæ, cum ait: *Nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Bonę item paſſionis documentum dedit, quia cum malediceretur, non remaledicebat, vel non regerebat maledicta, vt Gręca vox ſonat, ἀντελοιδόρει. Et cum pateretur, non comminabatur. Eſt autem phraſis Hebræa, aliquid inueniri, vel non inueniri: pro eo, quod eſt eſſe, vel non eſſe. Hinc illud, *Non eſt inuentus ſimilis illi;* & alibi; *Habitu inuentus, vt homo,* hoc eſt, Habitu homo erat.

Tit. 2.

Gal. 3.

Tria docuit nos Chriſtus ſecundum Apoſtolũ.

Eccl. 44.
Phil. 2.

Quam vim habeat hæc

Sed iam, quod ait: *Qui peccatum non fecit,* expendendum eſt: difficile n. intellectu eſt, quomodo ex eo, quod nec opere, nec ſermone peccauit, originale peccatũ Dominus non habuerit; cum hoc commune ſit omnibus infantibus recens natis, qui nec opere, nec ſermone peccauerunt; & tamẽ haud dubiè peccatum originale habent? Sed aduerte teſtimonium productum ex Eſaię c. 53. in quo de toto genere humano prędixerat, *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuã declinauit,* vbi etiam paruuli comprehenduntur, qui peccati originis labem habent; & in prauam viam declinauit. quod de nullo homine intelligi poteſt, vt ait Hieron. in Eſaiam, cum nec ſermone, nec opere vnquam peccauerit, dicente Scriptura: *Nemo mundus à ſordibus, ne ſi vnius quidem diei fuerit vita eius ſuper terram.*

illatio Petri: Chriſtus nec opere, nec ſermone peccauit, ergo peccatum originale nõ habuit.

Hieron. in c. 53. *Eſaiæ, tom.* 5.
Iob. 25.

Auguſtinus tamen aliter hunc nodum diſſoluit, & fortè ſubtilius: Nam li. in Iulianum ex verbis B. Petri colligit hanc regulam: *Illud ſane magnum, verumq; dixiſti, cum poſuiſſes teſtimoniũ Apoſtoli Petri dicentis: Qui peccatum non fecit, notãdum eſſe quod induxerit Apoſtolus ſufficere ad oſtẽdendum in Chriſto nullum fuiſſe peccatum: vt doceret, inquit, quia qui non fecit, habere non potuit. Omninò veriſſimum eſt. Profectò n. peccatum etiam maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet: nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum nõ fecerit infantilis ætatis exortu.* Quæ ſi vera regula eſt, vt veriſſimã, & ſolidiſſimam puto; ex ea neceſſario ſequitur, B. Mariã Deiparam peccatum originale nõ contraxiſſe, aut habuiſſe, cum omne peccatum, etiã actuale, imò veniale ab omnibus Patribus, & ab ipſo B. Thoma remoueatur, ex quo cœpit vti libero arbitrio. Quod ſi à minimis, & leuibus peccatis defenditur; cur nõ potius ab originali, quod facit irę filiũ & prędã dæmonis? Hoc argumentũ apud me magni eſt momenti, neq; noui quomodò à contrariã ſententiam tenentibus benè diſſolui poſſit.

Altera ſolutio egregiam continens Auguſtini regulam de peccato originali, qua deducitur virginẽ matrem ab eo immunem fuiſſe.

D. Tho. 3. *p. q.* 27. *ar.* 4. *& alibi.*
Epheſ. 2.

Sequitur. *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* In Græcis codicibus non legimus, iniuſtè, ſed iuſtè & ſine illo pronomine, Se. Vt ſit ſenſus. Tradebat, & commẽdabat, ſupple, Se vel cauſam ſuam, vel vindictam ipſam, vt alii interpretantur, illi, qui iuſtè iudicat, id eſt, Patri ſuo, vt alibi dixit: *Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.* Paulinus a. in epiſtola quadã cũ Gloſſa interlin. & cũ Didymo legit. *Tradebat ſe ad mortẽ iudicãti iniuſtè pro peccatis populi. Et peccata noſtra ipſe pertulit*

Ad ſecundum dub. De lectione huius loci: Tradebat a. iudicanti ſe iniuſtè.

1 *Pet.* 1.
Ioan 18.
Paulin. epiſt. 2. *propè finem*
Gloſſ. interlin.

in corpo-

Gloſ interlin.

in corpore ſuo ſuper lignum. Id eſt: Supplicia peccatis noſtris debita, ipſe tanquam victima quædam expianda crucis ſuæ ſupplicio portauit. *Vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus*, in eodem caſu ponitur.

Crucis ac mortis Chriſti meritum.

Vt intelligamus, mortem Chriſti hoc promeritam fuiſſe apud Deum, vt peccata amplius in nobis non viuant, nec nos illis viuamus, ſed vt iuſtitia viuat, & regnet in nobis, vel nos in illa viuamus, & regnemus. *Cuius liuore ſanati eſtis.* Ad ſeruos, quibus hæc traditur doctrina, & ad omnes Chriſtianos vertit ſermonem.

Liuor Chriſti quid.

Liuor autem, eſt vibex, & cicatrix ex vulneribus, & flagellis in carne illa ſacroſancta relictis, vt in illorum contemplatione nos ſpem ſalutis æternæ concipiamus. Nam præceſſerat in Propheta: Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Et hæc omnia ſunt veſtiſtigia Chriſti à nobis ſequenda. Non enim de Deitate ſua, vel anima, vel cogitationib. internis eſt ſermo, quia alta ſunt, & ſub aſpectum non cadunt.

Ad duodecimam, & vltimam quæſtionem.

Iudæos Petrus cur aſſerat fuiſſe ſicut oues errantes.

Ad poſtremum ſubdit: *Eratis enim oues errantes: ſed conuerſi eſtis ad paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Vtitur ſimilitudine paſtoris, à quo aberrantes oues pereunt, & in luporum fauces incidunt: at qui Chriſtum amplectuntur, ad paſtorem ſuum reuertuntur, qui ſolus poteſt eas à beſtiis defendere, & paſcuis ſatiare. Eſt etiam Chriſtus Epiſcopus Chriſtus Epiſcopus, & curator, noſtris commodis inuigilans; reliqui verò, etiam ipſe Petrus, & ſucceſſores eius, ſub Chriſto, vicarii paſtores, & Epiſcopi ſunt: & vt iſti externa curant, atque de illis ouibus proſpiciunt verbo, Sacramento, exemplo, ſacrificio; ita ipſe Chriſtus, qui ſemper viuit, & regnat, prouidet de lumine, & gratia, & paſtu ſpirituali, quò poſſint ad vitam æternam peruenire.

Chriſtus qualis Epiſcopus & pater noſter.

DISPVTATIO V.

In verba tertii Capitis prioris Epiſtolæ B. Petri: *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt etſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant. Conſiderantes in timore ſanctam cõuerſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples, &* reliqua vſque ad illud, *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit, &c.*

IN Hoc capite quædam ſunt aperta, & plana; alia verò difficilia, & obſcura valde. Verùm pulſandum eſt ad lucis totius autorem Spiritum ſanctum, qui omnia penetrat Dei myſteria, & inuoluta quælibet & impedita reſerare ſolet. *1 Cor. 10.* Primùm ergò dubitandum eſt de ſcopo, & conſonantia horum cum præcedentibus verbis. Prima dubitatio. Deinde Grammatica primæ ſententiæ, quæ intricata videtur, explicanda eſt, & de moderatione Chriſtianis fœminis ſeruanda in veſtitu, & cultu, ne Deum, aut proximum offendant, differendum. Secunda. Tertiò quomodò mulieres filiæ Saræ dicantur, an ratione Abrahæ, qui eſt pater omnium credentium, an ratione Saræ vxoris eius, an ratione vtriuſque, & quid eſt, quod ait: *Benefacientes, & nõ pertimentes vllam perturbationem*, & quænam eſt hæc perturbatio, quæ Græco vocabulo dicitur πτόησις. Tertia. *Rom. 4.* Quartò quæritur, quomodo debent viri cum vxoribus conuerſari: *vt non impediantur*, inquit, *orationes veſtræ*: & quis eſt ille honor, quem impertiri debent vxoribus, tanquam infirmiori vaſculo. Quarta. Quintò, quia videmus bonos, & in fama, & in corpore, & in anima multa perpeti. Quinta. Sextò, qui ſint illi, qui debent eſſe parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti ſe de ſpe, & fide: non enim hoc omnium eſſe videtur: & ad docendum de rebus fidei, apti, ac idonei ſunt pauciſſimi. Sexta. Septimò, qua ratione dicitur Chriſtus pro iniuſtis mortuus: quo modo etiam legendum ſit, in pluraline: Mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu; an verò in caſu Nominandi, & in ſingulari numero, mortificatus, & viuificatus. Septima. Octauò, ingens & perplexum dubium eſt de verborum illorum ſenſu: In quo & iis, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens, prædicauit, Qui increduli fuerant aliquando, &c. Octaua. In quo etiam multa dubitatione digna veniunt, Primum, ad quid refertur illud, In quo, & qui erant illi ſpiritus, qui in carcere erant, & quo modo veniens ad illos Ieſus, prædicauit, Quo modo etiam increduli fuerant, aliquando, qui expectabant patientiam Noe; atque ita in hoc dubio multa alia inuoluuntur, nec leuis momenti. *Gen. 6.*

Nonò quæritur, quid ſit, quod ait: *Quod & vos nunc ſimilis forma ſaluos facit baptiſma*, vel, vt Græca habent, *Cuius figuræ nunc reſpondens baptiſmus, nos quoque ſaluos reddit.* Et quia verbum Græcum eſt ἀντίτυπον, Nona.

expedit huius vocis,quæ frequens eſt apud Patres , proprietatem diligenter explicare , ne hæretica autoritate fucus vllus illi ſubeſſe poſſit. Quid item eſt illa carnis depoſitio ſordium, quam opponit Petrus, cùm ait : *Sed bonæ conſcientiæ interrogatio in Deum* , ſiue vt alii legunt,ſtipulatio, *Per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextera Dei, &c.* Quæ quidem poſtrema tria dubia non hac , ſed poſteriori diſputatione abſoluemus.

Solutio I. quæſtionis. De ſcopo,& inſtituto.

Ad primum reſpondemus, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros ſummam diligentiam adhibuiſſe in commendanda mulierum pudicitia , earumque honeſto , ac modeſto veſtitu retinendo : quod apparet tum ex virginibus,tum ex viduis , & coniugatis. Nam ad virginitatem à Chriſto inſtitutam amplectendam hortati ſunt, vt Paulus : Ad honeſtum viduarum inſtitutum retinendum, ac conſeruandum, ſeptem Diaconos præfecerunt Apoſtoli, quos inter primus fuit Stephanus. Ad eas verò , quæ cum viris matrimonio iunctæ erant,in ſuſcepto Chriſtianæ vitę ſtatu retinendas,multa in ſacris , & canonicis libris ad earum documentum ſpectantia tradita ſunt; & circa earum cultum , & veſtitum, & mutuum cum maritis conuictum , pleraque ſalutaria conſilia, ac præſertim per Clementem in Apoſtolicis diataxibus eleganter,accurateque conſcripta. Sicut tamen Apoſtolis detrahebatur, quòd docerent plebem ſuis principibus, & ſeruos dominis ſuis obedire non debere: ita vulgus ſpargebat, inter viros, & vxores concedere diuortia : atque hæc calumnia tanto veriſimilior apparebat, quanto nolebant mulieres Chriſtianæ abominabiles, & legi naturę contrarias Gentilium maritorum libidines perpeti : vt ex Iuſtino docuit Euſebius lib.4.cap.16.Hiſtoriæ Eccleſ. Ex paſſione etiam Beat. Petri, quæ Lini nomine circumfertur, narratur, aliquas Neronis concubinas , cùm ad Fidem, & Baptiſmum veniſſent , ab impuro cum eo congreſſu ex Beat. Petri præcepto abſtinuiſſe: quod etiam Simeon Metaphraſtes in vita Apoſtolorum Petri , & Pauli recenſet. Chryſoſtomus verò lib 1.contra vituperatores vitæ monaſticæ , refert , Paulum pellicem Neronis, quam deperibat , ac in deliciis habebat , conuerſam ad Chriſtum,à Neronis amicitia ab alienaſſe : ac proinde Neronem , Paulum corruptorem , nebulonem, & flagitioſum vocitaſſe, & in vincula conieciſſe , & poſteà popoſciſſe ab eo , vt puellæ huiuſmodi conſilia,& monita dare deſineret : quod cùm à Paulo impetrare non potuiſſet, tandem eum enecaſſe.Hæc, & ſimilia ille narrat. Prætereà Paulus in vna ex illis Epiſtolis ad Senecam teſtatur, Dominam Neronis ſibi indignatam : & vocat, dominam, meretricem , & pellicem ,ſicut etiam hodie meretrix ita vocari conſueuit. Nec mirum , hos Apoſtolos ob commendandam nobis pudicitiam , à & turpi congreſſu homines reuocandos,extinctos fuiſſe.Inuenies enim in primis Matthæum Iphigeniæ Regis filiæ virginitatem perſuaſiſſe , & ob id in altari ſacra operantem interfectum fuiſſe : ſicut & Ioannem Baptiſtam , eo quòd Herodi diceret , *Non licet tibi habere* (Herodiadem) *vxorem fratris tui*, Herodiadis odium ſibi conflaſſe,atque eius opera tandem decollatum. Lucas etiam in Actibus commemorat , Felicem Iudææ præſidem diſputante Paulo de iuſtitia , & caſtitate , & de iudicio futuro , tremefactum fuiſſe. Et certè apud Felicem non de virginitate , ſed de ea caſtitate , quæ coniugibus neceſſaria eſt ad ſalutem,contra peccata non nominanda diſſerebat.

1.Cor.7. Act.6. — Cle. Rom. — Chriſtiani coniuges quã calumniam olim ab Ethnicis ſuſtinerẽ. — Euſeb. — Egregium Petri facinus ex B.Lino. — Simeon Metaphraſt. — B.Chryſ.to 3 — Nero cur Paulum morti addixit teſte Chryſoſtomo. — Apoſtolorum ſanctæ, caſtæ occupationes. — Marc 6. — Actor.24.

Alterum Petri Apoſtoli præclarum facinus ex eodem Lino.

In prędicto etiam Lini libro habetur , Petrum pudicitiæ prædicatione , quatuor Agrippæ præfecti concubinas , & Albini cuiuſdam vxorem à toro eius ſeparaſſe: & Agrippam ei dixiſſe: *Multa tibi fiducia eſt, ô ſcelerate,in plebibus,quas circumuenis, & in fœminis ,quæ tua perſuaſione à maritali toro diſcedunt.*

Cur Petrus vxores ad virorum ſuorũ obedientiam adhortetur. Gen.3.

Cum ergo ſuperiùs Petrus ad alias Gentilium calumnias reſpondiſſet ; nunc ad illam de vxoribus maritis ſuis obedire recuſantibus , conuenienter reſpondens, præceptum tradit : *Similiter & mulieres*, inquit,ſiue potius vxores, *ſubditæ ſint viris ſuis*. Nec enim alias mulieres mariti,quam proprias ſubditas habere debent. Ita enim olim Dominus mandauit , etiam in pœnam peccati, dicens, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Deinde quia caput vxoris vir eſt : de qua ſubiectione legat qui volet Clementem lib. 1. Diataxeôn, cap. 9. Nam etiam mulier ante peccatum viro ſubdita fuiſſet, vt imperfectum ſubditur perfecto. Et debent bonæ etiam, & honeſtæ, obedire infidelibus viris , ſi tamen ad peccatum non cogant , aut habitare nolint, niſi (vt dicitur) cum contumelia Creatoris. *Vt etſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant.* Nam ſanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem , vt Paulus dixit; & è contrario mulier infidelis per virum fidelem: tanta eſt vis , & potentia bonę vitæ. Vnde quidam Ethnicus di-

1.Cor.11. Clemens Rom. — 1.Cor.7.

xit: *Caſta ad virum matrona, parendo imperat.*

Quæ mulier parendo imperet, vt quidam dixit.

Conſiderantes in timore (ſiue reuerentia) *ſanctam* (vel vt Græcè dicitur, *caſtam*) *conuerſationem veſtram.* Quæ nimirum eſt tacitum quoddam, ſed potens, & efficax verbum ac præceptum Dei, ad excitandum quendam reuerentię timorem efficaciſſimum. Ac tales mulieres quę ſic viuunt, neſcio quid diuini præſeferunt, & legem Dei ſcriptam in cordibus ſuis oſtendunt, quia plus permouent exempla, quàm verba.

Exemplorum vis.

Ad II. dub. de ordinatione ſententiæ.

Vt ſecundum dubium diluamus, Grammatica, vt diximus, expendenda eſt, quia prima facie dura videtur, cum ait: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, &c.* Vbi primò aduerte, vocem, cultus, Nominandi caſum eſſe, non Gignendi; Græcè enim habetur κόσμος. Vt ſenſus ſit: Mulierum ornatus non ſit externus, & ſitus in criſpatura, & artificioſa capillorum compoſitione, aût auri, gemmarumq́ue, & monilium, ad caput, collum, brachia, & digitos exornandos: neque in fulgido purpuræ amictu, ac pectoris ornamento, quæ ad malum ſæpè ſolent allicere. Nam ita Græca ad literam habent: *Quarum non ſit in externa capillorum plicatura, aut in appoſitione auri, ac veſtium amictus, ſiue cultus.* Eſt autem plicatura capillorum, affectata in mulieribus capillorum complicatio, & ornatus, quo inſtar retis complicant capillos ad capiendos homines: Auri appoſitio, ſunt inaures, monilia, torques, annuli.

Cur ſe mulieres ornent.

Quis ille abſconditus cordis homo, & quomodo is ornetur.

Sed qui abſconditus eſt cordis homo. Id eſt: Ille homo cordis occultus, qui eſt hominis animus. *In incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Significat: Ornetur per ſpiritum manſuetudinis, modeſtiæ, & quietis animi: quæ ſunt incorruptibilia ornamenta. *Qui* (ſpiritus) *eſt in conſpectu Dei locuples, vel opulentus.* Hoc eſt: etſi hic ſpiritus exornans animum hominis, vilis habeatur, & abiectus à mortalibus; tamen coram Deo ſplendidus, & magnificus eſt. Et inſinuat, aurum, & veſtes pretioſas corruptibilia eſſe, & veteraſcentia: at interior, & inuiſibilis cultus cum immortalitate coniunctus eſt, & cum quieto, & tacito, atque modeſto ſpiritu.

Sententia B. Cypriani de his verbis Petri Apoſtoli.

Cyprianus autem lib. De Habitu Virginum, putat, Petrum hic, & Paulum 1. Timot. 2. præſcribere modum ornatus mulierum, quæ Chriſtum profitentur: quòd in hac re mulieres excedere ſoleant, vt non ſit moderatus ad eccleſiaſticam diſciplinam. Nam mulieres excuſare cultum ſuum ſolent propter maritos, quanto magis id obſeruare debent virgines, quibus nulla ornatus ſui competit venia, nec in alterum mendacium culpæ deriuari poteſt, ſed ſolæ ipſæ in crimine ſunt? Non tamen abſolutè prohibet Petrus vxores coniugibus ſuis ornari. Ait enim Auguſtinus. *Nolo de ornamentis auri, vel veſtis præpoperam habeas in prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitent, quæ ſunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, niſi quòd capillos nudare feminas (quas etiam caput velare Apoſtolus iubet) nec maritatas decet. Fucari autem figmentis, quò vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt, qua non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendæ ſunt fœminæ ornari, ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium. Nam verus ornatus, maximè Chriſtianorum, & Chriſtianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, veſtiſq́ pompa, ſed mores boni ſunt.* Hæc ille, verè, & Chriſtianè loquens. Ex his ergò Patrum dictis conſtat, quod virginibus, & viduis nubere nolentibus, illicitum ſit ornatus ſtudium; quibus tamen munda, & decens veſtis permittitur. Hieronymus lib. 1. Aduerſus Pelagianos. *Vbique,* inquit, *ô Pelagi, mediocria* ὑπερβολικῶς *tranſeas, & magna ſectteris. Vnde adiungis, gloriam veſtium, & ornamentorum Deo eſſe contrariam. Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem; ſi Epiſcopus, presbyter, & diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint? Cauete clerici, cauete monachi, viduæ, & virgines, periclitamini, niſi ſordidas vos, atque pannoſas vulgus aſpexerit.*

Egregia de mulieb. ornatu Auguſtini doctrina.

B. Aug. Epiſ. 73. tom 2.

1. Cor. 7. Ibidem. 33.

Infra 11.

De Conſec. Diſt. 5. Fucari.

Verus ornatus Chriſtianorũ coniugum.

Hieron. inter med. & finem libri tom. 2.

Refellit Pelagium Hieronymus, nullum veſtium ornatum qui dicebat Chriſtianos decere.

Deinde diſcimus ex Auguſtini verbis, quòd mendax fucus omnibus ſit illicitus: nam qui faciem ſuam fucant, Iezabel em imitantur, & propheticſſas, de quibus lib. 5. Eccleſ. hiſtoriæ capit. 18. Euſebius Cæſarien. Non eſt tamen exiſtimandum, ſe fucare illam, quæ inſignem aliquam deformitatem, vel maculam, vel vſtionem contegit; aut ſi anhelitus vitio aromate aliquo occurat. Tertio colligimus, quod ſolis maritorum oculis ornari fœminis liceat. Quæ ergò ſe ornant, vt aliorum in ſe concupiſcentiam prouocent, grauiter peccant: quas Eſaias cap. 3. acerbè reprehendit, & Cyprianus lib. de Habitu Virginum. Quartò habemus, quod ornamenta coniugium moderata, & honeſta eſſe debent. Quis verò ſit exceſſus dicendus, conſule Auguſtinum libro 3. de Doct. Chriſt.

Fucus illicitus quis atq; damnabilis.

4. Reg. 9. Euſeb.

Quorum gratia mulieres debent ſe ornare tantummodo.

B. Cyprian. Auguſt. to. 3. Baſil.

Chriſt.capit. 12. 13. & 14. & Baſilium in Moral.cap.5.Regu. Vtriuſque verò Apoſtoli verborum ſenſum coniungit, dicens, nullo modo debere mulieres nimis exquiſitè in ornando corpore elegantiæ ſtudere.

De ornatu,cultuq; corporis, quæ duæ ſententiæ fugiendæ ſint.

In ornatu ergò, & cultu corporis duplex,& extrema poteſt eſſe ſententia. Quidam enim aut nullum eſſe, aut leue peccatum arbitrantur. Contra quos ſunt Petri & Pauli ſententiæ prædictæ, & verba Tertulliani lib.de cultu fœminarum, & Cypriani lib.de Habitu Virg. & Baſilij. Altera verò extrema ſententia eſt eorum, qui de omni minima re ornatus gratia facta, vel ſuperflua, confeſtim mortifera delicta eſſe definiunt: vt ſunt religioſi quidam,qui ſcrupulis & ſe ipſos,& alios cruciant, & inuoluũt. Medium autem inter has ſententias tenendum eſſe videtur,quod Auguſtinus dixit in præcitata ſententia.

Petri, & Pauli de moderato fœminarum cultu leges traditas ad omnes omnium temporum ſtatus pertinere, contra Caietanum.

Miratus autem ſum,quòd quidam ex recentioribus ſcripſit, illa præcepta Pauli & Petri data eſſe primitiuæ tantum Eccleſiæ, in qua abdicabant à ſe omnia lenocinia mulieres Chriſti cultrices. Sed certè Paulus ad omnis temporis, ſtatus, & gradus ſcripſit fœminas,& non ad Reginas,aut ſublimiores perſonas tantum: quæ etiam pro modo ſuo ſobriæ,& ornatæ eſſe debent: & maximè hoc vitio mulieres laborabant,quando ad templum veniebant deprecandi Deum gratia: tunc enim oporteret maximè vlcera more mendicorum oſtentare. Mulieres etiam ſæpè ſuis viris imponunt, mentientes quòd in eorum gratiam ornentur,non conſiderantes procorum oculos multorum in illas conijci; vt ita templa,porcorum grunnientium theatra reddantur.

Solutio dub. III.
De modo,quo mulieres Chriſtianæ filiæ ſunt Saræ vxoris Abrahæ.
Geneſ.18.
Saræ in virum ſuum Abraham reuerentia.

Ad tertium dubium reſpondeamus in illud; *Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe ſubiectæ proprijs viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius eſtis filiæ benefacientes.* Probat moderatum ornatum in mulieribus exemplo ſanctarum mulierum per obedientiam, quam præſtabant viris ſuis.Nam Sara vxor Abrahæ non ſine magna reuerentia virum ſuum dominum vocabat. Sic enim dixit: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt (ſcilicet centenarius) voluptati operam dabo? Et ita agnoſcebat virum caput, & rectorem,ex magna reuerentia. Alioqui vxor propriè loquendo, non eſt ancilla mariti, nec vir dominus eius, ſed vtrique ſocij, & coadiutores in matrimonio. Vnde mulier de latere viri formata eſt, vt ponderat Auguſt.lib.12.de Trinit.ca.25. & idem tradit Apoſtolus Epheſ.5.

Supra 2.
Aug.tom 3.

Rom.4.

Subdit: *Cuius eſtis filiæ bene facientes.* Fideles in Chriſto filij ſunt Abrahæ,qui eſt pater omnium credentium: ita mulieres bonæ omnes filiæ ſunt Saræ; nam Græcus articus ἧς,id eſt, cuius, Genitiuus eſt fœmininus; & ideò ad Saram refertur. Additque: Bene facientes. Cùm ſcilicet obediunt verbo maritis ſuis. *Non pertimentes vllam perturbationem.* Græca vox eſt πτόησις quaſi dicat,Nullo pauore perterritæ,ne que vllas minas,aut terriculamenta metuentes. Sed huius vocis aliam ſignificationem quidam adferunt: aiunt, enim πτόησιν eſſe nimium ardorem libidinis in fœminis. Et ita Ariſtoteles l.b.4. de Generat. animal. colligit, fœminas poſt multos partus tandem liberari ab hoc ardore. Animo enim conſternatur mulier, cùm ſuffocationes vuluæ coarguunt. Et ita docet,rectè facientes,nullam ardentem libidinem metuere debere, cùm gratia Dei illis præſtet id, quod poſt multos partus natura fœminis concedit.

Mulieres obedientis viris ſuis, quam nõ timeant perturbationem.
Philoſophus.

Ad IIII dub. Quem honorem viri impertiant vxoribus ſuis tanquà infirmiori vaſculo

Vnde & conſequenter ſequitur, de quo quarto loco dubitatum fuit, *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundùm ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, vt non impediantur orationes veſtræ.* Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouin. & Beda, interpretantur, hunc honorem eſſe, aut continentiam ab actu coniugali, aut vſum moderatum. Et ideò ſubiunxit illud: *Vt non impediantur orationes veſtræ.* Ait autem, cohabitare viros ſecundùm ſcientiam; id eſt, ſecundùm eam vitæ ſanctæ formam, quam ſcientia dictat obſeruandam: maximè cùm virorum munus ſit,docere, & regere vxores, & caſtitatis exemplo illis præire. Cùm igitur ſciant viri,mulierem infirmum eſſe vaſculum,debent illi abundantiorem honorem præſtare. Quod dicitur; *Ne quid illis deſit ad ſubſidium*,vt materfamiliàs, & domina domus agnoſcatur.

Hiero tom. 2.
Beda tom 5.

Virorum officium.

Vxores quo modo cohæredes viris ſint gratiæ vitæ.
Hieron lib 1. in Iouin.

Subdit: *Tanquam cohæredibus gratiæ vitæ*, vel, vt Hieronymus legit, *cohæredibus multiplicis gratiæ.* Quaſi dicat; ſi illis ſimul cum viris dignatur Deus dare gratiam, quæ parit veram vitam, vt in illa gratia ſint cohæredes: cur dedignabitur vir habere illam in honore vt ſociam, & ſimul dominam domus, ſine qua familiæ, & domus ipſæ non veniunt? At verò commixtio carnalis impedimentum præſtat attentæ orationi,vt etiam in prima ad Corinth. Epiſtola dixit Paulus. Ac ſolent mulieres præ viris caſtitati ſtudere, & Petrus ideò præcipit, vt viri in hac parte nonnulli vxoribus deferant; quod probat: quia vir ſuperior eſt, ac fortior, mulier autem

1 Cor 7.
Vxores viris ferè continentiores.

infirmi

infirmior; & ideo magis illis compatiendum; & quia etiam mulieres debent contendere peruenire ad vitam æternam.

Horũ verborum Dauidis explicatio: Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, &c

In fide autem omnes vnanimes, compatientes, &c. ſignificat; Quod supereſt, vel, in ſumma. Et repetit eaſdem ſententias morales, vt quanti faciendæ à nobis ſint, intelligamus. Et Dauidis verba vſurpat ex Pſalmo 33. quo auditores libentius ferant exhortationem. *Qui enim*, inquit, *vult vitam diligere* (cœleſtẽ ſcilicet, & beatam) *& dies videre bonos.* Id eſt, æternos, qui expectantur in præmium. Et boni ſunt, vt indicat Clemens Alex.

Clem. Alex

Coerceat linguam ſuam à malo, &c. Vult dicere; Prohibeat linguam ſuam ab omni maledicentia à dolo & turpi verbo. *Declinet à malo.* Hoc eſt, à mali occaſione, vel à malorũ ſocietate, vel improba vitę conſuetudine. *Et faciat bonum.* Quia omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.

Matth. 3.

Inquirat pacem, Nimirũ cum Deo, ex qua orietur & pax cum proximo, vt ad eam, quæ ſola eſt in cœlo vera pax, perueniat. *Et ſequatur* (vt Propheta dixit, *Perſequatur eam*) Nimirum quia fugit, & omnes illam nobis eripere conantur. Reliqua prætermitto, quia facilia ſunt.

Solut. dubitationis V. Vt nihil noceat amantibus boni.

Ad quintum in illud; *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Græca litera loco boni, habet, bonitatis, nam dicitur: Μίμηται τοῦ ἀγαθοῦ. Et nemo nobis poteſt nocere, quia nemo læditur niſi tantũ a ſeipſo, vt magnus probat Chryſoſtomus.

Chryſ. to. 5.

Zeli ſi ergo virtutis, liberalitatis, & beneficentiæ ſtudioſi cum à cunctis diligantur, & in veneratione habeantur, non ſolent quicquam detrimenti, & incommodi ab alijs accipere. *Quod ſi quid patimini propter iuſtitiã, beati.*

Petro ſolenne eſt Scripturæ teſtimonia tacito eorum autore proferre

Sicut ſuperius, ſuppreſſo nomine Dauidis, protulit tot verſiculos: ita hic ſuppreſſo nomine Chriſti, citat eius ſententiam: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.

Matth. 5

Timere timore perſecutorũ quid.

Subdit: *Timorem autem eorum ne timeatis, vt non côturbemini.* Id eſt: Ne metuatis malefacientes id eſt, vos perſequentes, quaſi bonum veſtrum à vobis tollere valeant. Nam vt maxime demus illis in corpus noſtrum poſſe: animam tamen non poſſunt occidere.

Infra 10.

Poſſumus & timorem interpretari minas, & perſecutiones eorum, quia timorem paſſiue accipit pro illo, quo ipſi fideles perſequentes timebant. Sicut etiam illud intelligitur: Vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, quem ipſi ſcilicet Apoſtoli de Iudæis conceperant.

Ioan. 20.

Hæc autem verba deſumpta ſunt ex Eſaiæ capit. 8. quem etiam Petrus ſuppreſſit, vt ſolet. *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris.* Quæ verba etiam videntur eſſe Eſaiæ, qui poſtquam dixerat: *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis,* continuo ſubdit: *Dominum exercituũ ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter, &c.* quẽ locum etiam explicauit; nam quem Eſaias dixit Dominum exercituum, Petrus declarat eſſe Chriſtum; & quod ait, *Sanctificate*, expreſſit Petrus, dicens: *Sanctificate in cordibus veſtris*, quia fide, & dilectione præcipue Chriſtus eſt ſanctificandus: nam externa ſanctificatio citra internam prodeſt prorſus parum aut nihil, cum dicat Dominus, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Et vere ſanctus eſt, qui Chriſtum ſanctificat.

Chriſtum Dominũ vti ſanctificare debeamus.

Infra 29. Matth. 15.

Soluitur. VI. dubitatio De iis, qui parati eſſe debẽt ad ſatisfaciendum omni de fide poſcẽti.

Sextum fuit dubium circa illud: *Parati ſemper ad ſatisfactionem ſiue, ad reſpondendũ omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe, & fide.* Græca vox eſt ἀπολογία, quæ ſignificat defenſionem, vel reſponſionem, vel ſatisfactionem. In Græco etiam deeſt verbum fides, ſed ſupplendum eſt. Atque hoc in primis præceptum non omnibus competit, ſed quibuſdam, etiam laicis ex dono Dei, qui nouerunt de fide propoſitis quæſtionibus reſpondere. Alioquin ad Epiſcopos, Prædicatores, & Sacerdotes ſpectat, quoniam, vt Oecumenius ait, Gentiles ſpem Chriſtianorum vanam eſſe dicebãt, ideo meditatas reſponſiones in promptu habere debebant ad refellendas eorũ calumnias conuenientes, vt: Hęc ſunt a Prophetis prædicta, miraculis tot ac tantis confirmata; nihil Deo impoſſibile in ipſa rerum natura: Eccleſia tot ſeculorum hoc ipſum credidit: vita ſancta eorum, qui hæc ipſa credebant, maxime præfulgebat.

Oecumen.

Altera ſolutio.

Vel dicendum eſt, in Eccleſia primitiua omnes fere prædicatores extitiſſe, quia gratiam Spiritus ſancti, ac donum linguarum acceperant, & erant per diuerſa loca diſperſi, vt fidem illam in alios ſpargerent, & propagarent.

Act. 2.

Tertia.

Vel denique hæc verba ad eos tantum ſunt referenda, qui id, quod præcipitur, præſtare poſſint, vt cum Ioannes 1. Epiſtolæ capite 4. ait: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*, non omnes alloquitur. Eodem tendit illud; *Omnia probate: quod bonum eſt, tenete.* Apoſtolus etiam in priori ad Corinthios Epiſtola, hoc donum non omnium eſſe tradit, ſed quorundam tantum.

1. Theſſ. 5.

1. Cor. 12.

Non ergo hic docet Apoſtolus, vt om-

nes

Hic hære tici refel luntur omnibus in Eccleſia conceden tes docto ris officiū. Supra 3. Heb.5. Tit.1. Augu to.3.

nes Chriſtiani, tam viri, quam fœminæ, ſint Theologi, vt de ſublimibus Fidei articulis acute diſputare valeant:&in Eccleſia ſunt multi, qui non ſunt ſolidi cibi capaces, nec exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni,& mali. Paulus quoq; in Epiſtola Titum docet, Epiſcopi eſſe munus, vt poſſit in doctrina ſana Chriſtianos hortari, & eos qui contradicunt arguere. Vnde Auguſtinus lib. 14. de Trinit. cap. 1. *De qua* (ſcilicet ſapientia) *volumine. 13. diſputaui, non vtique quicquid ſciri ab homine poteſt in rebus humanis vbi plurimum ſuperuacuæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, huic ſcientiæ tribuens, ſed illud tantummodo, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur: qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide plurimum. Aliud eſt enim ſcire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ nonniſi æterna eſt: aliud autem ſcire quemadmodum hoc ipſum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo ſcientiam videtur Apoſtolus.* Hæc ille.

Clem. lib. 2. Recognit. circa finem. Egregia B. Petri doctrina de Fide humanæ rationis ſubſidia minime reſpuente.

Illud etiam verum eſt, B. Petrum lib. 1. Recognit. tradidiſſe, optimum eſſe non tantum fide apprehendere myſteria, quæ in Scripturis continentur, ſed etiam rationem aliquam habere ad confirmanda illa. Verba Petri hæc ſunt. *Noli,* inquit, *putare nos, quod ex fide ſola recipienda eſſe dicamus, ſed ex ratione adſerenda. Neque enim tutum eſt nuda hæc fidei, abſque ratione committere, cum vtique veritas ratione non careat. Et ideo qui hæc ratione munita ſuſceperit, perdere eam nunquam poteſt: qui vero abſque aſſertionibus ea ſuſcipit ſimplicis ſermonis aſſenſu, neq; ſeruare ea tuto poteſt, neque, ſi vera ſint, certus eſt: quia qui facile credit, facile & recedit: qui autem rationem quæſiuit eorū, quæ credidit, & accepit, quaſi vinculis quibuſdam rationis ipſius colligatus, nunquam ab his quæ credidit, diuelli aut ſeparari poteſt. Et ideo quanto quis propenſior fuerit, in expetenda ratione, tanto erit firmior in conſeruanda fide.* Sic Petrus diſputās contra Simonem Magum. Beda interpretatur: *Duobus modis de ſpe, & fide noſtra rationem poſcentibus reddere debemus: vt & iuſtas ſpei, ac fidei noſtræ cauſas omnibus intimemus, ſiue fideliter, ſiue infideliter quærentibus, & ipſam fidei, ac ſpei noſtræ profeſſionem illibatam ſemper teneamus, etiam inter preſſuras aduerſantium, oſtendentes per patientiam quam rationabiliter eam ſeruandam didicerimus, pro cuius amore nec aduerſa pati, nec mortē ſubire formidemus.* Obiicies, Chriſtum dixiſſe. *Ponite in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis: quæ nimirum præmeditatio ex diffidētia oritur.*

De ſpe, & fide noſtra rationem poſcentibus reddere poſſumus dupliciter.

Quo ſēſu cōtrarium Chriſtus aliquādo docuerit ſecundum Oecumenium.

Luc. 21. Matth. 10

Oecumenius reſpōdet, Dominum in Euangelio de martyrio locutum, Petrum autem de doctrina, extra cauſam tamen martyrij.

Arrogātia quib. ſubrepat: & quid ſit bona conſcientia.

Subdit textus: *Sed cum modeſtia, & timore, conſcientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt, &c.* Hoc eſt, ſine arrogātia, quæ ſurrepere ſolet ijs, qui poſſunt rationem reddere poſcentibus probatam vitam habere: & mali alicuius non ſitis vobis conſcij, quia mala conſcientia ſæpe naufragium circa Fidem acceſſit. Bona enim conſcientia eſt, puritas vitæ, quæ præparat hominem vt illuſtretur à Deo, iuxta illud; *Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi.* & reliq. Et Auguſtinus Epiſt. ad Probam. *Mihi videtur,* inquit, *plus valere in hac inquiſitione viuendi, quam loquendi modum. Nam qui didicerunt,* inquit, *à Domino Ieſu Chriſto mites eſſe, & humiles corde, plus cogitando, & orando proficiunt, quam legendo, & audiendo.* Hæc ille docte, & eleganter.

1. Tim. 1.

Pſalm. 118.

Aug. Epiſt. 121. in pri. tom. 2. Matth. 11.

Similior Chriſto patienti quis qui fiat.

Melius eſt enim, bene facientes (cum voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. Dixerat ſuperius beatos, qui propter iuſtitiam patiuntur, & patienter ferūt, quæ pro meritis patiuntur; impatienter autem, quæ pro immeritis infliguntur: ideo iterum oſtendit nobilius eſſe, indigna propter iuſtitiam perpeti, quam digna propter iniquitatem propriam ſupplicia, quia in eo ſimilis fit Chriſto, qui ſine vllo ſuo merito mortuus eſt: cuius exemplum ſupra retulit de ſeruis, & iterum modo replicat: *Quia & Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt,* ſcilicet condonandis & ſignificat Petrus ſe non ſatiari Dominicæ paſſionis commemoratione. Illud autem: *Cum voluntas Dei velit*: ob id ait, quia non ſemper permittit vt tyranni exterius ſæuiant in Chriſtianos: quod quoties ſinit fieri, facit ob eorum amorem, & ad ipſorum vtilitatem. Ipſi enim neſciunt an expediat affligi membra nec ne. Nomen autem voluntatis ſignificat Dei gratiam, & miſericordiam. Ita dixit Dauid, *& vita in voluntate eius*; & rurſus *Domine in volūtate tua præſtitiſti decori meo virtutem*: & iterum: *in hoc cognoui quoniam voluiſti me,* id eſt, dilexiſti me. Pro his verbis: *Cum voluntas Dei velit,* Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum, cap. 20. legit: *Spiritus Dei velit.* Spiritui namq; ſancto tribuuntur in Scripturis dona gratiæ, & miſericordiæ.

Quo Dei permiſſu tyranni ſæuiant, in pios.

Quid voluntas Dei hoc loco permittēs homines tyrannos. Pſalm. 29. Pſalm. 40. Aug. tom. 6 VdVIL. dubium. De ſenſu & lectione huius loci Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, &c.

Septimum iam dubium reſoluamus circa illud; *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus iuſtus eſt pro iniuſtis, vt nos of-*

ferret

ferret Deo, mortificatos quidẽ carne, viuificatos aũ ſpiritu. Senſus eſt: Vt nos offerret Deo ſicut hoſtias ſibi incorporatas, viuificatas ſpiritu, carne aũt ſua mortificatas. Vita etenim Spirit' nõ eſt ſine morte carnis, quę pugnat aduers' Spiritũ. Et tales hoſtias acceptat Spiritus, iuxta illud Pauli: *Obſecro vos, fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam,* & quæ ſequuntur.

Galat. 5.
Rom. 12.

Alia lectio eſt emendatior in Latinis codicibus, vt in Nominandi caſu dicamus *Mortificatus quidem carne, viuificatus ſpiritu,* quam ex Græcis ſequitur Epiphanius in Hæreſim Demeritarum, & Oecumenius hoc loco, & ante iſtos Clemens Alex. & Didymus inſinuat in fragmentis quæ extant in Epiſtolas Canonicas, Athanaſius quoque citatus hoc loco à Beda. Ex Latinis vero Hieronymus l.1. in Eſai. c. 54. & Aug. Epiſt. 59. Quia ergo dixerat Chriſtũ mortuum, declarat modum, *Mortificatus eſt*, inquit, *à Iudæis ex infirmitate carnis, ſed viuificatus eſt ſpiritu, quem Patri obtulit, vt poſſet victor, & triumphator glorioſus reſurgere.* Vel: Viuificatus tertia die à Spiritu ſancto, vt explicat Athanaſius hoc loco citatus à Beda, Oecumenius interpretatur: *Viuificatus Spiritu Diuinitatis.* Spiritus enim eſt Deus. Hæc autem lectio præſtare priori videtur, quia proximis ſequentibus verbis confirmatur, cum ait: *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit, &c.*

Epiphan. in Hæreſin. 77
Oecumen.
Clem. Alex
Athanaſ.
Beda.
Hier. tom. 5
Augu. to. 2.
Luca 23.
Ioan. 4.

DISPVTATIO VI.

In reliqua verba eiuſdem Capitis: *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus, veniẽs prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ, ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum,* & reliqua in finem Capitis.

HÆc Verba quia admodum impedita ſunt, & vehementer obſcura, in hunc locum expedienda ſeruauimus: nam obſcuritatem ipſamet verba primo aſpectu ſignificant, & enarratores huius loci, tam veteres Patres, quam recentiores, in varias diuiſi ſunt ſententias. Et Auguſtinus quidem Epiſtol. 99. vbi ſuam propoſuit ſententiam acutam, & ingenioſam, permittit tamen alijs aliter interpretari. Et in primis dubitamus, quorſum hæc verba tendant, & quomodo præcedentibus cohæreant. Verba etiam inueſtigabimus, rectene ſint interpretata, an ſecus. Poſtremo proponendi ſunt varij ſenſus, & de ſingulis illorum videndum, qua ratione illud quadrare poſſit; In quo & his qui in carcere erãt ſpiritibus, veniẽs prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe: quod ſumme difficile eſſe videtur, & in quo explicari queat.

Hinc ſternitur via ad ſolutionem octauæ quæſtionis
Auguſtinus

Scopus ergo ad verum ſenſum venandum, videtur fuiſſe, fideles ad iuſte, & ſancte viuendum exhortari, vt etiamſi perſecutionibus vexarentur, non confeſtim illis cedant, quia perſecutiones via ſunt ad ſalutem comparandam, & per illas Chriſtus probatus, & mortificatus carne, tandem per reſurrectionem viuificatus Spiritu fuit, & ita venturos omnes ad illam, ſi Chriſto ſe fideles, & morigeros præſtiterint. Et oſtenditur, Chriſtum viuificatum ſpiritu ex eo, quod extinctus venerit ad eos, qui in carcere erant, & operam viuis illis præſtitit prædicando. Vnde illud verbum: In quo, vel, per quem, quod Græce eſt ἐφ' ᾧ, refertur ad ſpiritum præcedentem vel vt Oecumenius admonet, rationem reddit, pro eo, quod eſt, ideo. Quaſi Petrus diceret, Chriſtus pro iniuſtis iuſtus mortuus eſt, non ſolum illis, qui poſt ſe fuerunt, ſed & iis, qui aduentum eius præceſſerunt: & deſcendit ad infernum, vt eis prædicaret. Hic videtur eſſe ſcopus, & connexio textus cum præcedentibus.

Quorſum hæc, quæ de Chriſti prædicatione ad ſpiritus qui erant in carcere, Petrus inducit.
Matth. 5.
Oecumen.

Iam circa literam aduerte, pro voce: Spiritibus veniens, falſo legi à nonnullis, Spiritu veniens. Tum quia Græca litera πνεύμασι legit in plurali, non in ſingulari πνεύματι. Deinde quia ſi in ſingulari erat legendum, ſatis ſuperius dixerat, In quo, ſcilicet, ſpiritu, qui proxime, & immediate præcedit. Puri etiam Textus Latini, & emendati *Spiritibus* habent, non *Spiritu*. Cum vero dixit interpres: *In carcere erant*, Græce non eſt illud ſubſtantiuũ, erant, vel, ſunt, vel exiſtentibus, etiamſi familiare ſit in huiuſcemodi verbum ſubſtantiuum ſupplere, quia tempus quo ſcripſit, per Prolepſim, ſiue Anticipationem ſpectauit.

Falſa lectio huius loci apud quoſdam.

Iam ad ſenſus accedendum. In primis fanatici quidam homines dixerunt, Chriſto deſcendente ad inferos, omnes

I. Senſus eorũ verborũ quẽ hæretici quidã ſecuti ſũt.

inde

Aug. n. 79. to. 6. initio Philaſt. lib. de hæreſ. Tit Hæreſis de Chriſti deſcenſu ad inferos in prin.

inde liberatos fuiſſe, vt docet Auguſtinus in li. de Hæreſi. ad Quoduultheum, quem ſenſum etiam inter Hæreſes refert Philaſter, cuius hæc ſunt verba: *Alij ſunt Hæretici, qui dicunt, Dominum in infernū deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem etiam ibidem renuntiaſſe, vt confitentes, ibidem ſaluarentur; cū hoc ſit contrarium dicenti Prophetæ Dauid: In inferno autem quis confitebitur tibi?* Hæc ille.

Pſalm. 6.

Auguſt. Beda. OEcumen. Greg. Rom Epipha. Hæreſi 46. Greg. Naz. orat. 42. in ordine.

Quem ſenſum etiam impugnant ex Patribus permulti, & præſertim Auguſtinus Epiſt. 99. & Venerab. Beda atque Oecumenius hoc loco, quemadmodum Gregorius l. 11. Regiſt. Epiſt. 179. Epiphanius quoq; in Hæreſin Tatiani, tum Gregorius Naz. in Orat. de Paſcha circa finem: *Si in infernum*, inquit, *Chriſtus deſcendat, ſimul deſcende, ea quoque myſteria cognoſce, quæ Chriſtus illic deſignauit: quod duplicis deſcenſus conſilium, quæ ratio fuerit? vtrum omnes ſine vlla exceptione aduentu ſuo ſaluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt.*

Oecum.

Hæc ille, cuius dictum interpretatur Oecumenius, dicens. *Per hoc quod ait* (Gregorius ſcilicet) *eos qui crediderint, ſignificat quod ſe ipſos ita præparauerant, quod ſi etiam tunc adueniſſet Chriſtus, credidiſſent.* Duplicis autem huius deſcenſus à Gregorio Nazian. facti, meminit Damaſcenus lib. 3. de fide Ortho. cap. 29. & poſtremo: *Chriſtus*, inquit, *& ijs qui crediderunt, factus eſt cauſa ſalutis æternæ, incredulis autem infidelitatis improperium, & redargutio: ſic & iis qui in inferno.* Atque ita hic ſenſus falſus excluſus eſt.

B. Ioan. Damaſce.

II. Senſus. eſt B. Auguſtini.

B. Augſtinus Epiſtola dicta. 99. ad Euodium, alium ſenſum ingenioſe produxit, dicens: Conſidera tamen ne forte totum illud, quod de concluſis in carcere ſpiritibus, qui in diebus Noe non crediderant, Petrus Apoſtolus dicit omnino ad inferos non pertineat, ſed ad illa ſola potius tempora, quorum formam ad hæc tempora tranſtulit. Illa quippe res geſta, forma fuerat futurorum, vt ij, qui modo non credunt Euangelio, dum in omnibus gentibus ædificatur Eccleſia, illis intelligantur eſſe ſimiles, qui tunc non crediderunt, cum fabricaretur arca. Illi autem qui crediderunt, & per baptiſmum ſalui fiunt, illis comparentur, qui tunc in eadem arca ſalui facti ſunt per aquam. Vnde ait: *Sic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos facit. Ad hanc igitur formæ ſimilitudinem, cætera etiam de incredulis coaptemus, & non ſuſpicemur, quod apud inferos ad faciendos fideles, atque liberandos, Euangelium prædicatum ſit, vel adhuc etiam prædicetur, quaſi & ibi ſit Eccleſia conſtituta.* Hæc ille, qui deinde interpretatur, Chriſtum veniſſe in ſpiritu, & non per ſe ipſum, & veniſſe tempore Noe (ſicut dicitur Ioannes Baptiſta veniſſe in ſpiritu, & virtute Eliæ) & prædicaſſe per ipſum Noe, quem alibi vocat octauum iuſtitiæ præconem, & per alios Prophetas & ipſam arcæ conſtructionem, inſtare diluuium, & interitum vniuerſæ carnis. Vocat etiam ſpiritus poſitos in carcere, allegorice, hoc eſt incluſos, in ſuis corporib⁹, iuxta illud: *Educ de cuſtodia animam meam*: & ſpiritus idem Auguſtinus Petrum tradit vocaſſe animas ignorantiæ tenebris incluſas per Synecdochen, vt ſpiritus pro toto homine ponatur, atque ita illis vere prædicatum fuiſſe, nec fidem apud illos inueniſſe.

2. Pet. 7.

Geneſ. 7.

Pſalm. 141.

Auguſtini regula ad intelligentiam Scripturarum. *Aug lib 3. de Doct. Chriſt. cap. 29. to. 3.*

Hic ſenſus plane allegoricus eſt, non literalis; excuſabilis tamen ob verá quandam regulam ab eodem Auguſtino propoſitam. Nam quando Scripturæ verba ſonant aliquod abſurdum, aut impoſſibile, docet, tunc eſſe à proprietate verborum recedendum, & intelligendum figuratam, vel tropicam eſſe locutionem. Et ita Auguſtinus cum videret per hæc verba proprie accepta impingi in dogma falſum, quod apud inferos ſalus eſſe poſſet, coactus fuit ad tropicas, & allegoricas interpretationes confugere.

Excutitur ſenſus Auguſtini.

Primo igitur vox Spiritus, maxime in plurali, non conſueuit accipi pro homine viuente, ſed poſt mortem. Vnde illud, *Spiritus vadens, & non rediens*; &, *Spiritus redit ad Deum, qui dedit illum*; & de Sadducæis Lucas teſtatur, quod dicerent non eſſe reſurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum; Paulus quoque *Spiritus*, inquit, *iuſtorum perfectorū*: & Chriſtus, *Spiritus carnem, & oſſa nō habet ſicut me videtis habere.* Ita etiam Angeli ſpiritus dicuntur in Scripturis, vt ibi: *Septem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt*: Sicut etiam ſpiritus immundi, & ſpiritus dæmoniorum dicuntur, quia nullo corpore, & materia conſtant. Ex quibus colligimus, ſpiritus abſolute non dici de viuentibus, ſed de mortuis. Vnde & cap. ſequenti repetens hanc prædicationem, ait: *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt.* Vbi ſpiritus in carcere exiſtentes aperte vocat mortuos pie viuentes, & non mortuos peccato, aut negligentes, & ocioſos, qui metaphorice dicuntur mortui. Tertio repugnat huic ſenſui quod carcerem interpretatur corpus; cum tamen, conſtet φυλακὴν præter quatuor partes noctis, ſiue cuſtodias, quæ eo nomine Græco veniūt in Euangelijs, nihil aliud ſignificare quā

Eccleſ. 12. Act. 13.

Heb. 12.

Luca 24.

Apoc. 1.

Nomē, ſpiritus, in plurali numero, vnde perſpicuū ſit pro homine tantum mortuo in Scripturis accipi ſolere.

carce-

carcerem : & φυλακίζειν, eſt in carcerem mittere, & Apoc.2. dicitur: Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini; Paulus quoque dixit: *Multos ſanctorum ego in carceribus incluſi*: & Petrus, *Tecum*, inquit, *paratus ſum in carcerem, & in mortem ire.* Eſt autem carcer, qui coercet & retinet in loco aliquem, ne pro voluntate illi egredi liceat. Vnde & Græca ſcholia hoc loco pro carcere interpretantur; Ἐν τῷ ᾅδῃ, id eſt, in inferno. Et quia in eo erant tum boni, tum mali, limbus erat, in cuius parte erant aliqui credentes, & in altera increduli. Vnde & Lazarus, vt habetur Luc.16. in eo conſolationem habebat cum Abraham; Zacharias eos vocat vinctos ſpei, emiſſos de lacu, in quo non eſt aqua. Vt appareat ex his locis manifeſtum mendacium Bezæ hoc loco negantis vllum eſſe limbum in Scripturis. Præterea deficit hic ſenſus ita cum Auguſtino interpretantium, quia ſemper in Scripturis prædicatio in bonam partem accipitur, vt illi, quibus prædicatur, fructũ aliquem ex illa percipiant. Nec eſt veriſimile, vt Chriſtus, cuius prædicatio, dum viueret, non fuit ſine fructu, hic dicatur prædicaſſe, & nullum fructum protuliſſe. Vnde & Caietanus in hunc locum declarat, Chriſti prædicationem fructuoſam extitiſſe apud inferos, quanquàm eius tenorem, aut qui potuerit fructuoſa eſſe, non explicat; eo poſito, quod increduli eſſent. Poſtremo huic ſenſui aduerſatur, quod per eam tolleretur certus locus deſcenſus ſpiritus, ſiue animę Chriſti ad inferos, què tamen Patres in hoc loco agnouerunt. Ait enim Athanaſius in Epiſt. ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, quem citat Epiphanius hęreſi 77. Dimeritarum: *Corpus Chriſti erat in monumento poſitũ quando ipſe iuit ad prædicandũ etiam ſpiritibus in carcere, vt Petrus dixit: id quod maxime oſtendit dementiam eorũ, qui dicunt in oſſa, & carnem mutatũ eſſe verbum. Si enim hoc eſſet, nõ fuiſſet opus monumento, ipſum enim iuiſſet per ſe ipſum corpus ad prædicandũ ſpiritibus in inferno. Nunc vero ipſum quidem verbum iuit ad prædicandum, corpus autem ſindone inuolutũ depoſuit Ioſeph à Golgotha.* Cyrillus etiam lib. de recta fide ad Theodoſium: *Anima*, inquit, *ad verbum copulam & vnionem ſortita deſcendit quidem in infernum. Diuina autem virtute, & poteſtate vtens, etiam ſpiritibus, qui illic erãt, apparuit. Enimuero & dicebat cõpeditis. Egredimini; & his qui in tenebris, Reuelamini. Et tale quiddam etiam Petrus, & diuinus Paulus dixiſſe videtur de verbo Dei, & anima ipſius ſecundum diſpenſatiuam vnionem. Deinde ſubiungit verba Petri vſq; ad illum locum: Qui increduli fuerant aliquando.* Reſpexit etiam ad hunc locum Cyrillus in libr. de Recta fide ad Reginas. & lib.12. in Ioan.c. 26. Ambroſio quoque Commentarius inſcriptus in illa verba ad Rom.10. *Quis deſcendit in abyſſum*, & in alia ad Eph.4. *Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* ait: *Triumphato ergo diabolo, deſcendit in cor terræ, vt oſtenſio eius, prædicatio eſſet mortuorum, vt & quotquot eius cupidi eſſent, liberarentur.* Et hactenus in ſenſum Auguſt.

Apoc.2.
Actor.26.
Supra 9.
Carceris officium.
Zacha.8.
Mendaciũ Theodori Bezæ.
Prædicationis nomen in Scripturis, ſemper bene ſonat.
Caietanus.
B Epiphan. ex Athana.
Mira hæreticorum quorundã inſania de verbo diuino in carnem & oſſa conuerſo ab Athanaſio confutata.
Cyrill. Alexan. ante medium tom.2.
Eſai.46.
Idem.
Ambroſ. tom.5.

Quidam ex Catholicis hunc locum de Purgatorio carcere interpretantur, Primo, quia ait: *His qui increduli fuerant aliquãdo*, ſcilicet tempore quo fabricabatur arca: poſtea tamen adueniente tanta aquarum copia, crediderunt, & pœnitentiam egerunt. Secundo, quia dicitur Chriſtus ſpiritibus mortuorum prædicaſſe; & quia incredulus, & obſtinatis prædicandum non erat, in quibus nullum fructum feciſſet: ideo prædicauit iam credentibus in Purgatorio. Sed quid opus erat iſtis prædicari, ſi iam crediderant? Tertio Purgatorium, carcer quidam erat, in quo expiabantur animæ, & lacus, de quo educti ſunt, in quo non erat conſolationis aqua.

III. Senſus, qui refellitur.
Gene.6.
Infra 7.
Zacha.9. cap.11.

His igitur ſenſibus excluſis, aſſerimus, Chriſtum poſt emiſſum in cruce ſpiritũ, veniſſe ad ſpiritus, qui in carcere inferni incluſi tenebantur, atque illis euangelizaſſe, ſiue prædicaſſe, & reſurrectionem à mortuis in illis futuram prędicaſſe: quod non tantum fuit facto ſe Deum oſtendere, & ſaluatorem mundi vt OEcumenius hoc loco, Ambroſius, & Thomas exponunt, ſed etiam verbis egiſſe, & bonos omnes, qui crediderant, cõſolatum fuiſſe, non tantum eos, qui ex ſemine Abrahæ nati, ſpem ſalutis ſuæ de futuro Meſſia conceperant, ſed & eos, qui ex Gentibus erant, & qui vitam probatam non ſine Dei gratia, & auxilio egerant. Et vt OEcumenius interpres verborum Gregorij dixit, Qui ita, dum in viuis agerent, ſanctitatem, & virtutem colebant, vt ſi eo tempore Chriſtus veniſſet, aut per Prophetã aliquẽ prædixiſſet, illis ſe ad ſalutem eorum venturum, ſtatim credidiſſent. Hi tamen etſi credentes duos illos articulos, quos in cordibus cuiuſque natura prædicat, nempe Deum eſſe, & inquirentibus ſe remuneratorem ſuum, exortes Fidei non fuerunt: tamen increduli vocantur, & infideles, ſi conferantur ad Euangelicos viros, qui tam diſtinctam, & dilucidam ha-

IV. Senſus, quem probat, & ſequitur autor.
OEcumen.
Ambroſ.
S. Thomas.
Grego. Nazian. orat. in ſanctum Paſcha.
Hebr.11.

bent articulorum Fidei rationem. Quare cum implicita illa fide proprie infideles, & abſolute increduli dici non poſſent: nec enim iſti cogebantur credere, quod nunquam audierant, aut Deus cogebat eos vt crederent. Quamobrem cum illi iam extincti ſalutem æternam acciperẽt, & illorum fidem infirmam, & imbecillam illuminatiorem, & confirmatiorem redderet, ſtatim à morte Chriſtus venit ad inferos, ac ſuppleuit quod illorum fidei deerat, vt cognoſcerent Redemptorem, & mediatorem, per quem ſalutem adipiſcebantur. Et hoc eſt, quod Apoſtolus hic agit.

Irenæus.

Clem. Alex. Iuſtinus mar.

Hier. to. 6.

Dei in peccatores benigna ſeueritas. *Gene. 7. Infra 19. Exod. 14. Num. 26. 1. Cor. 10.*

Hilar. Litera Caph. Deſideria Prophetarum pia.

Matth. 13.

Hunc ſenſum confirmant Patres, & in primis Irenæus lib. 5. Aduerſus hæreſ. prope finem hæc verba citans ſub nomine Prophetiæ: *Cõmemoratus eſt Dominus ſanctorum mortuorum ſuorum, eorum, qui ante dormierunt in terram ſtipulationis, & deſcendit ad eos, extrahere eos, & ſaluare eos.* Idem dixit Clemens Alexandrinus, atq; etiam Iuſtinus in Dial. aduerſus Tryphonem, & alij ex iam productis veteribus Patribus antiquis. A quibus non diſſentit Hieronymus, qui in ca. 1. Nahum ſuper illa verba: *Non conſurget duplex tribulatio.* 70. dixerunt: *Non vindicabit bis in idipſum in tribulatione: Quod ſi vobis*, inquit, *videtur crudelis* (ſcilicet Dominus) *rigidus & cruentus, quod in diluuio genus deleuit humanum, ſuper Sodomam & Gomorrham, ignem & ſulphurem pluit, Aegyptios ſubmerſit fluctibus, Iſraelitarũ cadauera proſtrauit in eremo: ſcitote eum ideo ad præſens reddidiſſe ſupplicia, ne in æternum puniret.* Adde Hilarium, qui in Pſalmum 118. verſiculum illum interpretans: *Quando conſolaberis me*; pro quo legit, *Quãdo exhortaberis me? Deſideria*, inquit, *hæc in ſe Prophetarum Dominus teſtatur, cum dicit, Amen amen dico vobis, Multi Prophetæ, & iuſti quæſierunt videre quæ vos videtis, & audire quæ auditis.* Propheta itaque & animo, & oculis deficit. Sed hi modo oculi Prophetæ licet Deum videre deſiderauerint, non ſunt tamen corporis oculi. Loquuntur enim, expectant: & mentis potius eſt contuitio iſta, & loquela, nõ corporis. Dicunt enim, Quando exhortaberis me? Scit ergo, exhortationem hanc ſanctos quieſcentes in inferno deſiderare, ſcit teſtante apoſtolo Petro, deſcendente in inferna Domino etiam his, quis in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuiſſe.

Quo modo incredulis Chriſtus apud inferos prædicauerit.

Sed iam illud maxime vrget, quomodo dicto ſenſui conſonet, quod ſequitur: *Qui increduli, ſiue inobedientes fuerant aliquando,* cum Chriſtus infideles non liberauerit: & quorſum magis hiſtoriam hanc de incredulis tempore Noe, quam qui aut tempore præceſſerunt, aut poſteriores extiterunt? Dicendum eſt, Chriſtum ob id prędicaſſe ſpiritibus in carcere inferni detentis, quia etſi hic bene vixiſſent, aliquando tamen increduli, ſiue inobedientes fuerant, ſaltem in primo parente Adam: vt teſtatur Athanaſius libr. de incarnatione Verbi. Epiphanius quoque Hæreſi. 46. refert Chriſtum veniſſe, vt ijs, qui olim ipſum cognouerant, & ab ipſius Deitate non aberrauerant, verum propter errores in inferno detenti ſunt indulgentiam largiretur. Hieronymus vero in capit. 54. Eſaiæ, verba Petri, inſinuat lectori, quomodo ea intellexerit: *Dominus*, inquit *fecit diluuium, qui iuxta Apoſtolum Petrum, occiſus eſt carne, viuificatus eſt ſpiritu, & prædicauit ſpiritibus in carcere conſtitutis, quando Dei patientiam expectabant in diebus Noe, diluuium impiis inferens.* In cuius verbis videtur Hieronymus illud, *incredulis, ſiue quondam inobedientibus*, non iungere cum ſpiritibus, tanquam adiectiuum cum ſubſtantiuo, ſed cum ſequentibus: & ſubintelligere verbum, diluuium intulit in ſignum damnationis æternæ. Alij vero, vt OEcumenius, non auellunt partem vllam textus ab altera, ſed intelligunt, Chriſtum ſpiritibus in inferno detentis prædicaſſe, pluribus quidem qui inobedientes quondam fuerant, paucis vero credentibus ad ſalutem animæ. Et hæc conſonant ijs, quæ ex Gregorio Nazian. & Damaſceno protulimus. At Lyranus peculiariter putat, Chriſtum liberaſſe eos, qui Noe prædicanti non crediderunt, ſed veniente diluuio pœnitentiam egerunt: quemadmodum etiam generi Lot, deſcendente igne in Sodomam, compuncti fuere ad pœnitentiam. Pro quo etiam facit, quod ſubdit: *Quando expectabant Dei patientiam*, homines ſcilicet ad reſipiſcentiam. Qui autem expectabant Dei *μακροθυμίαν*, id eſt, Dei lenitatem, & longanimitatem, quam interpres dixit patientiã, certe illi ad iuſtos ſpectabant, non ad impios. Niſi quis velit illam expectationem referre ad iuſtos filios Noe, & alios bonos, ſi qui erant.

Athanaſ. Epiphan.

Duplex lectio huius loci.

Hier. tom. 5.

OEcumen.

Opinio Lyrani.

Geneſ 6. Infra 19.

Proprium iuſtorum expectare Dei patientiam.

Veriſimile igitur eſt, ſi qui fuerant à principio Noe increduli, & inobedientes, aduentante diluuio reſipuiſſe & miſericordiam conſecutos fuiſſe. Et propterea hoc exemplo præcipue declarat, quod vt Chriſtus carne mortificatus fuit in cruce,

poſtea

ce, poſtea tamen ſpiritu viuificatus eſt, & ſuſcitatus ad glorioſam vitam, ita etiam illos, qui hic in corpore multa patiuntur, & qui illa patienter ferũt, ſimiliter participes reſurrectionis, & vitæ futuros. Et idem iudicium eſt de illis, quos Hieronymus teſtimonio ante citato nominauit: nam veriſimile eſt, multos illorum, & alios, qui ſimilibus caſibus perierunt pœnitentes ſalutem fuiſſe conſecutos: qui omnes intelligendi ſunt ſub exemplo diluij generali propoſito, quo vniuerſum genus humanum interijt. ¶Quod ait: *In diebus Noe*: intellige præfixum terminum vſque ad centum viginti annos, quos Deus ad exaudiendum promiſerat. Et cum dicitur, expectabat, poteſt legi, expectabant, vt multi ex Græcis, & Hieronymus legunt. Et cum mediæ ſit ſignificationis ἐξεδέχετο: ſignificaret: quando expectabatur Dei patientia. *In diebus Noe, cum fabricaretur arca.* Vbi illud perpende, quod ſicut Deus per ſe ſine arca ſaluare potuiſſet, noluit tamen, quo ipſe homo Noe cooperarius ſuæ ſalutis redderetur; ita nec nos niſi noſtræ ſaluti cooperantes, & intra arcam nos ipſos conſeruantes, & ſacramentorum frequentationi, & operum bonorum ſtudio vacantes, minime ſaluare decreuit. Poterat quoque Terram promiſſam filiis Iſrael ſine vllo bello, & pugna cum Chananæis conferre, nec voluit tamen: ita neque nobis dare gloriam conſtituit ſine merito, & labore noſtro. Quemadmodum quoque Iudæis Terram promiſſam ingreſſis, non ſtatim expulit omnes Chananæos, & Iebuſæos, ſed temporis progreſſu, ne Terra beſtiis impleretur, cum quibus ſibi magis pugnandum foret, quam cum Chananæis: ita nec à nobis Deus remiſſo peccato, & impetrata gratia, omnes cupiditates, malos habitus, & propenſiones confeſtim fugat, & expellit, ne terra noſtra beſtijs, id eſt, otio, & ſuperbia impleatur, ſed vult nos cooperatores ſalutis noſtræ in domandis noſtris vitioſis affectibus.

Quot annos expectauerit Deus peccatores ad pœnitentiam ante diluuium.

Cur Deus Noe per arcam ſeruauerit, cũ aliter poſſet.

Deut. 7.

In qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Videtur in his verbis, & in illis quæ in ſecunda Epiſtola cap. 2. de diluuio Noe tradidit, indicare, eos, qui ſalutem conſequuntur, pauciſſimos eſſe, ſi cum ijs, qui pereunt, conferantur. Octo autem animæ, id eſt, octo homines fuerunt ipſe Noe cum vxore ſua, & tres filij cum ſuis vxoribus. Vnde Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum c 14. *Noe*, inquit *cum ſuis per aquam, & lignum liberatur: ſicut familia Chriſti per baptiſmum crucis paſſione ſignatum.* Et c. 17. eiuſdem libri: *Quod præter arcam omnis caro, quam terra ſuſtentabat, diluuio conſummata eſt: quia præter Eccleſiæ ſocietatem, aqua baptiſmi quamuis eadem ſit, nõ ſolum non valet ad ſalutem, ſed valet potius ad perniciem.* Hæc eadem arcæ myſteria copioſe ediſſerit Auguſtinus eodem lib. 12. contra Fauſtum à cap. 14. vſque ad 25. & à 30. vſque ad 40. & lib. 15 de ciuit. Dei, & Hieronymus in dialogo contra Luciferianos.

Quid Petrus octo tantum animarum per arcam ab aquis diluuij liberatione ſignificet.

Aug. to. 6.

Hier. to. 2.

Ex hoc igitur ſenſu elicimus, multos forte ſaluos eſſe apud Deum, quos multi non admodum conſiliorum Diuinorum ſapientes pro deploratis, ac damnatis habent. Quod vt exemplo aliquo planum reddam, Anaſtaſius Antiochenus, qui tẽpore VI. ſynodi floruit in libro, quem inſcripſit Ὁδηγός, hoc eſt, itinerarium, recẽſet, Chriſtum ad inferos deſcendentem prædicaſſe ſpiritibus illis detentis, & conqueritur, quendam ex ſcholaſticis Platonem incredulum damnaſſe, & illi maledixiſſe: Qui tamen per ſomniũ illi apparuit, ſeque ex primis, qui in Chriſtum credidiſſent, in deſcenſu Chriſti ad inferos fuiſſe. Hanc eandem hiſtoriam recitat Nicetas interpres Gregorij Nazian. ſcribens in 2. Orationem in Paſcha. Et ſubiungit Anaſtaſius: *Verum cum hæc audis, ne exiſtimes ſemper eſſe pœnitentiam in inferno. Semel enim hoc contigit, cũ Chriſtus deſcendit in inferos ad eos viſitandos, quicunq; in ſeculo viuerent. Ita etiam fructuoſam prædicationem aſſerit Damaſcenus fuiſſe, quam fecit apud inferos.* Certe Auguſtinus lib. de vera religione, c. 3. Platonem inter eos numerat, qui nuptias cõtemnentes, caſte, & continenter vixerũt: at continens, & caſtus nemo eſſe poteſt, niſi Deus det. Ex quo dicto Auguſtini quidam probabiliter credunt, non ſolum Platonem in gratiam Dei receptum. ſed & in gloriam, vt Dominicus à Soto lib. 2. de iuſtitia & iure, art. 3. deducit.

Non omnes vulgi iudicio reprobos iã, & damnatos, apud Deum tales eſſe.

Anaſtaſii Antiocheni viſum de Platone.

Nicetas.

Damaſcen.

Aug. tom. 1.

Sap. 8.

Dominic. à Soto.

Ad aliud dubium poſtremum, quomodo ſcilicet intelligendum ſit quod ſequitur: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti à mortuis, qui eſt in dextera Dei deglutiens mortem.* Vbi aduerte, pro nomine illo, ſimilis formæ, Græce dici: ἀντίτυπον, quod diligenter venit expendẽdum, propter quoſdam locos Scripturæ, & propter Patres, qui ea voce non infrequenter vtuntur. Antitypon igitur vocatur, quod loco alicuius typi ſuccedit, vt Arcæ typo ſuccedit antitypon Baptiſmus: Serpenti igneo in palo erecto, antitypon

Solutio nonæ dubitationis. In verba illa Petri: Quod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma, &c.

Antitypon quid.

Gen. 6.

Num. 21.

Exod. 2. Infra 16.

eſt Chriſtus in cruce: Agni vero paſchalis, & mannæ, quæ in deſerto paſcebat filios Iſrael, typis ſuccedunt Sacramenta corporis, & ſanguinis Chriſti, & ſunt antitypa, & ita vocantur paſſim ab Apoſtolis in Diataxi Apoſtolica.

Clem. Rom. lib. 5. Conſt. Apoſt.

Illi enim typi vmbra erant futurorum bonorum, id eſt, Sacramentorum Noui Teſtamenti, quæ vocat Apoſtolus Imagines rerum, id eſt, veritatis, & gratiæ. Lex enim per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

Hebr. 10. Ioan. 1.

Illis ergo typis antitypa ſunt gratia, & veritas, quam habent noſtra Sacramenta, quæ rectè dicuntur antitypa, quia illis veteribus typis mutatis ex aduerſo reſpondent, & in his eſt veritas, hoc eſt, impletio rerum.

Epiphanij de ſacrificio legis nouæ doctrina Catholica.

Quam rationem verbi ſecutus Epiphanius in Vigilia de reſurrectione Domini, agens de myſteriis corporis, & ſanguinis Chriſti, ait: Non veteraſcentia noui Paſchę pro vetere myſteria antitypa, tum quia operantur res, quarum ſunt imagines contra atque illi typi, qui futura bona, quorum figuræ erant, non operabantur, neque poterant perfectum facere ſeruientem.

Hebr. 9.

Et vtrumque ſignificat illa præpoſitio ἀντὶ, in ipſa voce antityp. Deinde quia res, quas vt inſtrumenta myſtica operantur, non ſolum tanquam in imagine, ſed tanquam in cauſa vicem inſtrumenti habente operantur: ideo non ſunt, nec dicuntur proprij typi, quorum eſt res adumbratas tanquam in typo tantum continere, ſed potius tanquam antitypa: vt ſi dicamus typos pro rebus, quas continent.

Typi natura.

Ad quam rationem nominis pertinet doctrina Apoſtolica, quæ habetur libr.3. Clementis capite 17. explicans quæ imagines, quarum rerum ad antitypon Baptiſmi adhibeantur. *Baptiſma, inquit, eſt datum in mortem Ieſu.*

Clem. Rom.

Cyril. Ieroſ. Quomodo baptiſmus ſit antitypon paſſionum Chriſti, teſte Cyrillo.

Cyrillus Ieroſolymitanus in ſecunda Catecheſi myſtagogica, ait eſſe Baptiſmum antitypon paſſionum Chriſti, quia in typis, quales erant in veteri lege, nullo modo erat veritas, aut gratia. In Baptiſmo tamen eſt veritas paſſionum Chriſti, tanquam in myſtico inſtrumento ordinato à Domino noſtro Ieſu Chriſto ad regenerandum. Idcirco antitypon eſt, & dicitur, vt Petrus vocauit. Et præpoſitio Græca ἀντὶ, idem quod Latina Pro, ſonat. Aqua vero, qua immergimur, ſignificat conſepeliri cum Chriſto, emergere vero, cum eodem reſuſcitari. ¶ Subdit Apoſtolica doctrina oleum pro Spiritu ſancto, vt ſi diceret de oleo, quod adhibetur Baptiſmo, eſſe antitypon Spiritum ſanctum. Subdit etiam ſignum Crucis, quam facit ſacerdos qui baptizat, illius antitypon eſſe Crucem veram Chriſti. Antitypa ergo eſſe dicuntur, Sacramenta pro illis Moſaicis typis introducta. Cum autem ad res ipſas reſpicimus, quarum ſunt antitypa, quaſi dicuntur typi pro rebus, tanquam cauſæ vim inſtrumenti habentes, & continentes in re ipſas res quas ſignificant. Vnde antitypa rectè dici poſſunt ἀντὶ τύπων, quia non ſunt typi proprij, ſed inſtar typorum, quatenus etiam habent imagines ſub ſenſum cadentes. Atque hac ratione Apoſtoli hoc nomine Sacramenta Noui Teſtamenti appellarunt vt differentia nominis differentiam eorum à typicis Sacramentis legis diſcernerent.

Quid carnis depoſitio ſordiū.

Superſunt illa pauca verba: *Non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Arca Noe typus fuit baptiſmi Chriſti: Antitypon aquæ, & arcæ eſt ipſe baptiſmus: quia continet in ſe res ipſas, id eſt paſſionis, & reſurrectionis Chriſti virtutem, qua regeneramur.

Oecum. c. 4.

Oecumenius ait: Quemadmodum aqua diluit ſordes, ſic & baptiſma. Verum non ablutionem ſordium carnis operatur, ſed per ſymbolum demonſtrat macularum animæ ablutionem.

Alter ſenſus.

Alia intelligentia eſſet. Per depoſitionem carnis ſordium, id eſt, vt per depoſitionem ſordidæ carnis intelligamus circumciſionem, quæ etiam altera figura, & typus fuit baptiſmi.

Philo.

Vnde & Philo Hebræus in libro de circumciſione, inter alias eius cauſas ponit, quod hæc caro immunda ſit. Et quod hic Petrus vocat depoſitionem carnis, Paulus expoliationem carnis appellat.

Tertull.

Quare Tertullianus libro de reſurrectione carnis: *Hinc, inquit, & Apoſtoli Circumciſionem vocant expoliationem carnis, tunicam cutem affirmarunt.* Hæc ille, alludens ad verbum ἀπεκδύσθαι, quod eſt exui, ſiue ſpoliari, quod eſſet tunica aliqua.

Infirmitas, defectuſque circumciſionis.

Quod ſi ad circumciſionem ſpectauit his verbis, detraheret illi vim remittendi peccatum originale, quod non eſt vſquequaque certum apud omnes Patres.

Illud: Sed conſcientiæ bonæ Interrogatio in Deum quid ſit.

Subdit: *Sed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Obſcurus eſt locus, quomodo ſcilicet conſcientiæ interrogatio ſaluat. Verbum autem Græcum eſt ἐπερώτημα, quod interrogationem, & ſtipulationem ſignificat. Et vtroque modo poteſt exponi. Qui enim ſibi bene conſcii ſunt (vnde & omnis fictio excluditur) & inculpatam vitam amplectuntur, bona conſcientia interrogari, & examinari audent in iudicio,

dicio, & tribunali Dei. Et ita Baptiſmus vocatur interrogatio bona ad Deum. eo tropo, quo effectus nomen tribuitur efficienti cauſæ: ſicut frigus dicitur pigrum, quia facit pigros. Atque Petrus, Baptiſmum non tollere carnis ſordes, quia per Chriſtiana Sacramenta non liberantur fideles à miſeriis, & afflictionibus in hoc ſeculo. Quod etiam diceret contra Iudaicam opinionem, qua putatur quis ſanctus propter externas ceremonias, & apparentem formam pietatis.

Iudæis ſanctus quis, ſed falſo.

Beatus Auguſtinus tamen lib.19. contra Fauſtum, ca.12. & tract.8. in Ioannem aliter interpretatur. Vult enim illud; *Non carnis diſpoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*, correctionem eſſe eius quod præceſſit, nempe Baptiſma ſaluos facere, vt ſit ſenſus: Quod dixi, Baptiſma ſaluos facere, non ideo dixi, quaſi externa illa lotio per ſe nos ſaluet: quia in ceremoniis Baptiſmi interrogati an credamus in Chriſtum, renunciemus Satanæ, ac pompis eius? bona conſcientia reſpondemus nos credere, & abrenunciare: hoc eſt, quod ſaluat per pœnitentiam, & fidem, non illa exterior ablutio. Vnde idem Auguſtinus tomo.10. ſermo.3. de Verb. Domi. comparat eum, qui ſine fide, & pœnitentia baptizatur, illi, qui externam partem ſcutellæ lauat, ſordidamq; relinquẽs internam, in qua cibus recipitur. Et in fine libri de Perfectione iuſtitiæ, *Sacramenta recepta ſine interna munitione fidei, & pœnitentia, ſimilia tradit eſſe præceptis, & exemplis; quæ ſine ſpiritu peiores faciunt, & occidunt.* Ita etiam Baſilius interpretatur lib. de Spiritu ſancto, cap. 12. & 15. *Si qua*, inquit, *eſt gratia in aqua, non eſt ex ipſius aquæ natura, ſed ex ipſius Spiritus præſentia. Non enim eſt Baptiſmus depoſitio ſordium corporis, ſed bona conſcientiæ interrogatio in Deũ.* Idem docet Ambroſius lib. de iis, qui myſteriis initiantur, cap.3. & 4.

Tertius ſenſus, qui eſt Auguſtini.

Qualis qui ſine fide, & pœnitẽtia baptizatur.

B. Baſil.

Ambr. lo 4.

Si autem legamus, ſtipulatio, quæ interpretatio placet Gagneo, recte etiam quadraret. Eſt autem ſtipulatio, verborũ conceptio, quibus, qui interrogatur, dicturum, facturum ne ſe quod interrogatus eſt, reſpondet: qualis eſt illa Baptiſmi, vbi rogat Parrochus initiandum: *Credis in Deum Patrem omnipotentem, Filium, & Spiritum ſãctum?* Et reſpõdet: *Credo.* Rurſum. *Abrenuntias Satanæ, & põpis eius?* reſpondet. *Abrenuntio*: Vnde Concilium Carthaginenſ. I. c. 1. & 14. *Deſcendens in aquam, interrogatus in Trinitate ſecundum Euangelij fidẽ, & Apoſtolorum doctrinam confeſſus bonam confeſſionem mentis. Et in reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti, non licet interrogare de eadem re* Hæc ibi. Sic Act. 8. cum dixiſſet Eunuchus Philippo, *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* reſpondit Philippus, *Si credis ex toto corde, licet.* Et reſpondens (Eunuchus) ait: *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.*

Qualem ſenſum faciat hæc lectio: Sed bonæ fidei ſtipulatio in Deum. Ioan. Gagneus.

Carthag. 1.

Matth. vlt.

Actor. 8.

Concludit Apoſtolus: *Per reſurrectionem Ieſu Chriſti à mortuis. Qui eſt in dextera Dei deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, &c.* In Baptiſmo repræſentatur mors Chriſti per immerſionem: reſurrectio eiuſdem per emerſionem, ex qua oritur virtus Baptiſmi & in qua deglutiuit mortem, iuxta illud: *Abſorpta eſt mors in victoria*, licet Græce hoc verbum degluriendi non habeatur. Efficit autem hæredes vitæ æternæ, quia ſi filij, & hæredes. Et profectus eſt in cœlum, per aſcenſionem, per quam ſubiectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, regnat. Et ita ſubiectio Angelorum in bonum accipitur: quemadmodum & illa ſubiectio, qua Chriſtus ſubiicitur Deo, & Patri. Et ita oſtendit Diuinam potentiam ſaluandi per Baptiſma. Mors autem deglutita videtur in eo, quod non appareat in electis: nam à die reſurrectionis, nouiſſime inimica eius deſtruenda eſt mors.

Mors Chriſti, eiuſque reſurrectio vti repræſentetur in baptiſmo. 1. Cor 15.

Rom 8.

1 Cor. 15.

Ibidem.

Quomodo Chriſtus mortem deglutierit. Ibidem.

DISPVTATIO VII.

In Apoſtoli Petri verba illa quarti Capitis: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis: vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntate Dei, quod reliquum eſt in carne, viuat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam*, &c. vſque in finem.

PRÆSENS Caput, ſicut ſuperius, in nonnullis locis eſt apertum, in alijs difficile, ac perplexum. Ita enim placuit illi diſpenſare doctrinam Apoſtolicam, vt & in obſcuris acueret noſtrum intellectum, in planis vero, ac perſpicuis delectaret noſtram voluntatem, vt ſpem etiam ex apertis conciperemus perueniendi ad ea, quæ clauſa, & perplexa videntur. Poſſumus ergo in primis dubitare de cohærentia horum verborum cum præcedentibus, & quid agere intendat, vt ita viam muniamus ad intelligentiam eorum, quæ dicuntur. Deinde quærimus, quare

Primum dubium.

Secundũ.

quare vult nos armari cogitatione fragilis, & imbecillæ carnis Chriſti, & quis inde fructus eliciatur. Tertium. Tertio, cum dicitur Chriſtus deſiiſſe à peccatis, quæro, an vnquam Chriſtus peccare cœperit, vt morte caſtigatus peccare deſierit. Reliqui enim omnes per mortem excluduntur à peccato; at de Chriſto dicitur: 1. Pet. 2. Eſai. 53. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* Siue vt Græce dicitur, ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, id eſt, à peccato. Quarta dubitatio. Quarto, quænam eſt illa volũtas Gentium, quã præteritis temporibus cõſummauimus; ac demũ quomodo ſit tota illa clauſula intelligenda, quia obſcura videtur. Quinta. Quinto, perdifficile, & perobſcurum eſt quòd ait, euãgelizatum eſſe mortuis, vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, viuant aũt ſecundum Deum in ſpiritu: & quæritur de cauſa, de qua: *Propter hoc enim*, inquit, & de fine, cum ait: *Vt iudicentur*, &c. quod ſane non minus difficile videtur, quam ſuperius, cum dixit, quod his qui in carcere erãt ſpiritibus veniens prædicauit. Sexta. Sexto dubitatur circa illud. Eſtote itaque prudentes & vigilate in orationibus, hæc enim ſuperioribus non videntur conſonare. Septima. Septimo circa illud; *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*: difficile enim videtur intellectu, quo modo gratiam acceptã poſſit quis in alios adminiſtrare, ſi adminiſtrare, eſt eandem impertiri, & communicare, nec enim gratia Dei migrat de ſubiecto in ſubiectum, aut in potentia miniſtri ſitum eſt inhærentem ſibi gratiam alij infundere. Octaua. Octauo, cum ait: *Chariſſimi nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit*, difficile eſt intelligere hanc peregrinationem, cum reliquis quæ adiungit. Nona. Nono dubitatur in hæc verba: *Nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur.* nam ſi v.g. aliquis Chriſtianus furtum aut homicidium perpetraſſet peccaret, ſi repugnaret pœnã ſubire, aut furto, aut homicidio deſtinatam. Decima. Decimo, quid eſt, *Tempus eſſe vt incipiat iudicium à domo Dei*: nam videtur Eccleſiæ punitionem, & interitum denunciare, quod paſtori eius optare minime cõuenit. Vndecima. Vndecimo quid eſt, quod ait: *Et ſi iuſtus vix ſaluabitur*: nam facilem nobis polliceri ſalutem videtur Pater in primis nos vocando, Filij ſanguis, Spiritus ſancti Sacramẽta nos ſanctificantia, gratia Dei copioſa, & Eccleſiæ triumphantis, & militantis merita, preces, & exẽpla nos ad ſalutem noſtram permouentia. Duodecima. Poſtremo, quid eſt fideli Creatori commendare animas ſuas in benefactis: videtur enim adhortari ad confitendum in operibus noſtris; cum tamen Chriſtus ſuppreſſis omnibus obedientiæ ſuæ meritis, & benefactis, ſimpliciter dixerit Patri: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Luc. 23 Pſalm. 30.

Ad primũ dubium. Quid hic intendit Apoſtolus.

Quantum ad primum: cum ſuperius paſſionis Chriſti mentionem feciſſet, interpoſuiſſetque myſteria factæ prædicationis ad ſpiritus, qui erãt in carcere; nũc reuertitur ad Chriſti paſſionem, quo exhortetur nos ad nouam quandã eius deguſtationem, quo cordi noſtro magis imprimatur, & fructus eius copioſius nobis cõmunicetur. Ait ergo: *Chriſtus cum paſſus ſit pro nobis* (vt Græca lectio habet) *in carne.* Id eſt, ſecundũ humanã naturã, quæ mortis, & paſſionis capax eſſe poteſt; nam ſecundum diuinã impoſſibilis eſt: quemadmodum ſagitta ſecundũ lignum comburi poteſt, non aũt ſecundum ferrum, quod illi ineſt. Vnde & ſubdit: *Et vos eadem cogitatione armamini.* Ad ſecundum dubium. Qua cogitatione armari nos velit Apoſtolus. Hoc eſt, ſimili cogitatione, & per oppoſitum; cum vita hominis militia ſit ſuper terrã, & talem ducẽ exercitus habeatis, qui dixit. Cõfidite; ego vici mũdum, & honorificum ſit talem principem ſectari, in quo erant omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, & qui in baptiſmo iam profeſſi fuerant Chriſti mortem, & ipſi iam cum Chriſto commortui erant. Efficax ſane exhortatio. Iob. 7. Ioan. 16. Coloſ. 1. Rom. 6. Coloſſ. 3.

Quod ad Grammaticam ſpectat, cum ait: *eadem cogitatione*, Oecumenius ſupplet præpoſitionem κατὰ, id eſt, Secundũ eandem cogitationẽ, vt legamus τὴν αὐτὴν ἔννοιαν, pro eo quod eſt, κατὰ τὴν αὐτὴν ἔννοιαν: ſic enim plerumque ſuppleri ſolet ſuppreſſa præpoſitio. Neque dixit: Induimini armis, neque induimini cogitatione mortis Chriſti, Rom. 13. Luc. vlt. ſicut Paulus Romanos adhortãs, *Induimini*, inquit, *Dominum Ieſum Chriſtum*, & Dominus, *Vos autem ſedete in ciuitate, quo ad uſque induamini virtute ex alto*, ſed dixit, *Cogitatione armamini*: Paſſionis Chriſti recordatio quantum ſit animæ munimen & robur. quia memoria paſſionis Chriſti maximum eſt Chriſtianorũ munimẽ, & fortitudo cõtra tot hoſtes, hoc eſt, Mundum, Carnem, & Diabolum in ea triumphatum. Hominem etiã militem ſtrenuum ad pugnandum reddit. Vnde Apoſtolus Paulus dixit: Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem; vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Talis enim cogitatio nobis vtilis eſt, vt tam ad defenſionem noſtram nobis arma ſuppeditet, ne mala mundi nos penetrẽt, & abſorbeant. Vnde & paſſio Domini farina condiens eſt colochyntidas in domo Eliſei; 4. Reg. 4. & lignum, quod miſ-

Exod. 15. ſum in aquas Maris dulces reddidit: vim etiam contra offendentia tela, & ſpicula præſtat, vt ita iſta panoplia muniti, in omnia vitia expugnanda, & ad omnes virtutes comparandas militare valeamus, quò *Geneſ. 3.* caput ſerpentis conteramus, & carnem noſtram caſtigemus, & mundum perterrefacientem contemnamus. Et ſic ſecundæ dubitationi propoſitæ ſatisfecimus.

Solutio tertiæ dubitationis. Quomodo Chriſt⁹ ceſſit a peccatis. *1. Pet. 2.* Tertiam diluimus duplici ratione. Primùm quidem, vt intelligamus de Chriſto, qui non deſijt à ſuis vllis peccatis, ſed à noſtris, quę tamen in corpore ſuo ſuper lignum expianda portauit, vt ſupra dixerat, nolens vltrà ea in ſe ſuſcipere, vt iterũ moriatur, cui ſatis fuit ſemel mori pro omnibus peccatis: quia vt Paulus dixit ad *Hebr. 10.* Hebræos: *Voluntariè peccantibus nobis poſt adeptam notitiam veritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hoſtia*, vt ſcilicèt omnia eiuſmodi peccata expurget, vt in Baptiſmo fecit, ſed ipſe nou⁹ peccator ſatisfacit Deo per pœnitentiam, ſi velit ipſi reconciliari. Poteſt enim is, qui in gratiam redijt, pro peccato admiſſo ſatisfacere. Lex à Chriſto nobis impoſita. *Hebr. 5.* *Infra 9.* nam eo modo, quo ceſſauit à peccatis, non imponendo ſuper ſe onera peccatorum, vt fecit, cùm ſe obtulit hoſtiam cruentam, legem quoque nobis ſtatuit, ne noua peccata incurramus, & myſterium violemus. Sequitur: *Sed volũtate Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis.* Chriſtus enim ſuſcitat⁹ in carne noua, viuens *Actor. 1.* in hoc mundo per quadraginta dies nobis adfuit. Et ſignificat tempus vitæ noſtræ à Baptiſmo ad mortem vſq;, docens vitam ſpiritualem quam viuere debem⁹.

¶ Alius apertus ſenſus, & idoneus, quo hoc argumentum faciliùs ſoluitur, eſt, vt referamus ad hominem Chriſto inſitum, & baptizatum, vt ſignificet: quia homo, *Gal. 5.* qui cum Chriſto paſſus eſt in carne, & cuius vetus homo cum vitijs & concupiſcẽtijs eſt crucifixus, & mortuus, non debet ſe amplius mortiferis peccatis inuoluere; Ceſſare à peccatis, quid. ab his enim homo iuſtus abſtinere debet pro humana fragilitate. Vnde & in Græco non ait, à peccatis, ſed ceſſet à peccato, id eſt, deſinere faciat fomitem, ſiue concupiſcentiam, q̃ eſt in carne, ne amplius regnet in nobis, & viuat ſecundùm deſideria hominum, peccatorum ſcilicèt, & carnalium, quia in malum homo accipi ſolet in ſcripturis communiter. Non ergò illis viuit, quia non conſentit; ſed voluntati Dei. Id eſt: Quicquid temporis reliquum habet in hac vita, in præceptis Dei implendis, & veſtigijs Chriſti ſectandis à Baptiſmo ad mortem, expedit.

Ad quartum in id: *Sufficit enim præteritũ tempus ad voluntatem Gentium conſummandã.* Quartæ dubitationis ſolut. De ſenſu horum verborum: Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatẽ Gentium conſummandam. Hortatur iam ad vitæ puritatem, ac pietatem, ſumpto argumento à priori vitæ impuritate: & quam prius vocauerat concupiſcentiam, nunc vocat voluntatem Gentium; quaſi diceret; Satis ſit hactenus tam ethnicè, & perditè vixiſſe, implendo motus belluinos, quos homines athei ſine menſura implere conãtur. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, Sole iuſtitiæ coruſcante, via ſalutis patefacta: nemo cunctetur, aut moras nectat. *Rom. 13.* Per partes enumerat, quod in genere dixerat, *Voluntatẽ Gentium*, Id eſt, luxuriam, deſideria praua, vinolentiam, potationẽ, comeſſationem, ebrietatem, & illicitos, vel nefarios idolorum cultus. *In quo admirantur.* Græca vox eſt ξενίζονται, id eſt, Chriſtiani & ſpirituales viri in quam infidelium confuſionem minimè concurrant. quaſi de re noua, & peregrina, & admirãda ſtupent, vt bene vertiſſe videatur interpres, admirantur.

Non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, vel refuſionem. Græcè ἀσωτείας ἀνάχυσιν. Mirãtur enim carnales, viros ſpirituales non eadem probare quæ ipſi probant, & quòd poſſint Chriſtiani ſe ab illis vitijs continere, quibus ipſi tenaciter hærere, & inuolui ſolent. Suetonius *Sueto. c. 26* Neronis impudicitia. de Nerone ait: *Perſuaſiſſimum habebat, neminẽ hominẽ pudicum, aut nulla corporis parte purum eſſe.* Hęc ille. Rectè Sapiens dixit: *Eccle. 10.* *In via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat. Qui autẽ peregrini ſunt, & rerum ignari, mirãtur ea, quæ aſpiciunt, & ſibi noua videntur.* Quo verbo concurrere di denotat carnales homines certatim feruentiſſimo curſu ad intẽperãtiã cõfluere. Additque: *Blaſphemantes.* Id eſt, Veſtrã abſtinentiam, vel pietatem, non vt rem honorificam proſequentes, ſed vt malam, & noxiam iniurijs afficiunt; ac proinde & Chriſto Domino, & nobis maledicunt, maior enim eſt vis trahendi iam excitatos, & expertos, quã inexpertos ad vitia *Ioel. 1.* carnis, & magis viduas quàm virgines, & minus etiam iuuenes inexpertos, quam eos qui vitioſos habit⁹ cõpararunt & tanquã iumẽta in ſtercore ſuo cõputruerũt.

Ethnicorum Ponticorum ſacra impietatis, impuritatisq; pleniſſima. Porrò his verbis innuere videtur Petrus, quod Gentiles illi, inter quos agebãt Põtici, Galatæ, & Cappadoces, ad feſtũ aliquod ſolẽne, & locũ aliquem peculiarem illi deputatum vndique concurrerent, in quo præter idololatriæ crimen, intẽperantiæ, & turpiſſimæ carnis voluptati inſeruiebãt. Nã Petrus vocat illicitos idolorũ cult⁹, & intemperantiæ libidines portẽtoſas: qualia erãt Orgia Bacchi apud

Græcos, in qua Phallum omnes ſpurciſſimi colebant: qualia & erant feſta Bonæ Deæ apud Romanos, ad quæ interdū viris transformatis in fœminas aditus patebat: aut deniq; concurrebant ad eorum epulas, aut ad ludos, & ſpectacula, quæ falſis dijs exhibebantur: ad quæ omnia videtur Petrus alludere. Commemorat enim concupiſcentias, comeſſationes, vinolentias, & nefarios ſimulacrorum cultus.

Nefaria conſuetudo quorūdam Romanorum ex Liuio.

Huius nefariæ conſuetudinis meminit T. Liuius libro 9. 4. Decadis, in qua maſculi cum fœminis, & maſculi cum maſculis, & fœminæ cum fœminis promiſcuos, & nefandos concubitus exercebant, & corpora ſua fœdiſſimè dehoneſtabant: &, quod omnium deterrimum erat, ſub ſpecie pietatis ac religionis prætextu, quo liberius, ac licentius peccarent. Omni enim prorſus honeſtate ac pōdere & timore exutis, lucernis per noctem extinctis, in ſeipſos furentes, debacchabātur. Et ne eiulatꝰ, aut voces que ritantium extra exaudiri poſſent, adhibebant tympanorū & cymbalorum ſtrepitus. Aſſeritq; horrendam hanc fabulam per Græculum quendam ſacerdotē, qui ex Hetruria Romam venerat, inuectam fuiſſe, ſed breui tempore detectam, & grauiſſimis ſupplicijs propoſitis ex vrbe expulſam, & exibilatam fuiſſe diligentia Conſulis Poſthumij.

Cur Chriſtiani à ſpectaculis prohiberentur.

Tertullianꝰ l. de Spectaculis docet, acceſſum ad ſpectacula, & ludos Gentilium interdictum fuiſſe Chriſtianis, ne grauiſſimè pollueren̄tur, quòd eſſent in honorem dæmonum, & ſimulacrorum inſtituta.

Eam conſuetudinem ſceleratiſſimā velut ab inferis reuocarunt Gnoſtici, & ſectarij, & cæt.

Iſta tamen conſuetudo per hoſtes Eccleſiæ, id eſt, per hæreticos renouata fuit, vt olim apud Gnoſticos teſte Epiphanio: & etiam horrenda, & obſcœna per Manichæos obſeruata, per hęreticos noſtri temporis carnis amatores creduntur aliquando ſuſcitata à ſectarijs, quò ita ad amplectendam ſuam ſectam homines incitarent, ac pellicerent. Sed diu non potuit durare tanta peſtis. Poſſent autē hæc exemplo lamiarum, quæ & Stryges vocantur confirmari. Nā adeſt dæmon, eas vocans ad feſtum, & ſub hirci forma eas nudas ad locum geſtans, & poſt amplam cœnam, choreas, ac ſaltationes, & poſt abiuratā fidem, & calcatā Chriſti Crucē coram dæmone, poſteà illicitis, & nefandis cōmixtionibus per incubos, & ſuccubos dæmones, & Strygones, qui adſunt, ſatiātur.

Miſerādæ illuſiones dæmonū in lamiis.

Nulla certè extitit religio ita puritatis, atq; caſtitatis cultrix, atque Chriſtiana, quæ tot habet virgines in vtroque ſexu vitam cœlibem profitentes, & magna ex parte ſeruantes: nulla etiam rigidioribus legibus, & ſeuerioribus ſupplicijs vindicat peccata nefanda, inceſtus, ſacrilegia, adulteria: nullaq; longius à Polygamia, & à diuortijs, & repudijs vxorum, & ab omni ſpecie immunditiæ recedit, eſtque magis aliena: cum tamen Plato ille ſapientiſſimus communes vxores eſſe voluerit in ſua à ſe inſtituta Republica.

Inſtituta Platonis turpiſſima

Inſtituit vt pueri, & puellæ teneræ, nudi cum nudis ſaltarent, & choreas ducere poſſent, quò quiſq; eam ſibi ſeligeret in vxorem, quę maximè ſibi placeret, neglectis parentum ſuorum monitis, & conſilijs, in quorū ſunt patria poteſtate.

Romanorum honeſta cōſuetudo atq; laudabilis

Quāto purius, & caſtius Romani indixerunt, ne quiſquam ſine ſubligaculo in theatrū prodiret. Et cum magni pictores ſpecioſas fœminas pingerent, ſemper tamē pudendas partes inſtinctu rationis naturalis non attigerunt, ſed velatas reddiderunt.

Geneſ. 2. Infra 3.

Adam quoq; & Eua cum ante peccatum nudi eſſent; poſtquam tamen peccarunt, & cognouerunt ſe eſſe nudos, conſueruntfolia ficꝰ, & fecerunt ſibi perizomata. Fecit quoq; Dominus Deus illis tunicas pelliceas, & induit eos.

Adamitarum Mahumetanorumq; obſcœnitas impudicitiaq;

Hoc dixerim propter hæreticos quoſdam, qui Adamitæ dicti ſunt, & noſtro ſeculo in Hollandiæ partibus per hæreticos ſuſcitati. qui nimirū nudos homines, nudas fœminas, pueros, & puellas eſſe voluerunt, ſed per principes Chriſtianos illud ſcelus repreſſum fuit. Nihil dicam de Mahumetanis, qui certo anni mēſe mittūt publicos pręcones, qui publicè per vicos, & plateas totum populum adhortentur, vt diligentiꝰ eo tempore prolibus procreandis incumbant, quas Mahumeto gratiſſimas futuras prædicant. Vides in quanta vitæ obſcœnitate, & morum impuritate illi verſentur. Benè ergo ait Apoſtolus Gentiles admirari quòd Chriſtiani non concurrerent in eandem luxuriæ, ſeu intemperantiæ confuſionem.

Ad V. dub De eo quod mortuis euangelizatum eſſe tradit Apoſtolꝰ, quomodo ſcilicet id factū ſit.

Vt quintam dubitationem ſoluamus, dicimus illa verba: *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt; vt iudicentur quidem ſecundum homines in carne, &c.* repetitionē videri eorum, quæ ſuperiori capite dixit de deſcenſu Chriſti ad inferos, & prædicatione Euangelij ijs, qui in carcere inferni detinebantur: ita, vt ij, qui in hoc mundo more humano carnaliter vixêre, ſint à Chriſto condemnati; ij verò, qui vixêre ſpiritualiter ſint à Chriſto viuificati, & ſaluati.

Oecumen.

Ita enim ſupplet Oecumenius in his duobus locis: *Secundum homines in carne:*

& in

& in altero, *ſecundum Deum in Spiritu.* Supplet, inquam verbum, exiſtentes, vel, qui extiterant, aut vixerant in hoc mundo. Et dicit, duo verba illa, Iudicentur, & viuant, quæ ſunt futuri temporis, pro verbis præteriti, iudicati ſunt, & vixerunt, eſſe accipienda: iudicari verò hîc pro condemnari, poſitum eſſe, ſicut verbum Viuendi opponit, vt etiam facit Ioan. cap. 5.

Ratio verò cur hoc dixerit, non eſt ignota. Præceſſit enim, quòd priùs blaſphemantes reddunt rationem ei, qui parat' eſt iudicare viuos, & mortuos: & hinc probat, quòd propterea ſit viuis, & mortuis euangelizatũ. Oecumenius in huius epiſtolæ argumento, ac proœmio: *Significat,* inquit, *Petrus, quod etiam in inferno facta ſit à Domino prædicatio ſalutis, ac reſurrectionis: vt qui prius mortui ſunt, reſurgant quidem, & iudicentur in corpore, ſed per gratiam reſurrectionis perſeuerent.* Hęc ibi. Quę expoſitio lõgè eſt alia, vt ſenſus ſit, Chriſtum deſcendiſſe, ac prædicaſſe ſpiritibus Sanctorum, quòd iterum forent ſua corpora aſſumpturi, denuoq́; à ſe coram omnibus iudicandi, ac deinde in eodem reſumpto corpore glorioſam ſemper vitam apud Deum acturi. Etſi Euangelizatio ſalutaris tantùm eſſe ſoleat in hac vita. Petrus etiam, ex eo quod Chriſtus mortuis euangelizauit, illum colligit iudicaturum viuos, & mortuos, tanquam rem minus manifeſtam: atqui æque ac magis conſtabat Chriſtianis mortuos à Chriſto iudicandos, cum ſpiritibus in inferno fuiſſet prædicatum.

Alter ſenſus nimirũ Oecumenii.

Terti' ſenſus, ab Auguſtino traditus.

In fine epiſt. ad Euodiũ, tom. 2.

Matth. 8.

Eſt ergò alius horum verborum intellectus, quem Auguſtinus epiſt. 99. producit, ſimilis tamen illi, quem capite tertio protuli, tropicus nimirum, & allegoricus: *Fieri,* inquit, *poteſt, vt mortuos dixerit infideles, hoc eſt, in anima mortuos, de qualib' dicitur. Dimitte mortuos vt ſepeliant mortuos ſuos. Viuos autem, qui crediũt in eum, non fruſtra audientes: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. De qualib' etiam ipſe Dominus dicit: Veniet hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Proinde etiã quod ſequitur, & dicit Petrus: Propter hoc & mortuis euãgelizatũ eſt, vt iudicentur quidem ſecundũ homines in carne, viuant autem ſecundum Deum ſpiritu; non cogit apud inferos intelligi. Propterea enim in hac vita & mortuis euangelizatum eſt, id eſt, infidelibus, & iniquis: vt cum crediderint, iudicentur quidem ſecundum homines in carne, hoc eſt, in diuerſis tribulationibus, & in ipſa morte carnis: vnde idem Apoſtolus alio in loco dicit, Tempus eſſe vt iudicium incipiat à domo Domini: viuant autem ſecundum Deum ſpiritu, quia & in ipſo fuerant mortificati, cum morte infidelitatis, & impietatis detinerentur.* Hęc Auguſtinus. Sed videtur hæc ſentẽtia pugnare cum eo quod propoſuit probandum, cùm dixit: *Qui reddent rationem ei, qui paratus eſt iudicare viuos, & mortuos,* vbi diſtinguit viuos à mortuis. At ſi per mortuos intelliguntur infideles, vtrique eſſent viui. Videtur ergo tollenda illa homonymia vocis, mortui, in hoc loco.

Epheſ. 5. *Ioan. 5.* *1. Pet. 4.*

Quid incommodi habeat.

IV. ſenſus.

Poſſent etiam hæc verba ita intelligi, quòd Chriſtus mortuos ſit iudicaturus, quia videlicet euangelizatum eſt ijs, qui iam mortui ſunt ante Chriſti iudicium, vt etſi mortis condemnati ſint antequã Dominus aduenerit, virtute tamen Euãgelij, quod fide in hac vita receperunt, viuant ſpiritu apud Deum, recepturi carnem ſuam, cùm Dominus iudicaturus aduenerit. Atq; hoc modo probat Apoſtolus 1. Cor. 15. reſurrectionem mortuorũ: Ergo, inquit, & qui dormierunt in Chriſto, perierunt, ſi ſcilicet non reſurgunt mortui. ¶ Alij verò, *Mortuos*, intelligunt eos, qui vicini ſunt morti, & in periculo mortis verſantur. Vnde apud Matthęum Iairus dixit, *Domine, filia mea modò defuncta eſt*; cum Marcus dicat, *In extremis eſt*: & Lucas, *Moriebatur*. Paul' etiam teſtatur ſe in mortibus fuiſſe frequenter; & iterum, *Quotidie morior propter veſtram gloriam, fratres.* Nam & ſimili argumento, probat Petrus ex prædicatione quæ fit morituris, mortuos eſſe iudicandos, quomodò Paulus ex morientium baptiſmo, mortuorum arguit reſurrectionem: *Alioquin quid facient:* inquit, *qui baptizantur pro mortuis,* ſi omninò mortui non reſurgũt? quæ verba Epiphanius in hæreſim Cherinti, de illis qui mortui ſunt, & baptizantur, interpretatur.

Quintus.

Matth. 9. *Marc. 5.* *Luc. 8.* *2. Cor. 11.* *1. Cor. 15.*

Ibidem.

B. Epiphan.

Ea ſententia refellitur.

Sed etſi hæc ſubtiliter ſint excogitata; quia tamen repugnant textui præcedentis capitis, vbi ſpiritus vocat Petrus animas limbi carcere incluſas: & repugnat tot Patribus; qui apertè aſſerunt mortuis fuiſſe euangelizatum: denique repugnat deſcenſui Chriſti ad inferos, quem omnes ex illo loco, & iſto ſtatuunt: præſtat intelligere cum Oecumenio, dicẽte; *Quẽadmodum in mundum adueniens, ijs qui parati erant vt ipſum cognoſcerent, ad iuſtificationẽ venit; ignorare autem cupientibus, ad condẽnationem: ita & ijs qui apud inferos erant. Nã his, qui ſecundum carnem humano more vixerant, ad iudicium aduenit; illis verò, qui ſecũdum ſpiritum vixerunt, hoc eſt, iuxta ſpiri-*

Oecum. c. 6.

tualem, ac honeſtam vitam, ad gloriam, & ſalutem. Itaque & viuorum, & mortuorum iudex meritò dici poteſt. Hæc ille.

Ad V. dub. Quam ob cauſam ad orationem continuã nunc Petrus & charitatem hortetur.

Sextum dubium diluendo, dicim', rectè hanc exhortationem B. Apoſtolum poſt dicta cõtexere. Quia enim finis omniũ rerũ imminet, & conſummatio omniũ Prophetarum, qui Chriſtus eſt, & extremum iudicium, in quo omnia finientur, iam prope eſt: nam omne tempus cõparatione æternitatis, vt & vita cuiuſlibet admodum breue eſt, & cuique cùm moritur, ſui iudicij dies iam venit; rectè ſubiungit: *Eſtote itaq; prudentes, & vigilate in orationibus*: ne illo die incauti, & dormientes ceſſantesq; deprehendamini: & pro verbo, Prudentes, Græcè eſt σωφρονήσατε: id eſt, ſitis ſobrij, vel prudentes. Et huic loco magis quadrare videtur ſobrietas; vbi de orationibus, & vigilijs eſt ſermo. Nam & Chriſtus Apoſtolis dixit: *Vigilate, & orate.* Et illis omnibus præfert charitatem continuam, nimirum proximi, ſicut Dominus præfert miſericordiam ſacrificio, & reconciliationem cum fratre, quia nihil illi proſunt omnia ſacrificia q̃ facit, ſi proximum non diligit. ¶ Et dixit, *Continuam*: quia vigilia, ieiunium, & oratio, continuationem habere non poſſunt, vt ait Beda: Charitas autem, quia interiori homini præſidet, ſemper haberi debet. Oecumenius verò interpretatur, Continuam, hoc eſt, protenſam in longum, & perſeuerantem, ac durantẽ. *Quia charitas operit multitudinem peccatorum*, id eſt, omnium peccatorum veniam p̃ſtat, quia Beati miſericordes, quoniã ipſi miſericordiã conſequentur. Vnde damnatis dicet: *Eſuriui, & ſitiui, & non dediſtis mihi mãducare, & bibere*: quaſi diceret; Peccata veſtra eleemoſynis non redemiſtis, & iniquitates veſtras miſericordijs pauperum. Vnde Eccle. 12. Non eſt, inquit, ei bene, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti. Et quidem cuncta bona opera quæ facimus, culpas quas perpetramus; diluere, & cooperire certum eſt. Sed hoc ideò, vt Beda ait, ſpecialiter de charitate dicitur, per quam proximis noſtris ea quę nobis debent, donamus; quia iuſtiſſimum eſt apud Deum, vt iuxta menſuram pietatis, qua menſi fuerimus, remetiatur nobis. Hæc ille. Porrò multitudo, & vniuerſitas idem ſunt. Hinc & Salomon, Vniuerſa, inquit, delicta operit charitas. Vnde & Abraham pater dicitur multarũ gentium, id eſt, omnium: & Paulus, Peccatores conſtituti ſunt multi, hoc eſt, omnes, & Dan. 12. Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euãgelizabunt pro, omnes, quia ſubditur: Alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper. *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.* Per hoſpitalitatem intelligit vniuerſa opera charitatis externa: quam etiam vult ſine murmuratione exhiberi, quæ eſt occulta maledicentia, ſiue iniqua de alio querela. Et proprium hoſpitis eſt, de his quos excepit, aut expenſis muſſitare, aut de animo ingrato.

Matth. 26. *Supra 9.* *Oſea. 6.* *Matth. 5.* *Beda.* *Oecumen.* *Matth. 5.* *Infra 25.* *Dan. 4.* *Eccl. 12.* *Beda.* *Matth. 7.*

Hebraiſmus in voce multus, vel multitudinis.

Prou. 10. *Geneſ. 17.* *Rom. 4.* *Infra 5.* *Dan. 12.*

Hoſpitalis quis, Petro, ſine murmuratione.

VII. ſolut. quæſtionis. De modo, quo quiſquam accepit gratiam, cum altero debet communicare, & quænã gratia illa ſit.

Ad ſeptimum dubium reſpondendum eſt in illud: *Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes: ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Primò vox illa; Gratiæ, χάρισμα dicitur Græcè, quæ præcipuè omne donum gratis datum, & in aliorum vtilitatem præcipuè tendens ſignificat. Et inde reſoluuntur ea, quæ in contrarium obiecta fuerunt. Non enim loquitur de gratia, quæ gratũ faciens eſt, & quæ de ſubiecto in ſubiectum migrare non poteſt, nec eſt in nobis ſitum illam alteri infundere; quia hęc χάρις dicitur, non χάρισμα. Poteſt tamẽ vſus, atque adeò fructus chariſmatum in aliorum vtilitatem extendi, quatenus dono linguarum, aut prophetiæ, aut operatione miraculorum, vel gratia ſanitatum, vel alijs ſimilibus donis vtimur in beneficium proximi. Ob id enim lux Soli data eſt, non vt in ſe illam retineat, ſed vt in alios effundat, & ita diuitiæ, ſcientia, poteſtas, eius generis ſunt, vt poſſint alijs communicari. *Sicut boni*, inquit, *diſpenſatores.* Diſpenſatores ait, nõ domini, nam ex eo, quod Dei eſt, diſpenſamus, non ex noſtro. Aptè etiã, boni, dixit: quia virtus bonitatis facit homines hilariter in alios conferre. Quod autem ſubiungit: *Multiformis gratiæ Dei*, Gręcè habetur, ποικίλης χάριτος. Vbi vides chariſmata dari pro ratione gratiæ. Sicut & ad Rom. 12. Paulus dixit: Ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν, hoc eſt, habentes chariſmata, ſiue dona pro ratione gratiæ nobis datæ à Deo. Et loquitur de gratia iuſtificante, quæ varia eſſe ſolet pro ratione ſubiecti: & pro illius ratione dantur cætera dona, quę vocat chariſmata. Et quod dixerat in genere, in ſpecie exprimit: *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Videtur Apoſtolos, & Euangeliſtas deſignare, quorum eſt ſermones Dei, & non proprios eloqui, iuxta illud: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Id eſt, Nõ putet quiſpiã veſtrum, quòd ex ſuis loculis expēdat, ſed ex bonis Chriſti. Ac ideò iniuriam Deo facit cuius

Boni diſpenſatores in Eccleſia Dei qui.

Quænam multiformis gratia Dei. *Rom. 12.*

Qui inprimis ex officio loquantur ſermones Dei. *Matth. 10.*

ſunt

Ibidem.

ſunt ſermones, ſi vt ſuos vendit, & in p̄ceptum illud, Gratis accepiſtis, gratis date. Debet etiam dare operam prędicator, vt auditores intelligant, non proponi ſibi verba hominũ, ſed verba Dei: & peccaret pretium aliquod exigendo quemadmodum œconomus ille, qui ab inuitatis à domino ſuo ad prandium, pecuniam exigeret, Iniurius enim talis eſſet domino qui gratis eos inuitarat: & quia donum Dei exiſtimaret pecunia redimi poſſe. Hinc pictores inuenti ſunt, qui, ne ſua opera vileſcerent, donare volebant potius tanquam inæſtimabilia, & pretio carentia, quam vendere. Et hinc damnatus eſt Simon ille Magus, qui voluit pecunia redimere Spiritum ſanctum, vt poſteà venderet.

Quales miniſtri Dei non dantes quod gratis acceperunt.

Actor. 8.

Subdit: ***Et qui miniſtrat, tanquã ex virtute, quam adminiſtrat Deus.*** Diaconi denotantur, qui ex virtute Dei conferebãt Sacramenta, & temporalia bona Epiſcopi in pauperes diſpenſabant. Nam bona, quæ collata ſunt Eccleſijs, & addita Chriſti patrimonio, in vſus pauperum liberaliter ſunt eroganda, ***Vt in omnibus***, (donis ſcilicet ſuis) ***honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria, &c.*** Cuius morte, & ſanguine empta ſunt hæc dona, vt gratis communicentur, non vt dæmones honorentur, vel emens, aut vendens ſibi quicquam tribuat. Tollitur etiã per hæc verba ſuperbia, ſicut & auaritia, qua vendit non ſua Chriſti miniſter, facitq; donum Dei ipſum vili æſtimari: imò Eccleſiam, quæ ſimul cum beneficio redimitur. Principium autem vitæ Chriſtianæ, virtutis eſt prudentiæ, tanquam dirigentis: charitatis autem eſt, vrgentis, & inclinantis: cauſa verò hæc impetrans, eſt oratio: & horum effectus, eſt temporalium, & ſpiritualium communicatio.

Diaconorũ officiũ hic expreſſum à Petro.

Finis donorũ Dei, quis ex eodem.

Simonia quid.

Sol VIII. dub. In illud: Nolite peregrinari in feruore.

Ad octauum dubium ſoluendum accedimus: Poſt exhortationem igitur generalem ad omnes virtutes amplectẽdas adhibitam, dicimus, apoſtolum redire ad patientiam, ad tentationum tolerantiam de qua hoc loco, & per totam ſparſim epiſtolam agit. Chriſtiani enim tunc temporis multa moleſta, & grauia propter nomen Chriſtianum patiebantur, atque id nullo aliquo ſuo ipſorum demerito. Propterea ait: ***Nolite peregrinari.*** Hoc eſt, Ne miremini, dum per ignem exploramini, quæ res ad experimentum nobis contingit. Nolite ergo mirari tanquam de re noua, & inſolita, & à Dei amicis aliena. A primo enim Abele vſque ad vltimum electum, qui in fine ſeculi naſcetur, nunquam perſecutio impiorum ceſſabit. Exploramini enim per ignem, vt vobis ipſis innoteſcatis quam ſitis fortes, & in pietate conſtantes. Additq́ue, ***In feruore, vel combuſtione.*** Quo verbo alludit Petrus ad explorationem auri, quæ per ignem fieri ſolet, iuxta illud: Tanquam aurum in fornace probauit illos: & ad verba, quæ primo c. dixit: ***Vt probatio fidei veſtræ multo pretioſior auro, quod per ignem, probatur inueniatur, &c.*** Magnum eſt ad patientiam incitamentum, quòd tribulationibus à Deo immiſſis probemur: qui tamen non vult niſi bonum noſtrum. Deinde, quod nouum non ſit pios in hac vita affligi. Adhæc, quod maius eſt ad patientiam calcar, quod per patientiam ſimiles Chriſto paſſo euadamus, & ex eôdem cum Chriſto calice bibamus; quod certè magnum habet gaudij argumentum, per quod læti ad æternum gaudium tranſeamus. Ideò iſtos à principio vocauit chariſſimos, cum ſcriptum ſit: ***Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.***

Geneſ. 4.

Sapient. 3.

Quantum conferat ad patientiam tribulatio.

Cant. 5.

Quod Si ***exprobramini in nomine Chriſti:*** quod ſequimini, & profitemini, & probra ſuſtinetis: ***Beati eritis.*** Id eſt, Scitote quoniam beatitudo vos expectat, iuxta illud: Beati eſtis, cũ maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. ***Quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcet.*** Græcè conciſius habetur: non enim Græca habet litera verba illa, virtutis, & gloriæ: addit tamen quædam alia, quæ in vulgata editione non ſunt, nimirum: ***ſecundum ipſos quidem blaſphematur, ſecundum vos vero glorificatur;*** ſcilicet Spiritus ſanctus, vel ſubaudiri poteſt: Quod eſt honoris Dei, vel Dei Spiritus. Et alludit Petrus ad verba Eſa. 11. vbi Spiritus ſanctus ſeptiformis dicitur requieſcere ſuper Chriſtum, & in eo manere, vel habitare. Et alibi per Eſaiam ait Dominus: ***ſuper quem requieſcit Spiritus meus***, & quæ ſequuntur. Docens per hoc quòd qui paſſionum Chriſti fuerint participes, in gloria quoque ac donis cœleſtibus cum eo communicabunt.

Probra pro Chriſto patientium merces quãta.

Matth. 5.

Eſaia 11.

Infra vlt.

Sequitur nona dubitatio diluenda circa illud. ***Nemo autem veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur.*** Senſus eſt: Abſit vt quiſquam veſtrum in peccata, quæ ſcandalũ in Republica generant, incidat, vt ſunt furtum

Ad IX. dubitat. Quo ſenſu neminem dicat Petrus pro malefactis pati de-

bere, bene tamen atque etiam libenter ꝓ Chriſto.

furtum, homicidium, aut maledicus, ſiue facinoroſus, aut alienorum appetitor. Vel, vt Græcè dicitur, ἀλλοτριεπίσκοπος, hoc eſt, alienorum inſpector, vel explorator, quales ſunt, qui ſecreta aliena explorant, aut qui literas alienas inſcio domino ſcrutantur, aut qui ſeruos alterius tormentis vexant, vt ſecretum aliquod excutiant. Gregorius tamen, & Beda legunt, maledicus, quaſi legerent κακοποιός. Ac ſubdit: *Si autem vt Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Senſus eſt: Si quis vt Chriſtianus patitur, ſciat Chriſtiani nomen eſſe profeſſionis, ſicut Platonicus, vel Peripateticus.

Greg. libr. 5. Moral. c. 16. Beda.

Ad X. dub. Circa illud Temp⁹ eſt, vt incipiat iudicium à domo Dei. *Gloſſ. ordi.*

Decimum fuit dubium circa illud, *Quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.* Admonet gloſſ. ord. geminum inueniri in ſcripturis iudicium Dei; alterum, quod eſt occultum temporalis afflictionis, alterum verò manifeſtum, quod eſt retributionis æternæ. Primum, eſt veluti iudicium præuium, vt vltio, & retributio fiat. Quaſi diceret; Tempus eſt vt condemnatio, vel punitio peccati fiat, & initium accipiat à ſanctis, in quib⁹ Deus, velut in templo, ac ſancto inhabitat. *Quoniam tempus eſt*, inquit, *vt incipiat iudicium à domo Dei.* Laudand⁹ ſiquidem eſt Deus, ſi quis patiatur vt Chriſtianus, quia hinc cognoſcitur quis eſſe de domo, ac familia Dei. Et iudicium, eſt afflictio, iuxta vindictã, de qua Apoſtol⁹ dixit, *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt nõ cum hoc mundo damnemur.* Quod verò ait, iudicium incipere à domo Dei, domum Dei, templum vocat, alludens ad nonum caput Ezechielis, vbi Dominus Angelis præcipit: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini, &c. Omnem autem, ſuper quem videritis Thau, nec occidatis, & à ſanctuario meo incipite.

1. Cor. 11. Petri alluſio ad Prophetam. *Ezech. 9.*

Extra Eccleſiam qui ſint. *1. Corin. 6. Epheſ. 2. Ioan. 8.*

Ac ſubdit Petrus: *Si autem primũ à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euãgelio?* Foris, id eſt, extra Eccleſiã, ſunt non credentes Chriſto, de quibus Paulus: *Quid mihi de iis, qui forìs ſunt, iudicare?* Eccleſia ergò Dei poteſt dici continere ciues ſanctorum, & domeſticos Dei, & filios, qui in domo manent in æternum. Auguſtinus tamen hunc locum explicans putat hìc idem dici à Petro, quod Paulus dicit in poſteriori ad Theſſalonicenſes cap. 1. Iuſtos tribulari in hoc mundo, in exemplum, ſiue declarationẽ iuſti iudicij Dei. Non enim ſolùm voce prædicatum eſt mundo, venturum iudicium, ſed opere etiam Dominus oſtendit, quàm ſeuerè ſit vindicaturus peccata impiorum, quando tam horribiliter afflixerit ſanctos martyres. Et ſi in viridi ligno ita cum Sanctis factum eſt, in arido quid fiet? De quibus hic dicit Apoſtolus, *Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euãgelio?* Teſtatur Baſilius, naturale eſſe, erga eos, qui nobis domeſtici ſunt, vt ſeueriores ſimus, quàm cum externis.

Aug. lib. 20 de Ciu. Dei. c. 1. & 2. &c. 5. & lib. 22. contr. Fauſt. c. 14. tom. 6 Cur iuſti in hoc mundo patiantur ſecundum Apoſtolum. *Luc. 23. B. Baſilius.*

Ad XI. dubit. in id. Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, &c. *Prouerb. 11* Vtrum aliud ſit peccator, aliud impius.

Decimò dubitatum fuit in illud: *Et ſi iuſtus quidem vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Quibus verbis alludit ad illud Prouerb. 11. *Si iuſtus in terra recipit, quanto magis impius & peccator?* In quę verba Didymus quærit, vtrum aliud ſit peccator, aliud impius? Reſpondet, impium eſſe, qui omninò extra Dominum eſt: peccatorem, quem Deus continet, ſed ille contemnit eum, dum tranſgreditur leges eius. Si verò aliquando in textu idem peccator, & impius inueniatur, differentiam tamen habebit in intellectu. Poſſibile eſt autem eum, qui peccat, mox & impium eſſe, quando per contemptum impiè agit in Deum. Hæc ille.

Impiorum quã ſeuera punitio in die iudicii. *Eſaiæ 2. Oſeæ 10. Lucæ 22. Apocal. 6. Lucæ 22.*

Pro his verbis legunt 70. quos producit Petrus: *Si iuſtus vix ſaluatur, impius, & peccator vbi parebunt?* ſcilicet ante Deum: quia dicent montibus, *Cadite ſuper nos*, & collibus, *operite nos*, ſeu vt Ioannes ait, *Abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni.* Et vtraque lectio confirmatur ſententia Chriſti, dicentis; *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Nam ſi in ſeruis ſuis, & electis tam parua peccata ita punit, quid expectandum vt faciat cum impijs, & capitaliſſimis inimicis ſuis?

Marc. 10. Qũd torres myſticè in Prophetis. *Amos 4. Zach. 3.*

Et ait: *Vix ſaluatur*, quod Gręce eſt μόλις, hoc eſt, vix, & difficulter. Et vt dixit Dominus apud Marcum: *Nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, &c. propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc*, & reliq. *cum perſecutionibus.* Quare meritò iuſtus vix ſaluandus dicitur: ſicut Amos, & Zacharias Prophetæ tribulatos, torres vocant raptos de igne, vel de incendio, & Iudas Apoſtolus in Catholica ſua: Illos vero ſaluate, de igne rapientes.

Solut. XII. quæſtiõis. Quid ſit fideli creatori commendare animas ſuas in benefactis. *Matth. 5.*

Ad poſtremo loco propoſitum reſpõdendum eſt in illis verbis: *Itaque & hi qui patiũtur ſecundum voluntatem Dei fideli creatori commendent animas ſuas in benefactis.* Hoc eſt: Quia iuſtus vix ſaluatur, non ſolùm vulgus Chriſtianorum, ſed illi, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, ſolicitè commendent Deo animas

ſuas

ſuas pro animi ſui modeſtia benefaciendo, & ſe Deo committendo; nequaquam autem ſe extollendo, quia patiuntur pro Deo, & Euangelio; quemadmodum Chriſtus fecit in Cruce, in manus Patris commendando Spiritum ſuum, & Stephanus, *Domine*, inquit, *Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum*. Commendent autem fideli Creatori, ſiue conditori, dixit Petrus: quia eiuſdem potentiæ eſt condere, & conſeruare. Depoſitum enim apud fidelem cuſtodem deponitur, vt tutum conſeruetur, iuxta illud Pauli: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* Et verbum, *Secundum voluntatem Dei*, iungendum eſt cum verbo, *Patiuntur*. Illi enim bene patiuntur, qui ſecundum voluntatem Dei patiuntur.

Luc. 23. — *Act. 7.* — Conſeruationis beneficiũ Dei quantum ſit. — *2. Tim. 1.* — Quinam bene patiantur.

Neque quia dixit, *In benefactis*, propterea docuit fidendum eſſe in viribus noſtris, aut in ſolis operibus bonis: ſed docuit qua ratione debeant, qui aduerſis affl ctantur, ſibi proſpicere: nam & precibus, & bonis operibus Creatorem ſibi demereri debent, & omnia officia, quæ pro loco, & tempore præſtare poſſunt, amplecti: vt Chriſtus, & Sancti exemplo ſuo præſtiterunt, nam multos ex aduerſariis ſuis Deo lucrifecerunt. Quanquam etiam poſſimus producere Apoſtolum, qui abſoluto curſu ſuo, & peracta militia dixit: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Ac licet paulò ſuperius dixerit, iuſtum vix ſaluari, quod Hieronymus refert ad diem iudicii: non tollit tamen confidentiam in eo, qui fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis: quia iuſtus, ait Salomon, ſicut leo confidens, abſque terrore erit. Et iuſtos qui multa perpeſſi ſunt ab impiis, non ponit eos Scriptura trepidaturos, ſed potius ait ſtaturos in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: & Paulo teſtante, propria conſcientia defendet iuſtos ab omni timore amittendæ ſalutis.

Quatenus fidendum ſit benefactis. — *2. Tim. vlti.* — *Hieron. lib. 2. aduerſ. Pelag. tom. 2.* — *Pſal. 144.* — *Prouer. 28.* — *Sap. 5.*

DISPVTATIO VIII.

In verba quinti Capitis illa: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator: Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam,* & reliqua vſq; in finem Capitis quinti.

CIRCA hoc poſtremum caput, Primùm de Scopo diſſeremus, & quomodo hæc cum præcedentibus conſonent. Deinde dubitatur, quos hic vocet Petrus Seniores: cur item ſe conſeniorem, ac teſtem paſſionum Chriſti appellet, & gloriæ futuræ reuelandæ communicatorem. Tertiò ambiguum eſt, quale ſit hoc mandatum paſcendi, diuinum ne, an Eccleſiaſticum, ſeu Canonicum, ac pontificium. Quartò, expendendæ ſunt conditiones paſtorum in actu, & munere paſcendi obſeruandæ: quarum prima eſt, *Paſcendi non coactè, ſed ſpontanee.* Secunda: *Nec turpis lucri gratia, ſed voluntariè.* Tertia: *Neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Denique quæ eſt illa immarceſcibilis gloriæ corona, quæ repoſita eſt benè paſcentibus. Circa quæ dubitatur vlterius, cur de gradibus eorum, qui Eccleſijs præficiuntur, mentionem nullam fecit, nimirum epiſcoporum, Archiepiſcoporum, qui & metropolitani dicuntur, & de Primatibus, qui & Patriarcho, ac demum de ſuprema vniuerſæ Eccleſiæ poteſtate, quæ ſita eſt in Papa, ſiue in epiſcopo Romano: nam ſi de his hoc loco deſeruiſſet, multum lucis attuliſſet ad agnoſcendum ordinatam Eccleſię hierarchiam, & illos, qui eis præficiuntur. Quintò dubitatur, qui ſunt illi adoleſcentes, quos vult eſſe ſubditos ſenioribus: poteſt enim ad inferiores clericos, & diaconos referri, quorum eſt Epiſcopis ſubeſſe: poteſt & ad omnes ætate adoleſcentes, vt cedant ſenioribus, maturioribuſque; quos omnes ad ſubiectionem, & humilitatem adhortatur. Simul rationem reddit: *Quia Dominus*, inquit, *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

1. Dubitatio. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Tres conditiones boni paſtor. à Petro traditæ. — Quinta.

Sextò dubitatur in illud: *Omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis,* quorſum hoc ait Petrus, & quomodo hortetur ad tantam in Deum confidentiam, vt nihil nobis, vel noſtrę induſtriæ, aut labori tribuere videatur: cùm tamen nobis conſtet, quòd qui non ſeminant, nec metunt, & qui non plantant, nec fructus arborum percipiunt, & nos niſi gratiæ Dei cooperemur, non habebimus vitam illam perpetuam, quam ſperamus,

Sexta. — *1. Cor. 9.*

Gen. 3.

cum ſcriptum ſit: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo: quod non tam de corporeo pane intelligendum eſt, quam de cœleſti.

Septima.

Septimò, cum ait: *Sobrij eſtote, quia aduerſarius veſter diabolus, &c.* videtur hortari nos ad pugnandum, & reſiſtendum dæmoni. Et ſanè durum videtur præceptum: nam impar eſt congreſſus, cùm ille ſit viribus longè validior, ſcientia, & aſtutia multò ſagacior, & experientia maior: adde, quòd nos videt, cum tamen à nobis videri nequeat, qui reputat quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs, vt ait ſanctus Iob. Deinde nos odio inſatiabili, & inueterato proſequitur, & vtinam nos tanto amoris affectu nos proſequamur, quanto ille odio nos proſequitur. Deinde præcipit vt illi reſiſtamus: ſed quæ poteſt eſſe reſiſtentia pueri ad gigantem fortiſſimum? aut quis rapidiſſimo fluuio vno digito obſiſtere poteſt? Denique non videtur ſatis eſſe reſiſtere, niſi etiam hoſtem vincamus, ac ſuperemus, quò meritum nobis poſſit conſtare.

Iob 41.

Octaua.

Octauò dubitamus circa illud verbum: *Per Syluanum fidelem fratrem vobis, vt arbitror, breuiter ſcripſi,* quis iſte extiterit Syluanus per quem alias ab iſtis literas ſe ſcripſiſſe, inſinuare videtur: nunquid ergo tres epiſtolas dictauit? Poſtremò, quæ eſt illa Eccleſia, quæ erat in Babylone; cur eam vocat coelectam, & denique quis ille Marcus, quem filium ſuum vocat, an forſan ille Euangeliſta, an alius, qui dicitur Ioannes cognomento Marcus, & conſobrinus Barnabæ, de quo Act.12. & 15.

Nona.

Ad I. dub. Quid Petro propoſitum in hoc capite, tam quæ ſit [earum] cum ſuperioribus continuitas atque colligatio.

Ad hæc per ſingula reſpondendum eſt, & ad primum in primis dicimus, Petrum Apoſtolum poſt diuerſa monita, & documenta Eccleſiis, & ſingulis hominum, qui Chriſti fidem profitentur, fratribus exhibita, iam ad ſuperiores & eos, qui tamquam paſtores curam Eccleſiarum gerebant, ſermonem ſuum dirigere. Nam vt regni ſalus in rege, & ouium incolumitas in paſtore, & membrorum ſanitas in capite conſiſtit; ita Eccleſiarum, ac ſubditorum ſalus, in eis, qui illis præſunt, & qui eos ſalutari verbi Dei pabulo, & vitæ ſanctioris exemplo prælucent, ſita eſt.

Deſcendit autem ad hanc exhortationem, quoniam ſuperius dixerat: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquutur, quaſi ſermones Dei, Si quis miniſtrat, &c.* ſiue quod ad ipſum ſupremum ouilis Dominici Paſtorem Romanum Epiſcopum ſpectabat, inferioribus, & in partē ſolicitudinis vocatis Paſtoribus, leges & præcepta præſcribere, & vt ipſæ oues eorum non ignorarant, quid ſibi eſſet à ſuis Doctoribus, & Epiſcopis expectandum. Propterea enim hanc doctrinam conſcriptam ex vrbe Roma miſit, vt poſteri omnes intelligerent, ab illo Paſtore, ſiue Epiſcopo, qui vrbi illi præficitur, accipiendas eſſe leges, & ſententias, quibus tum in doctrina Euangelica, ac in fide, & Sacramentis, tum in ſanctis bonorum morum inſtitutis, & documentis, & paſci, & confirmari debent: ſiquidem illi dictum fuit: *Paſce oues meas,* &, *Confirma fratres tuos.*

Romani pontificis in Eccleſiam vniuerſam cura, & prouidentia.

Ioan. vlt. Luc. 22.

Ad II. dub. Quos vocet hic ſeniores Apoſtolus, & quare.

Vocat autem Epiſcopos, ſeniores, ſiue Græca voce πρεσβυτέρους: ſe autem vocat ſeniorem, συμπρεσβύτερον, id eſt, vnum ex ipſis, cōſiderans magis quod ſibi cum reliquis omnibus commune eſſet, ob humilitatem & modeſtiam, & mutuam amicitiam indicandam, quam ſummopere in hoc capite vrget: quàm, quid ſibi proprium eſſet, & ſingulare ſupra omnes alios, id eſt, Paſtorem eſſe vniuerſalis Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti. Et quia ſubdit: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei,* ſatis oſtendit ſe non agere de ſenioribus ætate, ſed de ſenioribus in officio, & gradu honoris Eccleſiaſtici, præſertim in Epiſcopatu conſtitutis. Ita enim docet B. Hieronymus in epiſt. ad Euagrium, & ex cap. 20. Actorum oſtenditur, Paulum Apoſtolum eos, quos paulò antè vocauerat ad ſe, maiores natu, hoc eſt, presbyteros, mox appellare Epiſcopos, cum ait: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, &c.* Et quem Paulus in Epiſtola ad Timotheum vocat Epiſcopum, in illa ad Titum vocat presbyterum: & paulò pòſt eodem loco vocat Epiſcopū, quem dixerat presbyterum.

Hieron. epiſt. Act. 20.

1. Tim. 3. Tit. 1.

¶ Videtur autem hoc nomen tractum ex eo, quòd qui ætate ſeniores ſunt, prudentiores, & maturiores eſſe conſueuerunt, atque adeo affectus animorum magis edomitos, & ſedatos habere: quòd olim in Republica externa magiſtratus cura, & plebis adminiſtratio illis tribueretur. Hinc rectè inſtitutum in Eccleſia fuit, vt nemo ad Epiſcopatum triginta annis minor, & illis quidem completis, promoueretur. Cogitent ergo illi, ad quos ſpectat has promotiones facere, quomodo Epiſcopi ætate, & moribus pueri accipi poſſint vt ſeniores, cùm morū grauitate, & ætate deſtituātur: quod ſanè magnū alioqui & grauiſſimum eſt incommodum.

Nomen ſenioris vnde traxerit Apoſtolus.

Inepti ad Epiſcopatum qui.

Vocat etiam ſe teſtem Chriſti paſſionum, & mortis; quia & capturæ eius inter

Cur Petrus ſe teſtem Chri[ſti]

fuit,

ſti paſſionum appellet. *Ioan 18.*

fuit, & in domo Pontificis, vbi flagellatus ille, & damnatus, præſens fuit, & ab ancilla, & alijs ter interrogatus; vbi & ter Dominum abnegauit. Ipſe etiam propter nomen Christi in carcere Herodiano fuit, & in carcere Neronis Romæ detentus, vbi vincula, verbera, & crucem tandem eſt expertus, Christus enim piorum afflictiones, ſuas eſſe dicit, iuxta illud: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Ipſe etiam Romæ oculis ſuis conſpexit vxorem ſuam ad mortem duci, vt teſtis eſt Clemens li. 7. Strom. Sunt enim quidam teſtes, vt ita dicam, verbales, qui verbo tenus teſtantur: alij verò teſtes paſſionum, qui ſua humilitate, & patientia teſtantur Christi fidem, de qua apud Lucam dixit Dominus: *Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in Synagogas, & cuſtodias, trahentes ad Reges, & Præſides propter nomen meum.* Et ſubdit ſtatim, *Continget autem vobis in teſtimonium.* Id eſt, eo ipſo quia affligimini, teſtimonium perhibebitis doctrinæ meæ. Summum enim teſtificandi genus doctrinæ Christi, eſt ſanguine, & morte teſtari. Vnde per Antonomaſiã Martyres vocantur, qui pro Christo morte teſtificantur.

Act. 12. — Christi charitas. *Sap. 9.* — *Clem. tom. 2.* — Teſtes verbales qui. — *Luc. 21.* — Teſtimonij Martyrum præſtantia.

Addit: *Qui & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ communicator.* Superiùs cap. 1. dixerat de hæreditate incorruptibili, & incontaminata, &c. illam paratam reuelari in tempore nouiſſimo, & Paulus, Non ſunt, inquit, condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Communicatorem autem ſe vocat paſſiuè, id eſt, factum conſortem, & participem. Hoc autem, vel quia certò nouerat electionem ſuam, & præſciebat Christum rogaſſe ne deficeret fides eius: vel quia reuelauerat ſibi Ieſus Christus mortem, qua eum clarificaturus erat. Huius etiam gloriæ particeps fuit, quando in monte transfiguratum Christum, & glorioſum ſpectauit. Interfuit etiam Christi in cœlum aſcenſioni, cuius cum tot millibus animarum abeuntis, cum eo ſimul aſcendentium ſpectator fuit.

Quomodo Petrus communicator ſit gloriæ cœleſtis. *Rom 8.* — *Luc. 22.* — *Ioan. vlt.* — *Matth. 17.* *2. Petr. 1.* *Act. 1.*

Ignorare etiam volens ſuam ſupremam autoritatem, ait, *Obſecro.* Vt humilitatis etiam ſucceſſoribus ſuis, exemplum relinqueret, obſecrat, qui imperare poterat. Et videtur obſeruaſſe Pauli præceptum dicentis, Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem. Et ſibi conſonant Apoſtoli non tantum in doctrina, & vita, ſed etiam in ſermone. Non enim exercet Petrus poteſtatem, quam reprehendit Dominus per Prophetam, Cum auſteritate imperabitis eis, & cum potentia. In Eccleſia autem primitiua in ſummo honore habebatur, qui prò Christo afflictiones ſuſtinebat. Paulus etiam ſuam tuetur autoritatem, recenſens qualia, & quanta paſſus ſit pro Christo, in poſteriori ad Corinthios cap. 11. & Cyprianus lib. 1. epiſtol. 3. ad Cornelium: *Cæterum (dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulſus) quando Epiſcopus in locum defuncti conſtituitur, quando populi vniuerſi ſuffragio in pace deligitur, quando Dei auxilio in tribulatione protegitur, collegis omnibus fideliter iunctus, plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio iam probatus, in quiete ſeruiens diſciplinæ, in tempeſtate proſcriptus, applicito, & adiuncto Epiſcopatus ſui nomine, toties ad leonem petitus, in circo, in amphitheatro Dominicæ dignationis teſtimonio honoratus, his ipſis etiam diebus, quibus has ad te literas feci, ob ſacrificia, quæ edicto propoſito celebrare populus iubebatur, clamore popularium ad Leonem denuo poſtulatus in circo: cum talis frater chariſſime à quibuſdam deſperatis, & perditis extra Eccleſiam conſtitutis impugnari videtur, apparet quis impugnet.* Hæc Cyprianus.

Cur Petrus obſecrat, qui poterat iubere. — *1. Tim 5.* — *Ezech 34.* — Qui pro Christo patiebatur, quanti fiebat in Eccleſia primitiua. — *Cypr. epiſt. ad Cornelium Papam, ante medium.*

Ad tertium: apponit præceptum ipſum paſcendi. *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei, &c.* Deus ipſe ſummus vniuerſi moderator, & paſtor, Filio ſuo Ieſu Christo poteſtatem, & mandatum paſcendi dedit, dum per Prophetas dixit, *Suſcitabo ſuper eas* (oues ſcilicet) *Paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid:* nam Dauid, typus fuit Christi, qui primò paſtor ouium, deinde paſtor populi Iſrael fuit. Et hic vocatur princeps paſtorum: ad Heb. 12. vocatur Paſtor magnus. Hos autem titulos meritò ſibi vindicauit Dominus, quia paſtor eſt vniuerſalis, & qui omni tempore paſcit fide, & gratia ſua, ſanguine quoque ſuo oues ſuas redemit, & carnibus ſuis illas paſcit, & in omnibus, qui bene paſcunt, ipſe paſcit, & lupum illum rapacem, ouiumque ſanguinem ſitientem, ab ouili ſuo fugat. Hic à nobis corpore diſcedens, & abiens in cœlum, Petrum totius Eccleſiæ paſtorem reliquit, eique mandatum dedit, Paſce oues meas, à me creatas, redemptas, & congregatas. Rurſus Petro poſt Christi abſentiam incumbit proſpicere de paſtoribus per vniuerſa loca, ne oues ob defectum paſtorum à lupis deuorentur, & paſcuorum carentia, quæ ſunt verbum, & Sacramentum, fame pereant, & ne malorum paſtorum exemplo oues ſimul cum paſtoribus intereant. Hinc Gregorius Nazianze. in Apologetico fugæ ſuæ ait: *Vnde ſane gregem potiſſimum volun-*

III. dub. ſolu. De præcepto paſcendi Dominicum gregem diuinis, & humanis, & eccleſiaſtici. — *Ezech 34.* *Pſalm. 77.* *1. Reg 16.* — Christi paſtoris inſignia. — *Ioan. 10.* — *Infra 12.* — Paſcua Christi quæ. — *Greg Nazianz. paulò*

prædicationem, Sacramenta, & obedientiam, reliquit vnum, & externum, & vniuerſalem Paſtorem, id eſt, Petrum, & Petri ſucceſſorem, cum quo curam habente omnium ouium, Eccleſiam vniuerſalem regeret. Hic verò vniuerſalis Epiſcopatus, aut Paſtoratus, dicitur omnibus qui præſunt in Eccleſia, donatus, non quidem quod quiſque ſit paſtor vniuerſalis, ſed quòd quilibet partem Dominici gregis paſcat. Ita enim dicit B. Petrus cum reliquis Apoſtolis in vnum congregatis apud Clementem libr. 6. capit. 14. Apoſtolicæ traditionis: *Scripſimus vobis Catholicam hanc doctrinam ad confirmandos vos, quibus vniuerſalis Epiſcopatus commiſſus eſt.* Eleutherius quoque Papa ad Gallicanos Epiſcopos: *Vobis*, inquit, *huius rei cauſa vniuerſalis commiſſa eſt Eccleſia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non recuſetis.* In quem locum impingentes Centuriatores: *Quomodo*, inquit, *ſi hoc verum eſt, Sedes Apoſtolica primatum obtinuit? Sed reuera hæc non repugnant ſibi inuicem. Vobis, inquit, commiſſa eſt Eccleſia Catholica: ſed vnicuique veſtrum ſua particularis Eccleſia, quam ſuſcepit regendam, & in qua, tanquam lucerna in candelabro, poſitus eſt.* Similia docet magnus Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ, ſeu de ſimplicitate Prælatorum, vbi probat Epiſcopatum vnum, & vniuerſalem, & indiuiſum, cuius pars à ſingulis in ſolidum tenetur, quia vnuſquiſque, vt ipſe ait, portionem gregis ſibi creditam gubernat. Verba B. Cypriani hæc ſunt: *Hanc Eccleſiæ vnitatem, qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit? qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando & B. Paulus Apoſtolus hoc idem doceat, & Sacramentum vnitatis oſtendat dicens: Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna ſpes vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus? Quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, vt Epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus. Nemo fraternitatem mendaciter fallat: nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat: & epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Hactenus Cyprianus. In ſolidum etiam dixit, quia vt idem lib. 1. epiſt. 3. ſcripſit, ſingulis paſtoribus portio gregis adſcripta eſt, quam regat vnuſquiſque, & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus. Sic ille. Sed reuera intellige, non tantùm Domino, ſed etiam eius Vicario Pontifici Romano, cuius tribunal ab illo Chriſti non diſtinguitur. Et cùm ait Cyprianus, vnum eſſe epiſcopatum,

Qualis intelligi debeat vniuerſalis Epiſcopatus omnibus Eccleſiæ præpoſitis traditus atque commiſſus.

Clem. Rom.

Eleuth. Pontif.

Contra Centuriatores.

Matth. 5.

Explicatur hoc dictum Cypriani: Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidū pars tenetur.

Ephe. 4.

Idem ad Cornelium Papā.

&c. non negat, vnum Epiſcopum eſſe omnibus ſuperiorem, ſine quo nec eſſet vnus Epiſcopatus, imò ſecundùm iuris peritos, quando vnus tantùm poſſidet, non dicitur in ſolidum poſſidere: ſed vt in ſolidum poſſidere dicatur, opus eſt vt alius etiam ſimul poſſideat: idcircò etſi particularis Epiſcopus ſuas oues in ſolidum dicatur poſſidere, tamen ſimul eas cum Romano Pontifice poſſidet. Quando namque aliqui ex infidelitate conuertuntur ad Chriſtum, ſimul fiunt oues Petri, ſiue Romani Pontificis: quo conſtituente peculiarem Epiſcopatum ſuper illas nouas oues, non adimit ſibi curam illarum, quas prius habebat, ſed in ſolidum earum curam cum nouo Epiſcopo tenet. Hoc enim loco Cyprianus peculiares Epiſcopos inuicem comparat, qui parem poteſtatem habebant circa ſua ouilia. Nec enim tunc erant caſus peculiares cōſcientiæ ipſi Pontifici reſeruati: proinde quiſque poterat quæ alij in ſua diœceſi, & ob eam cauſam partem ſui Epiſcopatus in ſolidum tenebat. Non poteſt autem dici, quòd Papa in ſolidum teneat Eccleſiam ſuam Romanam, quia ſolus illam tenet. Decuit autem vt ſolus haberet peculiarem vnam Eccleſiam, vt in ea regenda, & adminiſtranda haberent cæteri omnes inferiores paſtores exemplum bene regendi, & paſcendi, & diſcerent vtiliter Eccleſiæ ſuæ præeſſe, ſicut Chriſtus rexit Eccleſiam Ieroſolymitanam, & exemplo dando Petro, & alijs Epiſcopis. Sicut etiam decuit vt haberet partem Regni, ſiue Imperij temporalis, vt habet in Epiſcopis temporalem ditionem habentibus, vt in ea regenda, & adminiſtranda, præter alias vtilitates prælluceret Regibus & Principibus laicis Chriſtianis, vt cum clementia, & mititate gubernarent, non more Principum, de quo: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent inter eos* (ſed illo, quem ſubiungit) *Non ita erit inter vos: ſed quicunque voluerit, &c.* Vbi videtur inſinuare ſuos miniſtros eccleſiaſticos aliquando etiam præfuturos temporalibus, & ſecularibus mundi negotijs, ſed non immediatè per ſe vſum gladij adminiſtraturos ob indecentiam. Papa igitur, vt diximus, non poteſt dici in ſolidum tenere Eccleſiam ſuam Romanam, quia ſolus illam tenet, & non alij cum eo, niſi quatenus partes conſentiunt cum toto, aut membra cum capite. Nec etiam quatenus Romana Eccleſia denotat vniuerſalem, ratione capitis vniuerſalis, quia ſequeretur quòd ipſa ſeipſam teneret. Non eſt

Cur ſpirituali Eccleſiæ ditioni temporalis etiam ditio ſit annexa.

Matth. 20.

Cur Pontifex Romanus dici nequeat quod Romanam Eccleſiam in ſolidum teneat, ſicut cæteri paſtores.

Ariſtot lib. 2 Metaphyſ. ex Homero.

Tertia interpretatio illorū verborum Cypriani.

ergo ſenſus verborum Cypriani, quòd quilibet Epiſcopus in ſolidum teneat Epiſcopatum vniuerſalem, quia non eſt bona multitudo Principum: & quia quiſque poſſet in diœceſim, vel ditionem alterius. Deinde poſſemus illis verbis tanti Patris tribuere aliam intelligentiam non ineptam, aut malam. Nam quia Epiſcopi eſt tractare de fide, & doctrina Catholica, & ſacras literas interpretari, & contra hæreticos ſenſus decertare, & fidem propugnare: ideò qui rectè hoc facit, & ſcribendo illuminat totam Eccleſiam, poteſt illi tribui commiſſa Eccleſia Catholica, & totius Eccleſia præfectura. Vnde Gregorius Nazianzenus in oratione, laudat Athanaſium: *Creditur*, inquit, *illi populi Alexandrini præſidentia, quod perinde eſt ac ſi dicam, totius orbis præfectura. Id eſt, ſic præfuit vt vniuerſis praeeſſet, quia fides, quam ille ſartam tectam defendit, ad omnes ſpectat.* Simile idem Gregorius tradit in oratione de Cypriano, cui Eccleſia Carthaginenſ. tradida eſt. Et ſubdit: *Non enim ſoli Carthaginenſi Eccleſiæ præfuit, aut Africa, quæ merito eius vſque in hodiernum diem celebratur, ſed vniuerſo Occidenti, imò Orienti ferè ipſi, & Meridiei, ac Septentrioni, quòcunque ille admiratione ſui peruenit.* Hæc ille ſanctus. Iuxta cuius doctrinam vniuerſalem quodammodo ei Epiſcopatum commiſſum dicere poſſumus, & vniuerſas Eccleſias, cum quibus Carthaginenſis in fide cohærebat, ſanctitatis illius fama, & ſanctæ gubernationis exemplum, & Catholicæ illius fidei, ac doctrinæ traditio peruenit. Hac ratione plures Epiſcopos Catholicos, ſiue œcumenicos admittere poſſumus, ſed vnum à Deo inſtitutum vniuerſalem ſuper omnes alios quos regat. Non autem ſimiles illi Ioanni Conſtantinopolitano, quem literis corripuit Gregorius Romanus ob vſurpatum titulum Oecumenici, quaſi ipſe ſolus eſſet, & nullus alius Epiſcopus; aut quaſi Papa Roman. inſtitutus ipſe à Chriſto fuiſſet.

Gregorij Nazian. de Athanaſio, & Cypriano honorifica teſtimonia.

Petri tituli ex Clemente Romano, contra Lutheranos.

Petrus ergo intellexit datam autoritatem in Eccleſiam ſtatuendi magiſtratus, officiales, Epiſcopos, presbyteros. Hæretici intelligunt in ſe etiam alios Epiſcopos, factos ſibi pares, & vniuerſales, cùm tamen priùs Apoſtoli pares eſſent in Apoſtolatu. Sicut etiam Clemens epiſtol. 1. ad Iacobum fratrem Domini, vocat eum Epiſcoporum Epiſcopum, & regentem non tantùm ſanctam Ieroſolymitanam Eccleſiam, ſed & omnes quoque Eccleſias, quæ vbique Dei prouidentia fundatæ ſunt. At hic tantus titulus, & præſertim à Clemente Petri ſucceſſore deſignato attributus, illi quadrare vix poſſet, niſi ratione perſonæ tanta vitæ ſanctitate & doctrina prædit $\!$æ, quibus non ſolùm Eccleſiam Ieruſalem, ſed totam Eccleſiam illuſtrabat: non autem ratione alicuius autoritatis ſibi ſupra totam Eccleſiam tributæ, eo poſito quòd non eſſet Apoſtolus, vt nonnulli ex veteribus Patribus apertè docent. Secus eſſet, ſi ratione Apoſtolatus id habuiſſet, quod verius puto. Debuit ergò Petrus tradere præceptum diuinum paſcendi, & Canonicum, ſeu Eccleſiaſticum mandatum reſidendi in Eccleſia ſui cuique ſtatui.

Ad quartum dubium De conditionibus boni Paſtoris à Petro requiſiti.

Vt quartum dubium diluamus, excutiendæ ſunt conditiones, quas exigit Petrus in bono paſtore. Prima eſt: *Prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum.* Vox prima Græca eſt ἐπισκοποῦντες, hoc eſt, Curam agentes, proſpicientes, inſpicientes, & ſuper intendentes, ſiue, ſi ſic loqui liceat, Epiſcopantes. Vnde manifeſtus eſt ſermo de munere Epiſcoporum, quod eſt vigilare ſuper gregem, vt ſit ſaluus à beſtijs, quæ inſidiantur ouibus, ne qua ouis pereat, aut perditam opus ſit quærere. *Non coactè*, inquit, *ſed ſpontaneè ſecundùm Deum.* Hilarem enim datorem diligit Deus. Quæ enim ſponte exhibentur miniſteria, minus laboris habent, & facilè præſtantur: quæ autem inuiti facimus, diu durare non poſſunt. Huic autem conditioni opponitur ſocordia, & negligentia.

Paſtorum vigilantia qualis eſſe debeat.

2.Cor.9.

Secunda conditio paſtoris proponitur illis verbis: *Neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè.* Auaritiam longè eſſe vult ab Epiſcopo, quæ ſemper ab Apoſtolis vocatur turpe lucrum, quod ad Epiſcopos ſpectat, qui primùm nihil aliud quærunt, quàm fructus ouium, & quantam penſionem poſſint pendere: quæ etiam temporalia commoda ſuis ſeruis, aut conſanguineis adferre valeant. Quare Dominus meritò eiecit vendentes, & ementes de templo, & Heliſeus percuſſit lepra ſeruum ſuum Giezi, & Petrus maledixit Simoni Mago, volenti emere Spiritum ſanctum, vt poſteà venderet. Idem in ſecunda epiſtola vocat iſtos, fictos negociatores, qui in auaritia fictis verbis negotiantur. Pulchrè Hieronymus ad Nepotianum de vita clericorum ait: *Obſecro te, & repetens iterum iterumquè monebo; ne officium clericatus, genus antiquæ militiæ putes, id eſt, ne lucra ſeculi in Chriſti quæras militia, ne plus habeas, quàm quando clericus eſſe cœpiſti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim ſunt ditiores monachi, quam fuerant ſeculares,*

Ouium Chriſti paſtura quā longè eſſe debeat ab omni auaritia, & turpi lucro.

Ioan.2.
Matth.21.
4.Reg.5.
Act.8.
2.Pet.2.
Hieron. epiſt. 2. ante mediū to.1. in princ.
Ierem 12.

culares,& clerici, qui poßideant opes ſub Chriſto paupere,quas ſub locuplete, & fallace diabolo non habuerãt; vt ſuſpiret eos Eccleſia diuites,quos mundus tenuit antè mendicos. Menſulam tuam pauperes, & peregrini,& cum illis Chriſtus conuiua nouerit. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge. Hæc ille ſanctus Doctor.

Mitis & benigna ſit oportet cleri gubernatio.

Tertia conditio boni Paſtoris eſt: *Neque vt dominantes in Cleris, vel, aduerſus Cleros.* Hoc eſt, Paſcite cum manſuetudine, & modeſtia, non vt dominium, aut principatum in Clericos exerceatis, quod Matth. 20. prohibet Chriſtus, dicens: *Reges Gentium dominantur eorum,&c. Vos autem non ſic*: & Ezechiel reprehẽdit eos, qui cum auſteritate & cum potentia imperabant populo. Rectè autem poſt interdictum turpe lucrum, interdicit dominatum: nam qui non appetit in ſubditos dominari, nec magnus fieri apud cæteros, quærit humiliter in frugalitate agere, nec pretioſam expetit veſtem, aut magnificam: & frequentia conuiuia non habet: ideò non opus eſt illi pecunia turpi lucro comparata.

Matt. 20.

Ezech. 34.

Clerus quid.

Per Cleros verò intelligit ſacrum cœtum altaris miniſterio adſcriptum. Vnde Hieronymus prædicta epiſtol. ad Nepotianum: *Clericus*, inquit, *qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ, interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis diffinitione prolata nitatur eſſe quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, ſors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars clericorum eſt.* Hæc ille. Habetur autem hoc nomen hoc loco, & c. 12. Numerorum, & Deut. 18. vbi Dominus dicitur ſors, & pars Leuitarum, & ſacerdotum, quos quidam dum ſua autoritate vexarent, dederunt occaſionem exemptionibus, ac priuilegiis multis. *Sed forma facti gregis ex animo.* Senſus eſt: Debent Epiſcopi, & paſtores, greges ſuos anteire, & exemplum bonorum operum illis tradere: quia debent eſſe tanquam ſigillum, ſubditi autem tanquam cera, quorum mores corrigi indigent ab Eccleſia, & tanquam aſina debent inſidentem Balaam, ſaltem exemplo ſuo reprehendere.

Pſalm. 15.

Clerici quando ſint forma gregis ex animo.

Num. 22.

Quartò de præmio ſubdit: *Et cùm apparuerit Princeps Paſtorum.* Nam innumeros propemodum ſub ſe paſtores habet. Et promittitur immarceſſibilis gloriæ corona. Non temporalis vlla corona, quæ pro additamento datur, non percipitur vt præmium, non lucrum pecuniæ, ſed animarum. Et immarceſſibililis gloriæ corona plus eſt, quam vita æterna, quia ſignificat certum celſiorem gradum æternę vitæ præ cæteris. Quare poſtquam Daniel dixerat multos reſurrecturos, alios in vitam æternam; alios in opprobrium ſempiternum, ſubdit aliquid peculiare de Doctoribus: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Immarceſcibilis gloriæ corona quantum præmium Dei ſit.

Dan. 12.

Ad IV. dub. De gradibus Eccleſiaſticorum à Petro ſic ſilentio prætermiſſis.

Quod verò quæſitum fuit, cur non meminit Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quæ tot habet gradus Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, &c. hoc ideò factum eſt, quia inſtitutione Eccleſiaſtica, & Canonica conſtat. Si autem hic enumerarentur, poſſent hinc putari iuris diuini exiſtere; quod falſum eſſet: etiamſi legamus apud Clementem in Epiſtola ad Iacobum aut apud Anacletum in prima epiſtola, Domini iuſſu, & mandato gradus illos fuiſſe inſtitutos. Et illi gradus enumerati nihil aliud ſunt, quàm Epiſcopatus, qui maiorem, aut minorem habent iuriſdictionem; non autem maiorem poteſtatem Ordinis. Quod autem Petrus ſupremam habeat poteſtatem in Eccleſia ſuper omnes paſtores, id ſatis iam expreſſum erat in Euangeliis, vbi paſtor ouium inſtituitur, & confirmatur fratrum ſuorum, & claues illi regni cœlorum promittuntur, in quibus eminens Petri poteſtas ſignificata eſt, vt hic repeti opus non fuerit: maximè cum vniuerſa Eccleſia, & Apoſtoli Petro, tanquam ſuo primario capiti, poſt Chriſtum ſubeſſent omnes, & venerabiliter illi parerent.

Clement. Rom.

Ioan. vlt.
Luc. 22.
Matt. 16.

Ad V dub. Quos vult Petrus adoleſcentes ſenioribus ſubditos eſſe.

Quinto loco in illud: *Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus, &c.* dubium fuit non contemnendum, ad quos adoleſcentes iſta ſint referenda, an ad gradus inferiores Epiſcopatu, vt ſunt ſeptem Ordines ſacri, an ad eos, qui ætate iuniores ſunt. Mihi prior ſententia magis arridet, ſicut etiam placet Bedæ presbytero, ad quam me nonnulla permouent. Primò quia dicit: *Similiter adoleſcentes*, vt loquatur de illis, qui ſubſunt paſtoribus iam dictis. Secundò, quia dixit: *Non dominantes in Cleris*, quos Cleros nunc oſtendit eſſe iſtos adoleſcentes. Tertiò, quia ſicut Epiſcopos vocat ſeniores, ſiue presbyteros, ita inferiores gradus vocat iuniores, quos Græca voce νεωτέρους denotat, & opponitur iis, quos dixit πρεσβυτέρους, hoc eſt, ſimplices presbyteros, diaconos, & ſubdiaconos, &c. Seruit etiam huic intelligentiæ verbum, Subditi ſint, hoc eſt, aliis ſubditi, ſiue ſubordinati ὑποτεταγμένοι in miniſterio Eccleſiaſtico. Hoc autem præ-

Eius præcepti neceſſitas.

ceptum ideo datum eſt; ne ſcilicet tumultuarentur, aut reſponſarent paſtoribus, & Epiſcopis ſuis. Rectè enim habet Eccleſia Dei, quando illi qui præſunt, benè ſe gerunt in præcipiendo, & omni ſuo munere fungendo: contra verò inferiores, ſiue clerici ſint, ſiue laici, ſuis maioribus ſubſunt, ac illorum præcepta ac ſi Dei ipſius eſſent, agnoſcunt, iuxta illud; *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, & implent illud præceptum Apoſtoli: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Sub nomine ergo Iuniorum, omnem functionem ad inferiores gradus pertinentem comprehendit, ac ſi ſingulorum ordinum, & graduum propria officia deſcriberet.

Luc.10.

Heb. vlt.

Altera ſolutio.

Si tamen hæc ad ætate iuniores referantur, præcipitur illorum ſingulis, vt ſenioribus ſuis ſubditos, & morigeros ſe præſtent. Et ætatis ſeniorum eſt, curam gerere iuuentutis, & illam optimis exemplis, & ſermonibus ad virtutem capeſſendam incendere, cum ſint velut parentes eorum, & multa rerum experientia prudentiores, atque grauiores. Ac ita Leuit.19. dicitur: *Coram cano capite aſſurge, & honora perſonam ſenis.* Et Eccleſ.6. *In multitudine presbyterorum prudentium ſta, & ſapientia illorum ex corde coniungere.* Demeas quoque Terentianus rectè dixit;

Leuit.19.

Eccleſiaſt. 6.

Terent. in Adelphis. Act 5. Sce.4.

Nunquam ita quiſquam ſubducta ratione ad vitam fuit,

Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid apportet noui,

Aliquid moneat, vt illa quæ te ſcire credas, neſcias,

Et quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies.

Quomodo omnes inuicē inſinuare humilitatem debeant.

Ac ſubdit: *Omnes inuicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit, &c.* Quibus verbis omnes ad pacis, & concordiæ ſtudium hortatur. Et dicendo, Omnes, includit omnes inferiores gradus, tam ſeniores ſcilicet, quam iuniores. Seniores quidem, ne amiſſa modeſtia dominentur in cleris; iuniores vero, ne aliquid altum de ſe ſapiant, ſed humile, & abiectum, non recuſantes ſenioribus obedire. Et inſinuare propriè eſt coniungere, & quaſi latenter, & cautè in ſinum ſe immittere. Eſtque ac ſi dixiſſet, Omnes eſtote viciſſim alij aliis ſubiecti. Cum etiam ait, Omnes enim, dictio cauſalis, Enim, in Græco, vel abundat, vel accipitur pro altera particula, autem. Humilitatem verò Græcè ταπεινοφροσύνην vocat. *Omnes*, inquit, *humilitatem inſinuate.* Id eſt, Induite, ſiue innodate, vel arctè alligatam habete. Ea enim eſt vis verbi Græci ἐγκομβώσασθε Oecumenius ait, Vobis circumdate, amplectimini. ¶Porrò ſententia illa: *Deus enim ſuperbis reſiſtit*, &c. ex lib. Prouerb. cap. 4. allata eſt ab Apoſtolo, quam etiam vſurpauit Iacobus in epiſtola ſua, capite 4.

Ac ſubdit: *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* Vult vt omnes agnoſcant ſupremam Dei autoritatem, & illi ſe ſubiiciant, & pareant per omnia ſuis mandatis. Nam quoſdam voluit aliis præcipere, alios autem ſuperioribus obedire. Modus ergo & ratio nos ipſos ſubiiciendi, eſt agnoſcere inuictam Dei potentiam. Magnum autem malum eſt iniqua humilitas, qua dæmon, & homo ſuperbia elatus ſubiicit ſe inferioribus. Et manus Dei per metaphoram ſumptam à viris robuſtis, eſt Dei omnipotentia. In Græco tamen deeſt, hoc verbum *Viſitationis*, ſed abſolute tantum eſt, In tempore, id eſt, Die extremi iudicii, quæ dicitur, *Viſitatio*, in qua nimirum viſitabit omnes electos ad æternam ſalutem, impios ad æternum ſupplicium, aut tunc verè ſuos exaltabit, opera illorum immenſo, & glorioſo præmio remunerando.

Quid humiliari ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore viſitationis.

Vt ſextum dubium diſſoluamus in illud: *Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, &c.* quorſum ſcilicet dicatur: dicimus, ſolitos eſſe homines, cùm ſeipſos humiliant, metuere, ne iniquè opprimantur; vnde anxii, & ſoliciti redduntur. Monet ergò, vt curam omnem ſui ipſorum abiiciant, ac Deo committant, qui potenter defendet humiliatos: & nos abiiciamus illa, quorum nihil apud nos retinere valeamus. Iubet perfectiſſimè Deo fidere, & nihil anxietatis retinere, iuxta illud Prophetæ: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Vnde ſubdit: *Quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Idem alibi dicitur, Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Et ſenſus eſt: Ipſi omnipotenti, qui quicquid vult, poteſt, cura eſt de omnibus neceſſariis, & vtilibus, quorum vos premere poſſet ſolicitudo. *Et ipſe te*, inquit, *enutriet.* Vult Dauid dicere; *Paſcet corpus, & animam*, quoniam vt idem aſſerit, non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

Sextæ ſolutio dubitationis. Vt nos Petrus abſoluat omni ſolicitudine, & cura rerum temporalium.

Pſalm. 54.

Dei erga pios prouidentia.

Sap. 6.

Pſalm. 54.

Non autem hoc loco Apoſtolus ſuadet nobis otium, aut ſomnum, vt nolit nos laborare; cum potius Doctor Gentium Paulus dixerit, vt quiſque laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Solum ergò anxietatem, & vrgentem ſolicitudinem à nobis proiici vult, non autem, vt

Falſa huius loci interpretatio reiicitur.

Ephes. 4

omninò

Gen. 41. *Act. 11.*

omninò humana prudentia abijciatur; ſi voluit Deus vt Ioſephus proſpiceret fami per tot poſteà annos AEgyptum inuaſuræ: voluit quoque famem ſanctorum fidelium futuram per Agabum prædicere, & per Apoſtolorum diligentiam illi prouideri. Quare Dominus rectè dixit, *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Matt. 6.

De ſobrietate & vigilantia.

Ad ſeptimum in primis reſpondendo, dicimus, ſobrietatem, & vigilantiam, virtutes eſſe coniunctas, & priorem poſterioris eſſe parentem. Præcipit ergò, vt ſint temperati in cibo, & potu, & carnis delicijs, & vt caueant, & attendant ſibi ipſis, ne per intemperantiam, & crapulam detur dæmoni aditus ad nos tentandos: quia *Aduerſarius,* inquit, *noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Ac per vocem Aduerſarij expreſſit vocem Hebræam Satanæ, qui contrarium ſignificat: & per Græcam vocem diaboli, declarauit ingenium iſtius aduerſarij noſtri. Eſt enim accuſator, & calumniator, iuxta nomen ſuum, quia in ſalutis noſtræ lite pendente & nobis aduerſatur, & calumnioſè accuſat, & omnia bona opera noſtra detorquet ad aliorſum, ſicut fecit cum Iob, de quo dixit: *Nunquid Iob fruſtra timet Dominum?* &c. Vnde & Iudas traditor, diabolus à Domino dicitur, quia ipſius, & Apoſtolorum facta ad hoc ipſum ſpectabat, vt calumniaretur, *Tanquam leo rugiens,* ait, *circuit quærens quem deuoret.* Hoc circuitu explicauit ingenium diaboli, qui tanquam venator prædam quandam circuitu venatur, & per ſe, & per Angelos inferiores, imò & per homines, quos vt organa ſua contra nos, vt prædam captandam permouet. Vnde ſicut ipſe dixit, *Circuiui terram, & perambulaui eam*; ita de impijs ait Dauid; *In circuitu impii ambulant.* Circuiuit etiam, obſidens ciuitatem Eccleſiæ, ſicut etiam ciuitatem animæ noſtræ, vt eam in deditionem cogat. Circuiuit etiam vt leo rugiens, de quo teſtatur Baſilius homil. 9. in Hexameron: *Cui tanta quoque vocis eliciendæ natura præſtitit inſtrumenta, vt animantium complura longè ipſo celeriora ſæpè rugitu capiantur.* Leo enim rugit, quis non timebit? Hunc locum eleganter Cyprianus explicauit in ſermone de zelo, & liuore, poſt verba hæc Petri producta; *Circuit ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos inſidens, muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Vocat oculis formas illices, & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, vt ſoni dulcioris auditu ſoluat, & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam conuicio prouocat, manum iniurijs laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat: vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta: vt animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa cōpendia: honores terrenos promittit, vt cœleſtes adimat: oſtentat falſa, vt vera ſubripiat. Et cum latenter non poteſt fallere, exertè, atque apertè minatur, terrorem turbidæ perſecutionis intentans, ad bellandos Dei ſeruos inquietus ſemper, infeſtus, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus.* Hactenus ille, & doctè, & eleganter.

1. Tim. 4. Satan Hebraicè quid ſonet. *Apoc. 12.* *Iob. 1.* *Ioan. 9.* Dæmonis ingenium quam ſimile leonino. *Iob. 1.* *Pſal. 11.* Leoni rugitus vis quanta. *Baſil tom. 1.* *Amos. 3.* *Cypr. in init. ſermonis.*

Diaboli draconis voracitas.

Et ſignanter dixit: *Quærens quem deuoret.* Vnde & draco, & quidem magnus, appellatur Apocalyp. 12. vbi Chriſtum deuorare voluiſſe dicitur. Et vt idem Cyprianus epiſtola ad Cornelium obſeruauit, non quærit diabolus eos, quos iam ſubegit, aut geſtit euertere, quos iam ſuos fecit. Inimicus & hoſtis Eccleſiæ quos alienauit ab Eccleſia, & foras duxit, vt captiuos, & victos contēnit, & præterit, eos pergit laceſſere, in quib. Chriſtum cernit habitare. Quod certè dictū Cypriani confirmat Iulianus Apoſtata, inſigne diaboli organū, qui Chriſtianos perſequebatur, fouens Iudæos, atque Gentiles, vt hiſtoria Tripartita docet. l. 3. c. 40. & 43. Idē quoque faciebat Valens Imp. Arrianus, qui Gentiles, Iudæos atque hæreticos fouebat, & Catholicos perſequebatur, vt eadē hiſtoria docet l. 8. c. 3. Et tempore Petri, & Martyrū hoc apertè conſtat. Vnde Aug. in ho. 25. de lib. Hom. in illud Pſalmi. *Conculcabis leonem, & draconem,* Prophetam agere docet de tyrannorum perſecutionibus, quas incipiebat diabolus excitare.

Cypr lib. 1. epi 1. ſub fin. Quos ille infelix laceſſat. *Augu to. 10.* *Pſal 90.*

Sed quia non ſolum ſerpens occultè afflat venenum, ſed etiam leo fraudulenter, & per rugitum; non tantum diaboli manifeſta perſecutio, ſed etiam ſuperbia, atque animoſa eius crudelitas, qua quoſuis inuadit, deſignatur, rectè Petri verba referuntur ad omnes, ſiue violentas, ſiue fraudulentas diaboli infeſtationes: ſicut interpretatur Cyprian. & Hieronym. in epiſtola ad Heliodorum: *Erras frater,* inquit, *erras ſi putas vnquam Chriſtianum perſecutionem non pati, tum maximè oppugnaris, ſi te oppugnari neſcis. Aduerſarius noſter tanquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens, circuit, & tu pacem putas? Sedet in inſidijs cum diuitibus, vt in occultis interficiat innocentem: oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in occulto, ſicut leo in ſpelunca ſua; inſidiatur vt rapiat pauperem: & tu frondoſæ arboris tectus vmbraculo, molles ſomnos, futurus præda, carpis? Inde me perſequitur luxuria: inde auaritia*

Pſal. 9. *Hier epiſt. 1.* Aurea ſententia B Hieron. de pace, & ſecuritate huius vitæ fugienda. *Pſal. 9.*

cona-

Philip 3. *conatur irrumpere; inde venter meus vult mihi Deus eſſe pro Chriſto: compellit libido, vt habitantem in me Spiritum ſanctum fugem, vt templum* 1.Cor.5. *eius violem: per ſequitur, inquam, me hoſtis, cui nomina mille, mille nocendi artes: & ego infœlix victorem me putabo, dum capior?* Nolo, *frater chariſſime, examinato pondere delictorum, minora credas idololatriæ crimine eſſe, quæ diximus. Imò* Ephe 5. *Apoſtoli diſce ſententiam, qui ait: Hoc enim ſcitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, aut fraudator, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Et quanquam generaliter aduerſum Deum ſapiat, quicquid diaboli eſt, idololatria ſit, cui omnia idola mancipantur: tamen & in alio loco ſpeciatim, nominatimque determinat, dicens:* Coloſſ.3. *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, deponentes fornicationem, immunditiam, & concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ ſunt idolorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ. Non eſt tantum in eo ſeruitus idoli, ſi quis duobus digitulis thura in buſtum aræ iaciat, aut hauſtum pateræ poculo fundat merum. Neget auaritiam eſſe idololatriam, qui poteſt triginta argenteis Dominum* Matth.26. *venditum appellare iuſtitiam. Neget ſacrilegium in libidine, ſed is, qui membra Chriſti, & hoſtiam* Rom.12. *viuam, placentem Deo, cum publicarum libidinum victimis, nefaria colluuione violauit. Non fateatur fraudem idololatriam eſſe, ſed ſimilis eorum, qui in Actibus Apoſtolorum ex patrimonio ſuo partem pretij reſeruantes, præſentes periere* Act 5. *vindicta. Animaduerte, frater, non tibi quicquam licet de tuis habere rebus. Omnis inquit Dominus, qui non renunciauerit cunctis quæ* Luc.14. *poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cur timido animo Chriſtianus es? Reſpice Petro relictum rete:* Mat.4. *reſpice ſurgentem de telonio publicanum ſtatim Apoſtolum. Filius hominis non habet vbi caput reclinet: & tu amplas porticus, & ingen-* Infra 9. Luc.9. *tia tectorum ſpatia metiris? Hæreditatem expectās ſeculi, cohæres Chriſti eſſe non poteris. Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt, nomen tuum: quid facis in turba, qui ſolus es? Et hoc ego, non integri-* Rom.8. *tate vel mercibus, nec quaſi ignarus fluctuum præmoneo, ſed quaſi nuper naufragio iactus in littus doctus nauta, timida nauigaturis voce denuncio. In illo æſtu Charybdis luxuriæ, ſalutem vo-* Mundi pericula. *rat. Ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scylla ceu renidens, libido blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pirata, cum ſocijs portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite eſſe ſecuri. Licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur, magnus hic campus montes habet: intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis. Expedite rudentes, vela ſuſpendite. Crux Antennæ figatur in frontibus: tranquillitas iſta, tempeſtas eſt.* Hæc magnum illud Eccleſiæ lumen. Et rectè quidem reſpondet rugitus leonis volenti deuorare; Cur leo rugiat. quia rugitus, famis opprimentis eſt indicium. Christi qualis rugitus. Nam & Leo de tribu Iuda rugitum ſuum habet, de quo: *Longe à ſalute mea verba rugitus mei,* Pſalm 21. vt Hebræa litera habet. Non enim Chriſtus minus eſt helluo animarum ad illas ſaluandas, quam diabolus ad perdendas.

Quòd verò à principio arguebamus in oppoſitum, diabolum præcedere nos fortitudine, aſtutia, & tentandi experientia, atque adeò quod inaſpectabilis ille nobis ſit, Solutio ſextæ dubitationis propoſitæ. nos aūt illi ſpectabiles; non euincit, imparem eſſe congreſſionem noſtram cum dæ- De pugna cū diabolo longè nob. fortiore. mone: quia Chriſtus ita nos munitos reddidit, vt poſſimus cum eo certare. Nam fi- 1.Ioan.5. des in Chriſto victoria noſtra eſt, quæ vincit mundum, & principem eius, & cuius oculis non ſpectare poſſumus dæmonem ad ea, quæ ſunt contra Deum, ac Chriſtum ſolicitantem, & ſumma eſt illi confuſio, atque tormentum, quo grauiſſimè vritur, cum videt ſe à vermiculo ſuper terram repente, Dei auxilio ſuperari. ¶ Sunt qui putent non Dæmonis aſtutia. eſſe diabolos, à quorum inſidijs propterea minus ſibi caueant, & ipſi aſtutiſſimi hoc conantur perſuadere, quò plus nocere valeant, & ſuggerunt rationes ſophiſticas, quò minus ſimplices, & incauti credant. Cum vident arreptitios, cernuntque ab eis admiranda quædam fieri, melancholiæ tribuunt, aut menſtruis, aut ſtellarum influxibus: atque ita ipſimet ſibi diaboli ſunt, à quibus iſti illuduntur: cum tamen omnis ſecta dęmones eſſe hoſtes hominum profiteatur.

Reſiſtere diabolo quid. Subdit: *Cui reſiſtite fortes in fide.* Quod eſt dicere; Eius ſuggeſtionibus non conſentite. Quod autem argumentati ſumus, non ſatis eſſe reſiſtere, ſed vincere diabolum oportere nos: reſpondemus, reſiſtentiam eſſe meram victoriam dæmonis: nam dæmonem non poſſumus corporeis armis conficere, cum nequam ſpiritus ſit, ſed ſatis eſt, illum à nobis propulſare, & confuſum illum ab oculis noſtris eijcere: quod illi ſuperbiſſimo ſpiritui moleſtius eſt, quàm ſi vita eriperetur. Vnde Paulus ſæpè ad reſiſtendum hortatur, Epheſios maximè, Epheſ.vlt. cum ait: *Accipite armaturam Dei, vt poßitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Et paulò inferius: *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere.* Hebræos quoque exhortatus ad recogitandam Domini paſſionem, & mortem, tandem ſubiun- Heb.12. git, *Nondum,* inquit, *vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.* Iaco-

bus

Iacob. 4.

Fidei in Deo fiduciæque fortitudo.

Pſalm 90.

bus quoq; Apoſtolus hortatur: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Et fortes vult eſſe in fide, ſiue fiducia diuinæ miſericordiæ, & quæ Chriſtũ ipſum complectitur pro nobis pugnantem, & qui ait de tribulato: Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam, & eum glorificabo eum. Habet etiam ſecum Spiritum ſanctum, qui Chriſti eſt, qui Creator eſt, & infinitæ virtutis, contra ſpiritum nequam, & impotentem, ſi per nos non ſteterit.

Cur Petrus Chriſtianos tribulatos con conſoletur ſocietate conſortum.

Scientes eandem paßionem ei quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Hoc eſt, Chriſti cultoribus, & Eccleſiæ filijs. Quod rectè dixit, quia vt Ocumenius prudenter obſeruauit, grauitatem alleuiat ſocietas conſortum, vt animi magnitudinem contra aduerſarium diabolum præſtet, quia non ſoli ſumus, qui cũ eo pugnamus, ſed omnes boni, & Chriſti electi. Et pro verbo, fieri, habet ἐπιτελεῖσθαι, id eſt, perfici, ſiue conſummari, iuxta illud Apoſtoli ad Coloſſ. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.

Coloſſ. 1.

Diuini ad gratiam & legem Euangelicam vocationis beneficij magnitudo.

Adiungit promiſſionem Dei, de quo ait: *Deus autem omnis gratiæ* (hoc eſt, integræ, & perfectæ) *qui vocauit vos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu.* In æternam ſuam gloriã, inquit, neque illam quærentes, neq; de illa quidem cogitantes: quo nullum maius eſt beneficium cogitandum. Vocauit autem per Chriſtum. Subdit: *Modicum paſſos ipſe perficiet, &c.* Modicum paſſos, inquit, hoc eſt, vel modico tempore. Et modicæ ſunt omnes huius mundi paſſiones, at æternum eſt præmium, iuxta illud; Id quod in præſenti eſt momẽtaneum & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *Ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq́;* Perficiet, per charitatem omnia perfecta reddentem: Confirmabit, per ſpem viuam: Solidabitq́; per fidem fortem, ac efficacem. Græca verba ſunt: Inſtauret vos, fulciat, ac roboret. Inſtaurat Chriſtus qui redemit: Fulcit Pater, qui condidit, & conſeruat: Roborat Spiritus ſanctus donis ſuis ſpiritum noſtrum. Quæ quidem omnia verba conſultò addidit Petrus; vt oſtenderet, quàm ſit difficile dæmoni expugnare eũ, qui Fidem Chriſti amplectitur: è contrario quam ſit facilè Chriſtiano Fidem ſanctiſſimæ Trinitatis, & Chriſti mediatoris profitenti ſuperbiſſimum illum aduerſarium noſtrum proſternere, & ſuperare.

Rom. 8.

2. Cor. 5.

Trium virtutum Theologicarum officia: ſeu attributa perſonarum in diuinis trium à Petro expreſſa.

Solut. VIII. quæſtionis. De Syluano quiſnam ille.

Oecum. Hier. Epiſt 143 in fine tom. 3.

Ad octauum dubium de Syluano, quis ille extiterit; reſpondeo: Putat Oecumenius eundem eſſe, qui cum Paulo ſcripſit vtramque ad Theſſalonicen. & Hieronymus in epiſt. ad Damaſum, quæ incipit: Septuaginta: *Sciendum*, inquit, *Silam collegam Pauli, lingua Hebræa Apoſtolum dici; qui cum eo nonnullas epiſtolas ſcribit: Et vitioſè Syluanus legitur pro Sila; cum Syluanum in Apoſtolorum Actis non legamus.* Hæc ille. Aliqui tamen ſentiunt eſſe diſtinctum. Syrus codex habet hoc loco: *Pauca hæc, vt arbitror, ſcripſi vobis per Syluanum fratrem fidelem.* Non autem ſcribo, de præſenti. Et videtur ſcriptor fuiſſe ſimul huius Epiſtolæ, & tabellarius, qui eam detulit Aſianis. Non autem ſignificat alium ſcripſiſſe epiſtolam per eum: quòd ſi aliam priorem eis ſcripſiſſet Epiſtolam, non fuiſſet hæc Epiſtola prima, ſed ſecunda; nec de ſequenti diceret: *Hanc ecce vobis chariſſimi ſecundam ſcribo Epiſtolam,* Sed tertiam. Vocat autem eum fidelem fratrem, hoc eſt, inſignem Chriſti cultorem. Et ſcripſit breuiter, vt inquit, Epiſtolam hanc, vtpote quinque capitibus comprehenſam, ſed ſenſibus prægnantem, & plenam. Obſecratque, & conteſtatur hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtabant. Quæ phraſis eſt Apoſtoli Pauli, *Per fidem*, inquit, *in gratiam iſtam, in qua ſtamus.* Dicitur autem ſtare, qui floret, aut eminet, ſecundùm illud, *Tu autem fide ſtas.* Quare nihil erat ſibi metuendum ab Hęreticis aliter docentibus.

1. Theſſal. 1.

Act. 15.

2. Pet. 3.

Cur vocetur fidelis frater Syluanus.

Rom. 5.

Infra 11.

Ad IX. dub. Quæ nam illa Eccleſia in Babylone collecta.

Dubitatum vltimo loco fuit de Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta. Vbi in primis animaduertendum, legendum non eſſe, collecta, ſed coelecta cum ſimplici. l. Græcè enim dicitur συνεκλεκτὴ, quia electionem participabant eiuſdem Dei, quam & Pontici, quos à principio vocauit electos.

Papias Hierapoli. Epiſcopus.

Euſeb.

Hiero. tom. 1.

Duplex Babylonia.

Geneſ. 11.

Apoc. 17.

Cùm autem dicat illam eſſe in Babylone, certè Papias Hierapolites Epiſcopus, & ex eo Euſebius lib. 2. cap. 25. tradunt, Romam eſſe intelligendam, ſicut & Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſ. ita etiam Apocal. cap. 17. Ioannes Babylonis nomine typicè Romam deliniauit, propter magnam idololatriæ, & morum confuſionem. Nam altera Babylonia Meſopotamiæ, & illa, quæ in Ægypto Babylis dicebatur, & Memphis, vix eo tempore erant in rerum natura, & hanc deſcribens in Apocalypſi Ioannes, cùm loquitur de Babylone, ait, ſeptem eſſe cornua, ſeptem montes, ſuper quos mulier ſedet, de qua Poëta quidam dixit: *Septemq́; vna ſibi muro circumdedit arces.* Deinde quia ſubdit: *Et mulier quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ:* quæ verò alia ciuitas à tempore Apoſtolorum in hunc vſque diem fuit, quæ regnum haberet ſuper Reges terræ, niſi Roma? Et cui magis cõpetere poteſt

Leo ſerm.1. ſub initium

re poteſt nomen Babylonis, id eſt, confuſionis, quàm illi, de qua Leo in ſermon.de Nat. Petri & Pauli Apoſtolorum ait, quod ignorans ſuæ prouectionis autorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuerat falſitatem. Et vbi nam in rerum natura oſtenditur ſedes Petri, niſi Romæ, & mors Crucis quà clarificauit Deum, aut corporis ſui ſanctæ venerandæ reliquiæ exhibentur ſpectandæ, & adorandæ pijs fidelibus, niſi Romæ? Vbi ergò ſunt iſti tam impudentes, & temerarij, qui perfricta fronte negare audent Petrum vnquam Romæ fuiſſe?

Ioan.21.

Contra hæreticos, aientes nunquam Petrum Romam vidiſſe.

Nota etiã, quod Apoſtolus c.1.ad Rom. laudibus celebrat fidem Eccleſiæ Romanæ, ita Apoſtolorum princeps Petrus teſtatur, Eccleſiam Romanam electam à Deo fuiſſe. Vt ita magni iſti Apoſtoli in hac re etiam ſibi inuicem conſonent.

Vnde ſcriptã eſſe hanc Epiſtolam ſomniet Theodorus Beza.

Inſignis hęreticus noſtri ſeculi Beza fingit hanc Epiſtolam ex vera Aſſyrię Babylonia ſcriptam: quod falſiſſimum eſſe inde colligitur, quia nullus autor memoriæ prodidit, B.Petrum in ea vnquam fuiſſe. Quòd verò Romæ prædicauerit, & Eccleſiam illam per multos annos rexerit, nullus ferè eſt ex antiquis, & bonis ſcriptoribus, qui id nõ teſtatum reliquerit. Moris eſt enim ſcriptoribus ſacris nomina ciuitatum quarundam occultis verbis, & non proprijs nominare. Vnde in Apocalypſi c.11.vocat Ioannes Ieroſolymam ſpiritualem Sodomam, & Ægyptum: & Ierem.25.vocatur Rex Seſac, pro Rege Babel, vt Hieronymus annotat per alphabeti literas tranſpoſitas.

Mos Prophetarum, & Apoſtolorum.

Subdit B.Petrus: *Salutat vos & Marcus filius meus.* Loquitur de Marco, qui Euangelium conſcripſit, ſicut tradunt Papias, Euſebius, & Hieronymus, cuius illa maxima laus eſt, quòd cùm Petrus Chriſto tot homines per Euangelium regeneraſſet, peculiariter tamen præ cæteris Romæ exiſtentibus, Marcum vocat filium ſuum. Ita etiam Damaſus in Vita Petri vocat eum filium à Baptiſmo. Nam ſi verum eſt, quod quidam opinantur, Petrum Apoſtolos omnes baptizaſſe; quid mirum eſt, ſi Marcum? Et ſicut Paulus Timotheum ſuum filium vocare ſolet, ita Petrus hoc loco Marcum, qui Romæ cum Petro exiſtens, Euangelium conſcripſit dictante Petro, vt ait Hieronymus: poſtea verò miſſus eſt à Petro Alexandriam, vbi primus Chriſtum annuntiauit, & Octauo Neronis anno mortuus eſt, vt lib. de ſcriptoribus Eccleſ. teſtatur Hieronym. Vnde colligit hoc loco Beda, hanc

De Marco, quem Petrus vocat filium ſuum.

B. Damaſus

Hieron. lib.1. ſcrip.Eccl. tom.1.

Epiſtolam ſcriptam fuiſſe in Vrbe tempore Claudij Cæſaris, prius ſcilicet quam Alexandriam proficiſceretur, & ante mortem Petri, & Pauli, qui extincti fuerunt poſtremo anno Neronis.

Quando ſcripta fuerit hæc Epiſtola, ſecũdum Bedam.

Ioannes verò cognomento Marcus alius fuit ab iſto Marco: nam ille Paulo & Barnabæ Apoſtolis magis adhæſit, quàm Petro, vt conſtat ex his quæ ad Coloſſ.4. habentur, vbi vocat Marcum conſobrinum Barnabæ, & 2.Timoth.vlt. habetur, *Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mihi vtilis in miniſterio.* Vbi eum (quem olim à comitatu ſuo abiecerat, quæ cauſa fuerat diſceſſionis Barnabæ à Paulo) ad ſe reuocari, & aſſumi præcipit. Quòd autem eſſet ab illo diſtinctus, oſtendit: quia Euangeliſta ſimpliciter dicitur Marcus; hic autem nomen proprium habebat Ioannes, & cognomento Marcus.

Quis Ioannes ille cognomẽto Marcus.

Act.15.

Concludit: *Salutate inuicem in oſculo ſancto*, ſiue, in oſculo charitatis, vt Græca litera habet. Non eſt enim oſculum ſanctum, niſi illud, quod charitas conciliat. Atque in hac exhortatione ad oſculum ſanctum, Petrus cum Paulo conſonat: ſicut in eo quod ſequitur: *Gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Ieſu.* Similibus enim penè verbis vti ſolet & Paulus. Et vt Beda ait: A Gratia cœpit Epiſtolam, in Gratia conſummauit, mediam Gratia reſpexit, vt errorem Pelagianum omni locutionis ſuæ parte damnaret. Eccleſiam verò Chriſti nonniſi per gratiam eius ſaluari poſſe doceret.

De ſalutatione Apoſtolica in oſculo ſancto.

Beda.

Contra Pelagium.

In hac Epiſtola facile eſt cernere Petri faciem, non corpoream, ſed ſpiritalem, maiuſculis literis ſcriptam. Videbis, bone lector, in ea toties inculcari futurum iudicium, futuram gloriam, aduentum Chriſti in carnem, & peregrinationem huius vitæ, paſſum, & reſurgentem, & in cœlum aſcendentem, & Spiritum ſanctum cum Patre mittentem; Fidei efficaciam; Sacramentorum Fidei, & Euchariſtiæ doctrinam, viuam ſpem, charitatem ardentem, mutuam ad ſe inuicem humilitatem, obedientiam, caſtitatem, ſobrietatem, patientiam inuictam, ſtudium orationis, veteres Scripturas, & denique exhortationem ad congreſſum cum hoſte, & aduerſario, & fugam omnium vitiorum, & denique omnem chorum virtutum, & donorum Dei: quibus ornati, & expoliti, vitam poſſimus ſempiternam comparare, adiuuantibus nos Chriſti meritis, & Principis Apoſtolorum B.Petri, chariſſimi diſcipuli Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, honor, & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Petri vultus in hac eius Epiſtola repræſentatio.

DISPV-

DISPVTATIONES IN POSTERIOREM B. PETRI EPISTOLAM.

PRIMA DISPVTATIO

In qua primùm diſſeritur, an ſit verè canonica; Deinde an legitimus ſit fœtus eius quem præſefert autoris, hoc eſt Petri Apoſtoli: & quæ ſint argumenta, quæ in illam obijciuntur. Tertiò dubitatur, à quo ſit ſcripta, & vnde miſſa: prætereà quale ſit harum literarum argumentum, & ſcopus. Explicatur etiam ſimul ſalutatio Epiſtolæ præfixa, quæ habet: *Simon Petrus, ſeruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti, ijs qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti: Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri.*

An hæc Epiſtola ſit verè canonica, nec ne.

PRIMO Loco propoſita dubitatio ex his quæ ſuperius diſſeruimus, facilè expediri poteſt, ſi cõſideremus tanquam ſacram, & catholicam, & in ſanctorum voluminum canonem à principio manifeſtè fuiſſe receptam, ac tum canonicæ, tum Catholicæ appellationem cum reliquis aliis ſex ſortitam fuiſſe. Hoc enim ab initio docuit Eccleſia, quæ huius Epiſtolæ verba vt ſacroſancta, publicè legit, & à Patribus omnibus, præſertim antiquis, aut in diſputationibus contra Hæreticos producta, aut ad bonos mores, & vitæ ſanctæ exempla comprobanda allegata, aut à veteribus Patribus ſcholiis, & commentariis illuſtrata; aut denique à tot qui librorum ſacrorum catalogum contexerunt, inter alios enumerata. Cõſtat enim in primis, Clementem Alexandrinum, ac Didymum item Alexand. quorum hodie extant fragmenta quædam edita vel citata in ſcholiis ab Oecumenio, in has Epiſtolas ſcripſiſſe. Eam etiam citat Euſebius, Hieronymus noſter, ac Ruffinus in Symbolum vtramque Petri recipit, Auguſtinus item lib. 2. de Doctor. Chriſt. capit. 8. eam vt Catholicam agnouit; Athanaſius in Synopſi cum aliis ſex inter Canonicas collocat, item in Epiſtola 9. heortaſtica, id eſt, feſta, vbi ſeptem enumerans canonicas, ponit & inter eas duas Petri; Gregorius Nazianz. in Carmine heroico, vt & Amphilochius in Iambis ſuis ad Seleucum. cum Damaſceno lib. 4. de Ortho. fide, cap. 18. Accedunt prætereà Generalia concilia, aut quaſi Generalia, quia illis interfuit autoritas Apoſtolica, quale fuit Concilium Carth. III. cui etiam interfuit Auguſtinus, cap. 47. Accedunt & alia concilia duo celeberrima & generaliſſima, Florentinum, & Tridentinum, quod idem noſtro ſeculo definiuit. Denique tam Græca, quàm Latina Eccleſia hanc Epiſtolam tanquàm à Spiritu ſancto conſcriptam commendat, & confirmat.

Autoritas huius Epiſtolæ. Clem Alex. Dydimus Alex. Aug to 3. B. Athanaſ. Greg. Naz. Damaſc. Conc. Car. III. Florentinum. Tridẽtinum.

Huic obiectioni reſpondetur: Si Canonica eſt hæc Epiſtola, cur de eius olim autoritate dubitatum eſt?

Quòd verò de hac Epiſtola aliquando dubitatum fuerit, an eſſet canonica, propterea quòd vel falſata eſſet teſte Didymo, aut quòd Petri eſſe non putaretur: id non efficaciter probat ad Canonicos libros non ſpectare: Imò magis per oppoſitum illam eſſe Catholicam, & Canônicam comprobat: quia poſt contentiones, & dubitationes Eccleſia illam retinuit, declarauit eſſe veram, & legitimam Petri, ſicut & de Pauli Epiſtola ad Hebræos aliquando fuit dubitatum; & tamen ſupremam autoritatem obtinuit. Nam vt exemplo etiam aliquo rem illuſtrem, multa olim Chriſti myſteria in dubitationem reuocata ſunt: vt virginitatis Deiparæ, Chriſti diuinitatis, Dominica reſurrectio: de quibus tamen hodie nullus dubitare debet, quia Eccleſia illa inconcuſſa fide recepit, & profitetur. Et hæc ſint ſatis ad primam quæſtionem diluendam dicta.

Chriſti myſteria quę aliquãdo fuerint in dubio.

Hæc Epiſtola Petri ne ſit, an alterius cuiuſpiam Apoſtoli.

Secunda dubitatio extitit, an, eo poſito quòd ſit canonica, Petri fuerit, an alterius. Et multa adferuntur argumenta ad eam vt Petri propriam, & germanam tuendam, ac propugnandam: Primum, quia id titulus eius demonſtrat, dicit enim in principio, Simon Petrus, ſeruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti. Non enim tantum contentus fuit dicere, Simon, quod eſt nomen proprium, ſed addidit nomen à Chriſto impoſitum, nec tantùm nomen Petri, vt in prima Epiſtola fecit, ſed etiam nomen Simonis antiquum, vt oſtendat magis hanc eſſe Petri, quam priorem. Vocat item ſe ſeruum, & Apoſtolum Ieſu Chriſti; at inter Apoſtolos nullus alius fuit præter eum, qui Simon, & Petrus diceretur, & qui inter Apoſtolos in ſcriben-

I. Argum. ad probandum quod ſit. Ioan. 1. Matt. 16.

ſcribendo ſe Apoſtolum prædicabat, præter Petrum,& Paulum.

Secundum. Secundò idem efficaciter probatur, quod non minus ſcilicet ſit Epiſtola Petri, quam prima, ſicut & ſecunda ad Corinth. eiuſdem Pauli eſt cum priore, cuius etiam meminit 2.Cor.2. Adhæc 2 ad Theſſalon. Pauli etiam eſt, ſicut prior, de qua fecit mentionem 2.Theſſal. 11. conſtat etiam duas eſſe, quas ſcripſit ad Timotheum: ſequitur ergo, quod hæc Petri ſecunda perinde ſit Petri, atque prior, quia 2.Pet.3. meminit prioris, dum ait: Hanc ecce vobis chariſſimi ſecundam ſcribo Epiſtolam: quod ſi verè Petri non eſſet, eſſet ergo alicuius nebulonis,& mendacis, qui nomen Petri ſimul, & Apoſtoli vſurpauit. *Tertium.*

Quartum. 2.Petr.1. Matth. 17. Quartò, hæc Epiſtola ſcripta fuit ab vno ex illis tribus Apoſtolis, qui adfuerunt Chriſti Domini Transfigurationi: adfuerunt autem Petrus, Iacobus, & Ioannes frater eius: at nullus hactenus dixit fuiſſe aut Ioannis Euangeliſtæ, aut Iacobi fratris ſui. Dicendum ergo, aut verè fuiſſe Petri, cui ſoli ab omnibus Eccleſiæ Patrib. & Græcis,& Latinis, tribuitur, aut eſſe mẽdacis alicuius hominis, qui mentitur apertè, ſe in monte ſancto cum Chriſto fuiſſe,& audiſſe vocem à magnifica gloria. *Ibidem.* Eſt ergo verè Petri Apoſtolorũ principis, qui egregiè obſeruauit præceptum Domini: *Nemini dixeritis viſionẽ hanc, donec Filius hominis à mortuis reſurgat:* nam poſt reſurrectionem,& aſcenſionem potuit inuenire fidem Transfigurationis myſterium,& arcanum, cum ante paſſionem vix credentem inueniret.

V. Argum. Quinta ratio: Idem eſt ſtylus, aut penè idem; idem & ſalutãdi modus; eadem verborum ſtructura,& forma; eadem periodorum ratio; iidem populi, & gentes, ad quas vtraque Epiſtola deſtinata eſt: idem multi Hebraiſmi, frequentes eclypſes; hyperbata,& parentheſes confirmant: eadem etiam producendæ Scripturæ ratio, quia Scripturas nec in genere, nec in ſpecie producit, ſed frequenter alludit ad illas, tantũmodo earum verba vſurpando. *Duplicem ſtylum ſanctorum in ſcribẽdo agnouit, & obſeruauit Eraſmus.* Hoc idem Eraſmus, vt verbis ipſius cõtra eum vtamur in Arnobium ſcribentem in Pſalmos, comprobat: aſſeruit enim, ſanctos duplici ratione,& ſtylo fuiſſe vſos, altero humili, & familiari, altero cultiori,& magis exacto: & ideò non mirum, ſi vnus & idem ſtylus ſcribendi non inuenitur in his Epiſtolis, ſed varius,& diuerſus. Hac enim ratione tuetur Eraſmus ſtylum Arnobij elegantiſſimi autoris in libris contra Gentes, & alterum dictione humiliorem in Pſalmos Dauidicos. *Duo Arnobii fuiſſe memorantur.* Hæc tamen ſoluendi ratio parum firma eſt, cum reuera plures fuerint Arnobii,& tempore,& ſtylo differentes. Alter fuit ille Arnobius, qui florentiſſimè Rhetoricam docuit, vt teſtis eſt Hieronymus, tempore Diocletiani, aut paulò antè, & magiſter fuit Lactantii Firmiani. *Hier. lib. de ſcripto. Eccleſ.* Alter verò fuit Arnobius Epiſcopus, qui ſuccincta ſcripſit ſcholia in Pſalmos, floruitque tempore Auguſtini, qui ſubſcripſit tertiæ Synodo Carthaginẽſi cum aliis Epiſcopis,& Stephano,& Ruſtico ibi nominatis, quibus illam enarratiunculam Pſalmorum Arnobius Epiſcopus dicauit. Quare ſolidum non videtur argumẽtum, quod ſumitur à quibuſdam ab ſtyli diuerſitate. Nec veriſimile eſt, Petrum in priori illa,& breuiſſima Epiſtola totam ſuam phraſim,& dicendi characterem exhauſiſſe: quemadmodum nec Cicero totum ſuũ ſtylum in Epiſtolis, aut Familiaribus, quas vocant, aut ad Atticum effudit: cum multa in magnifico, & ſublimi orationum ſuarũ ſermone, multa item in æquabili illo ac moderato dicendi genere in his quæ ad Philoſophica,& ad officia, & mores inſtituendos ſpectant, ſit elocutus.

VI. Argum. Sextò, autor huius Epiſtolæ ſe vocat chariſſimum Pauli fratrem,& illam ſecundùm ſibi datam à Deo ſapientiam aſſerit ſcripſiſſe: & de eius ſcriptis, etſi obſcuris, egregium perhibet teſtimonium: atque indoctos, ac inſtabiles quædam eius verba in alienos ſenſus detorquere, ac rapere in ſuam perditionem affirmat: *2.Pet.3.* at quis alius poterat dicere Chariſſimus frater noſter, niſi Petrus, qui cum Ioanne, & Iacobo, *Gal.2.* qui videbantur eſſe columnæ, dexteras dederunt ſocietatis Paulo, & Barnabæ? a pud quem Paulus Euangelium ſuum quod prædicabat in Gentibus, tanquam cum Vicario Chriſti, & ſupremo Eccleſiæ paſtore communicauit, ne in vacuum curreret, aut cucurriſſet. *Ibidem.* Erat etiã Paulus ſumma charitate,& operum,& doctrinæ ſimilitudine Petro coniunctiſſimus. Præterea ad Petrum maximè ſpectabat, ſcripta Pauli Apoſtoli, ſicut & aliorum Apoſtolorum comprobare: non tantùm quod eſſet anteceſſor ſibi in Apoſtolatu, quod commune habuit Petrus cum aliis Apoſtolis: vnde ad Galat. 1. dixit: *Gal 1.* *Neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, &c.* Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum: & manſi apud eum diebus quindecim: ob id potiſſimum videlicet, quòd Petrus eſſet coryphæus,& vertex Apoſtolorum,& ſupremus ouium Chriſti paſtor, & vniuerſalis Eccleſiæ rector, cuius iudicium in his, quæ ſunt eiuſmodi, ſupremum erat,& omnes Chriſti oues illud ſequi debebant.

Vindicat ergo Petrus Pauli ſcripta ab omni ſuſpicione erroris,& falſitatis, & in eis ſolos Hæreticos teſtatur ſcandalizari, eorumq; ſcandalum non datum ab Apoſtolo,ſed à lectoribus, qui indocti, & inſtabiles erant, acceptum, & qui non magis illius Epiſtolis, quàm cæteris vel Prophetarum, vel Euangeliſtarum,vel Apoſtolorum ſcriptis offendebantur, ſuo vitio,in verbis vitæ, periculum mortis ſibi accerſentes. Qui ergo de hac Epiſtola, aut de eius autore dubitat, familiaritatē, & amicitiam inter Petrū,& Paulū tollit,& Petri autoritatem in confirmādis ſcriptis Euangelicis, aut Apoſtolicis, confirmationem etiam, quam Epiſtolis Pauli tribuit, apertè adimit. Debebat præterea Apoſtolorū princeps Petrus iuniorē in Apoſtolatu Paulū commēdare, ac laudibus celebrare,ne propter reprehenſionem,& reſiſtentiam in facie à Paulo ſibi factam Antiochiæ,quod non ambularet ad veritatem Euangelii, minus illum diligere, aut eius verbis offenſus videretur; aut etiā ne alii putarent,propterea Paulum maiorem eſſe Petro: opus ergo fuit, vt aliquo loco paſtor eius,vt primarius Apoſtolus, eius Epiſtolas cōfirmaret,& obiectis cōtra eum calumniis per Hæreticos vindicaret,vt fecit.Quare qui negant autorem huius Epiſtolæ fuiſſe Petrum, multum vtriuſq; gloriæ detrahunt, & charitati Petri,& Pauli ſcriptis derogant.

Hanc Epiſtolā Petri negantes eſſe, quid illi incommodent.

Gal. 2.

Iam alter labor nobis ſupereſt,vt, quæ obiiciuntur contra hanc Epiſtolam, diluamus. Opponunt igitur nobis in primis Didymum, qui in fine commentariorum ſuorum in hanc Epiſtolam, ſcribit: *Non eſt ignorandum, præſentem Epiſtolam eſſe falſatam, quæ licet publicetur, non tamen in canone eſt.* Hæc ille. Sed quoniam non detegit,in quibus ſit falſata:nec quiſquam qui ſapiat,ſcribit commentarios in Epiſtolam apocrypham, dubito an illa verba ab aliquo inſerta ſint in illū librum. A nullo fuiſſe falſata perhibetur: tantùm de autore fuit dubitatum.

Aduerſariorum obiectionibus reſpondetur.
I. ex Didymo Alex.

Deinde ex Euſebii verbis lib.3.c.25.argumentum conficiunt:Petrus Apoſtolus prædicationis ſuæ monumenta perpauca reliquit. Vna enim eius Epiſtola eſt, de qua nullus omnino dubitauit: nam de ſecunda multis incertum eſt. Ex verbis etiā Hieroymi lib. de Scripto. Eccle. *Secunda*, inquit, *Petri Epiſtola à pleriſq; eius eſſe negatur, propter ſtyli cum priore diſſonantiam,* Sed hoc ſanè nullam firmitatem habet: nam ſimili ratione colligeret aliquis, quod prima quoque epiſtola canonica non eſſet, ita nimirum argumentando: Prima Epiſtola in ſtylo diſſidet à ſecunda: prima ergo Epiſtola eius vera non eſt. Reſpondemus ergo, eiuſmodi argumentum ab ſtyli diuerſitate ſumptum, firmum eſſe non poſſe. Conſtat enim,vnum,& eundē autorē nunc humiliori ſtylo, nunc grandiori vſum fuiſſe. Certè Hieronymus grandiori conſueuit vti dictione in Epiſtolis ſuis,minori verò, quando Scripturas interpretatur,vbi ſimpliciùs,& humiliùs loquitur: At verò è conuerſo Gregorius Rom. pont. dum ſacra ſcripta interpretatur, cultiorem orationem, & elegantiorem adhibet, quàm ſolet in ſuis Epiſtolis,vt quidā annotarunt. Hæc præterea diuerſitas ſtyli oriri ſolet ab eo, quòd quis diuerſis vtitur amanuenſibus, & interpretibus: qua ratione dicti Patres,Epiſtolam ad Romanos per Tertiū, vel Terentium ſcriptam, obſcura, & aſpera orationis forma compoſitam eſſe iudicarunt: propterea quòd ille Tertius parum in dicendi ratione valeret. Epiſtolam verò ad Hebræos aſſerunt altiori eloquentiæ dictione præfulgere, eo quòd nactus ſit aut Lucam, aut Clementem Romanum interpretes, linguæ Græcæ cognitione præſtantes. Ita etiam libri Ariſtotelis,aut Chryſoſtomi ex Græco fonte in Latinum conuerſi, pro ratione interpretis magis,aut minus eloquentis,nō æquè ſunt elegantes, atque politi. Quare merito Eraſmus reprehenſus fuit, quòd multos Patres ſuis ſcriptis,& laboribus priuauerit, ratione ducta ex ſtyli inæqualitate. Quod verò ad Petrum attinet, ille pro loci, aut temporis ratione, diuerſos habebat amanuenſes. Quod vt certum eſſe comprobem, audi Hieronymum Epiſtol.ad Hedibiā: *Habebat*, inquit, *Paulus Titum interpretem,ſicut & Beatus Petrus Marcum: cuius Euangelium Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt. Denique & duæ Epiſtolæ quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe, & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro neceßitate rerum diuerſis eum vſum interpretibus.* Hæc Hieronymus. Clemens quoque Alexandrinus libro 7. Strom. prope finem loquens de Baſilide hæreſum ſeminatore, ait: *Glauciam ſibi adſcribebat magiſtrum, vt ipſi gloriantur, qui fuit Petri interpres.* ¶ Hieronymus ergo ex ſua ſententia non negauit hanc epiſtolam Petri eſſe, ſed ex aliorum iudicio, & opinione. Euſebius verò Cæſarienſ. non tam ex differentia ſtyli, quàm ſententiarum arguit libros eſſe hæreticos. Ait enim lib. 3. capit. 25.

II. Ex Euſebio.

Hier. in vita Petri tom. 1.

Hieronymi atque Gregorii in ſcribendo ſtyli diuerſitas, & vnde ſit.

Eraſmus vnde meritò reprehenſus.

Hier. ep ſt 49 q 11. ſub initium tom 3.

Clem. Alex.

Hiſtor. Eccleſ. de ſcriptoribus, qui ſuppoſito Apoſtolorum nomine ſcribebant: *In quibus & ipſe ſtylus multum ab Eccleſiaſtica conſuetudine deprehenditur eſſe diuerſus. Senſus quoque ipſe, & omnia, quæ his inſeruntur, longe ab Apoſtolica diſſonant fide: ex quo figmenta eſſe prauitatis hæreticæ comprobantur.* Hæc ille. ¶ Cùm ergo ab Hæretico tam orthodoxa, & ſancta doctrina, *Matth. 17.* quæ in hac Epiſtola continetur, non prodierit, & nullus verus Chriſti cultor falsò ſe Apoſtolum nominare auderet, aut myſterio transfigurationis, in monte ſancto adfuiſſe affirmaret, conſequitur verè germanam eſſe hanc Epiſtolam à Petro Apoſtolo conſcriptam, & ad Ponticos miſſam, ad quos & prima deſtinata fuit.

III. Obiectio. Ad tertium, dicendum, quòd etſi Petrus id apertè nō exprimat, vnde ſit miſſa, nec obſcurè inſinuet, vt fecit in priori, ſalutādo eos, qui erant in Eccleſia coëlecta Babylonis. id eſt, vrbis Romæ, vt explicitum fuit: hic tamē duo ſunt, quæ, etſi remotè, porrigere videntur, quòd ſcripſerit ex eodem loco, quo priorem ſcripſerat. Alterum eſt, quod ait, c. 1. *Ioan. 1.* *Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundū quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi*: ipſe autem conſummatus eſt Romæ ſub Nerone, vt certa Eccleſiæ traditio habet. Nā etſi Romæ nō ſemper permāſerit, veriſimile tamē eſt eò rediiſſe, vt Dominū per Crucē clarificaret. Nam illi ad preces fidelium vrbem egreſſo Dominus apparuit: ab eoq; interrogatus: *Domine quo vadis?* reſpondit, *Vado Romam iterū crucifigi.* Quibus auditis, ille reuerſus eſt in Vrbem: & narrata hiſtoria Chriſti ſibi apparentis, placauit corda eorum. Altera coniectura eſt, quod ſcribit de Paulo, & eius Epiſtolis, quas, dum Romæ eſſet, legiſſe, & vidiſſe potuit; & proptereà tanto teſtimonio illas fidelibus commendauit: quod certè alibi contigiſſe, non eſt tam probabile, atq; in Vrbe: nam circumferebatur faſciculus literarum Pauli, quas Galatis, & Achæis ſcripſerat: ita vt potuerit *Seneca.* Seneca Imperatoris præceptor & inſtitutor eas legere, etiam ipſi Principi Neroni, vt ipſemet Seneca teſtatur in quadam ſua ad Paulū epiſtola. Decebat prætereà, Petrum Apoſtolum, Romæ, hoc eſt in ſua eccleſia, in qua vigintiquinq; annos ſedē ſuā tenuerat, mortem pro Chriſto acerbā in cruce ſuſtinere, vt doceret omnes Eccleſiarum Epiſcopos, quemq; in ſua ſede vitā terminare, & merita ſuæ vitæ, laborū, & mortis ꝓ ſuis ouibus Deo offerre: quemadmodū Petrus ſanguinis ſui, ac crucis merita pro Romanis obtulit, & efficaciſſimæ interceſſionis ſuæ patrocinium, in perpetuum eſt pollicitus. Ratio itaq; euincit, ac comprobat, quòd ſit Petri Epiſtola, quia ex eodem loco, ad ea'dē gentes priorem epiſtolam deſtinauerit, & ferè eadem quæ prius, repetiuerit, & inculcauerit. Sicut etiam Paulus Gentium Apoſtolus, & doctor, in eadem vrbe Dominum glorificauit, vt vrbem, quam doctrina, & ſignis illuſtrauerat, ſanguinis quoque ſui meritis locupletaret, & quaſi eorum aduocatus, perpetuò cauſſam eorum apud Deum ageret.

Quare cōgruū fuerit Petrus, & Paulus vt Romæ pro Chriſto mortē oppeterēt. 1. Tim. 2.

Iam verò argumentum Epiſtolæ breuiter proponendū eſt. Cùm breuì futurā corporis ſui diſſolutionem, ex Diuino Spiritu cognouiſſet Petrus, paterno ductus amore, ſaluberrimæ munus eruditionis Ponticis, & Aſianis, atque adeò toti Eccleſiæ relinquere voluit. Docet igitur, religionem, & fidem quam acceperant, ſanctam, & veram eſſe, & à Prophetis fuiſſe prænuntiatam, & promiſſam: quodque prophetiæ de Saluatore non ſint humanæ, ſed à Spiritu ſancto profectæ. Deinde hortatur, vt puritati vitæ, & innocentiæ ſtudeant, quò certam faciant ſuam electionem: in qua vt firmiùs perſtare poſſint, monet, ne animum aduertant ad venturos ſeductores, & pſeudoprophetas, dicens futuram eſſe ipſorum perditionem, quemadmodum etiam facta fuerat tranſgreſſorum Angelorum. Prætereà prædicit venturos illuſores, dicentes, in vanum à nobis expectari Iudicii diem, eo quod cùm ſemper fuerit per eos denuntiatum, nunquam tamen hactenus euenerit: quare præcipit vt ab eis ſegregentur; & quod omne, vel longum tempus nihil ſit apud Deum, & vnus dies ſit perinde atque mille, & mille anni perinde atque dies vnus. Confirmat verò, breuì diem Domini affuturum; & mandat vt ad illum per bona opera charitatis, & iuſtitiæ nos præparemus. Poſtremò docet, vt ea complectamur, quæ ab Apoſtolo Paulo ſcripta ſunt: nec illis credamus, qui eius ſcripta calumniantur; eò quòd non minus cæteras Scripturas calumnientur. Præmunitq; eos ad ſtabilitatem, & patientiam, vt creſcant in gratia, & cognitione Domini noſtri, quò poſſint aliquando æternam felicitatem comparare.

Argumentum huius epiſtolæ, & ſcopus.

Ad vltimo loco propoſitum reſpondeamus. Sic habet ſalutatio huius Epiſtolæ:

Salutationis apoſtolicæ explicatio.

ſtolæ: *Simon Petrus ſeruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti, ijs qui coæqualem nobiſcū ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri.* Salutatio eſt conſtans ex nomine ſcribentis; & ex iis ad quos ſcribitur, & ex ipſa forma, & ratione ſalutandi. Nomen ergo eius in primis eſt Simon Petrus, vel Simeon, vt habetur in Græco, hoc loco, & Actor. decimo quinto, erat enim triplex nomen Petri Apoſtoli: nam à circumciſione dictus eſt Simon, vel Simeon, quod idem eſt. Deinde à Chriſto vocandus promittitur Syriacè, Cephas, quod eſt Petrus Græcè, & Latinè. Et ne quiſquam ambigat, an alius ſit Simon, & alius Petrus, vtroq; nomine ſe appellat, quod eſt veluti tertium nomen ex vtroq; nomine conſtans, quo vocatur Matth. 16. cum de eo dicitur: *Reſpondens autem Simon Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui:* & Ioan. 21. habetur: *Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus, Simon Ioannis, diligis me plus his?* Ita vt, cum promittitur paſtoratus Eccleſiæ, & cū confertur, vtroq; nomine, & Simonis, & Petri appelletur: vt ex hoc capite etiam certior ſit hæc Epiſtola Petri, quàm prior, vbi tantùm ſimplici nomine Petrus dicitur.

Triplex nomen Petri Apoſtoli.

Quibus ſcripta hæc epiſtola.

Addit deinde: *Seruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti.* In quo, Paulo Apoſtolo illis titulis ſe ad Roman. 1. appellanti, parem Apoſtolum ſe Petrus indicauit. Subdit ad quos hæc Epiſtola conſcripta ſit, cum ait: *Iis qui nobiſcum æqualem ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei.* Vbi nomen, coæqualem, Græca vox prægnantior exprimit, æquè pretioſam, *ἰσότιμον*. Ex quibus verbis difficile eſt intelligere ad quoſnam hæc Epiſtola miſſa ſit, & qui ſint illi qui ſalutantur: quoniam omnibus Chriſtianis commune eſt pretioſam fidem habere, niſi ipſe explicaſſet cap. 3. huius Epiſtolæ, dum ait: Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo Epiſtolam. Elicitur ergo, ad eoſdem Ponticos, ſiue Aſianos ſcriptam eſſe, ad quos & prima miſſa fuerat, eundemq; fuiſſe prioris, & poſterioris ſcriptorem, vt ita ſecunda confirmet primam. Nam etſi aliquando dubitatum fuit de poſteriori, non licet iam amplius dubitare; cùm Eccleſiæ ſententia vt Petri propria declarata ſit, & confirmata.

Fidē quomodo ſortimur, quā Deus tamen nobis iam olim dare diſpoſuit?

Dubitari autem poſſet, quomodo dicimur ſortiti fidem: num caſu, aut fortuna aliqua ad nos deſcendit? Deinde quomodò vocat fidem æqualem, vel æquè pretioſam: num fides inferiorum fidelium æqualis erat, aut æquè pretioſa cum fide Apoſtoli Petri, & aliorum, qui in fide ſupra cæteros excelluerunt; id enim ſignificare videtur verbum, Nobiſcum. Tertiò, quomodò hoc erat in iuſtitia Dei noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti. ¶ Ad primum reſpondemus, per verbum, ſortiendi, nullum caſum, aut fortunam deſignari, ſed meram tantùm, & gratuitam Dei voluntatem, de qua dixit Dauid: In manibus tuis ſortes meæ; & in Actis de Iuda dicitur: *Qui connumeratus erat in nobis & ſortitus eſt ſortem miniſterij huius,* & tamen à ſolo Chriſto fuerat electus ad Apoſtolatum. Ita hoc loco dicuntur ſortiri fidem illi, qui Diuina electione, atque donatione illam habent. Fides enim, ait Apoſtolus, donum Dei eſt, vt ne quis glorietur, quanquàm quod ad nos attinet, ex noſtra pendeat voluntate, quia nemo credit inuitus.

Pſal. 30. *Actor. 1.*

Luc. 6.

Epheſ. 2.

Cur æqualem gratiam vocet Apoſtolus.

Circa ſecundum verò, æqualem vocat, ſiue eiuſdem pretii, & honoris, quia fideles omnes vnum, & idem præmium habent. Æqualis pretii, inquam, hoc eſt æqualis ad iuſtificandum, & ſaluandum virtutis, quod eſt Deus, ac Dei fruitio, & viſio in vita æterna. Non autem tollit vnius & eiuſdem fidei plures, ac diuerſos gradus, quia nec eadem officia pietatis, ſiue miſericordiæ, & iuſtitiæ in omnibus hominibus operatur, nec ita in vno, atq; in altero ſe exerit ad tanta ſigna perficienda. Vnde legimus in Scripturis & modicam, & magnam fidem, & omnem, hoc eſt, perfectam fidem.

Matth. 14 *Infra. 15.* *1. Cor. 13.*

Quænam Chriſti iuſtitia, quā hic vocat Apoſtolus.

Addit tertio loco: *In iuſtitia Dei noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti.* Id eſt, Per iuſtitiam ſuam, qua promeruit nobis fidem, qua apud Deum iuſtificaremur, atque adeò Chriſtum ipſum, de quo Eſaias, *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos.* Et quod ſubdit, *Dei, & ſaluatoris noſtri:* poteſt intelligi de vna perſona, id eſt, Dei Verbi, quia Deus & ſaluator eſt noſter per humanitatem aſſumptam in Incarnatione. Poteſt etiam intelligi de duplici perſona, Patris ſcilicet, & Chriſti, qui noſter mediator eſt, quem ſolet etiam Paulus in ſalutationibus diſtinguere, cùm ait *Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.*

Eſa. 53.

1. Tim. 2. *Rom. 1.*

Salutatio qua nunc Petrus vtitur, quibus conſtet.

Tandem proponit ſalutationem: *Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri.* Ex quibus verbis elicimus, vnam & eandem ſalutationem eſſe poſterioris Epiſtolæ, atque prioris, imò & idem verbum Græcum πληθυν-

πληθυνθείη: etſi in priori Epiſtola ab interprete dictum ſit, multiplicetur, hîc verò, adimpleatur: niſi dicamus, interpreté hîc legiſſe πληρωθείη, vt eiuſdem omnino autoris fuiſſe vtraq; epiſtola declaretur. Eſt autem ſalutatio Apoſtolica conſtans gratia, & pace. Et precatur earum virtutum complementum tam in vita præſenti, quàm in futura: nam vtraque conſiſtit in cognitione Dei (vt ſubdit) & Chriſti Ieſu Domini noſtri, ſecundùm
Ioan. 17. illud Domini verbum: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum, Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Et de his hactenus.

DISPVTATIO II.

In verba primi capitis poſterioris Epiſtolæ B. Petri: *Quomodo omnia nobis Diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionẽ eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quæ maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*, & reliqua in finem vſque capitis.

I. Dubitat. CIRCA Huius capitis verba dubitationes non contemnendæ oriuntur. Prima eſt circa Grammaticam primæ clauſulæ: nam aut videtur pendere à præcedentibus; aut, ſi non pendet, imperfecta eſt, & aliquid neceſſariò ſupplendum ad orationis integritatem. Deinde ſenſus non eſt adeò perſpicuus, & planus,
Secunda. vt non indigeat explicatione. Secundò dubium eſt, quænam ſunt illa maxima, atque pretioſa promiſſa, quibus reddimur naturæ Diuinæ conſortes, cùm multa ſint, & varia dona iſta, & quiſq; poſſit accipere de hoc, aut de illo. Quis
Tertia. eſt etiam ille, de quo ait: Per quem. Tertiò, quæ ſit illa concupiſcentiæ corruptio, quam nobis effugere præcepit, cùm id difficillimum longè, imò etiam impoſſibile eſſe videatur. Nec enim exui poteſt carnis corruptæ concupiſcentia, niſi poſt partam reſurrectione vniverſali corporis ſanitatem, & integritatem, & interim
Rom. 1. nobis ingemiſcendum ſit cum Paulo; *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore*
Quarta. *mortis huius*? Quartò dubitatur de illa longa gradatione, in qua ex prima ſententia oritur ſecunda, ex ſecunda tertia, & ex tertia quarta, & reliquæ. Et veniunt ſingulæ illæ virtutes diligenter explorandæ, & excutiendæ, quò conſpicua reddatur eorum verborum intelligentia.
Quintò, qua ratione carentia eiuſmodi virtutum reddat hominem cæcum, & manu tentantem, & oblitum purgationis veterum delictorum: cùm ſcriptum ſit: *Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Sextò dubium eſt, an Dei electio, & vocatio firma ſit, & certa: & ſi à nobis firmitatem habet, & non ex Deo, quomodo verum erit verbum illud Domini: Ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi? Item, quomodò ait: Non peccabitis aliquando: & apponitur etiam, quod Græca litera non habet, *Per bona opera.* Septimò, quid eſt illud quod ait: *Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his: & quidem ſcientes, & confirmatos vos in præſenti veritate*? Rurſus quæ ſit illa præſens veritas. Octauò quare vocat mortem ſuam, depoſitionem tabernaculi; & quando hoc illi reuelatum eſt, & vbi. Nonò cum ait: Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum omnium memoriam faciatis, dubitatur, an hoc promittat facere dum viueret, an verò poſt mortem: ita vt precibus ſuis id illi à Deo conſequi deberent, nam ſunt qui hoc modo, & alii, qui alio intelligant. Decimò ſuper id; Non enim indoctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſcientiam. Vbi primùm quæritur, quomodò legendum ſit: Indoctas, an doctas, vt Græcus habet codex, fabulas ſecuti. Deinde, an legendum præſcientiam, an verò præſentiam. Quæ etiam fuit illa magnifica gloria, à qua proceſſit vox: Hic eſt Filius meus dilectus. Senſus etiam totius illius periodi quærendus eſt. Vndecimò dubitatur, qua ratione dixerit Propheticum ſermonem firmiorem viſione illa transfigurationis, quã Chriſtus exhibuit, & quare vocat prophetiam lucernã ardentem in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat. Duodecimò, & vltimò, quare hortatur ad ſtudium Prophetarum: videtur n. id inutile, ſi obſcurũ eſt, & nullus fructus inde colligitur. Quomodò item aſſerit, prophetiam voluntate humana non fuiſſe allatã, ſed Spiritu ſancto inſpirãte locutos eſſe ſanctos Dei; cùm interdum Prophetæ veri Dei ex ſuo aliquid dixerint, vt Natham, qui hortatus fuerat Dauidem ad conſtructionem templi, de quo errore admonitus à Domino, reuocauit Dauidem ab illo propoſito. Con-

Quinta. — Eccleſ. 7. — Sexta. — Matth 24. — Septima. — Octaua. — Nona. — Decima. — Matth 17. — Vndecima. — Duodecima. — 2. Reg. 7. ibid. 5.

ſtat etiam, prophetam quendam deceptũ fuiſſe per alium, qui contra Dei voluntatem edit, vbi prohibitus erat ne id faceret: vnde & mortem incurrit, dum per viam leo illi occurrit, & interfecit eum. Deinde conſtat, multos viros fuiſſe inter Gentiles (qualis fuit Rex Hydaſpes, & Sybillæ, quæ vates extiterunt) qui multa de Imperio Romanorum prænuntiarũt, & de Chriſto: anne etiam per os iſtorum locutus fuit vnquam Spiritus ſanctus? an hi pro falſis prophetis habendi ſunt? Conſtat etiam Balaan ariolum vera dixiſſe de Chriſto, Caipham quoque pontificem in conciliabulo illo ſententia data in Chriſtum, vera de Chriſto prædixiſſe, vt oſtendit Ioannes.c.11.

3. Reg. 13. — *Num. 22. 23. 24.* — *Ioan. 11.*

Solutio I. quæſtionis. De ordine continuationeque dictorum. *Beda.*

Ad primum horum reſpondemus, hãc clauſulam, ſi ex ſuperioribus pẽdeat, duriuſculam eſſe, & minus verbis præcedentibus congruentem. Quare Beda, & alij, iuxta hanc lectionem aliquid ſupplendũ eſſe docent, quod ſenſum facere poſſit: *Gratia vobis, & pax adimpleatur in eo, vt Dominum noſtrũ perfecte cognoſcatis*: & hoc etiam per eum agnoſcamus, quomodo omnia virtutis ſuæ dona donata ſunt per eius gratiam. Alij vero, vt Titelmanus, ita explanant hanc clauſulam: Gratia Spiritus ſancti, & comes illius pax vera creſcat, & abundet in vobis vſq; ad perfectionẽ, in cognitione Dei Patris, & Ieſu Chriſti Filij eius, vt cognoſcamus, quemadmodum omnia nobis ab eius Diuina virtute donata, & gratis data ſint, quæ ad vitam ſpiritualem, & pietatem veram ſunt neceſſaria, per cognitionem eius ex fide, qui vocauit nos propter eius gratiam, & potentiam. Atque ita hunc locum Latini interpretatur.

Altera ſolutio, quæ eſt Titelmanni.

III.ª Solutio Græcorum videlicet.

Ex Græca vero litera hic ſenſus cõmode erui poſſet: Gratia, & pax Dei multiplicetur in cognitione Dei, hoc eſt: Vt cognoſcatis Deum, & Ieſum Chriſtum quemadmodum nobis (ſubaudi, multiplicantur) Diuinæ poteſtatis ipſius bona ad vitam, & pietatem, ſeu religionem, quæ nimirum poteſtas data eſt nobis per cognitionem illius qui vocauit nos. Quidam vero nolentes hæc verba pendere à ſuperioribus, interpretantur illud aduerbium, *Quomodo*, non pro, Quemadmodum, vel ſicut, quia nõ habet membrum, cui reſpondeat, ſed vt accipiatur admiratiue, prout Græci vſurpant ὡς. Nec deſunt exempla, quæ hoc confirment. Dauid enim inquit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine?* Ieremias, *Quomodo ſed & ſola ciuitas plena populo!* id eſt, Vehementer dilexi; &, Maxime ſola, vel ſolitaria eſt ciuitas (ſcilicet Ieruſalem) olim plena populo: ac rurſus Dauid: *Quomodo facti ſunt in deſolationem?* explicanſque ſubdit, *ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam.* Vbi Hieronymus vertit ex Hebræis fontibus, *Quam facti ſunt, &c.* iuxta illud, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua?* Vbi Græce habetur ὡς. & *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum?* & *Quam bonus Iſrael Deus ijs, qui recto ſunt corde?* Salomon quoque in perſona reproborum de iuſtis & electis: *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei*: id eſt, Cum quanto honore, & gloria, &c. Ita hîc liceret interpretari: O quam abunde Diuina bonitas donauit nobis omnia quæ ſunt ad pietatem neceſſaria? Recte addidit, Omnia, ne quis luderet in verbo, Omnia, quæ ſunt, inquit, ad pietatem, & vitam neceſſaria: nam de iis, quæ ad hæc non ſunt ſpiritualis Dei ſeruus non eſt ſolicitus.

IV. Solutio aliorũ. — *Pſal. 118.* — *Thren 1.* — *Pſal. 72.* — *Hier. tom. 8 Pſalm. 118.* — *Pſal. 83.* — *Pſal. 72.* — *Sap. 5.*

Diuinæ copia largitatis.

Vnde nobis & quando diuina dona prouenerint.

Addit: *Per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute.* Si quis rogaret qua in re, & quando iſta nobis donata ſunt? reſpondet ἐν ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ, id eſt in agnitione, ſiue per cognitionem Dei, qua eum agnouimus Meſſiam. Aitq; *Propria gloria, & virtute.* Id eſt, Diuinitate, ac maieſtate ſua. Nam Apoſtolorum vocatio non fuit ſine ſigno piſcium, quando dixit Simoni, *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam*: & in ea ipſius gloria, & maieſtas ſplenduit.

Lucæ 5.

Quæ virtus vocauerit diſcipulos ad Chriſtum.

Solum hîc notandum eſt, Græce haberi ἀρετὴν, quæ eſt virtus, vt opponitur vitio, non autem imbecillitati. Perfecta ergo Chriſti iuſtitia, qua conuerſatus eſt in terra, & eius gloria, quam viderunt Diſcipuli ante, & poſt paſſionem, & in Transfiguratione, & reſurrectione, & in miraculis eius ſplendens, vocauit Apoſtolus, & per illos omnes. Et quia dixit, Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, id eſt, Per gloriam, & virtutem, videtur magis hunc ſecundum ſenſum confirmare. Vocauit ergo nos per gloriam, & virtutem ſuam. Poteſt & hæc virtus ſignificare potentiam, ſiue poteſtatem, ſicut & in Scripturis alias vſurpatur: quod vel etiam in hoc loco, cum ſermo eſt de illa gradatione, oſtenditur cum ait: Miniſtrate in fide veſtra virtutem. Vbi rectius ἀρετὴν pro ſpecie virtutis, id eſt, fortitudine, quam pro genere acceperis, hoc eſt, pro omni virtute. Nam ſi generice accipias, abſurdum videbitur inter ſpecies, id eſt fidem, ſcientiam, abſtinentiam, & patientiam, enumerare virtutem

Alter ſẽſus

in genere: atq; ita Oecumenius, & Beda pro ſpecie accipiunt, dum per virtutem intelligunt fidei effectum, id eſt, opera bona, ſine quibus fides ipſa languet, imo teſte B. Iacobo, mortua eſt in ſemetipſa.

Iacob. 2.

Secundæ dubitationis ſolutio. Quænam illa Dei maxima, & pretioſa promiſſa quæ accepimus. *2. Cor. 1.*

Ad ſecundam dubitationem reſpondendo dicimus, maxima, & pretioſa promiſſa Petrum intellexiſſe, promiſſionem Meſſiæ Filij Dei, qui adumbratus fuit & promiſſus à Prophetis: Quæ quidem merito amplificat, cum ait: *Maxima, & pretioſa promiſſa*: Nam per Chriſtũ omnes ſunt promiſſiones exhibitæ: quotquot enim promiſſiones Dei, ſunt in illo, vt teſtatur Apoſtolus. Et magis explicans doni magnitudinem, ait: *Vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Eſt enim Chriſtus incomparabilis ille theſaurus in agro humanitatis deliteſcens, & in Scripturis; & Sacramentis, maxime ſub ſpeciebus panis, & vini velatus, per quem ad nos venerunt incomparabilia Spiritus ſancti dona, remiſſio peccatorum, liberatio à dæmonis, ac mortis tyrannide, adoptio filiorum Dei, in quam ex carnalibus filijs iræ, & damnationis æternæ, Diuinæ efficimur naturæ conſortes ac de plenitudine eius omnes accipimus, gratiam prò gratia. Habemus etiã in Chriſto immortalitatem, & vitam in æterna ſecula beatam, & omnibus bonis circumfluentem. De quibus diuitiis, & beneficiis multa Apoſtolus ad Epheſ. 1. & Coloſ. & Dilectus c. 1. prioris epiſtolæ, *Et ſocietas*, inquit, *noſtra ſit cum patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.* Interpretatur hæc verba Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 3. myſtagog. dicẽs. *Quare omni cum certitudine corpus, & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus; & ſub ſpecie vini datur ſanguis, vt ſumpto corpore, & ſanguine Chriſti, efficiaris ei cõparticeps corporis, & ſanguinis, χριστοφόροι γινόμεθα (id eſt Chriſtum ferentes) ſic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, cum eius corpus, & ſanguinem in membra noſtra receperimus, atque ita, vt B. Petrus dicit, diuinæ naturæ conſortes efficiemur.* Hæc ille ſatis eleganter.

Matth. 13. *Infra. 26.* *Rom. 8.* *Gala. 4.* *Ioan. 1.* *B. Cyrill. Ieroſoly.*

Chriſtiferi qui ſint teſte Cyrillo.

Michaelis Serueti plane impiũ in hæc Petri verba cõmentũ.

Impius tamen, ac nouus Arrianus Michael Seruetus, Hiſpanus hæreticus ad mortem vſque violentam per Caluinum damnatus, ex hoc loco aſſeuerauit Diuinę eſſentiæ transfuſionem in nos, ignorare volens naturam diuinam per infuſa dona à nobis tantum poſſe participari.

Cum ait, per quem, vt vertit interpres, qui videtur legiſſe δι' οὗ Chriſtum ſignificat, per quem omnia bona nobis ſunt acquiſita, & nobis tradita. Si autem legam', διὰ τούτων, refert ad gloriam, & virtutem, vel ad ea, quæ ſpectant ad vitam, & pietatem: nam eiuſmodi donis ornati, vere dicimur induere naturam diuinam: quemadmodum ferrum induit ignem, quando ignitur. Beda tamen legit, Per quam, nimirum cognitionem Chriſti, ſiue fidem eius. Omnes tamen hi ſenſus boni ſunt, & eodem tendunt: ſed prior videtur cæteris præſtare.

Ad tertiũ dubium. De fuga concupiſcentiæ, quam tamen vitare non poſſumus.

Tertiam dubitationem ſoluamus in illud: *Fugientes eius quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* Pro quibus Græca habent: Si refugeritis à corruptione, quæ eſt in mundo per concupiſcentiam. Hortaturq; ad vitæ innocentiam, & puritatem, oſtendens nos diuinæ naturæ non futuros conſortes ſine noſtra volũtate, & cooperatione. Iuſtum enim eſt; vt qui diuinitatis volunt eſſe participes, & immortalitatis & cæleſtem expectant à corruptione terrena beatitudinem, ad tempus abſtineant à corruptione concupiſcentiæ mũdi. Recte autem mundi, dixit, ſeu carnis concupiſcentiam; ad differentiam ſpiritualis concupiſcentiæ, quæ eſt ſapientiæ, & virtutis, de qua Salomon. Sap. 6. philoſophatur, & Dauid pater eius dixit, *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas*; & rurſus, *Defecit in ſalutare tuum anima mea.* Eſt autem hæc mundana, ſeu carnalis concupiſcentia, concupiſcentia illa triplex. Carnis, oculorum, & ſuperbiæ vitæ. De hac tam ampla dignitate donorum Dei recte dixit Leo ſerm. de Natali Domin. *Agnoſco, ô Chriſtiane, dignitatem tuã, & Diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. Memento cuius capitis & cuius corporis ſis mẽbrum, Reminiſcere quod erutus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus es in Dei lumen, & requiem*, & quæ ſequuntur.

Quænam ſpiritualis concupiſcentia, bona ſcilicet atq; laudabilis, quæ vero carnalis. *Pſalm. 118. Ibidem. lit. caph. 81. 1. Ioan. 2.* Elegans, & pulchra B. Leonis ſententia. *Leo ſerm. 1. in fine.* *Coloſſ. 1.*

Ad quartũ dubium. De gradatione Petri Apoſtoli. *2. Corint. 6.*

Quarto dubio ſatisfaciendum eſt Quia ſæpe contingit, vt fruſtra, & in vanum gratia Dei accipiatur, cohortatur eos ad fructus bonorum operum proferendos. *Vos autem* (inquit) *curam omnem ſubinferentes.* Id eſt, Adhibentes, ſiue conferentes. *Miniſtrate in fide veſtra veritatem, in veritate autem ſcientiam, &c.* Eleganti ſane, & accõmodata vtitur gradatione, qua figura dicendi delectati ſunt Apoſtoli, maxime Ioannes, qui quidem cap. 1. ſui Euangelij bis ea vtitur; & Paulus Roman 5. & 10. & Propheta etiam Oſeas ca. 2. ¶ Iam ſingula diſcutiamus. Primo, *Miniſtrate*, inquit, *in fide veſtra virtutem.* Hoc eſt, Aut opera bonæ iuſtitię: & fratri debita, aut opera

Gradatio Apoſtolis familiaris.

Miniſtrare in fide virtutẽ, quid.

Qualis ſides ſine operibus.

charitatis in debita, aut opera pœnitentię ſi opus ſit peccato abolendo neceſſaria, aut opera perfectionis, & ſupererogationis, aut opera fidei, ſine quibus fides mortua eſt. Et ita Scholia Græca interpretantur. Curandum vero ne ſitis, ceu arbores pulcherrimæ, ſed otioſæ, & ſteriles, nullũ bonum fructum edentes.

Miniſtrare in virtute ſcientiam.

Subiungit in ſecundo gradu: *In virtute autem ſcientiam* Annexa namque ſolet eſſe morum probitas, & cognitio, quam prudentiam vocamus, quæ ſeruat omnes rectæ operationis circumſtantias, vt ſcilicet fiat quando, & quomodo, & quamobrem eſt faciendum opus bonum, vt ita inueniatur omnibus numeris ſuis plenum & abſolutum.

Quid, in ſcientia abſtinentiã.

In tertio gradu ſubdit: *In ſcientia autem abſtinentiam.* Seu temperantiam, quæ Gręce ἐγκράτεια dicitur, vt per eã ab illicitis, & fallacibus carnis in guſtu & tactu illecebris continentiam induamus: In licitis vero, & non prohibitis moderationem, qua nobis ipſis vim inferamus. Eleganter autem dixit Tertullian. lib. de Ieiunio contra Phyſicos, monſtrum eſſe libidinem ſine gula, & Comicus:

Elegans dictum Tertulliani.
Terent. in Eunu.
Epheſ. 5.

Sine Cerere, & Baccho friget Venus.

Paulus vero, Nolite, inquit, inebriari vino, in quo eſt luxuria.

Quid ſit miniſtrare in abſtinẽtia patientiam.
Iacob. 1.
1 Corin. 9

Quarto ait: *In abſtinentia autem patientiam.* Merito ſane: quia cũ voluptates, & concupiſcentiæ ſint vehementes, à quib' quiſq; tentatur abſtractus, & illectus; idcirco in illis cohibendis opus eſt patientię virtute, vt amplectamur ieiunium, geſtemus cilicium, & caſtigemus corpus noſtrum cum Apoſtolo, & in ſeruitutem illud redigamus; ſeiungamus nos ipſos à compotoribus; & lenonibus, & mulierculis, & omnibus illis, qui ad malum ſolicitare poſſunt: ad quæ præſtanda opus eſt magna fortitudine, & patientia.

In patientia pietate
Tit. 2.

Quintus gradus eſt, *In patientia autem pietatem*, Quæ eſt erga Deum, vt parentem bonus cultus, ita enim Græce vocatur εὐσέβεια quæ facit, vt expectemus beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Præſtat etiam, vt quæ patimur, aut agimus, ad Dei gloriã referamus. Sextus eſt gradus, *In pietate autẽ amorem fraternitatis.* Hoc eſt, vt Græce dicitur, φιλαδελφίαν eiuſmodi enim pietatem, & Dei cultum comitari debet amor fratrum: vt ſicut Deum amamus vt parentem propter ſe ipſum, ita illius gratia diligamus fratres, id eſt, omnes qui Chriſtum profitentur, quaſi Apoſtoli Chriſtianos omnes, Fratres vocare ſolebant. Sic ergo Deus pietate eſt colendus, & amandus, vt fratrum noſtrorum cura non negligatur: *Qui enim ſuorum*, ait Apoſtolus, *& maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit & eſt infideli deterior:* Septimus gradus. *In amore autem*, inquit, *fraternitatis charitatem.* Siue dilectionem, quia generalius quid eſt quam amor fraternus, eo quod ad extraneos etiam extenditur, & ad Angelos, & homines, tam bonos, quam malos; ad amicos etiam, & inimicos.

In pietate amorẽ fraternitatis.
1. *Tim. 5.*
In amore fraternitatis charitatem.

Septem virtutes erga omnes exercendæ.
Coloſſ. 3.
Iacob. 2.

In hoc autem pulcherrimo ſerto concinnando, ſeptem præcipuas ponit virtutes, nempe fidem, morum probitatem, ſcientiam, temperantiam, pietatem, ſiue religionem, fraternum amorem, & charitatem erga omnes. Vbi aduerte in primis, principium ſalutis noſtræ fidem eſſe, perfectionem vero eſſe charitatem, quæ vinculum vocatur perfectionis à Paulo, & conſummationem bonorum operum: quæ ſi defuerint, nullus eſt verus fratrum amor, nulla morum probitas, obſcuratur ſcientia, ſordeſcit tẽperantia, & abſtinentia, euaneſcit pietas, patientia grata non eſt, virtus omnis flacceſcit, & fides vitam non habet, quia fides, ait frater Domini, ſine operibus mortua eſt.

Tria Petri documẽta

Addit Apoſtolus: *Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent (ſeu exuberent) non vacuos, nec ſine fructu (Græce ἀκάρπους) vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione.* Ex quibus ſecũdo colligimus, vanam eſſe omnem noſtram cognitionem, ſiue fidem, ſi bonorum operum fructibus, & charitate Dei deſtituatur. Tertio elicimus, vanos eſſe omnes noſtri temporis hæreticos, qui contra tot Apoſtolorum teſtimonia, & quidem euidentiſſima, fidem nudam, & ſolam magnificant, & exaltant. Quid enim iuuat Chriſtum pro te mortuum per fidem apprehendere, niſi ei fidas, & innitaris? quomodo enim animus fidere poterit ei, quem non diligit? Fides ergo ſine charitate non poteſt iuſtificare, aut certam vllam ſalutis fiduciã præſtare.

Ad quintũ dubium. De eo, qui ex defectu ſupradictarum virtutum cæcus efficitur indigenſque ductore.

Quintæ dubitationi reſpondendo, dicimus, illa verba: *Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, &c.* per antitheſim à Petro dicta fuiſſe, vt melius, quæ de partibus viuæ fidei produxerat, probaret. Cui enim ad manum, inquit, & in promptu non ſunt enumeratæ virtutes, eſt luſcioſus, qui magnum aliquid adhuc videret, & illi ductu opus non eſſet: ſed vere eſt, & omnino cæcus, vbique impingens, & manu omnia contrectans, & palpitans, ac neſciens quo vadat, vt ille Elimas Magus à

Act. 13.

Paulo cæcatus:quia in voluptatum cæno, &oblitus eſt ſcientiæ,& virtutis acceptæ, &purgationis per lauacrum baptiſmi veterum ſuorum delictorum. Vt Iacobus recte dixerit de reſpiciente ſe in ſpeculo; *Conſiderauit ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.*

Iacob. 1.

Vetera delicta quænam Apoſtolo, quorum cæcus peccator obliuionē capit.

Vetera autem delicta vocat, quæ perpetrauit quiſq; in infidelitate, antequam Chriſtum cognoſceret,& in baptiſmo eū profiteretur: quæ ſane ſine ingrati animi nota non debent memoria excidere, vt futura delicta baptiſmo lacrymarum, & pœnitentiæ diluere curemus, & vitam nouam quam cœpimus, in finem vſque teneamus. Alludit autem Petrus ad cōminationes illas Moyſis Deut.28. in Iudæos vbi ait: *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias omnia mandata eius* & reliq. poſteaque ſubiungit: *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Eſaias enim c.59. Iudæos inducit ita conquerētes: *Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſq; oculis attrectauimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.* Dum enim ſedentibus in regione vmbræ mortis, apparuit lux magna, quæ eſt Chriſtus, & eam illi reſpuentes, Meſſiæ credere noluerunt perpetua cæcitate percuſſi remanerent ſine fide,& ſine vlla vera Dei cognitione. Quod ſi hæc omnibus congruunt, qui fidei non adiungunt opera bona: quid dicendum eſt de ijs, qui cæci ſunt,& duces cœcorum, & qui docent ſatis eſſe ſolam fidem?

Deut. 28.

Querulæ Iudæorum voces percuſſorum à Deo ob cōtemptū Meſſiam. *Eſa. 59.* *Supra 9.* *Matt. 4.*

Infra 15.

Ad ſextum dubium. De bonis operibus ad electionem, prædeſtinationemve requiſitis.

Iam ſextum dubium expediendum eſt circa illa verba: *Quapropter fratres magis ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* dicimus, B. Petrum adhuc perſtare in exhortatione ad beatæ vitæ puritatem, & bonos mores retinendos. Ac refellit quorundam blaſphemiam, dicentium: Si ſum electus, nulla eſt amplius mihi neceſſitas pietati incumbendi; nam per illam Dei electionem ſaluus ero. Sin vero reprobus ſim, nil mihi proderunt vlla iuſtitiæ opera: quæ ſane ratiocinatio nulla eſt. Si enim prædictum, aut promiſſum tibi eſſet te filios habiturum, tibi non repugnaret vxorem ducere, quæ neceſſaria eſt ad legitimam filiorum ſuſceptionem: ita tu cum ſis electus ad vitam æternam, & illa ſit meritorum præmium,& remuneratio; non ſolū non pugnant bona opera, ſed etiā neceſſaria ſunt,& non tantum illa, ſed in laboribus patientia, & in benefactis perſeuerantia: quia patientibus cum Chriſto, & perſeuerantibus in bono datur corona.

Et declarans Petrus vim retinendæ firmitatis, ſubiungit: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Poteſt ergo homo eſſe ſine peccato, & hoc probabiliter cognoſcere ex operibus bonis, & aſſiduis precibus, à Sacramentorum frequentatione. Quod ait: *Non peccabitis:* Græce eſt, non labemini, ſcilicet à gratia, vel, Non offendetis, ſiue collidemini, quia Dominus ſupponet manum ſuam. ¶ Porro illud: *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet,* & aliud, *Dimitte nobis debita noſtra.* de leuioribus, & quotidianis delictis intelligeudum eſt, quæ ſtare poſſunt cum iuſtitia Dei, imo etiam cum perfectioris vitæ ſtatu. Solum enim mortiferum delictum Dei gratiam tollit.

Apoſt. 2. Homo vt viuere poſſit ſine peccato.

Pſalm. 26. Quo ſenſu dictum ſit: Non eſſe iuſtum in terra, qui nō peccet. *Eccl. 7.* *Matth. 6.*

Subdit autem: *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.* Quia videlicet cor lætitia impletur, & fortitudine, & ardenti deſiderio veræ gloriæ, vt ita poſſimus firmam facere electionem noſtram. Deſunt vero in Græcis codicibus (vt monuimus) illa verba: *Per bona opera*: ſed ita intellexit noſter interpres. Verbum vero illud *Satagite*, ſiue, *operam date*, ea bona officia virtutis includere videtur.

Effectus bonorum operum in corde iuſti ſecūdum Apoſtolum.

Ad ſeptimum ait Petrus: *Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his.* Græce ita legimus; Non negligā, ſiue, Non omittam vos commonere de his quæ ſcripſi, etiamſi ea noueritis,& in præſenti veritate confirmati ſitis, ſcilicet bonorum operum ſtudium efficere firmam vocationē, & electionem: quia qui fecit te ſine te, nō ſaluabit te ſine te: ſed vult te ſalutis tuæ cooperatorem fieri, ita vt ex benefactis certa habeas diuinæ electionis ſigna. Præſentem vero veritatem intelligit eam, de qua iam dixit, vt ſcilicet certam ſuam vocationem, & electionem reddere ſtudeant per opera bona, ſine quibus non patet introitus in æternum regnum & cœleſte.

Solutio ſeptimæ dubitationis De Petri admonitione, quo tendat.

Aug. ſerm 15. 50 homiliarum, tom. 10.

Quam vocet præſentem veritatem Apoſtolus.

Vt octauum ſoluamus dubium in illud: *Iuſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione, certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei*: dicimus Apoſtolum reddere rationem iuſtæ commonitionis, quod noſſet ſibi mortem inſtare. Vocat autem corpus ſuum, tabernaculum, cuius vſus erat paſtoribus, qui tugurijs vti ſolent. Eſt etiam vſus tabernaculi militantibus in bello: rurſus viatoribus, vt fuit olim filio-

Ad octauū dubium. Cur mortem ſuam, depoſitionem tabernaculi vocet Apoſtolus Petrus.

rum Iſrael de Ægypto egredientium. Apoſtolus ergò Petrus paſtor Eccleſiæ fuit, & luſtrare debebat terram Eccleſiæ tanquam peregrinus, & paſtor, & circa eam eſſe ſolicitus. Erat etiam militiæ deſtinatus Chriſtianæ, tanquam dux, & anteſignatus. Erat enim viator; ex quo per fidem agnouit aliam eſſe patriam noſtram, & alium parentem, & fratres, &c. Quadrat etiam hæc metaphora Chriſto, qui ſummus fuit paſtor, ſupremus militiæ Chriſtianæ Imperator, denique viator, & peregrinus fieri voluit per humanitatem aſſumptam, de qua dixit Ioannes: Verbum caro factum eſt, & tabernaculum (ſcilicet carnis, vel corporis) tetendit in nobis. Ita enim propriè verbum Græcum ἐσκήνωσε ſignificat, pro quo interpres noſter vertit, habitauit. Et ita Chriſtus peregrinus fuit in hoc mundo, vt errantes homines duceret in patriam. Quare pulchrè Propheta dixit de populo Iſrael: *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum?* Paulus quoque hac eadem metaphora vtitur dicens: Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati.

Ioan. 10. *Supra 9.* *Ierem. 14.* *2. Cor. 5.*

Vnde Petro innotuerit genus mortis, tempus, & locus eiuſdem, teſte Metaphraſte.

Ac licèt expreſſerit Petrus inſtare mortem ſuam, non tamen aut genus expreſſit, aut tempus, aut locum. Fuit ergò reuelatio hęc Petro facta per Angelum dum eſſet in Britannia, vt teſtis eſt Simeō Metaphraſtes in vita Petri & Pauli: & Romam illum euocauit, ad morte ſua ibi Dominum glorificandum.

Altera opinio autori plauſibilior.

Sed veriſimilius mihi videtur, tunc hoc reuelatum fuiſſe, quando Nero ſæuire cœpit in Chriſtianos: & cùm fideles animad uerterent in caput eorum, hoc eſt, in Petrum, mortem deſignare, vehementer eum rogarunt, vt ſe ſubduceret: Qui quidem precibus eorum, & lacrymis victus, vrbem egreſſus eſt animo aliò tendendi. Sed exeunti portam, occurrit illi Dominus interrogatus à Petro, Domine, quò vadis? Cui reſpondit, Vado Romam iterum crucifigi. Vnde redijt, & viſione Domini confirmatus, & confirmatis & pacatis fidelibus, qui Romæ erant, libenter crucis mortem ſuſtinuit.

Cur ſancti diē mortis ſuæ ſæpe ex Deo pręcognoſcant.

Iuſtum autem arbitror, inquit. Ob hanc cauſam vos commonefacere de meo diſceſſu, vt officium meum compleam, dum ſum in hoc corporis tabernaculo. Sæpè enim Deus ſanctis diem exitus ſui reuelat, quò tela pręuiſa minus eos feriant, & expediant quæ facere debent cum viuentibus, iuxta illud, Honeſtauit in laboribus, & cōpleuit labores illius.

Sapiens. 10.

Nonæ quæſtionis ſolutio. Quando dederat operam Petrus vt fideles huius ſuæ admonitionis frequenter meminiſſent, ante mortem, an poſt.

Nonum fuit dubium in hæc verba: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Hæc verba duos ſenſus efficiunt. Prior eſt: Daturum ſe operam, vt habeat illos, (ſupple commendatos, poſt obitum ſuum, vt harum admonitionum memoriam ſeruent: qui ſanè ſenſus Catholicus eſt, & iugulat nouellos hereticos, qui negant ſanctos in cœleſti patria conſtitutos vllam noſtri cognitionem, aut curam habere, aut preces pro nobis fundere. Vnde apud Eſaiam Iudæi dicunt; *Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos*: querebantur enim, quod à patribus pro conſuetudine non iuuarentur, neque eorum recordarentur: & in fine 2. libri Machabæorum legimus: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.

Eſai. 63. *2. Mach. 15.*

Altera ſolutio

Alter ſenſus eſt: Dabo operam dum vixero, vt vos poſt obitum meum horum documentorum memineritis, proſpiciendo de bonis paſtoribus, qui hæc, & ſimilia in memoriam vobis reducant. Priorem tamen ſenſum ſcholia Græca hoc loco confirmant: Nonnulli, inquiunt, per hyperbaton intelligunt, hoc modo: *Dabo autem operam, &c.* Volentes ex hoc oſtendere, quòd etiam poſt mortem ſancti eorum meminerunt, quæ hîc pro viuentibus perfecerunt. Nec valet, quod Eraſmus legit, Ἔχειν ὑμᾶς cū verbo ποιεῖσθαι, id eſt, Vt vos poſt exitum meum horum mentionem facere poſſitis: quia ſenſus non eſſet ad propoſitum, & ter idem dixiſſet. Nam primùm dixit: Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his. Deinde. Iuſtum autem arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo. Tertiò demum, cùm ait: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum.* Deinde verbum ἔχειν ſi cū alijs modis præter Infinitiuum iungatur, ſignificat poſſe. Vnde Lucianus dixit: Οὐ γὰρ ἔχω εὑρεῖν. Hoc eſt: Non enim poſſum inuenire. Vbi verò ἔχειν, in Infinitiuo ponitur cum alio verbo infinitiui, non ſignificat poſſe. Idem etiam in Latina lingua obſeruatur. Ait enim Cicero epiſtol. ad Lentulum: *De Alexandrina re, cauſaque regia tantùm habeo polliceri*, id eſt, poſſum. Simile eſt quod dixit Chriſtus: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo*, & alibi, *Simon, habeo tibi aliquid dicere.* Quare excluſa hac Eraſmi techna, ſenſus egregius reſultabit, quòd etiam poſt mortem orabit pro eis, quod & facilius erat polliceri: ſicut etiam Cyprianus pollicetur Cornelio in

Oecum. c. 1. *Inepta Eraſmi interpretatio.* *M. Tull. lib. 1. epiſt.* *Ioan. 16.* *Luc. 7.*

lio in prima epiſtola ſua, quòd ſi morte eum præceſſerit, rogaturus ſit Deum pro eo. Atque hic ſenſus præcedentibus quadrat mirificè.

Soluitur decima ſolutio Circa lectionem huius loci: Nō enim indoctas fabulas ſecuti, &c.

Ad decimum dubium, vbi agitur de Transfigurationis Myſterio in Petri verba: *Non enim indoctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam*: dicendum, quòd vt indiuulsè Chriſto fideles hæreant, & in eà permaneant doctrina, quam profitebantur, autoritatem ipſius religionis confirmat argumento à veritate eius, & certitudine ſumpto. Nam Apoſtoli Chriſti legati erant ad annuntiandam eius doctrinam, virtutemque miraculorum, & præſentiam, ſiue aduentum in carne in mundum. Ac primo quidem in id, quod ait: Non enim indoctas fabulas ſecuti, petitum fuit, an legendum ſit, Indoctas, vt legitur in codicibus nonnullis, an verò doctas, vt vox Græca ſignificat. Reſpondemus, probabiliorem eſſe lectionem, quam Græca litera porrigit, nimirum σεσοφισμένοις id eſt, doctas, hoc eſt artificio, & eloquentia compoſitas fabulas, & ita legit Hieronymus in 3. caput epiſtolæ ad Galat. & ab eo verbo deducitur nomen Sophiſtarum, quod niſi eruditiſſimis viris eloquentia, & ſapientia præſtantibus eo ſeculo non tribuebatur. Nam aliquid fingere ad docendum, non minus ſapientis eſt, teſte Platone, quàm verè, & ſapienter docere. Et tacitè videtur Græcos leuitatis ſuggillare, vnde producit Hieronymus Ciceronem apud C.Cæſarem dicentem; *Aut leuium Græcorum, aut immanium Barbarorum*. Et in oratione pro L.Flacco loquens de Græcis, *Ingenita*, inquit, *leuitas, & erudita vanitas*. Vox verò μῦθος non tantùm fabulam, ſed etiam orationem deſignat: vnde μυθόλογοι vocantur, qui fabularum cauſas explicabant, vel enucleabant, qualis fuit Marcus Varro. Græca quoque ſcholia interpretantur, hoc Petri dictum, idem eſſe cum illo Pauli, *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, &c.* & Coloſſ.2. πιθανολογίᾳ, id eſt, vt vertit interpres noſter, ſublimitatem, vel probabilitatem ſermonum. Quaſi dicat Petrus, Nemo putet hanc confictam eſſe fabulam à nobis; aut vanas Philoſophorum diſputationes ſpeciem veri habentes, ſed mendacijs inuolutas, & quales etiam ſunt Poëtarum metamorphoſes, quas ſine vtilitate, & ſine numero confinxerunt, & de quibus 15. integros libros ſcripſit Ouidius, & ante eum Græci.

Cur doctas fabulas Petrus appellat, Sophiſtæ etiam cur ſic dicti.

Hiero. tom 9.

Cic in oratio. pro Ligario.

Nomen fabulæ duo dicit.

1.Cor 2.
Coloſſ.2.

Græcorum & Poetarum vanitas, & leuitas.

Legendum ne ſit præſcientiam.

Alterum dubium erat, quomodò eſſet legendum, præſcientiam ne, vt codices noſtri habent, an verò præſentiam. Sed hanc difficultatem lingua Græca euacuat, quæ præſenti loco habet παρουσίαν, hoc eſt præſentiam, & aduentum. Euacuant etiam correctiores codices; qui, præſentiam legunt. Subdit autem Petrus: *Sed ſpeculatores facti illius magnitudinis*. Illius, inquit, ſcilicet Chriſti. Et magnitudinem, vocat, maieſtatem, & excellentiam, qua cum tanto lumine, & gloria oſtenſus eſt verus Meſſias, & verus Dei Filius. Vrgentiſſimas ergo veritatis, & certitudinis cauſas producit, nempe oculos proprios, & aures, & manus: quibus etiam Ioannes in ſua vtitur prima epiſtola, cùm ait: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ*. In hoc autem myſterio fuit viſio Chriſti glorioſi, auditus vocis à magnifica gloria: deinde etiam fuit contactus, quia cum cecidiſſent eius ſpectatores tres Apoſtoli, tacti à Chriſto ſurrexerunt. Illi etiam myſterio interfuerunt teſtes omni exceptione maiores, duo magni Prophetæ, Moſes & Elias: & tres, vt diximus magni Apoſtoli noui Teſtamenti, Petrus, Iacobus, & Ioannes.

Matth. 7.

Cuius magnitudinis Chriſti in transfiguratione ſpeculatores facti fuerint Apoſtoli.

Ioan.1.

Matth.17.

Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam. Accipiens, dixit pro eo quod eſt, Accepit gloriam, non ſibi vindicans, aut vſurpans: non enim, vt Paulus dixit ad Philippen. rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Quod ait: *A magnifica gloria*, idem eſt ac ſi dixiſſet, A magnificentiſſimo Deo, vel, A quodam veluti hiatu glorioſo, vnde vox illa prodire videbatur, quod veriſimilius eſt. Montem autem ſanctum vocat, alludens ad vocem Hebræam Thabor tahor, quæ purum, & ſanctum ſignificat, id eſt, Deo dicatum, & applicatum: quo in Monte Dominus & turbis prædicauit, & infirmos curauit, & quinque panibus quinque millia hominum pauit, & in eodem monte, fugiens regnum quod volebant offerre, preces Deo obtulit: vt ita videatur Mons Deo dedicatus. Neque repetendum eſt, quod ſuperiori diſputatione diximus, Petrum fuiſſe, qui hoc dicere poterat, cui tribuitur Epiſtola, non autem aut Iacobo, aut Ioanni, quibus nullus vnquam hanc epiſtolam adſcripſit.

Quid eſt illud: A magnifica gloria.

Philip. 2.

Montem cur ſanctum vocet Apoſtolus.

Ioan 6.

Dicebat autem vox illa: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit*. Nimirū, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare; & per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans, per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ

Quomodo Deus Pater ſibi bene in Chriſto complacuit.

Matth 17.
Supra 3.
Coloſſ.1.
Ibidem 20.

Expenditur id: ipſum audite. *Luc.* 9.

ue quæ in cœlis ſunt. Addebat autem illa vox: *Ipſum audite.* Non Moſen, hoc eſt legem, nec Eliam, hoc eſt Prophetas; neque Petrum, quia tunc neſciebat quid diceret; ſed, Ieſum, inquit Pater, Filium meum, tanquam doctorem, & nouæ legis promulgatorem: quem etiam olim per Moſen audiendum eſſe prædixerat: *Qui autem verba eius* (inquit) *quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.*

Deut. 18.

XI. quæſt. ſolutio. De maiori prophetici ſermonis firmitate, quam viſionis glorioſæ trãſfigurationis.

Vndecimo loco dubitatum fuerat, quomodò ſermo propheticus firmior dicatur, quàm viſio ipſa Transfigurationis. Dicimus in primis, comparatiuum βεβαιότερον, poſitiui loco Petrũ poſuiſſe: nam hæc phraſis frequens eſt apud Hebræos. Deinde reſpondemus, firmiorem, dixiſſe, non, veriorem, aut meliorem nam tam bonus, & tam firmus erat ille, atque propheticus: ſed, firmiorem appellauit, quia temporis progreſſu autoritatem ſibi irrefragabilem comparauerat. Quæ enim tunc Apoſtoli apud Iudæos fideles aut faciebant, aut dicebant, non erant tantæ autoritatis, quantæ veteres Scripturæ, quæ confirmatæ, & comprobatæ erant, & in ſummum autoritatis faſtigium euectæ. Non produxit vllum aliquem locum Petrus, quia paſſim Scriptura id teſtabatur. Vnde & Chriſtus Ioan. cap. 5. poſt teſtimonium Ioannis, & operum ſuorum, ſiue ſignorum, vltimò proponit Scripturarum teſtimonium, dicẽs: *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam æternam habere; & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Et ſubdit: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me n. ille ſcripſit.* Atque hunc ſecundum ſenſum ſequitur Auguſtinus ſerm. 26. de Verbis Apoſt. B. Petri, Cap. 4. dicens: *Quis enim noſtrum non miretur delata voce de cælo certiorem propheticum ſermonem ab Apoſtolo dictum eſſe certiorem ſanè eſſe dixit: certiorem, non meliorem, non veriorem. Tam verus enim ille ſermo de cœlo, quàm ſermo propheticus; tam bonus, tam vtilis. Quid eſt ergo, Certiorem, niſi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quoniam ſunt homines infideles, qui ſic detrahunt Chriſto, vt dicant eum magicis artibus feciſſe, quæ fecit. Poſſunt ergo infideles etiã iſtam vocem delatam de cœlo, per coniecturas humanas, & illicitas curioſitates ad magicas artes referre. Sed Prophetæ antea fuerunt, non dico anteà, ante iſtam vocem, ſed ante Chriſti carnem. Nondum erat homo Chriſtus, quando miſit Prophetas. Quiſquis eum dicit magum fuiſſe, ſi ergo magicis artibus fecit, vt coleretur & mortuus, nunquid magus erat antequam natus?* Hæc ille peracutè.

Cur nullũ hic de Chriſto Meſſia locum ex Prophetis produxerit Apoſtolus. *Ioan.* 5.

Aug. to. 10. B. Auguſtini præclara huius loci de prophetico ſermone ponderatio.

Ad XII. dub. De exhortatione Iudæorum ad lectionem prophetarum in quibus tamen. (vt dicitur) illi viuunt.

Vltima fuit dubitatio circa illa verba: *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, &c.* Reſpondemus, Iudæos conuerſos Petrum alloqui, & cõmendare illis ſtudium propheticorum librorum, quia per illos erudiri poterant de Chriſti actionibus, & myſteriis, de conſonantia vtriuſq; Teſtamenti, Moyſis, & Chriſti. Et illa verè eſt ratio interpretandi ſacras Scripturas, quod in veteribus noua Chriſti geſta conſona inueniantur, & in nouis Chriſti vetera teſtimonia impleta agnoſcamus.

Quantum lumen intelligentiæ Scripturarum. effulſerit initio Eccleſiæ primitiuæ. *Eſai.* 11. Scopus ſcripturarum.

Licet a. Scripturæ ſacræ, & propheticæ, difficiles, & perobſcuræ ſint; illo tamẽ ſeculo primitiuæ Eccleſię Spiritus ſanctus tot homines ſanctos afflauerat, neq; tantum Apoſtolos, ſed & Apoſtolicos viros, & alios multos, prophetiæ ſpiritu repleuerat, vt id facile agnoſcere poſſent. Vnde Eſaias de tempore Meſſiæ prædixerat; *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientis.* Præſertim cum ob id potiſſimum conditæ eſſent Scripturæ, vt verus agnoſceretur Meſſias. Et ideò cogimur fateri magnum lumen intelligentiæ eo tempore datum fuiſſe Apoſtolis, & primitiuis Patribus, vt illo conuincere poſſent Iudæos. Quod tamen non tam neceſſarium modo eſſe videtur: aut quia iam omnia explicata habemus à Patribus, aut quia illi rarò, aut nunquam ad noſtras prædicationes conueniunt: aut quod nos minori charitate præditi, tantum de illis bene merendi officium negligamus. Et ita hic locus cum Paulo conſonat Timotheum admonente: *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Atque ita Petrus ſimiles Timotheo ad lectionem propheticam cohortatur.

Cur non modò tantum ſit luminis in Eccleſia.

1. *Tim.* 4.

Quid lucerna ardens.

Cui, inquit, *benefacitis attendentes tanquam lucernæ ardenti in caliginoſo loco.* Ita enim in Scripturis comparantur oracula prophetica lucernæ: *Lucerna*, inquit Dauid, *pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis*: & Salomon filius eius: *Mandatum lucerna eſt, & lex lux*: quæ quidem admiſta fidei, cor noſtrum tenebroſum illuminat. Ita enim Paulus dixit Apoſtolus ad Timotheum de Scripturis: *Quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Prophetæ proinde lucernæ appellantur: Ioannes Baptiſta lucernæ ardenti & lucẽti comparatus eſt à Chriſto, qui etiam Apoſtolos lucernam vocauit: poſtquam enim eos dixit eſſe lucem mundi, de eiſdem ſubdidit: *Nemo accendit lucernã & ponit eã ſub modio*: quia vt lucerna à ſe-

Pſal. 118. *Prou.* 6.

1. *Tim.* 3.

Ioan. 5.

Matth. 5.

ipſa non lucet, niſi accendatur; ita nullus eſt Propheta, niſi Dei Spiritus particeps fiat, vt & ipſe ardeat in ſeipſo, & præluceat alijs. Et quia vſus lucernæ tantùm ad noctem illuſtrandam inuentus eſt, ſubiungit: *In caliginoſo loco.* Locus autem caginoſus vel præſens ſeculum eſt, tenebris ignorantiæ, & peccatorum circumfuſum, vel cor noſtrum caliginoſum, & lumine Dei deſtitutum. *Donec dies illuceſcat.* Id eſt, appareat nobis Chriſti gloria, de quo Paulus: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Et vt tempus legis fuit nox reſpectu noſtri, ita etiam noſtrum nox dici poteſt, ſi conferatur cum futuro, quod erit in gloria, vbi non erit opus iſta lucerna, cum illic nulla nox futura ſit, nulla vmbra, nulla nubes, neque caligo ſed immenſa, & æterna claritas, & clariſſimus dies. Vnde Apoc. 21. loquens de ſtatu futuro Ioannes: *Et ciuitas,* ait, *non eget Sole, neq; Luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam: & lucerna eius eſt Agnus.* Lucerna, inquam, non erit opus, vel vt dies illuceſcat per auroram quandam lucidiſſimæ fidei, qua prophetica inclareſcat Scriptura.

Quomodo luceat in caliginoſo loco lucerna Scripturarum.

Rom. 13.

Quid donec dies illuceſcat.

Status gloriæ futuræ conditio feliciſſima.

Apoc. 21.

Et Lucifer oriatur in cordibus veſtris.

Lucifer eſt, id eſt Chriſtus, qui eſt lux mundi, & lux magna cordium magis quā corporum, quæ in gloria orietur in cordibus noſtris, nos beatos efficiens. *Hoc primum intelligentes.* Quod non tam difficile intellectu, quam facile, & dignum obſeruatu, quia periculoſiſſime ſæpè impingunt, qui nolunt legere, aut negligunt Scripturas ab intelligentibus interpretatas accipere. Nam neglecto fundamento, nulla eſt Scripturæ vtilitas. *Quod omnis prophetia Scripturæ,* ſcilicet Canonicæ; quam ſic appellat Dominus, cùm ait ad Iudæos: *Scrutamini Scripturas.* ¶ *Propria interpretatione non fit*: id eſt, proprio ingenio, aut agentis lumine intellectus non fit: nec etiam illò interpretari, aut intelligi vult: ſed vt lumine naturali Scripturæ confectæ, egent naturæ lumine vt intelligantur; ita propheticæ, id eſt, ſupernaturali lumine compoſitæ, & ad nos miſſæ, diuino, & prophetico lumine, hoc eſt, fide, interpretandæ ſunt, atq; intelligendæ. Quod quia nonnulli non obſeruarunt, hinc eſt, quòd turpiſſimè in libris propheticis interpretandis aberrauerunt. & hallucinati ſunt.

Quis ille Lucifer qui oritur in cordibus noſtris.

Ioan. 8.
Infr. 9.
Eſa. 9.
Matth. 4.

Quo ſolo lumine videri, & tractari velint diuinæ Scripturæ.

Ioan. 15.

Additque huius rei rationem Petrus: *Non enim,* inquit, *voluntate humana allata eſt aliquando prophetia ſed ſpiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quaſi dicat è contrario Apoſtolus: Falſi a. prophetæ ſpiritu dæmoniaco, & melancholiæ inſpirante locuti ſunt. Poſuit voluntatem humanam pro intellectu humano: nec iniuriâ: quia prophetiæ de futuris cōtingentibus, & ſingularibus ſunt, ad quorum certitudinem, & intelligentiam non ſe extendit intellectus humanus, ſed præſumptio voluntatis humanæ: & ideò illā excluſit, vt nemo tantum ſibi tribuat, aut confidat, vt id præſtare velit, quod conſequi nō poteſt. Ex his etiam Apoſtoli verbis conficitur celebris illa, & vera regula interpretandi Scripturam à B. Bernardo tradita in epiſtola ad Fratres de Monte Dei: *Quo ſpiritu,* inquit, *Scripturæ factæ ſunt, eo ſpiritu legi deſiderant: ipſo etiam intelligendæ ſunt.* Quare ſequitur, penes ſuperbos, contumaces, & arrogantes, quales ſunt hæretici in Eccleſiam inſurgentes Catholicam, qui hoc Spiritu Dei carent, veram Scripturarum interpretationem non eſſe, nec eſſe vllo pacto poſſe. Quod dixerim; ne quiſquam hæreticorum libros in Scripturas legere concupiſcat, putans illuſtres forſitan, & inſignes ſenſus in eorum libris inuenire. Nam ſi quid boni, aut præclari in illis eſt, id totū, etſi maximè diſſimulant, à noſtris ſuffurati ſunt. Rectè n. dictum eſt: In maleuolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

Cur Petrus volūtate potius humana quā intellectu humano afferat prophetiā de cœlo veniſſe.

S. Bernh.

Egregius canon B. Petri intelligētiæ Scripturarum.

Furta atq; adeo ſacrilegia hæreticorū.

Sap. 1.

Quod verò poſtremò obiectum fuit, Prophetas quoſdam ex ſuo corde, & ſpiritu locutos fuiſſe, vt Nathan cum Dauidem hortatus fuit ad ædificationem templi, reſpondemus, verum eſſe, aliquid ex corde ſuo locutum fuiſſe: illum tamen errorem continuò reuocauit admonitus à Domino, dicente, Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid, Hæc dicit Dominus, *Nunquid tu ædificabis mihi domū ad habitandum? &c.* Quòd verò argumentati ſumus ex Hyſtaſpe, & Sibyllis, etiam inter Gentes fuiſſe Prophetas Dei: reſpondemus, non negare nos, prophetas fuiſſe inter Gentes, ſed tales, qui Spiritu diuino prophetauerint; cum ſpiritu humano ſint locuti. Tantùm enim docemus, prophetiam non fuiſſe humana voluntate, aut humano ingenio inuectam. Dicimus etiam, non omnes Prophetas ſanctitatem vitæ, & mores inculpatos coluiſſe: nam Paulus docet prophetiam eſſe poſſe ſine charitate: Dominus etiam quibuſdam in die iudicij ſibi dicturis: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* reſponſurus eſt: *Nunquam*

Si diuinitus data eſt prophetia cur prophetæ de corde ſuo interdum locuti ſunt?

2. Reg. 9.

An qui de Ethnicis futura dixerunt prophetæ dicendi ſint, ſanctoq; afflati Spiritu prophetauerint.

1. Cor. 13.

Matth. 7.

noui

Pſal. 6. *noui vos. Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Propheta autem qui ſeduxit alterum, pſeudopropheta fuit potius, quã Propheta. Balaam quoq; ariolus venit ad maledicendum populo Dei, & non prophetandum. Saul etiam numeratus eſt inter prophetas; talis Caiphas quoq; Pontifex fuit, qui tamen non tam propriè dicitur prophetaſſe, atq; alii: nam tantùm verba dixit, quæ interitum Chriſti ſalutarem ſonabant, non tamen (vt Ioannes dixit) intelligens quid diceret: ſed illa à ſe non intellecta, & quatenus erant à Spiritu ſancto, euomuit potius, quam prophetauit. Significat enim Caiphas Vomentem ore, quia verba plane indigeſta protulit. Et hactenus de hoc capite dictum ſit.

1. Reg. 13. Num. 22. 1. Reg 10. Ioan. 11. Quid ſonet Caiphas.

DISPVTATIO III.

In verba ſecundi Capitis Poſterioris B. Petri: *Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eũ, qui emit eos, Deum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem*, & reliqua vſque in finem Capitis.

I. Dubitat. QVORSVM hæc tendant, primò erit explicandum, & quomodò cum præcedentibus connectantur. Deinde

Secunda. qui fuerint iſti pſeudoprophetæ olim, & qui ſint modò, qui illis ſucceſſerunt, qui magiſtri mendaces appellantur; & qui introducunt ſectas perditionis, & Dominum, qui emit illos, negant: quiq; ſibi celerem accerſunt perditionem: nam illis omnibus titulis tales Apoſtolus exornat.

Tertia. Tertiò circa illud: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c.* multa ſunt meritò dubitanda. Primum, nunquid Angeli, qui peccarunt, reſeruati ſint in diem vltimum iudicii cruciandi; ita vt neque torqueantur modò, neq; crucientur? Secundum, quomodò aſſerit, dæmones Tartari rudentibus, ſiue catenis alligatos detineri; cum tamen conſtet, illos de cœlo deturbatos incolere regionem aëris huius: vnde & principes aeris huius ab A-

Epheſ. vlt. poſtolo, & rectores tenebrarum harum vocantur, è quibus multi rogabant Chri-

Luc. 8. ſtum ne in abyſſum mitterentur. Tertiũ dubium, an verum ſit, quod quidem è Scholaſticis ex hoc loco probare nituntur, Angelos, quam primũ peccauerunt, ſine vllo ſpatio expectationis ad pœnitentiam à Deo dato de cœlo deturbatos in profundum fuiſſe. Quartum de genere illius peccati Angelorum, quale fuerit, dubium erit non vulgare. Circa peccatũ vero Angelorum aduertendum, hic non eſſe nobis craſſe cogitandũ aliquod carnale, & corporeum peccatum: nam cum illi puri ſint ſpiritus, & carne careant, circa aliquid ſpectans ad corporis neceſſitates, ſiue in cibo, potu, veſtitu, ſiue etiam in his, q̃ ſpectant ad generationem, ſiue in ſubſtantia, & facultate ad iſta conquirenda, non indigebant, nec erat cur propter illa tentarentur. Vnde ruit opinio quorundam Patrum, qui dæmones tradunt Angelos fuiſſe illos filios Dei, qui concubuere cum filiabus hominum, & filios, & filias genuerunt: nam neque Angeli tangi poterant eiuſmodi mulierum affectu, nec ipſi etiam illo tacti fuiſſent, atq; adeo ſi actu perfeciſſent, non fuiſſet primũ eorum peccatum, propter quod de cœlo deturbati ſunt. Non tamen negamus, aut negare debemus, dæmones quoſdam eſſe incubos, & ſuccubos, & ad infanda peccata homines ſolicitare ad perdendam naturam humanam, & creaturã Dei dehoneſtandam, propter quam maxima vruntur inuidia, quòd intelligant eam eleuandam ad eas ſedes implendas, quas ipſi culpa ſua amiſerunt. Debet ergo peccatum aliquod eſſe ſpirituale, ob quod à paradiſo electi ſunt, nimirum vel ſuperbia, vel inuidia, inobedientia, hominis odium, amor propriæ excellentiæ, aut hæc omnia ſimul. Sed nos aliis in locis explicauimus peculiariter peccatum inuidiæ fuiſſe, ſed non ſolum, verum cum ſuperbia, inobedientia, & reliquis coniunctũ: quam ſententiam multorum Patrum teſtimoniis confirmauimus. Quintum dubium circa illa verba: Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, dubium eſt de ratione Grãmaticæ, nã longa eſt periodus, & quid ſit ſupplendũ, vt illa conſtet. Sextò, cũ obſcurũ videri poteſt, quod ait, Deum Angelos rudentibus inferni in Tartarũ detractos, tradidiſſe in iudicium reſeruatos. Septimò non minus obſcurum videtur quod ſubdit, Deum originali, ſeu antiquo mundo non pepercisſe, ſed octauũ Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuiſſe diluuium inducendo, & ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigendo. Octauò, qua ratione ait, iuſtum Loth à nefandorum luxurioſa conuerſatione ereptum eſſe. Nonò, verba illa: *Hi ſunt fontes ſine aqua*, & reliqua; nonnulla indigent interpretatione: nam videtur

Quarta. Quibus affectionibus humanis Angelorum natura ſit prorſus aliena. Gen. 6. De filiis Dei amatoribus filiarum hominũ, minus pia, & erudita quorundã opinio doctorũ. Mali Angeli qui alii incubi, alii ſuccubi interdũ reperiantur. Pſal. 90. Quinta. Sexta. Septima. Gen. 7. Infrà. 19. Octaua. Nona.

Decima.

in eis hæreticos ſuis coloribus pingere: Poſtremo, quatuor prouerbia producit in medium. Primum, *A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt*, Secundum, *Facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus*: &, *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, &c.* quod & ſpeciem quandam prouerbij habet. Tertium eſt, *Canis reuerſus ad ſuum vomitum.* Quartum. *Sus lota in volutabro luti.* Quæ nimirum omnia fere ab Euangelio deſumpta videntur, ac de ſingulo quoque peculiariter philoſophabimur.

Ioan. 8. Matth. 26. Prouer. 26.

Petri & Pauli Apoſtolorũ in detegẽdis moribus hæreticorũ doctrinæ conſenſio. 1. Timot. 4.

Totum caput ad aſtutias hæreticorum detegendas & ad fucos & colores, quibus ſe ornare, ac tegere ſolent illi nebulones, ſpectare videtur. Conſona quoq; Apoſtolica doctrina tam in Principe Apoſtolorum Petro, quam in Paulo inuenitur. Nã vt ille 1. Timoth. 4. multa de hæreticis futuris prædicat, quo cautos reddat Epiſcopos locum Timothei tenentes; qua ratione ſe debeant illis opponere: ita etiam B. Petrus hoc loco non tantum ſuperiores, ſed etiam ſingulos Chriſtianos admonendos eſſe duxit, ne vlla negligentia ſinant ſe illorum prædam fieri.

Solu. I. du. De ordine cõtextuq; horum cũ ſuperioribus. Ezech. 13. Ierem. 23. Pſeudoprophetarum ingenium. Luc. 11. Matth. 23. Supra 13.

Ad primum igitur reſponſio ſit, quod in extrema capitis ſuperioris parte de veris Prophetis, per quos olim Deus locutus erat, Petrus ſermonem habuerit: iam hîc de pſeudoprophetis, qui vt olim currebant, cum Dominus non mitteret eos, & dicebant, Hæc dicit Dominus, quando proprio ſpiritu falſa annuntiabant & falſas ſcripturas opponebant: ita Petrus in eos nunc agere intendit, qui Scripturas peruertunt, ac falſis interpretationibus etiam nunc corrumpunt, *Væ vobis*, inquit Dominus, *Legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* In agro Domini bene ſeminato ſemper fuit magna zizaniorum copia, quæ bonum triticum corrumpunt.

Sol. II. dub. De pſeudo prophetis antiquis, & nouis. Act. 20.

Ad ſecundum dubium de pſeudoprophetis, ſubiungit Apoſtolus: *& in vobis erunt magiſtri mendaces ſiue falſi doctores.* Põdero illud verbum, *In vobis*, hoc eſt, Inter vos, vel ex vobis, quia ita Paulus Act. 20. locutus eſt: Ex vobis ipſis, inquit exurgẽt viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe: quia vt plurimum relicta morum ſanctimonia, & vitioſis carnis affectibus indulgentes, & nimium de ſeipſis fidẽtes, & ſuperbientes ad errores amplectendos propenſiſſimi ſunt, aut ſaltem libẽter aures præbẽt his, qui nouitates, & hæreſes ſerunt. Et horum ingenia depingẽs, ait: *Qui introducent ſectas perditionis* (vel vt Græca habent, *ſubintroducent, ſiue clã inducent.*) Omnis enim hæreſis, introductio clancularia eſt, & occulta, quo magis decipiat, atq; eo tempore maxime extinguendæ ſunt hæreſes: ita enim nobis dicitur in Canticis: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Vbi vero hæreſis inualeſcit, & multos habet ſectatores, euadit in leonem, qui aperto marte laceſſit, ac violentè in Eccleſiam eius ſectatores irrumpunt. *Qui introducẽt*, inquit *ſectas perditionis*, id eſt, perditas, ſiue pernicioſas. *Et eum qui emit eos, Deum, ſeu Dominum negant*: id eſt, cum qui pretioſo ſanguine ipſos redemit, inficiantur, dum eius aut diuinitati, aut humanitati, aut potentiæ, vel ſapientiæ, aut bonitati eius detrahunt, aut dum legem eius, ſiue ſigna, & miracula aut Sacramenta aut Scripturas, aut earum ſenſus abiurant, aut quando in Eccleſiam inſurgunt eius ſponſam: denique quando non talem, qualem eum veritas oſtendit, ſed qualem ipſi ſibi fingunt Chriſtum prædicant; ita enim omnis hæreſis ſoluit Ieſum. Subdit: *Superducentes ſibi celerem perditionem.* Nam amiſſa fide, citra vllum impedimentum feruntur ad interitum præcipites; ac vt domus ablato fundamento, facile corruere ſolet, ita iſti in interitum ruunt. *Et multi ſequentes eorũ luxurias.* Interpres noſter videtur legiſſe, ἀσωτείας, vel ἀσελγείας, hoc eſt, intemperantias: modo Græca habent ἀπωλείας, id eſt, perditiones, exilia, ruinas, &c. & præſtare videtur lectio interpretis noſtri. Nemo enim ſequitur perditiones alterius, bene autem intemperantias aliorum, laſciuæ carnis licentias. Sequitur: *Per quos via veritatis blaſphemabitur*: id eſt, Euangelica doctrina male audiet, & per horum magiſtrorum doctrinam & peſſimam vitam maledicetur: ſicut contrario per bonos, & charitate plenos miniſtros benedicetur. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Senſus eſt: Per auaritiam compoſito ſermone vos mercabuntur: metaphora ſumpta à mercatoribus, qui, quo carius merces ſuas vendant, blandis, & artificioſis ſermonibus emptores ad ſe alliciunt. Sed hæc fraudulentia ſuo debito ſupplicio non carebit. Caietanus hoc loco ſcripſit: *Non longe ab iſtis ſunt prædicatores quæſtus, qui abutuntur Populi Chriſtiani deuotione ad quæſtum, qui ignoranter, aut temere prædicare audent quod ſoluentes carolinum aut ducatum, promulgata indulgentia pecuniaria, ſunt in eo ſtatu, ac ſi tunc baptizati fuiſſent: & ſimiliter quod liberant animam vnam à purgatorio: hæc* enim

Vnde errores, & hæreſes ortũ habeant.

Mores hæreticorum

Quando hæreſibus occurrendum. Cant. 2.

Sectę perditionis quid more Hebræo. 1. Pet. 1. 1. Cor. 9.

Deum, qui emit nos, vt negant hæretici.

1. Ioan. 4.

Quomodo hæretici ſuperinducunt ſibi celerem perditionem. Quid, ſequi aliorũ luxurias.

Quanam via veritas per hæreticos blaſphematur

Hæretici quales mercatores ſint ſecundum Apoſtolũ.

Caietani nõ inepta huius loci de impoſtorib. hæreticis ad prædicatores quæſtuoſos, indulgẽtiarum que falſarios accõmodatio.

enim monſtra ſunt, & negotiationes de Chriſtiano populo. Neſcit Chriſtiana religio hæc ſigmenta. Hæc ille. Sunt ergo abuſus quæſtorum, & eorum, qui indulgentiarum ſyncerum vſum aut ignorant, aut propter quæſtum ignorare volunt.

Quàm inſtet impoſtoribus hæreticis vltio diuina.

Ideò ſequitur: *Quibus iudicium iam olim non ceſſat (ſiue, non tardat) & perditio eorum non dormitat*: hoc eſt, etſi interim in delicijs agant, non tamen eorum damnatio in obliuione eſt apud Deum. Cùm enim defecerint à fide, & ſint proprio iudicio condemnati, atque ſubuerſi, iam iudicati ſunt. Sed eos interim Dominus ſuſtinet, vt impleant perfidiæ ſuæ tempora, & contra illam glorificabitur, cum ponet eos ſcabellum pedum ſuorum. *Et perditio*, inquit, *eorum non dormitat*. Quoniam aſſiduò proficient in peius, & inſtar plumbi, vel lapidis ſemper deorſum tendunt in profundum: etſi nobis maximè diuina prouidétia dormire videatur. Sed non dormitabit, neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël.

Tit. vlt. *Ioan 3.* *Pſalm. 109.* *1 Cor. 15.* *2 Tim. 3.* *Pſal. 120.*

Ad III. IIII. V & VI dubitationes. In hæc verba: Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c.

Dubitatum tertio loco fuit in hæc verba: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum, tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari*. Reſpondemus, hac longa periodo probare, impoſtores, & hæreticos pœnas commeritas non euaſuros, argumento per collationem à maiori ad minus ſumpto. Eſtque figura Anandapodoton, nam huic ſententiæ membrum ſuum oppoſitum non reddit, quod erat: Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, minus iſtis parcet. Deinde producit comparationem iuſtorum, & impiorum, quæ cum Anandapodoto confunditur. Et videtur in primis, cum ait, Angelis peccantibus, vel, qui peccauere, non pepercit, alludere ad verba Iobi capite quarto dicentis: *Ecce qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem*: quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea? Ita hîc ratiocinatur Petrus: Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, verùm eos de cœlo in Tartara deturbauit: quanto minus falſis Doctoribus, ac impoſtoribus parcet? *Sed rudentibus* (ſiue catenis, vt Græca habent) *Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reſeruari*. Illorum ergo iudicium terribile erit, ac tremendum. Porrò tradidit eos in nouiſſimum iudicij diem cruciandos reſeruari, vt tunc coram omnibus damnationem omni ignominia plenam accipiant, quando dicetur eis: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Adhuc enim non ſunt extremæ damnationi ſubiecti, ſed hoc extremo iudicio reſeruantur. tunc enim dicetur: *Qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*: non ait, qui iam datus eſt, ſed qui cœpit dari. Vnde & dicebant dæmones: *Quid nobis, & tibi, Ieſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos?* Ait etiam, *Rudentibus inferni detractos* (id eſt vinculis caliginis alligatos, vel carceribus caliginis retrudens) *in Tartarum tradidit cruciandos*. Græcè eleganti vocabulo ait ταρταρώσας, quod eſt, Tartaro coërcitos, vel, in Tartarum coniectos, vt ita nunquam ab illo ſoluantur, ſed confuſioni perpetuæ immergantur. De hîs enim non erit iudicium diſcuſſionis, quia dæmones certiſſimi ſunt de ſua damnatione: ſed luent poſteà pœnas acerbiores pro omni peccato, cui ipſi tentando cauſam, & occaſionem dederunt, & ita finis imponetur tentationibus, quibus infelices nunc lætantur, etſi nouerint ſibi propterea grauius iudicium expectandum eſſe.

Anandopodoton quid ſit

Vnde hæc verba Petrus mutuatus ſit. *Iob 4.*

Dæmones quando extremam damnationem ſuſtinebant. *Matth. 25.*

Ibidem. *Supra 8.*

Quid eſt malos Angelos rudentibus inferni eſſe detractos in Tartarum.

Dæmonum mira peruerſitas.

Vt dubium autem propoſitum diluamus, dicimus hanc aëris & terrarum regionem inferni loco, & caliginis illis eſſe attributam, vbi magna illorum pars erat: viciſſitudines tamen habent, vt modò in abyſſum trudantur, modò ſuper terram permittantur ad nos tentandos accedere, vt ex Scripturis colligitur. Vnde Apocalyp. 12. dicitur: *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet*. Sunt tamen aliqui illorum certis locis, & regionibus in pœnam, & cruciatum alligati: ſed vltima die omnes in perpetuum cruciandi præcipites dabuntur.

De loco dæmonum, qui nondum in Tartarum ſunt detruſi, vbi ſit. *Apoc. 12.*

Ad aliud propoſitum dubium reſpondeo: Dæmones ita primò peccaſſe, vt nullam temporis moram ad reſipiſcentiam illis contulerit Deus, meo quidem iudicio ex hoc loco probari non poteſt. Primò, quia hæc phraſis: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, ergo non dedit illis locum pœnitentiæ*, potius contrarium probat, nempe quòd potuerit parcere, & animum paratum habuerit parcendi illis, modò reſipuiſſent. Nam ſimilis phraſis habetur Iob. 9. *Verebar*, inquit, *omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti*. Non enim ſignificat, actu delinquentem, damnationem incurrere, ſed ſtatim illo actu damnationem mereri, niſi per viam pœnitentiæ ad Deum reuertatur. Tales enim locutiones non ſolent quicquam pœnitentiæ remedio obſiſtere. Imò Deus, qui diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam, ponit illos poſſe pœnitere, ſi velint, quanquàm poſſet

Probat hic autor, Deum ex eo quod Angelis peccanti bus non pepercit, non bene dici, ſpatium illis pœnitentiæ denegaſſe.

Iob 9. *Sap. 11.*

poſſet quoque Deus peccanti repentinam mortem inſligere, ſi vellet: ſed aliud eſt, quod ſolet efficere, aliud, quod poſſit. Deinde poſt prædicta verba ſubiungit Petrus: Et originali mundo non pepercit, &c. & ciuitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redegit. Sicut ergo mundum illum ante diluuium agentem, non ſtatim vbi peccauerunt, in barathrum demerſit, ſed per centum viginti annos expectauit eos ad pœnitentiam: Angelis ergo ante caſum tempus & locum dedit, ſi vellent, pœnitendi. Similiter Sodomæ, & Gomorrhæ ciues longo tempore Dominus expectauit ad pœnitentiam, & preces Abraham ſibi oblatas accepit, ſi vel decem iuſti in ea ciuitate reperirentur. Ex his ergo verbis ſubiunctis de antiquo, ſeu originali mundo, ac de Sodomorum ciuibus, rectè colligimus, Angelos, non fuiſſe de cœlo præcipitatos, niſi prius Dei benignitate diu inuitatos, & expectatos ad pœnitentiam.

II. ratio. Geneſ. 19. Supra 18.

Tertiò, ſi Deus talem ac tam benignum ſe erga Angelos non exhibuiſſet, vt eos expectaret ad pœnitentiam, poterat immenſa in Deo benignitas, & charitas deſiderari, ſi peccantes illos non expectauit: & potius de ſeuera, ac rigida iuſtitia in eos celebrari poterat, quam de lenitate, aut longanimitate: cùm tamen ad oppoſitum cogitandum cogant nos tot ac tanta beneficia, quibus eos & in condendo puros ſpiritus, & illos tanquam pulcherrimas intelligentias ſuper cœleſti gratia, & excellentibus ſupernaturalibus donis decorauerit, & ornauerit. Tale enim beneficium pœnitentiæ illis ſubtraxiſſe non debebat incomprehenſa illa benignitas, & charitas Dei, ſi illos ſaluos faciendi deſiderio tenebatur; cum omnis creatura natura ſua ſit peccabilis, & obnoxia defectui, quam ſi in homine ſubleuauit, illum ad pœnitentiam expectando, Angelos quoque commiſeratus fuiſſet. Nam propterea Deus celebratur in Eccleſia, & in Scripturis. Ait enim Eccleſia: *Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*: debuiſſet ergo id quod proprium Dei, in Angelo apparere. Tota quoque noui Teſtamenti promiſſio, & prædicatio eſt: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cœlorum*: & Dominus apud Lucam, *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*, ſine qua ſpes vitæ, aut gratiæ nulla eſt. Cur igitur id, quod tantùm Dei bonitatem commendat, negemus Deum ſubtraxiſſe Angelis, & id in quo ipſe maxime glorificatur?

III. ratio. Omnis creatura ex ſe peccabilis eſt, & defecit. Deus vnde maximè celebretur in ſacris literis. *Matth. 3. Infra 4.*

Quartò ex reuelatione quorundam legimus, Angelos primùm in gratia omnes conditos, & illis omnibus propoſitum fuiſſe, vt Chriſtum aliquando incorporandum omni reuerentia, & cultu adorarent: præceptumque vt illi ſe ſubderent, ſi ſalui fieri volebant: mox multos ex illis eiuſmodi mandato paruiſſe, reliquos verò talem cultum detrectaſſe, & tanquam parum rationi conſentaneum repugnando denegaſſe. Ex quo factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius. Et prælium illud non tam in vi, & armis poſitum fuit à principio, quàm in contentioſa quadam diſputatione. Nam boni Angeli conabantur perſuadere malis vt reſipiſcerent ab errore concepto, & ſe ſubderent voluntati Dei: quod cum ab eis conſequi non potuiſſent, aliquandiu à Deo expectatos ad pœnitentiam: & optimis rationibus, ac perſuaſionibus ad ſibi credendum ſolicitatos non acquiſcentes, de cœlo Empyreo, vbi conditi erant, in hunc aërem caliginoſum deturbauit. Bernardus quoque ſermon. 17. in Cantica, dæmones Chriſto inuidentes præcipitatos fuiſſe, narrat his verbis; *Putaſne Lucifer ille qui mane oriebatur, ſed præproperè eleuabatur, antequam verteretur in tenebras, generi noſtro inuiderit, & ipſe olei effuſionem, vt per ſeipſum iam tunc indignabundus muſſitaret, dicens intra ſe quodammodo: vt quid perditio hæc? Hoc ego non aſſero dicere ſpiritum, ſed nec contradicere dico. Neſcio enim, potuit autem contingere (ſi tamen incredibile non putetur) plenum ſapientia, & perfectum decore, homines præſcire potuiſſe futuros, & etiam & profecturos in parem gloriam. Sed ſi præſciuit, in Dei Verbo, abſque dubio vidit, & in liuore ſuo inuidit, & molitus eſt habere ſubiectos, ſocios dedignatus. Infirmiores ſunt, inquit, inferioreſq́ natura, non decet eſſe conciues, nec æquales in gloria. An fortè prodit impiam hanc eius machinationem illa præſumpta aſcenſio, ſeſsioq́, ſignificans magiſterium?* Hæc ille. Ex quibus deducimus, illos expectatos fuiſſe ad pœnitentiam, & ad illam bonos Angelos exhortatos. Certè æquitati nititur, vt ſi Angeli boni in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis, ad nos mittantur, idem libentiſſimè officium erga ſuos fratres, & conſeruos præſtitiſſe: nam illi viciniores erant natura, & gratia. Quòd ſi gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, ad quam illi hortantur: quanto magis de Angelo peccatore reſipiſcente exultaſſent?

IV ratio reuelationibus. *Apoc. 12. Ibidem.* Quale prælium illud magnum fuerit in cœlo inter Michaelem cum dracone, & Angelis eius. Cur dæmones ceciderint ſecundum Bernardum. *Eſai. 14. Matth. 26. Ezech. 28. Hebr. 1. Luc. 15.*

Quintò

V. ratio ab auctoritate Patrum.

Cyril. Ieroſolymit.

Quintò habemus etiam Patres id non obſcurè tradentes. Cyrillus enim Ieroſolymit. Catechesi 2. illuminatorum: *Dicimus ſanè nos, inquit, ex parte quadam de illius erga homines benignitate, ſed neſcimus quanta ille & Angelis condonauerit. Indulget enim & illis: quando quidem ipſe tantum vnus eſt, qui peccare non poßit, qui purgat peccata noſtra Ieſus.* Greg. Nyſſ. frater Baſilii lib. 1. Philoſophiæ. c. 3. *Soli homini hoc donatum eſt, & omni, & ſemper ſecundum huius vitæ tempus, poſt mortem autem conceſſum eſt nemini* (*ſcilicet pœnitentiam agere de peccatis.*) *Iam verò Angelos voluit poſt caſum minimè ea quæ ex pœnitentia eſt, venia potiri* (*mors enim horum eſt caſus*) *at ante caſum ad ſimilitudinem vitæ hominum, etiam gratia eos dignos effecit. Quod quia non fecerunt, irremißibilem, & perennem deinceps nequitiæ ſuæ conuenientem habebunt vindictam.* Hæc ille apertiſſimè. Adde etiam Baſilium in c. 14. Eſaiæ: vbi ponit, pœnitentiæ locum habuiſſe vſque ad creatum hominem, cui cum inuidiſſet, clauſa eſt illi pœnitentiæ ianua. Hieronymus præterea in c. 1. epiſtolæ ad Epheſios, & fortaſſis etiam alibi, idem tradit.

Greg. Nyſſ.

Baſil.

Hieron to. 9

VI. ratio, ab abſurdis.

Sextò, ſi ſtatim vt Angelus peccauit, cecidit, & caſus fuit illi, quod nobis eſt mors, ita vt pœnitentiæ remedium non habuerit, ſicut homo etiam poſt mortem non habet; duo inde grauiſſima ſequerentur abſurda. Primum, quòd nullus Angelus niſi pro vno tantum peccato damnatus fuiſſet; cum tamen homo poſt myriades peccatorum pœnitentiam agere poſſit, & inuenire miſericordiam: alterum, multos homines fuiſſe, qui grauiora, quàm Angeli in cœlo, peccauerunt. Si ergo hominibus non denegauit pœnitentiæ locum, aut tempus, multo minus Angelis, qui minus peccauerunt, tribueret indulgentiam. Quod enim homines aliqui grauius peccauerint, quàm aliqui Angelorum, ex eo liquidum redditur, quòd multi iuſti exaltandi ſunt inter Angelos bonos ad loca illa, ad quæ euehendi erant, ſi perſtitiſſent. Vt igitur homines eleuantur ad loca maxima Angelorum, ita etiam credendum eſt, peſſimos quoſdam, & profligatiſſimos peccatores in pœnis & tormentis vincere eos, qui ceciderunt. Præterea, ſi ad pœnitentiam à Deo non expectati, de cœlo expulſi ſunt, poſſent meritò minus dolere in inferno, nec tantopere torquerentur, videntes Deum cum illis non egiſſe, quod agere poterat, & quod cum infinitis hominibus, qui peccato non ſunt illis inferiores, ſed ſuperiores, egit. Adhæc ſi opinio quorundam vera eſſet, qui aiunt homines ad eum gradum, & cumulum peccatorum venire poſſe, vt Deus illis tanquam obſtinatis deneget opem gratiæ ſuæ, vt reſipiſcant: ſi hæc, inquam, opinio, quæ multorum Doctorum eſt, moleſta eſt multis, eo quòd videtur ſubtrahi illis libertas, & donum pœnitentiæ: quanto magis moleſta eſſe debet ſententia, quæ omnibus Angelis omninò ſubtrahit omne pœnitentiæ remedium?

Doctorum ſententia multorum mirabilis de præfinito peccatori
bus quibus ſit ſpatio pœnitentia.

VII. & poſtrema ratio.

Poſtremò, Angeli peccatum non videtur inflexibilem, & immutabilem eius voluntatem effeciſſe, ex eo, quod omnia videt ſine diſcurſu, & principia, & concluſiones quæ ex illis oriuntur: &, vt dicunt, cuicunque rei inhæret, ei immobiliter hæret. Obiici enim poſſet, quia nos etiam & videmus prima principia, & concluſiones neceſſariò ex illis deductas, nec tamen immutabilis eſt noſtra voluntas, cui amor proprius, ſiue philautia ſemper adeſt, quæ poteſt inflectere voluntatem ad malum aliquod ſub ſpecie honeſti apparens.

Huic obiectioni: Si potuerunt Angeli pœnitentiam agere de peccato, cur inter tot dæmonum myriadas ſaltē aliqui non egere? reſpondetur dupliciter.

Quòd ſi quis dicat: Si ergo potuerunt Angeli pœnitentiam agere de peccato quare inter tot myriades Angelorum, qui ceciderunt, nullum pœnituit? Reſponderem, hoc eſſe magnum arcanum diuinæ ſapientiæ, nec nos de omnibus reddere poſſe rationem. Quòd ſi actu non pœnituit Angelum, potuit tamen pœnitentiam agere: quòd ſi tempeſtiuè ante caſum pœnitentiam Angelus non egit, id ſibi imputetur, qui cum potuit fructuosè de peccato conteri, noluit tamen. Dominus tamen iuſtificatur in hoc, qui, quod ſuum erat in expectando ad pœnitentiam, præſtitit. Deinde, quia ſi pauci aliqui extitiſſent ita ſalui, dicerem, non opus fuiſſe, Chriſtum perinde eſſe Angelorum per ſuum ſanguinem Redemptorem, atque hominum, & illos Angelos ſic ſaluos non neceſſe habuiſſe expectare priorem Domini in cœlum ingreſſum, ſi indiguerunt Prophetæ, & Ioannes Baptiſta, & Beat. Virgo, ſi omnes hi præmortui Chriſto fuiſſent. Illud certè aſſerere poſſumus, Angelos, cum ſint ſpiritus, mordicus apprehendiſſe illam ſuam ſententiam, eique ſua voluntate obſtinatè quaſi ad ſaxum adhæſiſſe. Nam ita interdum videmus hæreticos ad ignem cremandos adduci, & obſtinatos nolle retractare ſententiam; de quibus dicere poſſumus illud Apocalyp. 2. *Dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret: & non vult pœnitere à fornicatione ſua.* & quod habetur Iob 24. *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiam.*

Apoc. 2.

Iob 24.

In doctrina de dæmonib. duo extrema declinanda ſunt.

Sed difficile eſſe videtur, certam aliquam ſententiam de his definire: & certè extrema vitanda ſunt, tam illorum, qui olim dixerunt, dæmones poſt longa tempora pœnitentiam acturos, & ſaluandos, vt Origenes, & quidam alii ſomniarunt, quos modeſtiæ cauſa non exprimo. Aliud verò extemum eſt, nullum, vel minimum temporis ſpatium datum illis poſt patratum peccatum, ad pœnitentiam fuiſſe. Media ſententia videtur, vt poſt peccatum ab illis admiſſum, certa æui duratione expectati fuerint ad reſipiſcentiam; qua cum abuterentur ad ſuperbiam ſuam alendam, de cœlo deiecti ſunt. Vnde & illud dici ſolet: *Humanum eſt peccare, diabolicum perſeuerare*, &, *Ab initio diabolus peccat.* Præterea non videtur diaboli peccatum irreparabile fuiſſe ex eo, quòd cecidit nullo ſuggerente: homo autem ſuggerente dæmone per ſe mulieri, & per mulierem inducente virum ad peccandum, vt tradunt Anſelmus lib. 2. Cur Deus homo, cap. 36. & lib. 4. c. 19. Quia ſi id verum eſſet, alii Angeli primo illo, ac magno inferiores cecidiſſent ſuggerente ſupremo diabolo, ac proinde illi inferiores non fuiſſent vt irreparabiles deſerendi: nam illis erat oſtium pœnitentiæ aperiendum, quia per alios inducti fuerunt ad illud peccatum.

1.Ioan.3.

Anſelmi, & Gregorii de irreparabili dæmonum lapſu ratio diluitur.

Gen.3.

B.Anſelm.

Non ſemper homines ſuaſu inſtigatuq; dæmonis peccata committere vt quidā arbitrantur.

Orig. to. 1. prope finem Aug. tom.3.

Multa etiam peccata, quæ homines perficiunt, perſonalia, nullo dęmone ſuggerēte fiunt: nam etiamſi diabolus non eſſet, adhuc homines appeterent & cibos interdictos, & actiones venereas, vt ait Origenes lib.1. Periarchon, cap. 2. etiamſi appetitus poſſit eſſe inordinatus & vitioſus. Auguſtinus etiam, ſiue potius Fulgentius libr. De Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 82. *Non omnes*, inquit, *cogitationes noſtræ ſemper diaboli inſtinctu excitantur, ſed aliquotiens ex noſtri arbitrij motu emergunt.* Hæc ille: quæ ſi vera ſint, illa ergo peccata nobis eſſent inexpiabilia. Adhæc non caret dæmon venia peccati, quia purus ſpiritus eſt ſolutus à corpore: quia ſpiritus potius ſegregabat à peccato, quàm ad peccatum incenderet, & Deus, qui purus eſt ſpiritus, per ſe, & ſua natura impeccabilis eſt. Boni item Angeli, qui Deo adhæſerunt, ſatis oſtendunt, quia ſpiritus puri erant, non propterea fuiſſe magis peccabiles.

Probabilior ratio autoris de reparabili caſu Angelorum.

Fuit igitur peccatum dæmonum irreparabile, quia obſtinatiſſimè, & ſuperbè reluctati ſunt Deo in ſummo opere, quod extra ſe operatus eſt, nimirum Incarnationis, & iudicium ſuum quaſi verius, & certius, & maius, diuino prætulerunt: & rogati ab Angelis bonis vt mutarent ſententiam, reſipiſcere noluerunt. Nec nos aliter damnationem meremur, quam obſtinatè reſiſtendo diuinæ voluntati, noſtrūque iudicium & voluntatem diuinæ præferendo, & Angelos ad reſipiſcentiam adhortantes contemnendo.

Ad ſeptimum dubium.

De originali mundo, cui Deus non pepercit, quiſnā ille ſit.

Soluamus ſeptimam dubitationem. Dicimus itaque prima mundi incunabula vſque ad Noe, ſignificaſſe per mundum originalem, ſiue per mundum antiquum, vt Græca litera habet, hoc eſt, rudem, & imperitum, id enim ſignificat Græca vox ἀρχαῖος, quòd rerum diuinarum penè eſſet ignarus. Si autem dixiſſet ἀρχηγὸν, ſignificaſſet primogenitum, vel originalem. Octauum autem iuſtitiæ pręconem vocat Noe: non quòd incipiendo ab Adam, & deſcendendo ad alias generationes, fuerit octauus: nam re uera decimus fuit, vt habes Gen. 5. & Luc. 3. ſed quod octo tantùm homines diluuium per arcam euaſerint: & ita fuit octauus, non reſpectu præconii, ſed reſpectu ſalutis aliorum, quam cum ſeptem aliis conſecutus ſit. Dicitur autem iuſtitiæ præco: non tantùm quòd verbo, ſed etiam vitæ exemplo alios bene viuere admoneret, & hortaretur eos ab impietate diſcedere, cùm iam arcam fabricaret.

Octauus iuſtitiæ præco cur Noe appelletur.

Sodomorum reliquarumq; infamium ciuitatum punitio diuina.

Gen 19.

In Sodomitis diluuioque hominibus pereuntibus qui fuerint adumbrati.

Tertio proponit exemplum ciuitatum Sodomæ, & Gomorrhæ, quæ damnatæ fuerunt, vt in cinerem redigerentur: & fructus, quem amarulentum producunt, & vanum, inſinuat infandæ libidinis ſeminario nē omni bono fructu carere. In quibus duobus exemplis, diluuii, & ciuitatis Sodomę, exemplum eorum propoſuit, qui impiè acturi erant: contrà verò proponit exemplum & Noe, & Loth, quem etiam iuſtum vocat, quod eſt more Scripturæ dicere, omni virtute ornatum. Et oppreſſum nominat, Græcè καταπονούμενον, hoc eſt, fatiſcentem, & viribus deficientem, & minimè conſuetudinem illam Sodomorum ferre valentem. Aſpectu enim, & auditu iuſtus erat, hoc eſt, pudicis oculis, & caſtis oculis zelum ſuæ iuſtitiæ oſtendebat, nolens talia crimina oculis cernere, aut de illis impios coram ſe loqui. Atque hoc in noſtrum exemplum oportuit proponi, vt ſciamus præſtare inter varias aſpidum, & ſcorpionum ſpecies hominem Dei gratia vitam degere, & conuerſari, modò adſit zelus ille, de quo Dauid dicebat: *Vidi præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt:* & rurſus: *Tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.*

Ad VIII. dub. De Loth liberatione à nefandorum luxurioſa conuerſatione.

Pſalm. 118.

Ibidem.

Sequitur: *Nouit Dominus pios de tentatione eripere.* Quo in loco admonendus eſt lector

Hæc ſententia: Nouit Dominus

ipſos detē- r- tionē eri- pere: quē ſenſum ha- beat.

[...]ctor de longo hyperbato, quod lõgam, & hiulcam reddit orationem ſine vlla concluſione. Et etiam eclypſis, vt Græca ſcholia notant propter quã aliquid omnino ſupplendũ eſt. Poteſt ergo ſic tota hæc periodus legi: Si Deus Angelis, qui peccarunt, non pepercit, nec originali mundo, quem diluuio ſubmerſit, neq; ciuitatibus Pentapolis, quas igne, & ſulphure abſumpſit: nec iſtis illuſoribus, & ſectarum autoribus parcet, etſi interim propter peccata populorum minus videatur attendere Papa Hyginus in epiſt. 2. poſt illud: *Exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens*: ſubiungit: *Quid putatis iniquis & impijs, perſeuerantibus in nequitia eorũ erit?* Et dubium eſt, an ab Higyno hæc verba addita ſint, an ipſe adiecerit B. Petrus. Beda tamen putat cum ſequentib⁹ illis: Nouit Dominus pios de tentatione eripere, rectè iũgi poſſe in hũc modum: Si illis inique agentibus non pepercit, ſed ipſos Noe, & Lot iuſtos à malo eripuit: argumento eſt quod pios norit ab omni malo eripere, quando velit, & iniquos in diem iudicij cruciandos reſeruare. Non quod ante iudicium pœnas non luant, ſed quod tunc aſſumptis corporibus grauiores, & acerbiores ſint ſoluturi: maxime, ac præcipue ij, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant: hoc eſt, in immundis concupiſcentijs verſantur, tanquam illarum ſerui, & pediſſequi. Vnde Lutherus ſacratam Deo monacham in matrimonium ſibi copulauit: permittit quoq; viris, vt cum languent vxores, in ſeruas, vel ancillas irruant. Bucerus item trigamus fuit, & polygamiam conceſſit: Andreas Carloſtadius ſacerdos publice, & ſolenniter vxori ſe copulauit, edito etiam libello de ſuis nuptiis, & Miſſa celebrata: in cuius oratione petitur, vt illius exemplo cæteri Sacerdotes, & monachi, abiecta conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, matrimonia incant. Haud minoris impudentiæ Lãbertus Franciſcani ordinis iam ſenex, in nuptijs libenter ſaltitabat. Vt nihil dicam de antiquis. Nam Simon Magus primus hæreſeos ſeminator, mulierem proſtitutam Selenen duxit, Valentinus vero Philumenen, & alij alias ducebant, & circũducebãt ſecũ in teſtimoniũ pudicitię ſuæ. Vt animaduertas omnes hæreſes ſibi ſimiles fuiſſe, dum genio, & carni exaturandæ indulgẽt. *Dominationemq; contemnunt*. Græce κυριότητα, hoc eſt, poteſtatem tam ſecularem, (de qua Paulus Apoſt. Non enim ſine cauſa gladium portat, & Iudas in epiſtola ſua, Maieſtatem blaſphemant) quam

Hyginus Papa & mart.

Beda.

Lutheri in primis, aliorumque eius ſectarum inſignis impudentia plane prodigioſa.

Magi Simonis & Valentini amor impudicitiæ.

Hæretici vt dominationem cõtemnant. *Rom. 13. Matth. 16.*

Eccleſiaſticã, quæ claues regni cœlorum habet, vilipendunt. Neq; indiget alio cõmentario hic locus, quam quod hodie noſtris oculis vidimus, nempe totã fere Germaniam armatam in Carolum V. Imperatorem inſurrexiſſe. Cernimus etiam miſerabilem ſtatum Angliæ, in qua vna muliercula, eaq; impudiciſſima, ſe loco Romani Pontificis gerit: & in Flandria Catholico Regi Philippo, & fidei orthodoxæ protectori ſe opponit ac contemptum eius non minus opere, quam verbo oſtentat arrogans, & ſuperba.

Eliſabethę Angel. Reginæ incredibilis ſuperbia & arrogãtia.

Subdit Petrus: *Audaces ſibi placentes*. Quod ad rationem Grammaticæ attinet, cum in accuſandi caſu dixiſſet, contemnentes, ſiue καταφρονοῦντας, ſubiungit in nominandi caſu τολμηταὶ αὐθάδεις, vbi Græca ſcholia dicunt ſupplendum eſſe verbum ſubſtantiuum cum relatiuo, more Hebræo, vbi frequens eſt ſuppletio relatiui, & verbi ſubſtantiui: nempe οἵ εἰσιν, id eſt, qui ſunt pertinaces, & præfracti. Forte interpres vertit, *Sibi placentes*, quia legit αὐθάδεις, & Græca ſcholia interpretantur: Τὸ ἑαυτοῖς ἀρέσκον μεταδιώκοντες, id eſt, quod ſibi gratum eſt ſectantur. *Sectas nõ metuũt introducere blaſphemãtes*. Vbi aduerte, quinq; vitia hæreticis familiaria Petrum ſupputare. Primum, vitium carnis, ſeu luxuriæ. Secundum, contemptus Dominorum, ſiue Principum. Tertium, audaciæ. Quartum, contumaciæ. Quintum, ſectas blaſphemas introducere. Nomen, δόξας, quo hic vtitur Apoſtolus, poteſt ſignificare opiniones, & ſectas. deinde etiam maieſtates, ſiue glorias: quaſi diceret: Præcellentes homines non metuunt conuicijs inceſſere, ſiue blaſphemare: quod etiam noſtro ſeculo agnoſci facile poteſt. Nam Lutherus Pontificis Romani Sedem non veretur effrons ille, & impudentiſſimus Antichriſti regnum vocare; Epiſcopos, Apoſtolos, Sacerdotes, capita raſa, & oleata, B. Thomam, inſignẽ Eccleſiæ doctorem, vnam ex ſeptem phialis iræ Dei: Reges, lentes capitis ſui vocabat, & Imperatorem Carolum V. Carolum Gandauenſem: Cõcilium Conſtan. auſus eſt vocare Synagogam ſceleratiſſimorum ſophiſtarum, Academiam Pariſienſem florentiſſimam, & bonarum omnium artium, ac præſertim Theologiæ magiſtram, Louanium quoque acerrimam Chriſtianæ fidei in hæreticos propugnatricem, has duas inquam Academias Chriſtiani orbis decus & ornamentum, Pariſienſem Sodomam, & Louanienſem Gomorrham, appellabat. Nihil di-

Hæretici cur audaces, ac ſibi placentes.

Hebraiſmus. *Oecumen.*

Quinque vitia hæreticorũ ab Apoſtolo commemorata.

Lutheri maledicẽtia, blaſphemiæ in eccleſiam vniuerſã. *Apoc. 13.*

Pariſienſis & Louanienſis Academiarum honorifica appellatio.

cam

Lutheri diſcipuli q̃ ſimiles ſuis magiſtris ſint iſti nebulones.

cum de diſcipulis Lutheri, vt Caluino item hæreſiarcha, Beza, Bucero, Melanchthone & aliis: quorum libri ſiue in Scripturas, ſiue in Catholicos, referti ſunt his, & ſimilibus, maledicis, & contumelioſiſſimis verbis, quibus rabiem ſuam exaturare nituntur, & dæmonis per eos tanquã per organa loquentis, implere voluntatem: quia totam Eccleſiam Catholicam, & eos, qui in ea eminent, odio pluſquam Vatiniano perſequuntur.

Quomodo Angeli apoſtatæ non portent aduerſum ſe execrabile iudiciũ Dei.

Sequitur in textu: *Vbi Angeli fortitudine, & virtute cum ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabile iudicium.* Ante verbum illud, execrabile, Græce habetur, *Apud Deum*, vel Dominum, quod non eſt in Latinis codicibus: hoc eſt, damnationẽ, quod interdũ ſignificat, à Domino: quale illud eſt; *Apud Dominum greſſus hominis dirigentur*, hoc eſt, à Domino: & aliud: *Apud te oratio Deo vitæ meæ.* Dicitur enim Græce παρὰ Κυρίῳ. Tale eſt & illud, Apud Dominum eſt merces eorum, id eſt, à Domino. Non portant autem execrabile iudicium Angeli, id eſt, non præualent aut ſummo cũ diſcrimine ſuſtinent ſibi importabile, & quod nonniſi cum grauiſſimo periculo portant. Ex ſcholiis Græcis hic ſenſus Græcorum verborum eſſe traditur: cum Angeli robore ac viribus ſint præſtantiores, quam homines: eo tamen audaciæ progreſſi non ſunt, vt auſi fuerint Deo maledicere: qui in cæteris tamen neglexerunt Dei volũtatem; in hoc tamen veriti ſunt illum offendere. Oecumenius interpretatur, hoc cum epiſtola Iudæ conſonare: *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans, altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, Imperet tibi Deus.*

Pſalm. 36. *Pſalm. 41.* *Sap. 5.*

Quo vno hæretici dæmonibus priores exiſtãt.

Oecum.

Hæretici quo tẽdãt infelices.

Hi vero (*magiſtri erroris*) *velut irrationabilia pecora* (ſeu, vt Græca vox ſonat, muta) *naturaliter in captionem & in perniciem*: hoc eſt nata, vt Græca vox ſonat, bruta ſcilicet animantia. quæ non loquuntur & natura genita ſunt in captionem, & perniciem, quia capiuntur, & pernecantur. Græca vox habet, ἅλωσιν καὶ φθοράν, hoc eſt ad captiuitatem, & exitium, & corruptionem, comparata. Quod dicit, ad differentiam Angelorũ, qui natura rationabiles, & liberi ſunt, atq; adeo immortales. Et gloſſa ſupplet, & ſubaudit verbum, tendunt. *In his quæ ignorant blaſphemantes.* Scilicet viam veritatis. *In corruptione ſua impudicæ vitæ, & infamis peribunt.* Percipientes mercedem iniuſtitiæ. ¶ Abuſus eſt verbo mercedis, vt & Paulus quoque interdum facit, vt cum ait: *Mercedem* (*quam oportuit*) *erroris ſui in ſemetipſis recipientes*: nam merces proprie eſt iuſtitiæ, ſiue operis boni. Ita hic Petrus, ſtipendium iniuſtitiæ impiorum hominum, vocat mercedem.

Merces ꝓ punitione interdum accipitur more ſcripturæ. *Rom. 1.*

Quibus verbis Apoſtolus hæreticos Epicureorũ diſcipulos & alumnos facere videatur.

Sequitur: *Voluptatem exiſtimantes, diei delicias, coinquinationes, & maculæ.* Hoc eſt, vt ſic dicam, dieculares, & vnius diei delicias, quaſi dicat, temporales, ſeu huius temporis delectationes, vt ventris, conuiuij, ſed & ipſæ, quod maius eſt, coinquinationes, & maculæ. Sunt enim hæc verba in Nominandi caſu accipienda: & ſic per hyperbolem, homines iſtos intelligi vult, ob immodicam immunditiam, qua tum ſe, tum alios maculant, eminentiſſime eſſe inquinatos, & maculatos. Et declarat, dicens: *Deliciis affluentes in conuiuiis ſuis luxuriantes vobiſcum.* Pro, deliciantes; hæretici, vt plurimum, libenter conuiuia frequentant, ciboque, & potu diſtendentes ventrem, Veneri ſe præparant. Vnde ſubdit: *Oculos habentes plenos adulterij.* Vt ita alios alliciant ad peccandum. Habent enim viſcum tenaciſſimum ad amicitiam carnalem agglutinandam, atque augendam. Interpres legit ἐν ταῖς ἀγάπαις, hoc eſt in conuiuiis, quæ prætextu charitatis, & doctrinæ fiunt: nunc vero legitur ἐν ταῖς ἀπάταις, hoc eſt, in erroribus. Et vtrumque verum eſt. Quod vero dixit, adulterij Græce legimus in Genitiuo μοιχαλίδος, & genere fœminino, adulteræ, quaſi diceret, in ipſis oculis adulteram geſtantes, & nihil aliud, quam in adulteram explendæ libidinis gratia ſpectantes, vt quiſque hominum qui adſunt, agnoſcere valeat iſtorum hominum intemperantiam, & ſpurcitiam. Addit etiam: *Et inceſſabilis delicti.* Venereum opus plane eſt delictum inceſſabile donec per ætatem, & ſanitatem exerceri poteſt: quod etſi opere nequeat cõpleri, in corde tamẽ, & in appetitu ſemper ardet. *Pellicientes animas inſtabiles.* Id eſt, Tales mulierculas, quæ vt arundines, ad omnem flatum mouentur. *Cor exercitatum auaritia habentes.* Vt habeant vnde poſſint impenſas ſuppeditare, & ad conuiuia, & ad libidines, ad quod etiam licitas vſuras fecit Bucerus in Matthæum ſcribens; ſecundum tamen moderamen Magiſtratus, Cum tamen lege diuina, & naturali cognitæ ſint illicitæ, & eas M. Cato apud Ciceronem pares homicidio fecerit. *Maledictionis filij relinquentes rectam viam errarunt.* Hebręus tropus eſt: quia ſub eorum generatione continentur, qui maledicto æterno ſubiacebunt.

Quales habeant oculos hæretici.

Eorũdem inſignis hypocriſis.

Inceſſabile delictũ quod nam Apoſtolo, & cur ita nominetur.

Hæreticorũ libido auaritia.

Buceri blaſphemia. Præclarũ M. Catonis de vſura dictum. *Tull. lib. 3. de officiis.* Hæretici à via veritatis

bunt. Recta via veritatis, eſt Euangelium, in quo omnis immunditia, iniuſta auaritia prohibetur, ac condemnatur. Dicitur etiam via veritatis, publica, & tuta, per quam Patres noſtri ambularunt. *Secuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit.* Nam vt Balaam mercedem accepit à Balac Rege Moabitarum, vt filijs Iſrael malediceret, etſi ficte diceret; Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti, & auri, &c. Vnde & eadem auaritia reprehenditur à Iuda in ſua epiſtola, tacite à Domino Apocal. 2. vbi agit contra tenentes doctrinam Balaam: ita iſti, vt Eccleſiæ Catholicæ, & præſertim Romanæ maledicant, mercedem aliquam temporalem emungunt. Quod autem dicit, ex Boſor, Beda putat eſſe nomen ciuitatis, quam habitabat Balaam. Quia tamē dicitur Græce Βαλαὰμ τοῦ Βοσὸρ, ſignificatur, Balaam fuiſſe filium Boſor, licet Num. 22. dicatur filius Beor, & aut hic poſita eſt vox Boſor pro Beor; aut vtroque nomine vocabatur. *Correptionē vero habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutū animal.* Aſina Balaam, cuius Dominus os aperuit, & eundem percutientem increpuit, ſignificat quoddam genus hominū in Eccleſia, humile, & ignarum, diuinæq; legi ſubditum, ac Deo: & in his nituntur pſeudoprophetæ, qui ab initio quidem multos eiuſmodi capiunt, ac illis inſident, quos in viam maledictionis inducunt. Verum Angelus Dei ſaluos facit eos. Et conterunt ad parietem, qui eſt Chriſtus, pedem inſidentis. Et ita interdum euenit, vt ſimplices vitæ ſuæ exemplo corripiant ſuperiores.

Hæretici ſunt alumni, & diſcipuli Balaam in auaritia, ſecundum Apoſtolū. *Num. 22. Iudas in epiſtola.*

Cur Balaā dicitur filius Boſor.

Hîc autem annotandum, Petrum in his hiſtorijs, quas producit ex Scripturis de Balaam, Angelis, diluuio Noe, Ciuitatib' Sodomorū, & Gomorrhæorū, Scripturā nec in genere, nec in ſpecie produxiſſe, ſed tantum verba Scripturæ vſurpaſſe, alludendo ad ea; vt inde appareat, hanc epiſtolā vere B. Petri eſſe, quia in hac re mirifice conſonat cū prima, vbi multa ſimiliter alludendo ad Scripturas, dicit, quas tamen nullo modo ſolet citare.

Petri Apoſtoli mos Scripturas ſine autoritate proferendi quid arguat.

Nona fuit dubitatio in illud: *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ.* Adhuc perſtat Apoſtolus in hæreticis depingendis, quaſi hactenus nihil dixiſſet. In primis igitur (vt dubitationem ſoluamus) illos vocat fontes ſine aqua: nam ſe iactant potum ſapientiæ dare ſitientibus, ſed non habent ſalutaris ſapientiæ aquam cum ſint ciſternæ diſſipatæ, quæ continere non valeant aquas. Nam etſi in linguis, & ſtudio eloquentiæ, & in diſciplinis aliquid ſe eſſe perſeuerant interdum: quia tamen omnia illa ad obſcurandam veritatem Euangelij, & Eccleſiæ traditiones negandas producunt, ſpeciem quidem fontis habere videntur, ſed ſine aqua.

Ad nonū dubium. De hæreticis quos Apoſtolus fontibus ſine aqua comparat.

Ierem. 2.

Nebulæ, inquit, *turbinibus exagitatæ, &c.* Nebulæ ſunt vapores qui conflantur, ex aquis, & terra ortæ, & exagitantur, vt in nubes aſcendant, nubes tamen non euadunt, nec æſtu nimio, nec in frigore generantur. Hi ſunt, qui ſapientia cū terra admiſta eleuari ſuper alios videntur, ſeſeque ſplendori Solis opponunt, & tenebras ſuſcitant; ſed à conſcientia mala, & perſecutionum turbine exagitati, non diu durant. Vnde ſubdit: *Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ.* Id eſt: Alta faſtu & vana proponunt, vt ita magis ad carnis vitia pelliciant. Vnde Hieronymus lib. 1. in Iouin. de hoc loco diſſerens ait: *Deſcripſit ſermo Apoſtolicus Iouinianum loquentem buccis tumentibus, & inflata verba trutinantem, repromittentem in cœlis libertatem, cum ipſe corruptionis ſeruus ſit, atque luxuriæ, &c.* Hæc ille. Pelliciunt, inquit, in deſiderijs carnis luxuriæ; id eſt, in deſiderijs carnis luxurioſæ. *Eos qui paululum effugiunt.* Nimirum à peccatis & eorum occaſionibus: nam tales ſunt, qui corpus macerāt, aut orationibus magis vacāt, & qui mala conſortia ad ludum, vel iocum, ſiue ad libidines excitantia effugiunt: quos quidem homines perſequitur dæmon.

Hæretici cur vocentur nebulę turbinib. exagitatę.

Iidē ſuperba vanitatis loquentes quomodo pelliciāt animas in deſideriis carnis luxurię. *Hiero. to. 2.*

Quos pelliciant, nimirum impoſtores illi.

Denique *Libertatem*, ait, *illis promittentes, cum illi ſint ſerui corruptionis.* Corruptionem Petrus vocat, turpitudinem, & impudicitiam, in quibus corrumpuntur. Talis profecto fuit Lutherus, qui ſub prętextu libertatis carnalis tot Paradoxa in ſua illa captiuitate Babylonis ſeminauit.

Quid eſt, hæreticos eſſe ſeruos corruptionis.

Reſtat vltimo loco propoſitas dubitationes diſſoluere de Prouerbiis, quæ citat Apoſtolus. Ignorandum non eſt, Salomonem librum Prouerbiorum edidiſſe, & Eccleſiaſticum c. 39. ſtudium Prouerbiorum commendaſſe. Ait enim: *Narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in abſconditu parabolarum conuerſabitur.* Nam cum communes ſint ſententiæ, & ab omni populo receptæ, vim habent perſuadendi, & confirmandi quod volumus, recteq; ac breuiter multa comprehendūt. Quare Petrus hoc loco quatuor prouerbia, aut ſententias prouerbiales producit, quarum prima

Decimę ſolutio quæſtionis. De Prouerbiis quæ citat Apoſtolus, vnde hæc hauſerit. *Eccleſ. 38.* Prouerbia quam vim habeant.

eſt.

Quorſum id: A quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.

Ioan. 8.

eſt: *A quo enim qui ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.* Videtur alluſiſſe Petrus ad ſententiam Domini dicentis: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Et idem eſt, ſi quis ſponte ſe dæmoni ſubiiciat. Alludit etiam ad ius Gentium, quo licebat bello captos ſeruituti addicere. inter Spiritum & Carnem verſamur: ſi vicerit Spiritus, ſpirituales ſumus; ſi Caro, ſeruituti carnis addicimur.

Quam atrox apoſtaſiæ crimen, quã horrendũ.

*Matth.*27.

Si enim fugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora peiora prioribus. Alludit ad parabolam Matth. 12. & Luc. 21. rurſus ad illud quod dixerunt Iudæi Pilato, cum perſuadebant, vt cuſtodiam apponeret Chriſto mortuo; *Ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis; & erit nouiſſimus error peior priore.* Notat igitur, ingens eſſe peccatum apoſtaſiæ eorum, qui poſt agnitum Chriſtum, reuerti volunt in Ægyptum. Vnde & Chriſtus dixit Paralytico, *Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat:* & Apoſtolus ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. iterum renouari ad pœnitentiam,* & cap. 10. *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia: Terribilis autem quædam expectatio iudicij,* & quæ ſequuntur. Peccata enim priora, quæ ante fidem admiſſa ſunt, minora ſunt, quia ſine lumine fidei, & gratiæ Dei patrata: reliqua vero poſt fidem, & lumen gratiæ, maiora ſunt, ac propterea venit dæmon ad eos cum alijs ſeptem ſpiritibus nequioribus ſe, & ingreſſi habitant ibi, vnde fiunt nouiſſima hominum illorum peiora prioribus.

Ioan. 5.

Heb. 6.

Infra 10.

Poſteriora peccata cur ſint peiora prioribus.

Matth. 12.

Quid non cognoſcere viam iuſtitiæ, & retrorſum conuerti à ſancto mãdato.

Ideo ſubiungit: *Melius enim erat illis* (id eſt minus malum erat) *non agnoſcere viam iuſtitiæ* (id eſt Euangelicam veritatem, per quam homo iuſtificatur apud Deum, & conſeruatur, ſiue augetur in illa) *quam poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum erat ſancto mandato.* Sanctũ mandatum eſt illud, de quo in baptiſmo dicitur: Accipe veſtem candidam, & immaculatam, quam perferas ante diem iudicij. Sanctum enim, & perfectum eſt, quod ſanctitatem, & iuſtitiam commendat. Vnde Chriſtus iis, quos ſanabat, fere dicebat: *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Deterret igitur hic locus à conſuetudine peccandi, ſiue in peccata relabendi. Doctos etiam, & eos, qui maioribus ſapientiæ talentis à Deo ditati ſunt, docet

Ioan. 5.

Infra 8.

grauius peccare, quam illos, qui voluntatem Domini, & non facit, vapulabit multis.

Luc. 2.

Addit alia duo prouerbia, vt rem tam ſalutarem magis memoriæ noſtræ commendaret. Nihil enim prodeſt Chriſtum induiſſe, ſi illum aut verbo abiures, aut facto neges. Duo erant animalia immundiſſima, canis, & ſus apud Iudæos, & in illis horum impoſtorum obſcœnitatem expreſſit. Immunda autem dicebantur animalia ad eſum, & ſacrificium, illa ſcilicet, quę nec ruminant, nec findunt vngulam. Canis tam immundus eſt, vt nec ruminet, nec findat vnguem, nec pretium eius in templum vellet adferri Deus. Et qui videt canem reſorbentem quod vomuit, nauſeam ſentit, ac deteſtatur. ¶ Sus quoque immundiſſimum eſt animal, quia non ruminat, cum ſit voraciſſimum, etiamſi vnguem diſtinguat; ideo Hebræis eius eſus fuit maxime interdictus. Sus etiam, vt dixit Dominus, pedibus margaritas conculcat: & vbi ſe aqua lauerit, ad cœnum, & lutum reuertitur. *Contigit enim,* inquit, *eis illud veri prouerbij.* Qui eſt ſermo ad vitæ rationem conducibilis, grata quadam obſcuritate multam in ſe continens vtilitatem. *Canis reuerſus ad ſuum vomitum.* Addit, ſuum, ſiue proprium, quia Græce eſt, ἴδιον: minus enim fœtidum eſſet, reuerti ad alterius vomitum. Nam vt docet Ioſephus in libris de Bello Iud. qui poſt multam dierum inopiam aliquid comedit, facile ſtomachus retinere non valens, reijcit. Cum autem alij ex iis, qui in ciuitate (Ieruſalem ſcilicet) clauſi tenebantur, maxime eſurirent, ad vomitum eius, qui aderat, certatim accurrebant alij, vt ſumerent, Hæc ille.

Cur Petrus hæreticos impoſtores cani comparet & ſui.

Leuit. 11.

Deut. 14.

Deut. 23.

Suis ingenium.

Matth. 7.

Prou. 6.

Quid ſit prouerbiũ

Ioſe. lib. 2. *cap.* 1.

Vnde vomitus ſecundũ Ioſephum.

Hoc ergo prouerbium in eos dicitur, qui eadem flagitia, à quibus lacrymis, & contritione ſunt expiati, tanquam ad vomitum reſorbendum accurrunt. Quod explicuit Salomon Prouerb. 26. dicens: *Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.* Et Ioannes Apocalyp. vltim. *Foris,* inquit, *canes,* id eſt, extra Paradiſum omnes qui reuertuntur ad vomitum.

Peccatorũ immunditia.

Et ſus lota in volutabro luti, ſiue vt Græce habetur, in volutabrum luti, ſubaudi reuerſa. Atque huic prouerbio conſonus videtur Sapiens Eccleſ. 34. *Qui baptizatur,* inquit, (id eſt lauatur) *à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis* (id eſt, pro peccatis ſuis) *& iterum eadem faciens, quid*

Eccl. 34.

proficit

proficit lauatio illius? ſic homo qui ieiunat in peccatis ſuis (id eſt pro peccatis ſuis) *& iterum eadem faciens, quid proficit humiliãdo ſe? orationem illius quis exaudiet?* Hæc autem duo animalia Chriſtus Matth. 7. coniungit, & Petrus hoc loco. Coniunxit & Poëta ille qui dixit, de Vlyſſe verba faciens.

Matth. 7.

Horat. li. 2. Epiſt. 2. ad Lollium, prope fine.

Syrenum voces; & Circes pocula noſti:
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus, cupiduſq; bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, & *excors:*
Vixiſſet canis immundus, & amica luto ſus.

Hæreticorum latratus, & grunnitus.

Non ergò nouum, vel mirum eſſe debet, ſi Petrus hæreticos comparet canibus: quia latrant, & lacerant Eccleſiæ vnitatem. Rectè etiam porcos nominauit, in quos Dominus legionem dæmonum id ſibi licere poſtulantium, intrare permiſit; vt in mare omnium ſpurcitiarum receptaculum demergantur. Et hactenus de hoc capitulo.

Matth. 8.

DISPVTATIO IV.

In tertium caput poſterioris B. Petri: *Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſtolam, in quibus veſtrã excito in commonitione ſynceram mentem, vt memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum in ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Saluatoris. Hoc primum ſcientes, quòd venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores*, & quæ ſequuntur in finem vſq; capitis.

Primum dubium.

CAPVT præſens perobſcurum, ac difficile, luculento interpretationis lumine eget. Primò ergò dubitatur, quomodo hæc cum ſuperioribus conueniant, & quarè hanc epiſtolam ſecundam vocauit, nõ tertiam. Deinde dubium eſt de iſtis illuſoribus, quos ait venturos eſſe, & Domini ſecundum aduentum ad iudicium negaturos, an ſcilicet iſti hactenus venerint, an expectandi ſint.

Secundũ.

Tertiò, an cœli qui nunc ſunt, & terra, & eodem verbo repoſiti dicuntur, & igni reſeruati in diem iudicii, ex aqua, & per aquam conſtiterint? quomodò enim ex aqua poteſt oriri terra? niſi intelligamus compoſitam, aut quòd ex illa emergendo apparere cœpit?

Tertium.

Quartò dubitatur de eo quod non vult nos latere, vnum diem apud Deum eſſe ſicut mille annos, & mille annos ſicut vnum diem: quorſum enim hæc dicuntur, & quomodò vera eſſe poſſunt; non enim capit intellectus humanus, quomodo mille anni ſint vnus dies, aut è contrario.

Quartum.

Quintò non videtur facile intellectu, quomodò Dominus non tradat promiſſionem ſuam; cùm in oculis noſtris diu iam eius aduentus tardare videtur: quomodo etiam verum eſt, Deum nolle aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti? Et ſi hæc eſt voluntas eius, quarè in omnibus non impletur? Imò ſi infideles conferantur cũ fidelibus, pauciſſimi ſunt, in quibus hoc impletur.

Quintum.

Sextò, cum ait: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, &c.* primùm dubitatur, quare Dominus cõparatur furi; cùm ille nobis nihil ſubtraxerit, ſed omnia quæ habemus, donauerit: idem cur diſtinxerit cœlos ab elementis, & elemẽta à terra, & operibus eius. Secundò, qui erũt illi cœli noui, & terra noua, quæ iuxta promiſſa Dei expectamus, in quibus iuſtitia habitat.

Sextum.

Septimò dubiũ eſt, quarè inferat ex dictis: *Satagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace, & Domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatem, ſalutẽ arbitramini.*

Septimũ.

Octauò, cur B. Petrus Apoſtoli Pauli doctrinã tantoperè cõmendet, cùm tam difficiles ſint & obſcuræ, & omnibus ſeculis negotium exhibuerint.

Octauum.

Poſtremò, quamobrem hortatur nos, ne nefariorum hominum errore traducti, excidamus à propria firmitate, & cur exhortetur ad augmentum in cognitione, & gratia Dei capiendum.

Nonum.

Solutio primæ quæſtionis. De continuatione dictorum.

Soluamus primam dubitationem. Cohærent hęc cum præcedentibus, in quib⁹ multa dixerat de moribus, & ingenio hæreticorum, eoſq; maximè eo tendere oſtendat, vt more canum, & porcorum ad obſcœnas concupiſcentias, & intẽperantias nos reuocet. Quare meritò nunc eos commonefacit, ſe alteras literas illis deſtinaſſe, & has poſteriores mittere, vt eos erudiat, & cautos reddat aduerſus illorum impoſturas, & illuſiones. ¶ Vocat autem hanc ſecundam epiſtolam; ne quis putet vnam tantùm conſcripſiſſe; non, tertiam, ne quis exiſtimet aliquam ex illis intercidiſſe, ſed omnes agnoſcant, binas eum exaraſſe literas, & ad illos eoſdem miſſas fuiſſe: ſicut teſtis eſt Oecumenius ex Gręcis, & inter Latinos Damaſus Papa in vita B. Petri, vbi vtriuſq; epiſtolæ mentionem facit. Tertiam autem, vt quidam ſomniant, non ſcripſit.

Cur vocet hanc Petrus ſecundam epiſtolam.

Damaſ. Pa.

Salutaris Petri præmonitio fidelium aduerſus impoſtores hæreticos.

Et extremam manum his epiſtolis imponens, producit hoc de Pſeudoprophetis, & magiſtris mendacii, vt maximè attenti ſint ad Scripturas, tũ Prophetarum,

tum Apoſtolorum, ne contingat eos aliquo errore inuolui. Vnde ſubdit: *In quibus* (ſcilicet ambabus epiſtolis, nã Græcè dicitur ἐν αἷς) *veſtrã excito in cõmonitione mentẽ.* Id eſt, Non ago, vt doceã vos quaſi ignorantes, ſed extimulo, & exhortor veſtram puram, & ſine fuco vllo mentem. *Vt memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborũ, &c.* Eò n. referẽda ſunt, quæ de electione, & prædicatione audimus, vt ea quæ accepimus in vtilitatem noſtram, hoc eſt, ad amplectendam virtutem conuertamus. Qua ſuauiloquentia Petrus ſuorum animos conciliat, & ad audiendum attentiſſimos reddit; quaſi diceret: Ea quæ ſcribo, magna ex parte excerpta ſunt ex libris Propheticis, vt ſuperius indicauim' (quia frequenter alludit ad illorum dicta) & ex verbis Ieſu Chriſti, quæ Apoſtoli in nomine Domini locuti ſunt vobis. *Et Apoſtolorum,* inquit, *veſtrorum, præceptorum Domini & Saluatoris.* Id eſt, qui ſumus nos, vel mandati noſtri, qui ſumus Domini ac Saluatoris noſtri Apoſtoli. Ac præcepta, ſeu mandata, vocat illa dilectionis Dei, & proximi: ad quæ duo præcepta, omnia alia referenda ſunt. Conſtat autem tum ex hac, tum ex priori epiſtola, contineri eiuſmodi monitionem.

Finis lectionis, & prædicationis verbi Dei.

Matth. 22.

Secundum dubium de illuſoribus ita diluitur: Prædicit igitur Apoſtolus venturos illuſores negantes ſecundum Domini aduentum ad iudicium: qua porta aperta, actum eſt de omnibus, quia ablato iudice, qui poſt hanc vitam actionũ noſtrarum rationem repoſcat, quiq; benefacta remuneret, & flagitia pœnis condignis plectat, nulla erit ratio reuocandi homines à teterrimis peccatis, ac ſceleribus, aut perducendi homines ad meliorẽ frugem. Agnoſcens enim Satanas aucupium innumerabilium animarum, quas in naſſam æternæ damnationis pertrahere poſſit, mentitur, ac docet nullum futurum iudicium. Ita vt rectè vocet eos illuſores, quia apertum mendacium perſuadere conantur. Sed Dominus illos illuſores illudet. Et quoniam iſti Domini aduentum præcedere debent, & quia talis hactenus ſecta negantium iuſtum Dei iudicium, nondum hactenus apparuit; addit impoſtores iſtos ambulaturos in ſuis abſonis, & turpibus carnis deſideriis, quò ſe nobis facilius prodant, vt eos caueamus. Nam ad hoc ſatis non eſt, quo ita viuant inter Chriſtianos, quaſi nullum credant futurum iudicium, quia cùm tales omni tempore vixerint, ſemper fuiſſet inſtantis diei Domini

Ad ſecundum dubium De illuſoribus hæreticis venerintne illi an venturi ſint.

Cur eos vocet illuſores.

ſignum; ſed opus eſt apparere quoſdam qui ſeriò aſſerant: *Vbi eſt promiſsio* (Domini ſcilicet) *aut aduentus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* Vocat promiſſionem, illam, quam Chriſtiani de promiſſo Chriſti regno expectant, deque mundi innouatione, carnis reſurrectione, & vita æterna. Et vbi eſt ille, inquiunt, tantopere decantatus, & in Scripturis tam crebro celebratus aduentus Domini? Ex quo enim maiores noſtri ſomno mortis dormierunt, ab antiquiſſima Patrum memoria, & mundi creatione res in eodem ſtatu perdurare videntur, & defectio nulla viſa eſt, quæ ſignum ſit aduentus eius. Quare iſti ironicè, & audacter dicent, *Manducemus, & bibamus: cras enim moriemur,* præſtatque voluptati operam dare, quam Euangelicam doctrinam amplecti, qua quiſque ſe ipſum abnegare debet, & Chriſtum ſuum agnoſcere. Sed hæ voces, porcorum potius ſunt, quam hominum: negato enim iudicio Dei, verax quoque in promiſſis Devs eſſe negatur: negatur quoque præmium vllum eſſe pijs, aut impijs ſupplicium, & denique animæ mortalitas ſtatuitur.

Quã vocet Domini promiſſionem Apoſtolus.

1. Cor 15.

Matth. 16.

Porcorũ potius, quam hominum voces.

Vt tertium dubium ſoluamus, prius explicanda ſunt verba, quæ præcedunt: *Latet enim eos,* inquit, *hoc volentes &c.* Dicimus, hîc primum Petrum oſtendere, quam fuit cæca horum hominum ignorantia, quod ſemel mundus aquarum diluuio perierit; cum tamen aquis conſtaret. Latet autem eos hoc volentes, nimirum ob affectatam malitiam. Erant enim antiquæ hiſtoriæ hac de re fideles, & certæ præter Scripturas, iudicia Dei, per diluuium declarata: vnde Noe octauus iuſtitiæ præco dictus eſt: & rurſus: *Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia.* Ita vt falſum reddatur eorum dictum, Omnia eodem modo perſeuerare ab initio creationis: nam totum mundum perijſſe, exceptis octo animabus, non eſt eodem tenore perſeuerare omnia. Qui ergò omnia per aquas euertere potuit, per ignem perdere poterit. Hæc autem argumentatio Apoſtoli videtur pendere ex hiſtoria, quam longe ante mortem ſuam Adam prophetauit, de qua Ioſephus libro primo Antiquit. capite ſecundo: habens enim ſermonem de poſteris Seth filijs, in fine ita ſcribit: *Ne autem inuenta ſua ex hominum notitia delaberentur, & prius perirent, quam pernoſcerentur, ſcientes Adamum vniuerſalem iſtum rerum interitum præ-*

Mira hominum cæcitas de mundi interitu.

Gen. 7.

2. Pet. 2.

Cap. 14.

Adæ prophetiæ de mundi interitu, teſte Ioſepho.

cum præcinuiſſe, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis vtrique ſua inuenta inſcripſerunt: vt ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab ipſis dedicatam, quæ & noſtris temporibus extat in terra Syria. Hæc ille. Latet ergò eos hoc volentes, quia noluntintelligere vt benè agant, ſed dicunt, Scientiam viarum tuarum, (id eſt, notitiam operationum, & conſiliorum tuorum) nolumus, ſcilicet ſcire, Eſtq; ſupina, & craſſa ignorantia, quæ non excuſat, ſed grauat peccatum.

Pſal. 35. Error impiorum. *Iob.*21.

Ad tertiũ dubium. De cœlis, & terra ex aqua & per aquam effectis, quomodo verum ſit. *Oecum.c.*4.

Ait autem (de quo dubitatum fuit) *Quòd cœli erant prius & terra, & aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo.* Græcè legimus modò συνεστῶσα, hoc eſt, conſtituta, ſcilicet terra. Quidam verò legunt συνεστῶτα in neutro plurali, ita vt ſignificet cœlos & terram conſtituta eſſe ex aqua, & per aquam. Ita enim Oecumenius interpretatur: *Et quemadmodùm*, ait, *cœlo, ac terra ex aqua conſtitutu diluuium inopinato ſuperuenit; ita & nunc ſtatutum eſt, vt per ignem fiat vniuerſi corruptio, cum quo impij quoq; peribunt.* Hæc ille.

Opinio Bedæ, Auguſtini, & aliorum, quæ refellitur. *Beda. Aug. lib.* 2. *de Ciuit. Dei cap.*18. *Pſalm.* 8. *Pſal.* 146. *Dan.* 3. *Pſal.*17.

Quia verò non conſtat de Scripturis terram eſſe ex aqua, neque cœlos ipſos, propterea Beda hoc loco, atque alii interpretes cœlos interpretantur aërios. Sed hæc expoſitio violenta eſſe videtur propter duo. Primùm, quia etſi cœlum interdum pro aëre ſumatur, iuxta illud; *Volucres cœli, & piſces maris*; &, *Qui operit cœlum nubibus*: *Benedicite volucres cœli Domino*; &, *Intonuit de cœlo Dominus*: nunquam tamen cœli plurali numero pro aëre accipiuntur: hic autem plurium numero legimus cœlos & terram. Deinde, etiamſi maxime cœlum in ſingulari textus haberet: vbi tamen abſolutè dicitur cœlum, & terra, ſemper nomen cœli pro vero cœlo accipi ſolet, vbi illi opponitur terra, vt hic facit Apoſtolus. Eſt enim cœlum, & terra, ſphæra cum centro; ac proinde ſignificat per ſynecdochen totum vniuerſum. Quod ſi quiſquam obijciat ex vſu linguæ Hebrææ, eſſe potius plurale, quàm ſingulare, quia dicitur שברים ad explicandam multitudinem cœlorum: Reſpondeo in primis, eiuſmodi vocem non eſſe pluralem, ſed dualem, quæ non plures, quàm duos cœlos deſignat. Deinde vt maximè concederẽ, ea voce ſumi cœlos etiam pro aëre, & pro vero cœlo: 70. tamen interpretes, & Apoſtolus Petrus hoc loco, & interpres noſter differentiam conſtituerunt inter ſingulare & plurale huius nominis οὐρανὸς: nam in ſingulari poteſt ſumi pro aëre, & pro vero cœlo; at in plurali ſemper ſumunt pro vero cœlo; & non pro aëre. Cui rei etiam ſeruit, quod cum eſt ſermo de ſupremis illis corporibus, vocatur cœlum cœli, & cœli cœlorum. Item cũ eſt ſermo de aquis illis ſupremis, & cœleſtibus, ſemper vocãtur aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt. Quare hæc vera eſt, & ſolida ponderatio, non quidem ſuper voce Hebræa, quæ eſt ſemper dualis, ſed ſuper Græca, quæ modo eſt ſingularis, modò pluralis.

Cœli propria acceptio in Scripturis.

Obiectio diluitur.

Pſal. 113. 3. *Reg.*8.

Pſal. 148.

Quid ergo eſt, quod ait, cœlos, & terram eſſe ex aqua, & conſiſtere per aquam? Reſpondeo: Quomodo cœli facti ſunt ex aqua, cùm ſuperiores ſint, & non videantur talẽ habere generationẽ, vt prius fuerit aqua, quàm ipſi cœli, ex cuius materia potuerunt conflari. Nec venit cœlorum appellatione Aër ipſe, vt quidã volunt, & quicquid eſt inferius ſub orbe Lunæ. Nam quod Aër, & ignis, qui eſt ſuperior, ex aqua proceſſerint, non habet teſtimonium ex Scripturis. Tantum habemus ex illis ſecunda die factũ firmamentum, & per illud aquas ſuperiores ab inferioribus ſeparatas: & tertia die ſeparantur aquæ à ſuperficie terræ, quæ vniuerſam operiebant. Deinde aquæ illæ, quæ ſuper cœlos eſſe dicuntur, non ſunt propriè elementares, & nobis cognitæ, etſi maximè aliqui id dixerint, vt Ambroſius in Hexameron, & alii. Quare melius reſponderi poteſt, nomine aquæ, in principio Geneſis venire totam materiam primam: ita enim dicitur: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Aqua enim formam oblatam facilè ſuſcipit, & ob id rectè repræſentat materiam primam, quæ eſt ſuſceptiua omniũ formarum. Sicut ergo materia prima in illo loco Geneſis vocatur terra inanis, & vacua, ob vtilitatem ſuam; & tenebræ abyſſi, propter priuationes formarum; ita etiam vocatur aqua, ob facilitatem quamlibet formam inducendi, quia facilè fit circularis, & quadrata, & triangularis, & denique omne genus figuræ, pro ratione vaſculi, in quo collocatur, ſuſcipit. Ex aqua igitur illa fuerunt tam cœli, quàm ipſa terra elementaris, quam calcamus.

Quid cœli, quid aqua. I. opinio, ſed improbabilis.

Gen. 1.

B. Ambr.l. 1 *c.*1.*&* 4 Altera, quam autor amplectitur.

Quatuor nomina primæ materiæ, quibus eã Moſes eleganter expreſſit.

Ait rurſus, non tantùm cœlos, & terrã fuiſſe ex aqua, ſed etiam per aquam conſiſtere. Vt enim præpoſitio Ex, ſignificat materiam, ita altera, quæ eſt, Per, for-

Quomodo cœli & terra per aquam conſiſtãt.

mam videtur repræſentare. Hinc cœli veri pellucidi ſunt, & diaphani, hoc eſt tranſparentes, & ſignificant externam illam formam cœlorum. Deinde dicitur Terra per aquā conſiſtere, quia tota aquis tegebatur, & conſiſtentiam ſuam per humorem aqueum, totam aridam colligantem continet. Quē ſenſum egregiè Oecumenius agnouit, ac tradidit his verbis: *Terra ex aqua quidem tanquam ex materiali principio, per aquam verò tanquam per principium perfectiuum. Aqua enim continet terram veluti gluten quoddam quod ipſi adeſt, quod niſi ipſi contingeret, neceſſe eſſet illam diſſolui, & ferri in aerem.* Hæc ille. Hinc in 4. lib. Eſdræ, etſi apocrypho, c. 6. legimus: *Et tertia die imperaſti aquis congregari in ſeptima parte terræ: ſex verò partes ſiccaſti, & conſeruaſti, vt ex his ſint coram te miniſtrantia ſeminata à Deo, & culta.*

Oecum. c. 3.

4. Eſd. 6.

Pſal. 101.

Loquitur ergo hoc loco de veris cœlis, de quibus Dauid dixit: *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt* (nimirum per ignē) *tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, &c.* Vbi oſtendit, veros cœlos, & veram terram verè peritura.

Quinam fontes abyſſi magnæ rupti ſint in diluuio, & quæ cataractæ cœli apertæ, vt Moſes teſtatur.

Gen. 7.

Vnde etiam ſubdit B. Petrus: *Cœli autē, qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt igni reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominū.* Quod ante hæc verba proximè dixerat, Per quæ intellige cœlos, & terram: nam terra vomuit, quicquid habebat aquarum, ex ſuis internis fontibus, iuxta illud; *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt:* quia cœli ſuperni, & veri apparati fuerunt Dei virtute ad illam alluuionum exundantiam generandam, quam in ipſo aëre genuerunt, & in terram miſerunt. Ille ergo tunc mundus inundatus periit, quantum attinet ſcilicet ad ſpecies mundi in animalibus, in hominibus qui nomine mundi veniunt, iuxta illud; *Sic Deus dilexit mundum, &c.* In arbuſtis, & volatilibus, & omnibus deniq; viuentibus periit. Non igitur erit abſurdum, & impoſſibile illi, qui per aquam perdidit mundum, ſi per ignem iterum eundem perdat.

Ioan. 3.

In hoc etiam ſecundo exemplo de perditione mundi per ignem, docet Petrus quòd ipſi etiam cœli, qui olim illæſi, & incolumes manſerunt à diluuio (quoniā aquæ diluuij nonniſi per quindecim cubitos eleuatæ fuerunt ſuper montes, neq; vltra progreſſæ ſunt) quos Philoſophus ponit ingenerabiles, & incorruptibiles, vim & efficaciam ignis non poterunt effugere: nam funditus peribunt, & veteraſcent, & renouabuntur, vt inferius clarius dicetur.

Gen. 7.

Ariſt. l. 1. de cœlo, & alibi.

Quomodo impii homines perire dicuntur, quorum ſunt tamē animæ immortales.

Ad illud verò, quomodò impii homines dicantur perire, cum animæ eorum ſint immortales: quomodo item impii homines ab illo igne patientur, cum etiam boni, & pij illo ſint igni conſumendi. Ad priorem, inquam, dubitationem dicimus, tantùm illa perire in impijs, quæ perire poſſunt, id eſt, corpora. Animæ verò interitui non ſunt obnoxiæ, ſed permanebunt vt æternas in reſumptis corporibus pœnas luant. Ad ſecundam verò, ſponte fatemur, corpora ſanctorum igne conflagrationis aliquid paſſura: ſed hoc erit eis ad purgationem, & ad maius meritum coronæ æternæ, & ad glorioſam reſurrectionem. Vnde Hieronymus in Eſaiæ cap. 51. explicans illa verba: *Leuate in cœlos oculos veſtros, &c.* ita ſcribit: *Illudq; dicendum, quod ſi cœlum & terra peribunt, atque veteraſcent, quæ conſequentia habitatores eius ſicut iſta moriantur atque diſpereant, cum animas eſſe perpetuas, & reſurrectura corpora nouerimus? Ex quo perſpicuum eſt, cœlum & terram non perire, & in nihilum redigi, ſed in melius commutari.*

Cur pii etiam homines & electi, ab igne conflagrationis patientur.

Hieron. t. 5.

Solut. IV. dubitationis De eo quod non vult latere nos Petrus, vnū diem eſſe ſicut mille anno, apud Deū &c.

Ad quartum dicimus, quòd nos latere non voluit, vnum diem eſſe ſicut mille annos, & mille ſicut vnum diem: quod prioris diluuij exemplum ſponte illi impij ignorare voluerunt, quò liberius, ac licentius viuerent. At Petrus chariſſimos ſuos nō vult huius rei tam ſalutaris ignorantia laborare, quòd vnus dies apud Dominum ſit ſicut mille anni; quid dico, mille anni? imò centum millia annorum. Omnia enim tempora præterita, præſentia, & futura ſunt Deo, qui omnia nouit, atque vnus dies: quare nec tarditas eſt, nec procraſtinatio, etſi nobis aliter videatur. Nobis enim, qui temporibus ſubijcimur, & illis menſuramur, quædam videntur longa, quædam breuia. Hoc autem verbo Petrus reſpondet illorum argumento, qui dicebant: *Vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius?* quaſi mēdax fuiſſet prophetia, aut Scriptura. Hoc ergo iam præoccupans, reſpondet, vnum diem eſſe apud Deum velut mille annos, & è contrario. Nam qui tempori non ſunt ſubiecti, non ita tempus menſurant, vt mortales, qui humana corruptione grauātur. Vel non eſt iſta noſtra temporis conſideratio apud Dominum, vt nō ſit eius propriè tardare, vel præuenire, & nulla eſt in eius operibus tarditas, vel acceleratio.

Sap. 9

Petri alluſio ad Dauidem. *Pſal.* 89.

Sumpſit hæc verba Petrus ex Pſalmo octogeſimo nono, vbi habetur: *Ne auertas hominem in humilitatem* (hoc eſt: Tu redigis hominem in cinerem, & puluerem) & (contra) *dixiſti, conuertimini filij hominum*; ſenſus eſt, reſipiſcite, & redite in cineres veſtros. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quę pręterijt: & cuſtodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Ipſe primus parens generis humani Adam peruenit ad annos nongentos triginta: & Mathuſalem impleuit nongenteſimum ſexageſimum nonum annum. Quaſi diceret: Etiamſi magis produxeris ætatem quam Adam, & Mathuſalem vixerunt, tales tamē mille anni fuere vt vnus dies, quia tādem moriendum illis fuit. Et hominis anni velut vna è quatuor noctis partibus cuſtodia, ſiue vigilia, nam in quatuor vigilias nox diſtribui ſolebat. Vnde & ſubiungit Propheta: *Mane ſicut herba tranſeat: mane floreat, & tranſeat* (quæ eſt pars prima diei. Et ſequitur:) *Veſpere decidat, induret, & areſcat.* quæ eſt altera pars diei. Et ita ex circumſtantijs habemus verſiculi illius explicationem.

Gen. 5.

Ibidem.

Cur Dauid, & Petrus dicāt, vnum diem eſſe ſicut mille annos, & contra.

Vbi ſimul illud pondera, Apoſtolum non dixiſſe ſimpliciter, & abſolute vnum eſſe diem, atque mille annos; ſed adiecit, apud Dominum, quod Dauid dixit, ante oculos tuos, ſiue, in oculis tuis: nam certum eſt apud nos longe illa diſtare; apud Deum autem, qui æternus eſt, & æternitate menſuratur, & omne tempus ſub ſe comprehendit, & cuilibet particulæ eius coexiſtit: imo tota æternitas æquiualet, vt ſic dicam, cuique ſingulo diei, recte ait, vnum diem eſſe mille annos. Adiecit etiam Petrus particulam, Sicut, Dauid vero, Tāquam, mille annos vnum diem eſſe. Eſt autem æternitas, teſte Boetio, interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio.

Pſal. 89.

Boet lib 2. *de conſolat.*

Annorum Dei, & annorū noſtrorum longe eſt ratio diuerſa. *Pſal.* 101.

Quod vt magis perſpicere valeas, perpende, annos, quibus Deus menſuratur, non eſſe ſimiles noſtris, nam noſtri iam nobis prætericrunt, & amplius non ſunt: anni vero diuini, ſtantes, & permanentes ſunt: neque enim, ſicut noſtri, prætereūt, ſed, ſicut ipſemet Dauid alio loco dixit, & Paulus ponderauit: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficiunt*: quemadmodum anni deficiunt omnes creaturas, quæ tempore menſurantur. Hinc creaturæ dicuntur habere annos, quos reuera actu iam non habent, ſed habuerunt: At vero Deus & habuit, & habet pręteritos omnes, & futuros actu ſimul, & reipſa; ideo mirum eſſe non debet, ſi vnus dies apud Deum ſit perinde atq; mille anni; & mille anni tanquam vnus dies. Etſi vero modo hoc vix capere poſſit intellectus, ſtandum tamen magis eſt dicto Dei, quam noſtro intellectui, qui diuinarum rerum capax non eſt. Sed tamen cum æternitatis fuerimus participes, hanc capiemus veritatem, ſicut & alias multas, vt de Trinitate, Incarnatione; quæ omnem prorſus ſuperant facultatem intellectus creati, etiam Angelici.

Heb. 1.

Ad V. dubium. De eo quod Dominus nō tardat promiſſionem ſuam, aduentus ſcilicet ad iudicium.

Quintum dubium eſt diluendum circa illud: *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Reſpondemus, hoc in primis deduci ex verbis illis ſuperius citatis, in quibus Petrus more ſuo allegat verba Prophetæ eo non prolato. *Sed patienter agit*, inquit. Græca litera habet μακροθυμεῖ, id eſt, longanimiter agit. Non vult autem aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.

Si Deus non vult aliquem perire; cur tam multi pereunt? *Sap.* 1.

Rom. 2.

Quod autem obiecimus, hoc non cōpleri in multis, aut in maiori parte; hoc hominum vitio prouenit; nam Deus, quantum in ſe eſt, omnes ad pœnitētiam inuitat, & perditionem non diligit, iuxta illud; *Deus mortem nō fecit, nec delectatur perditione viuorum*; Paulus quoque, *An diuitias*, inquit, *bonitatis eius, patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Omnium ergo ſalutem concupiſcit, ſiue ſint prædeſtinati, ſiue nō. Et Apoſtolorum princeps Petrus, & Paulus in hac ſententia ſibi conſentiunt, & vnam & eandem doctrinam ſalutarem tradunt. Nam quod Petrus hic ait: *Nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti*: quia homo res eſt pretioſa, quam Chriſtus tanto pretio redemit: Paulus dixit, *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Porro illis verbis: *Sicut quidam exiſtimant*, in Græco quodam codice additur verbum, βραδυτῆτα ἡγοῦνται, id eſt, tarditatem putant: quod parum facit ad rem, quia idem eſt ſenſus, ſed vt habet prouerbiū: *Sat cito, ſi ſat bene.*

Petri & Pauli doctrinæ conſenſio.

1. *Timot.* 2.

Prouerbiū.

Solutio VI. quæſtionis. Cur Domini aduentus ad iudicium, furi comparetur.

Ad ſextum dubium de Chriſto fure venturo, reſpondemus, hunc aduentum Chriſti tanquam furis primo ab ipſomet Filio Dei vſurpatum fuiſſe, quando dixit: *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Eandem quoque metaphoram Paulus vſurpauit 1. Theſ. 5. & Ioannes Apocal. 3. vbi minatur Dominus vt furem ſe venturum. Nam

etſi Deus nobis omnia donet; quia tamen negligentibus, & otioſis dona ſua ſubtrahere ſolet, admonet nos vt vigilemus, ne improuiſus ſit eius aduentus, & ſpoliet nos donis ſuis. Vnde aſtantibus dixit: *Auferte ab illo* (pigro ſcilicet, & infideli ſeruo) *minam, & date illi, qui decem minas habet*, ac ſubdit: *Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo.*

Luc. 19.

Refellit autor corruptionẽ Scholaſticorum, interpretantium, cœlos igne ſolui, nil eſſe aliud, quam à motu deſiſtere.

De eo vero, quod ſubdit: *In quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur:* Dicimus, nonnullos ex Scholaſticis interpretari hunc tranſitum per ceſſationem cœlorum à motu: quod plane mihi violentum, & extortum videtur. Solui enim cœlos igne per ceſſationem à motu, aliud eſt meo iudicio, & longe minus, quam ſuccenſos igne ſolui, & potius per alterationem, & corruptionem ſignificat cœlos perire; quicquid enim arripit ignis. ſolet vi ſua, & efficacia (vt ligna, & ſaxa in cineres) conuertere. Nam hoc eſt, quod alibi dixit Dauid: *Ipſi* (ſcilicet cœli) *peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* (Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, vt ait Paulus, prope interitum eſt) *Et ſicut opertoriũ mutabis eos, & mutabuntur.* Cum enim ait, *Magno impetu tranſient*, videtur ſimile eſſe ei, quod Dominus dixit: *Cœlum, & terra tranſibunt:* quibus opponit, *Verba autẽ mea non præteribunt.* Ergo non ita tranſibunt, vt maneãt tãtum ſine motu, ſed omnino tranſibunt, vt deſinant eſſe: vnde & alibi dixit: *Donec tranſeant cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Nec his contẽtus Petrus, idem repetit, & inculcat: *Per quem* (ſcilicet Chriſtum) *cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent:* nouos vero cœlos, & nouam terram iuxta promiſſa ipſius expectamus. Vides ergo, hanc repetitionem eſſe dicti prioris confirmationem, vt nequeat illam gloſſam admittere. Corruptis vero cœlorum formis, nouos cœlos, & nouam terram ſub eadẽ materia, quę æuiterna eſt, cœli noui, & noua terra formabuntur. Confirmant hoc idem Prophetæ; ait enim Eſaias c. 65. *Ecce ego creo cœlos nouos, & terram, & non erunt in memoria priora.* Idem repetitur Apoc. 21. & rurſus Eſa. 51. *Leuate in cœlum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum, quia cœli ſicut fumus liqueſcent & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt.* Pro quibus, vt teſtatur Hieronymus, Aquila, & Symmachus verterunt: *Cœli comminuentur in nihilum, & in ſalu modum contereutur & euaneſcent.*

Pſal. 101.
Heb. 8.
Matth. 24.
Matth. 5.
Eſa. 65.
Apoc. 21.
Hier. tom. 5.

Probat autor, cœlos, qui igne ſoluendi ſunt, non aereos, & elementares illos, ſed ſydereos eſſe, atque ſupremos.

Quod autem quidam ex Patribus interpretantur non de ſupremis, & veris cœlis, ſed de aereis, & aqueis eſſe intelligendum: ratione etiam ipſius Textus reuincuntur. Nam in primis oſtendimus, nunquam cœlorum nomine in plurium numero aereos, & elementares cœlos accipi. Deinde poſt cœlos nominatos ſubdit: *Elementa vero calore ſoluentur*; & infra. *Et elementa ignis ardore tabeſcent*: quod ad aerem, & aquam, & ſphæram ignis ſpectare videtur. Non poſſunt ergo per cœlos accipi illa tria elementa, cum bis cœlos ab elementis condiſtinguat. Additque tertio: *Terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur*, tanquam quæ male ſeruierint homini ingrato, qui rebellis extitit creatori ſuo.

Elementa cur igne conflagrabunt omnia.

Refellitur Ariſtoteles cœlorum incorruptionem ſtatuens.

Philoſ. lib. 1. de cœlo, & & alibi.
Plato.

Alia Ariſtotelis dogmata contra Fidem.

Neque valet, ſi quiſquam dicat, cœlos iuxta doctrinam Ariſtotelis eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles, cuius tamen oppoſitum ſenſit Plato in Timæo, vbi facit eos generabiles, & corruptibiles. Videtur etiam Petrus iſta dixiſſe ad ſententiam Ariſtotelis euertendam. Item conſtat, Ariſtotelem per illud principium, *Ex nihilo nihil fit*, mundi creationem negaſſe, & æternitatem mundi poſuiſſe, & certis rationibus, demonſtrationibusque, vt ipſe putabat, euiciſſe: de animæ etiam immortalitate iuxta multorum Patrum Græcorum ſententiam hæſitaſſe. Quid autem ſperes à Philoſopho eiuſmodi, tam clara, & aperta dogmata pernegante? Certe, vt verum fatear, ſatis patienti animo ferre nequeo, cum video quoſdam adeo ſuperſtitioſe ac mordicus tueri Ariſtotelis dogmata, vt malint multos textus Scripturæ violentis gloſſis, ac ſenſibus torquere, quam in vnum impingere Ariſtotelem. Nam plus vni loco Scripturæ, per quam loquitur Spiritus ſanctus, tribuendum eſt, quam vniuerſis Philoſophis vnum & idem conſtanter dicentibus.

Scripturæ quantum tribuendum.

Cõfirmat ſententiã ſuam autor Sybillarum, Poetarum & Philoſophorum teſtimonijs.

Ne tamen videamur contra Ariſtotelem ſola Scriptura pugnare, collibitum eſt producere magnam teſtium copiam, qui eadem, quæ docet hic Petrus, aut ex Sibyllis tradita, aut ex maiorum ſuorum fide & autoritate accepta cognouerunt. Sibylla namque libro 2. Oraculorum ita prædixit:

Tunc ardens fluuius cœlo manabit ab alto
Igneus, atque locos conſumet funditus omnes,
Terramque, Oceanumque ingentem, & Cœrula ponti,

Stagnaq; , tum fluuios , fontes , Ditemq; ſeuerum,
Cæleſtemq; polum , cæli quoque lumina in vnum
Fluxa fluent, forma deleta prorſus eorum.
Aſtra cadent etenim de cælo cuncta reuulſa.

Hæc illa Sibylla, dicens aperte perituram formam cœlorum. ¶ Secundus teſtis ſit Lucretius, quem frequenter, ac libenter tanquam familiarem legebat Q. Frater. Ille ergo lib. 5.

Lucretius.

Vna dies, inquit, *dabit exitium , multoſq; per annos*
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.
Nec me animus fallit , quam res noua , miraq; menti
Accidit, exitium cæli, terraq; futurum.

Ouidius.

Adde Ouidium lib. 1. Metamorphoſ. ſub finem:

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur , affore tempus ,
Quo mare , quo cælum , quo denique regia tellus
Ardeat , & mundi moles operoſa laboret.

& alio loco:

Idem in eleg.

Carmina ſublimis tunc ſunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit vna dies.

Lucanus.

Lucanus quoque lib. 1. Pharſaliæ:

Sic cum compage ſoluta
Secula tot mundi poſtremaq; egerit hora,
Antiquum repetet iterum Chaos omnia, mixtis
Sydera ſyderibus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietq; fretum : fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigos agitare per Ortum
Indignata diem poſcet ſibi, totaq; diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi.

Plato. Iam verò Plato in Timæo Tempus cum cœlo factum eſſe tradit; vt ſimul facta, ſimul etiam diſſoluantur, ſi quando diſſolutio quædam eorum fiet. *Seneca.* Seneca quoque ſub finem libri de conſolatione ad Martiam: *Si tibi poteſt ſolatio eſſe commune fatum , nihil quo ſtat loco , ſtabit , omniaque ſternet , adducetque ſecum vetuſtas , ſupprimet montes , ſorbebit maria.* Et poſt pauca: *Cum tempus aduenerit , quo ſe mundus reuocaturus extinguat, viribus iſta ſe ſuis cadet, & ſydera ſyderibus incurrent , & omni flagrante materia , vno igni quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit.* *Plinius.* Plinij ſenioris verba, quæ olim legi puer, adhuc retineo, etſi loci eius nunc mihi memoria non occurrat: *Conſumente,* inquit, *vbertatem ſeminum exuſtione, in quas vices nunc vergat æuum.* *Euſebius.* Teſtatur Euſebius libro 3. Præparation. Euangelicæ, cap. 15. hanc fuiſſe Stoicorum doctrinam, in quibus omnium vetuſtiſſimi, vt Zeno, Cleantes, & Chryſippus, tradiderunt, omnia poſt longos circuitus in ignem, & æuum reſoluenda. Accedit Clemens lib. 2. Recognit. vbi inducit Apoſtolum Petrum duos docentem cœlos, vnum ſuperius, & inuiſibile, perpetuum, & æternum, quod ſpiritus beati incolunt: alterum inferius, viſibile, varijs diſtinctū ſyderibus, corruptibile, & in conſummatione ſeculi diſſoluendum, & prorſus abolendum, vt eius corpulentiæ amoto velamine appareat cœlum illud excelſum iis, qui eius aſpectu digni ſunt. Rurſus in tertio libro interrogat Simon Magus Petrum: *Reſponde mihi, & dic: Si viſibile iſtud, vt ais, cælum reſoluetur, cur ex initio factum eſt?* Reſpondit Petrus, Propter hominem præſentem hanc factā eſſe vitam, vt eſſet interiectio quædam, & diuiſio, ne quis forte indignus habitationem cœleſtium, & Dei ipſius ſedem videret, quæ his ſolis, qui mundi corde ſunt, videnda præparantur. Et Simon ait: *Si Conditor bonus eſt, & mundus bonus, quomodo bonus bona diſſoluet aliquando? Si autem quaſi malum reſoluit, & deſtruit, quomodo non videbitur malus, qui malum fecit?* Petrus ad hæc: *audi ergo nunc: Cælum iſtud, quod viſibile eſt & pertranſit, ſi quidem propter ſemetipſum factum eſſet, haberet fortaſſe quod dicis, aliquid rationis, quia reſolui minime deberet. Si vero propter aliud quid factum eſt, & non propter ſe, neceſſario ſoluetur, vt illud, pro quo factum videtur, appareat. Sicut verbi gratia dixerim, teſta ouorū quamuis pulchre facta, & diligenter formata videatur, neceſſe eſt tamen eam frangi, & reſolui, vt inde pullus procedat, & illud, pro quo totius oui forma expreſſa videtur, appareat. Ita ergo & huius mundi neceſſe eſt tranſire ſtatum, vt ſtatus ille ſublimior regni cæleſtis effulgeat.* Hæc eſt ſententia Clementis, quam Hieronymus lib. 14. in Eſaiam refert à quibuſdam fuiſſe comprobatam præſenti Petri teſtimonio: *Cæli qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo reſeruata ſunt igni.* Et iterum: *Elementa ardentia ſoluentur.* Et ſubiungit: *Quæ quidem & Philoſophorum mundi opinio eſt, omnia, quæ cernimus igni peritura.* Sic ille.

Clem. Rom. Duplex cœlum ex B. Petri doctrina.

Matth. 5. Simonis Magi obiectiones de cœlo corrumpendo diluit Petrus Apoſtolus.

Pulchrum ſane exemplum Apoſtoli.

Hierony. in Eſa c. 51. ante mediū to. 5.

Non hæc tam longa oratione produxi, vt videlicet Poetarum, & Philoſophorum dictis, dictum Petri confirmem, ſed vt oſtendam, hanc mundi ſolutionem rem non eſſe nouam, ſed à Philoſophis cognitam; ac potius vt Philoſophorū ſententiæ hoc teſtimonio Petri corroborētur; qui, ſicut mūdi creationē ex traditione acceperunt, ita etiam & eius ſolutionem

Notatur Ariſtoteles.

tionem: quorum neutrum Ariſtoteles nouit, ſed deceſſit ab autoritate maiorum, & aliorũ Philoſophorum, maxime Platonis præceptoris ſui, ſicut in multis alijs.

Soluitur hæc obiectio Simonis Magi: Cur condidit mundum Deus aliquando diſſoluendum?

Sed quoniam in tranſmutationibus naturalibus id obſeruatum eſt à ſapientibus, vt quoties aliquid in deterius cõuertitur, dicatur corrumpi; cum vero in melius, aut nobilius, non dicitur corruptio, ſed generatio; idcirco dici optime poteſt ad argumentum Simonis Magi: Cur condidit mundum Deus aliquando diſſoluẽdum? Reſpondendum enim eſt, non fuiſſe conditum vt in peius diſſoluatur, & in corruptione maneat perpetua, ſed vt cœli, & terra nobiliores, & excellẽtiores formas induant, & excellentiora appareant Dei opera, & DEI ad homines dilectio maior detegatur, qui propter hominem hæc omnia faciet. Vnde & apud Eſaiam, & apud Ioannem in Apocalypſi promittitur nouum cœlũ, & noua terra, de quibus Petrus hic ait: *Nouos vero cœlos, & nouã terram iuxta promiſſa ipſius* (vel vt Græca litera habet, iuxta promiſſum ipſius) *expectamus, in quibus iuſtitia habitat*: hoc eſt, in nobis ipſis, in quibus habitat iuſtitia, quia in gloria exultat omne malum, & omnis iniuſtitia.

Eſa. 65. *Infra* 66. *Apoc.* 21.

Hier. in c. 2. *Eſa.* 10. 5. *Eſa.* 30.

Atque ita Hieronymus commutationem in melius interpretatus eſt. Cuius dictum conſonat illi Eſaiæ: *Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Nam ſæpe multa nos igne fundimus, non vt ad corruptionem tendant, ſed ad renouationem, & vt eis ſynceritatem, & puritatem præſtemus.

Hieronymi ad cœlorum interitum comprobandum, ex Scripturis teſtimonia. *Mat.* 24. 1. *Cor.* 7. 2. *Cor.* 4. 1. *Ioan.* 2. *Pſal.* 101. *Apoc.* 21.

In verbis autem Eſaiæ in caput 51. multis Scripturæ locis comprobat Hieronymus hunc cœlorum interitum. In primis verbo Domini: *Cœlum, & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt.* Deinde ex Apoſtolo: *Pertranſit*, ait, *figura mundi huius.* Item ex illo: *Contemplantibus nobis non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autẽ non videntur, æterna.* Et confirmat hoc teſtimonio Ioannis: *Mundus pertranſit, & deſiderium eius.* Ante quæ teſtimonia illud protulerat ex Dauide: *A principio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent: & ſicut pallium inuolues eos, & mutabuntur.* Et ex verbo illo, *Mutabuntur*, intelligit non interitum ſonare, ſed mutationẽ in melius, de quibus dicitur: *Erit cœlum nouum, & terra noua, quæ ego faciam permanere in conſpectu meo.* Producit quoq; illud: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Et infra: *Vnde & omnis creatura congemiſcit, & parturit expectans reuelationem filiorum Dei, vt mutetur in melius: & non ſolum animæ hominum, quæ immortales ſunt, ſed & corpora commutentur in glorificatam ſubſtantiam.* Hæc ibi ait Hieronymus.

1. *Cor.* 15. *Rom.* 8.

Quare Spiritus ſanctus mundi interitũ Apoſtolico iuxta ac Prophetico voluerit ore præmoneri ac prænunciari. Item Spiritus ſanctus quid, noui cœli & nouæ terræ promiſſione declarauerit.

Quanquam autem cœli, & terra, & omnia conterenda ſint, & poſtea in melius reformanda: voluit tamen Deus per Petrum, & per alios Prophetas declarare omnia peritura, & in nihilũ fere redigenda, vt agnoſcamus omnipotentiam eius, qua non ſolum potuit mundum condere, ſed etiam deſtruere, & in chaos antiquum redigere, & quod etiam maius eſt, in nihilum vertere: quod tamẽ videretur nobis prorſus fieri non poſſe. ¶ Per promiſſionem vero nouorum cœlorum, & terræ docere nos voluit Spiritus ſanctus, potentiam Dei eſſe inexhauſtam, & infinitam: quia ſi tam ſpectabilem, & pulchrũ mundũ ab initio condidit, quot & quantis partibus pulchriorem, & meliorem orbem hunc reddet, quam ab initio condiderat? Nam ſi pro hominibus ingratis, & ſeruis inutilibus talem hunc effinxit mundum, ratio exigebat, vt pro filiis chariſſimis, & amicis ornatiorem, ſpecioſiorem, atque adeò firmiorem, ac ſolidiorẽ, & nulli in poſterum corruptioni obnoxium excitaret.

Refellitur Ariſtotelis opinio, cœlos, & terram alterius eſſe materiæ ſtatuentis.

Illud extra controuerſiam etiam contra Ariſtotelem producitur, cœlos, & terram cum rebus inferioribus, & elementis, eiuſdem prorſus eſſe materiæ: quia aperte dixit Petrus, cœlos & terram ex aquis eſſe, & per aquam conſiſtere. Vnde & igni datur ab eodẽ Apoſtolo, vt agat in ipſos cœlos, nec opus eſt addere aliquam virtutem igni denuo vt agere poſſit. Quod ſi ignis non poſſet, tunc daremus, vt ille tãquam inſtrumentum Dei agere poſſet. Et quia tantus ignis ardor præcedet, male fingitur, vllos tempore iudicii fore viuos inueniendos, qui iudicio Diuino ſiſtantur: nec eſt fingenda vlla noua arca, quæ vt olim protexit ab aquis, ita hic ab ignis incendio ſeruet. Præterea aduerte, Terram nouam formandam: at quæſo, bone Deus, in quem vſum, niſi vt pueri, qui ſine circumciſione, & ſine Baptiſmo deceſſerunt, eam poſſideant, vt ſæpe probabiliter diximus?

Gen. 16.

Ad quid noua terra futura ſit in fine ſeculorum.

Ad VII. dub.

Septima dubitatio diluenda eſt circa illud: *Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus,*

bus,

bus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini. Reſpondemus ex prædictis adhortari Apoſtolum ad ſanctos mores, vt Chriſto venienti poſſimus occurrere veſte ſanctæ conuerſationis induti, & pietatis, & miſericordiæ operibus exercitati: quia omnia, vtpote breui peritura, animo generoſo contemnamus, & quæ adſunt bona, in aliorum vſus alacriter ſuppeditemus, ac de perituris bonis theſauros nobis in cœlo reponamus, ac de aduentu Domini inopinato ſoliciti ſimus, vt cum venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiamus ei. ¶ Quod iterum commendans, ait: *Propter quod charisſimi hæc expectantes, ſatagite immaculati, & inuiolati ei inueniri in pace. Et Domini noſtri Ieſu Chriſti longanimitatem, ſalutem arbitramini.* Cum autem ad hæc Petrus adhortetur nos, & nemo ſapiens ad id, quod impoſſibile eſt, Dei ſeruos inuitet: ſequitur, nos Dei gratia, ad hæc ipſa quæ petit, poſſe peruenire: modo ſatagamus, hoc eſt, diligentem nauemus operam, & conemur quantum in nobis eſt, ad illa contendere.

Quorſum hæc illatio; Satagite igitur immaculati ei inueniri in pace, &c.

Lucæ 12.

Poſſe nos ſi velimus, Deo iuuante, innocētiā cuſtodire, atq; ſaluari.

Expende relatiuum, Ei, hoc eſt, ad eius gloriam, Et hoc, *In pace.* Quia non eſt pax impiis, dicit Dominus; & ſine qua nemo videbit Deum. *Et Domini*, inquit, *longanimitatem, ſalutē arbitramini.* Id eſt, expectationem cum patientia & animi trāquillitate, ſalutarem exiſtimatote: vt non iam dicant; *Moram facit Dominus meus venire.* Sed leuiter expectat vt poma colligat matura. Et illam, ſalutem veſtram arbitramini: quia ob illam reprimit Deus iram ſuam extremam. Et ſolum pij, & fideles ſecundum expectant Domini aduentum; impii autem, & increduli minime, ſed illum horrent, ac deteſtantur.

Eſa. 57.
Heb. 12.
Dei longanimitate minime abutendū

Matth. 24.

Proprium Chriſtianorū quic

Ad octauum dubium in illud: *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*: Vbinam de hac ſcilicet materia ſcripſerit Apoſtolus Paulus? reſpondebo, poſtquam verba illa, quibus Petrus Paulum laudat, explicuero. In primis igitur vocat eum, Chariſſimum fratrem; de quo cum multi offenderentur, quod Ieſum ſtabiliret, & gratiam Euangelicam, Moſem autem, & legem abrogaret; opus erat vt omnes intelligerent, in ea prædicatione ſibi fratrē fuiſſe, & quidem chariſſimum, nec illa reprehenſione eius permotum fuiſſe, vt eius doctrinam damnaret, ſed potius eam commendaret: nam tam in ea, quam in reliquis celebrat eius ſapientiam, vt diuinitus ſibi datam. Et par ſane erat, vt ſummus Eccleſiæ Paſtor Pauli Epiſtolas comprobaret, ſibique, & Spiritui ſancto conſonas eſſe doceret. Laudat Petrus reprehenſorem ſuum, & ſibi reſiſtentem in faciem, vt Moſes ſuum correctorem Iethro, qui dixit; *Non bonam rem facis: ſtulto labore conſumeris*, & rel. Simul vt oſtendat ſe illius in faciem reſiſtentia non modo irritatum non fuiſſe, ſed ad amorem etiam eius ampliorem excitatum.

Cur Petrus Paulū vocet chariſſimum fratrem.

Gal. 2.

Petri modeſtia, atq; caritas.

Exod. 18.

Vt ad dubium autem reſpondeamus, vbi hoc Paulus argumentum tractauerit, dicimus, manifeſte videri nobis Apoſtolum citare Epiſtolam ad Hebræos, qui diſperſi erant in Ponto, Galatia, Capadocia, &c. Et Epiſtolæ ad Hebr. argumentum hoc pene ſolum eſt, vt Hebræi, conſtanter fidem in Chriſtum quam acceperant, retineant: nec deſerant congregationem, vt moris ait fuiſſe quorundam, vt de Phygelo, Hymenæo, & Alexandro ærario in Epiſtola ad Timotheum idem dixit Apoſtolus, & de Philone illo Alexandrino diſertiſſimo tradit Photius in Bibliotheca ſua, & de Aquila Pontico, & interprete Scripturarum teſtatur Epiphanius in lib. de Ponderibus, & menſu. Et de pleriſque alijs Hebræis genere conſtat, illos Fidem ſuſceptam non retinuiſſe. Hortatur ergo, vt patienter ferant Dei longanimitatem: vt etiam Paulus ad Heb. 3. vbi ait: *Participes Chriſti effecti ſumus; ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus.* Et ca. 6. *Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem, ad expletionem ſpei vſque in finem.* Demum cap. 10. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Videtur etiam alludere ad Epiſtolam ad Galatas, in qua, vt & in illa ad Hebr. multa traduntur de Chriſti diuinitate, de Lege, & Euangelio, de fide, & operibus, ſane difficilia intellectu, & obſcura.

Solut. VIII dubitationis.
De loco, vbi Paulus ſimilia atque Petrus Iudęus perſcripſit.

Antiqui Apoſtatæ à Fide.
2. Tim. 2.
1. Tim. 1.
Photius.
Epiphan.

Verba Pauli Apoſtoli ad Hebræos.
Heb. 3.
Infra 6.

Infra. 10.

Sequitur: *In quibus ſunt multa difficilia intellectu.* Græce, ἐν οἷς, id eſt, in quibus, ſcilicet ſcriptis, vel, inter quæ, & refertur ad verbum περὶ τούτων, id eſt, de ijs, in quibus ſunt multa difficilia intellectu. Nec vero, etiamſi dixeris, In quibus Epiſtolis, forſan aberrabis, quia genus neutrum complectitur in ſe maſculū & fœmineū. Sed hoc loco illudit Beza homo hæreticus, & ſua Grāmatices obſeruatione offundit tenebras vt nō capiatur, vt Sepia atramēto. Nā relatiua ſēper cōueniunt in genere, & caſu; cum tamen ſæpius magis ad ſenſum,

Scripturæ Pauli obſcuritas contra Bezam, & alios Hæreticos aſtruitur.

quam ad vocem fiant relationes. Nam ecce, quod dixit Dominus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, non ſeruat rationem relatiui. Si enim Grammaticam ſpectaſſet, eas dicere debebat. Sed cognouit in voce Gentium comprehendi maſculos. Idem eſt in textu Græco, vbi ad nomen illud, πάντα τὰ ἔθνη, adiecit, βαπτίζοντες αὐτούς.

Matth. vlt.

Apoſtoli quænam Domini verba non intellexerint ante eius reſurrectioné.

Et quis eſt ex Patrib' antiquis, qui nõ multa agnouerit difficillima in Paulo, ſicut & Petrus agnouit? Vbi ſunt iſti nebulones, qui omnia clara, & aperta faciunt; cum tamen pleraque plane & aperte dicta Apoſtoli olim non caperent; vt de verbo Crucis, Luc. 18. & de verbo Reſurrectionis Ioan. 4. de Sacramento item Euchariſtiæ Ioan. 2. illud etiam, *Modicum, & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem?* Verba item illa, *Sic eum volo manere donec veniã*. Addit præterea Petrus: *Quæ inſtabiles, & indociles deprauant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*. His verbis tuetur ſcripta B. Pauli ab omni calumnia, & oſtendit, Paulum recte & ſcripſiſſe, & ſenſiſſe, ſed omnes callidos eius ſcripta detorquere, & ad prauos, & falſos ſenſus inflectere.

Luc. 18.
Ioan. 2.
Infra 16.
Infra 16.
Infra 21.

Hæreticorum peruerſitas in intelligentia Scripturarum.

Sed argumentatur acutus homo Beza: *Quæ vtilitas eſſet dare libros difficiles, & obſcuros, & tenebris obſitos?* Mirum acumen ingenij. Reſpondeo: Si tantum expedita, & facilia oracula nobis Deus dediſſet, in pretio non eſſent: ſi tantum impedita, obſcura, & perplexa, nullus eſſet eorum fructus. Ideo pro ſua ſapientia Deus dura cum expeditis, clara cum obſcuris, aperta cum difficilibus ita temperauit, vt vtriſque operam daremus, vt per aperta perueniremus ad obſcura. Deinde qui ſumus nos, qui legem dem' Deo, vt nonniſi planis, & facillimis nos paſcat? ac vt ſemper debeamus cibũ præmanſum edere? Deus enim cibos dedit nobis, quibus alendi ſimus: nouit multas vtilitates ex locis obſcuris nos accipere, & illa maiori labore noſtro inuenta, & intellecta magis ſapere, ac firmius retineri. Denique ſi non daret niſi obſcura, ac difficilia, adhuc eſſet ſpes ea intellectu capiendi, quia reliquit nobis interpretem viuum, & linguam non tantum ore, ſed etiam factis loquentem, tanquam gloſſam ſua dicta interpretantem Spiritum ſanctum, de quo Chriſtus dixit: *Suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*: non tãtum quæ dixi verbo meo, ſed quæcunque etiam dixi per ora Prophetarum, quos conſtat obſcurius locutos fuiſſe, quam Chriſti Apoſtolos, & Euangeliſtas.

Quales nobis Scripturas Spiritus ſãctus tradiderit, & quare.

Ioan. 14.

Dices, in locos impeditos, ac obſcuros facile nos impingere, non ita in apertos, & planos. Reſpondebo, non minus etiam nos in planis, & perſpicuis offendi, vitio tamen noſtro. Quid enim apertius, aut planius, quam verbum illud, quo Dominus pani benedixit, dicens: *hoc eſt corpus meum*: & tamen quam multos ſenſus hæreticos noſtri ſeculi nouatores in illa verba inuexerunt?

In quæ Domini verba ſole tamen ipſo clariora impingãt Hæretici. *Matth. 26.*

Et vide, quæſo, quàm aperte Petrus dicat: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant*. Vitium non eſt in Pauli dictis, aut ſcriptis, ſed in male interpretantibus. Tales vero ſunt indocti in literis Diuinis, etiamſi alioqui in linguis, & in artibus Rhetorices, & Dialectices, & in Phyſicis exercitatiſſimi videantur. Neque tantum ſunt indocti, tametſi Paulinos Theologos ſe venditent iſti nebulones, ſed etiam inſtabiles, qui cantant, & recantant, & mutant quadrata rotundis. Tales reuera ſunt hæretici, qui nunquam in eodem ſtatu permanent. Cumque homo ſit alter Protheus, ſiue Vertumnus, cum ipſi ſibi ipſis fidant, ac nitantur, mutantur in horas. Eſſent autem hæretici tanquam falſarij teſtamentorum grauiter puniendi. Nam ſi falſarius teſtamenti de parua hæreditate loquentis crimen incurreret ſeueris pœnis plectendum: quid de contemnentibus, & detorquentibus teſtamẽta Dei viuentis, ex quibus ſalus æterna pendere dignoſcitur, ſentiendum eſt? Elegans eſt dictum Frederici Ducis Saxoniæ, qui rogatus à Catholicis, quid Lutherani ſui crederent? reſpondit: *Quid nunc credant, bene noui: quid autem anno ſequenti credituri ſint, prorſus ignoro*. Detorquent ergo Scripturas, ac deprauant, partim dicentes pro ſua voluntate hos libros eſſe canonicos, illos non eſſe; partim vellicando, & amarulentis verbis carpendo, interpretes, qui ex Hebræo, vel Græco tranſtulerunt, aſſerendo illos turpiſſime aberraſſe, & hallucinatos fuiſſe. Adhæc in ſenſu inueſtigando veteres Patres iniurijs, & contumeliis laceſſerunt, quod verum ſenſum aſſecuti non ſint, etiamſi decretis Eccleſiæ, aut Conciliorum definitionibus, aut Pontificum autoritati, aut veterum Patrum ſententiis ſint conſoni. Audi quid ſcripſerit Lutherus contra Eraſmum de ſuo arbitrio dicens: *Deponite*, inquit, *quicquid armatura ſuppeditant orthodoxi veteres, Theologorum ſchola, authoritas Conciliorum, & Pontificum, conſenſus tot ſeculorum, ac totius populi Chriſtiani Nihil reci-*

Deprauatio ſcripturarũ vnde.

Hæretici quales ſe haberi velint.

Hæretici vt falſarij teſtamentorum.

Scitum dictum Frederici Ducis Saxoniæ de Lutheranis.

Hæretici quot modis Scripturas deprauent, atq; corrũpãt

Lutheranę blaſphemiæ ac maledicentiæ de ſanctis Patribus horribilia portenta.

pimus

punius niſi Scripturas, ſed ſic, vt penes nos ſolos ſit certa autoritas interpretandi. Quod nos interpretamur, hoc ſenſit Spiritus ſanctus. Quod afferunt alij quamuis multi, quamuis magni, à ſpiritu ſatanæ, & alienata mente profectum eſt. Et Pomeranus in Ionam vniuerſam antiquitatem contumelioſiſſime proſcindit. *Noſtri*, inquit, *Patres, ſiue ſancti ſiue non ſancti, nihil moror, excæcati ſunt, Montanico ſpiritu per traditiones humanas, & doctrinas dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium.* Et rurſus: *Non debetis Patribus credere; quia ex vno ore calidum & frigidum efflant.* Et ante eum Martinus in vniuerſum de ſanctis Patribus audet dicere: *Omnes perierunt, ſi ſenſerunt vt ſcripſerunt: niſi forte, qui reſipuerunt ante supremū vitæ diem.* Sed quis quæſo æquo animo ferat hæc verborum portenta, has contumelioſiſſimas, & arrogantiſſimas voces?

Quam ſerpat late, ac permeet Lutherana peruerſitas, & perditio.

Additque: *Ad ſuam ipſorum perditionem.* Sed vtinam hic ſiſteret hæc tanta arrogantia, tantaque pernicies & malum, vt non ad alios etiam ſe extenderet. Commonefacit etiam hic locus quoſdam, qui multum ſibi tribuunt, qui optimorum virorum libros legere dedignantur, nec quicquam aliud probant, aut commendant, niſi quod ipſi aut ſapiunt, aut ſcribunt: cum tamen & Daniel Hieremiæ orationes legerit, & Petrus Pauli Epiſtolas prius à ſe lectas, & commendauerit nobis, & confirmauerit.

Solutio vltimæ quæſtionis.

De cauſa exhortationis fidelium ad retinendam acceptæ fidei firmitatem.

Ad vltimum, finem imponit Epiſtolæ, dicendo: *Vos igitur fratres, præſcientes, cuſtodite, ne inſipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.* Hoc eſt: Vos Chriſti fideles ex noſtra admonitione agnoſcentes periculum quod vobis imminet, attendite, & cauete, ne iſtorum hominum falſis perſuaſionibus à regia veritatis via abducti, in hæretica dogmata incidatis. *Creſcite vero* (ait) *in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti.* Senſus eſt: Magis curate, vt quotidianis profectibus augmentum in gratia Dei ſumatis per ſtudium orationis, & per frequentem vſum Sacramentorum, & per bonorum operum exercitium. Creſcite etiam in fructuoſa cognitione (quæ fides eſt per charitatem operans) Domini noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti, cui ſit gloria, & imperium per æterna ſecula, Amen.

Quo modo gratia Dei augmentum capiat in nobis.

Galat. 5.

Quid eſt creſcere in cognitione Chriſti.

DISPVTATIONES IN PRIMAM B. IOANNIS EPISTOLAM CANONICAM.

DISPVTATIO PRIMA.

In qua de eius dignitate, & cur in ea ſuppreſſerit nomen ſuum, & nomen eorum, ad quos ſcribit, nec vllam ſalutationem dederit, diſſeritur. Deinde argumentum Epiſtolæ proponitur: eius quoque in partes ſuas diſtributio indicatur: Qualis item debeat eſſe is, qui ad eam explicandam aggreditur: & qualis eius auditor, vt cum fructu ſpirituali eam interpretari, aut legere, vel audire poſſit.

Vt Euangelij Ioannis ſic Epiſtolæ huius dignitas & excellētia.

QVemadmodum inter ſacra Euangelica ſcripta ſublimi⁹ atque excellentius eſt Ioannis Euangelium, & longo interuallo alia ſuperare dignoſcitur, ita ſane inter Catholicas hęc prior Ioannis Epiſtola principatū tenere videtur. Fuit enim Ioannes Apoſtolus, magnum æterni Verbi, & Spiritus ſancti organum: magna tum animi, tum corporis puritate prædiditus: fuitque intimus, ac familiaris Domini diſcipulus, diligentiſſimus etiam tum actuum, tum dictorum eiuſdem obſeruator: ſingulari

quoque amoris beneuolentia à Chriſto cohoneſtatus, vti titulus ille magnificus oſtendit: *Hic eſt diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus.* Hæc enim verba, ſi Dominus prudentiſſimus erat amator (vt certe erat) inſinuant nobis illum honeſtiſſimis moribus cumulatum, & ornatum à Domino fuiſſe, comitate, caſtitate, ſapientia, charitate, ætate, & cæteris virtutum ornamentis, quæ amabilem quempiam reddere ſolēt, inſigniter decoratum. Præterea ingenij magnitudine, & acumine prȩcellebat, vt indicāt eius ſcripta, quæ res altiſſimas, & homini abditas continent, & verbis abſtractis, & proprijs, & metaphoricis explicant. Adde, quod vt Sol in medio Planetarum exiſtit: nam tres ſupra ſe habet, & totidem ſub ſe planetas; ad eum modū hæc prima Epiſtola inter alias Catholicas tanquam Sol radiantiſſimus coruſcat, habens ante ſe Iacobi vnam, & Petri duas, at vero poſt ſe duas alias à ſe conſcriptas, & tertiam Apoſtoli Iudæ fratris Iacobi, & omnes ſuo ſplendore illuſtrat. Habet præterea ſingulare priuilegium, ſed cum illa priori Petri commune, quod nemo vnquam de eiuſmodi Epiſtola dubitare, aut illam negare auſus fuerit, ſed illam vt certam, ac indubitatam, cum omni veneratione ſuſceperit; cum tamen de aliis quinq; ſemper aliquid fuerit dubitatum, vt partim indicatum eſt, & poſtea indicabitur in ſequentibus.

Huius Epiſtolæ reliquas inter canonicas ſedes & collocatio qualis.

Sed iam ſecundo loco propoſitum excutiamus. Cum conſtet Ioannem in reliquis omnibus libris ſuis nomen ſuum nō celaſſe, vt patet in Euangelio, & in ſacra Apocalypſi, imo in alijs duabus paruulis Epiſtolis Catholicis, in quibus expreſſo nomine ſuo, & eorum, ad quos ſcribit, honorifica vtitur ſalutatione: mirum videri poſſet, cur in hac, quæ cȩteris prȩcellit, nomen ſuum, & eorum, ad quos mittit Epiſtolam, non exprimat, vel ſalutatione vlla ſua eos dignatus ſit. Similiter etiam nec in fine huius Epiſtolæ, vt fecit in duabus Epiſtolis, *Ad Electam dominam*, &, *ad Gaium*, & maxime in coronide libri Apocalypſis, vbi nomen ſuum, & ſalutationē expreſſit. Cur igitur in hac vna ſuppreſſum eſt, quod in aliis ample prȩſtitum eſt? Sane ad hoc non vulgare dubium ab antiquis Patribus, vel ex traditione eorum nihil accepimus, quod poſſit idoneam huius rei cauſſam reddere: & ideo elaborandum nobis eſt, vt aliquas in medium probabiles rationes & coniecturas adferamus non enim hoc ſine cauſa factum eſſe, cogitandum nobis eſt. In primis igitur ſuppreſſiſſe nomen ſuum videtur duabus potiſſimum de cauſis; altera quidem ex parte ſua, altera vero ſumpta ab Diuina prouidentia. Ex parte quidem ſua id fecit ob periculum ſibi imminens, ſi ſe ipſum detexiſſet: nam cū relegatus eſſet in Pathmon inſulam propter religionem Chriſti, ſi inde adhuc ad Chriſtianos literas deſtinaſſet, poterat hoc in caput eius recidere, quod in exilio poſitus adhuc non ceſſaret euangelizare, & doctrinam Chriſti tradere ijs, qui Chriſti nomen profitebantur. Nam ſi Apoſtolo Paulo licuit in Epiſtola ad Hebræos & nomen ſuum ſub ticere, & eorum, ad quos illas literas mittebat, ne nominis manifeſtatio vtilitatem excluderet lectionis, vt teſtis eſt Hieronymus; idem multo magis licuit Ioanni Apoſtolo, ne prodito autore huius Epiſtolæ, ſe ipſum in vitæ diſcrimen ſine neceſſitate conijceret. Deinde ex eodem capite fieri potuit, vt tabellarius harum literarum notiſſimus eſſet Ioanni, notiſſimus & illis ad quos ſcribebantur: ac proinde ſuperfluum iudicauit vti ſalutatione. Ipſi etiam, qui receperunt Epiſtolam, bene agnoſcebant ſtylum Ioannis, & characteres proprios illius: maxime quia vncti erant, & vnctos capit. 2. vocat Spiritu ſancto, vt facile intelligerent eius verba, & ipſe ad eos vt notos locutus eſt.

De cauſis proprij nominis ſui à Ioanne prȩtermiſſi in hac Epiſtola.

I. Cauſa.

Apoc. 1.

Hierony.

1. *Ioan.* 2.

Ex alio vero capite, Diuinæ prouidētiæ dictantis Epiſtolā, quā præuidit & prouidit perutilē futuram, aſſignari poſſunt rationes & illæ quidem non leues, nec vulgares. Prima quidem, vt breuitas, & ſimplicitas Scripturæ Diuinæ comprobetur, quæ non immoratur in his, quæ facile ſubintelligi poſſunt, ac debent. Deinde vt affectus nominis proprij dilatandi, & amplificandi per ſcripta reprimatur. Vnde Cicero Philoſophos quoſdam notauit, ſcribentes contra mundi gloriam; quā tamē ſcribēdo, & nomina ſua propria exprimendo, maxime affectabant. Hinc multorum ſacrorum librorum autores ignorantur. Et ſatis eſt noſſe Epiſtolam miſſam ab amico, & chariſſimo ſcriptā, et iamſi maxime neſcias, quo ille amanuenſi in ea ſcribenda vſus fuerit, vt hac ratione Dei potentia oſtendatur, ſciens ſcribere in cordibus humilium nomina eorum, qui in terris ob modeſtiam ſcribere noluerunt: ſciens etiam delere nomina ſuperborum, quæ in æreis tabulis, aut marmoreis ad æternam memoriam ſcribebātur. Quarto, hoc factum eſt, ne ſtatim promptiſimus ad reprobandum omnia, quæ ſuppreſ-

Altera cauſa.

Tullius in Oratione pro Archia Poeta.

ſuppreſſo nomine autoris humilis, ac modeſti diuulgantur. Vt recte dixerit Tertullianus libr. de Præſcriptionibus hæreticorum: *Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* Quaſi dicat: Non ex perſonis fides, ſed ex fide perſonæ exiſtimandæ ſunt. Hinc multorum librorum vtilium, quorum qui extiterint autores, ignoramus, lectio in Eccleſia probatur, ac commendatur. vt Gloſſæ Ordinariæ, & Interlinearis, & libri concordantiarum autores adhuc ignorantur. Huc accedit, hinc nos diſcere poſſe tractatus ſacros non tam ex nominibus autorum, quam ex re ipſa quam continent. ac de qua præſertim diſſerunt, probandos eſſe, ac reprobandos. Nam vt dixit Philoſophus; *Amicus Plato, amicus Socrates; ſed magis amica veritas.* Certe ſi conſulamus veterum ſcripta, pleraque titulis Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum virorum exornantur; quæ tamen apocrypha ſunt; quædam vero anonyma, & incertorum autorum, quæ veritatem Catholicam comprobant, & conſtabiliunt, & in pretio etiam à nobis habentur. Sexto, Ioannes Apoſtolus non tam ſuo nomine præſentem ſcripſit epiſtolam. quam communi Apoſtolorum ſentẽtia. Ex quo elicitur, doctrinam hanc eſſe Apoſtolicam plane, & Euangelicam: Ideo in plurali fere ſemper eos alloquitur: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, annuntiamus vobis: aduocatum habemus, ſcribimus, ſcimus*, & pleraque ſimilia.

Scitum dictum Tertulliani.

Aurea Ariſtotelis ſententia.

Autoritas huius epiſtolæ.

Ioan. 3.

Alibi autem beatus Ioannes conſueuit exprimere nomen ſuum, vt cæteri autores, quia ita in ſecunda. & tertia epiſtolis ſuis, & in Apocalypſi facit: tum ne nos nomina ſua exprimentes reprobemus, quia vana gloria non eſt, ſi illam nominis noſtri memoriam ad Deum referamus. Tum ad legentium vtilitatem, ex quo nos conſolamur, ſi magni, & boni ſunt autores: & ſi quid falſi ineſt. vt plerunque ſubeſſe ſolet, habeamus quibus illa tribuamus. Nam vt eleganter quidam Poeta dixit:

Cur in aliis epiſtolis nomen ſuum non ſupprimat Ioannes.

Martia'.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura,
Quæ legis hic: aliter non fit, Auite, liber.

Tum denique, ne hæretici odio habentes lucem, qua ſe prodant faciant quod ſancti faciũt humilitatis, & modeſtiæ gratia. Hinc recte inſtitutum eſt, ne libri noui edantur ſine noto autoris nomine; alias ſint ſuſpectæ fidei: & cautum, ne diſtrahantur.

Ioan. 1.

Cur libri nomine carentes autoris euulgari nequeant.

Præterea non tantum ſuppreſſit nomen ſuum Apoſtolus, ſed etiam eorum ad quos ſcripſit. Primo quidem propter ipſum tabellarium, qui nouerat quo, & ad quos perferenda erat epiſtola, & ita mutua cognitio ſui ipſorum ſupplebat hunc defectum. Deinde ne amemus in hoc mundo celebrari nomina noſtra, nec affectemus illa hiſtoriis conſcribi. Nec enim beati Pauli epiſtola ad Romanos ſcripta, Romanos ſaluos reddidit, nec epiſtola ad Epheſios ſimiliter eos ſeruauit, ſi nil aliud de ſuo addiderunt. Seruant autem eos, modo faciant, quæ in ea ſcripta ſunt. Imo nec habere cognatum Martyrem, aut Apoſtolum, quicquam facit ad ſalutem comparandam, ſi fides operans per charitatem, & grauida operibus bonis abſit. Tertio dici poteſt, ipſum SPIRITVM ſanctum, & autorem proximum, rem communem futuram, & vtilem omnibus vidiſſe: ideo peculiarem populum, aut Eccleſiam non nominarunt.

Quæ cauſæ impulerint Ioannem, eorũ etiam ad quos ſcribebat, vt nomina taceret.

Pauli epiſtolæ aliorumque Apoſtolorum, iis quibus ſcriptæ ſunt, quatenus ſalutares exiſtant.

Creduntur tamen vel Epheſij fuiſſe, quia illos in ſua epiſtola beatus Paulus, vt perfectos, & irreprehenſos commendat, ac celebrat: & hic dicuntur Vnctionem habere, atque ibi diu vixiſſe beatus Ioannes, & inde Eccleſias Aſiæ rexiſſe videtur. Si vero Epheſij non fuerunt; dicendum occurrit, illos fuiſſe Parthos; quod teſtantur duo Pontifices Romani, alter eſt Hyginius antiquiſſimus, ſeptimus à beato Petro, epiſtola prima. Et iterum ipſe ad Parthos. *Tres ſunt, inquit, qui teſtimonium perhibent in terra. &c.* Alter vero eſt Ioannes. II. epiſtola. 2. ad Valerium. Præter hos duos lego beatum Auguſtinum tomo quarto in libro ſecundo Quæſtionum Euangelicarum, capite. 39. Deinde Idacium Hiſpanum, qui de TRINITATE ſcripſit contra Arrianos: Iuuat etiam hanc ſententiam: quod ſecunda epiſtola Ioannis ſcripta eſt ad Electam dominam Babylonicam. Chaldæi vero, & Perſæ, apud quos eſt Babylonia, non longe à ſe inuicem diſtant. Erant etiam iſti Parthi conuerſi ex Circumciſione, de quibus Act. 2. habetur: *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt, &c. Parthi, & Medi. & Elamitæ.* & reliq. & quia infra habetur: *Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus. quod habuiſtis ab initio*, & quia in fine ait: *Filioli cuſtodite vos à ſimulacris; à quibus abhorrebant Iudæi*; ideo videntur eſſe Parthi, partim quidem ex præputio, id eſt, Gentibus, quæ colebant idola, partim

Ad quos ſcripſerit Ioannes, duplex opinio.

Hyginius Papa.
Ioan 5.

Ioan. II. Papa. Aug.

Idacius.

Actor. 2.

1. *Ioan.* 2.

vero ex Circumciſione ad Chriſtum conuerſi.

Quare ſalutatio prætermiſſa.

Supprimitur etiam ipſa ſalutatio: Tum quia tacetur nomen epiſtolam dictantis & nomen recipientis, tum quia ſubintelliguntur, vt in ſecunda, & tertia epiſtolis exprimuntur. Tum quia annuntiatio ſalutis in prima epiſtolæ clauſula contenta illa aperte ſupplet, Quod erat ab initio, quod audiuimus, &c. Eſt enim fauſta precatio cum deſiderio ſalutis, vel gratiæ, & pacis. Non igitur ſalutatio deſideratur, quia impetratum annũtiat quod ſolemus amicis in ſalutatione comprecari. Amplius etiam eſt, annuntiare ſalutem, quam precari: quia precantur pro nobis multa amici, quæ nunquam tamen obuenient. Verum qui annuntiant, plus adferunt, quam ſalutantes. Hinc Propheta Eſaias beatos pedes euangelizantium pacem, & annuntiantium bona & ſalutem, prædicat: non ait, ſalutantium, vel precantium. Quare in exordio ipſo maxima quæque annuntiat, & ipſam vitam æternam, communionem quoque, & ſocietatem cum Deo, & omnibus ſanctis, & plenum gaudium. Cum idem Ioannes iunior eſſet ætate, & præcucurrerit citius Petro ad monumentum, & præceptum habuerit à Domino: Neminem per viam ſalutaueritis; idem quoque promptioris eſſet ingenij: vnde & in nauicula Chriſtum ſuſcitatum ante alios cognouit: non putauit ſibi moram vllam eſſe trahendam in ſalutandis ijs, ad quos ſcribebat, ſed ſtatim effudit in ſinus eorum ipſam ſalutem, & bona omnia, quæ alijs exoptare ſolemus. Et hactenus de his dictum ſit.

Annuntiare, & precari ſalutem, differunt.

Eſai. 52. *Nahum.* 1. *Rom.* 18.

Ioan. 20.

Luc. 10.

Ioan. 21.

Argumentum huius epiſtolæ.

Iam ad argumentum accedo. Ioannes hanc epiſtolam de fidei, & charitatis perfectione conſcripſit, eorum laudans deuotionem, qui in vnitate Eccleſiæ perſeuerabant: illorum vero impietatem coarguens; qui Eccleſiæ pacem nouis dogmatis turbabant, Cherinthi maxime, & Marcionis, qui CHRISTVM ante MARIAM non fuiſſe contendebant: propter quos etiam Euangelium ſuum conſcripſit, vbi & ſuis, & ipſius Domini verbis conſubſtantialem Patri Filium affirmabat. Hic vero Fidem noſtram confirmat, & ſtatum noſtrum longe præſtantiſſimum in quo inuenimur in CHRISTO, diligenter enarrat, etſi nondum appareat quod futuri ſimus. Oſtendit etiam à quot, & quantis malis ſimus per illum erepti, & ad quanta bona euecti quomodo etiam ad vitam æternam per ſpem viuam candidati ſimus. Tota denique epiſtola amoris affectibus plena eſt, & vere tanto diſcipulo CHRISTI dilecto digna. Ac ob id ſuppreſſis proprio, & eorum, ad quos hæc epiſtola mittitur, nominibus, ſcribitur, ne tam hominem ſcribentem reſpiceremus, quam ad ipſum Spiritum Sanctum, qui primarius eſt epiſtolæ autor: & quia non tam nomine ſuo ſcribit, quam omnium Apoſtolorum, vt plane conſtet, eam Catholicam, & Euangelicam eſſe. Vnde, vt prius notauimus, numero multitudinis vtitur, vt non tam vnus, quam multi ſcribere videantur. Et hæc de argumento dicta ſufficiant.

1. Ioan. 3.

Eius partes.

Porro varijs modis hæc epiſtola à diuerſis diuiditur. Mihi tamen diuiſio illa maxime placet, qua iuxta quinque capita eius, in quæ diſtributa eſt à Latinis, in quinque partes diuiditur. In primo namque capite iuſtificatio prima per verbum fide ſuſceptum, & permanſio in ea per fidem bonorum operum proponi videtur: in ſecundo vero ſecunda iuſtificatio tractatur, qua quis per Baptiſmum labitur in quo & manere in ea obſeruando mandata, & errores fugiendo, vt remuneratione cœleſti digni ſimus, admonemur, & hortamur. Tertio capite de præmio iuſtitiæ Apoſtolus tractat, ob quod non tantum peccatum fugiendum eſt, ſed & opera charitatis proferenda; & mundus ipſe eum ſuis minis, ſeu promiſſis contemnendus. Quarto capite cautelam adhibet de erroribus circa fidem, & circa proximi dilectionem vitandis. Quinto vero, & poſtremo capite vtilitatem fidei, dilectionis, & obſeruantiæ mandatorum DEI vehementer inculcat.

Pulchra Auguſtini regula de diuiſione, & partitione.

B. Auguſt. tom. 1.

Quod vero alij aliter diuidant, id ſuo iure quiſque facit. Audi beatum Auguſtinum lib. de Quantitate animæ, c. 35. in fine: *Nunc ideo volui tot iſta ſignare vocabula, ne te moueat, cum alij alijs nominibus eadem vocant, aut aliter etiam partiuntur; & ob hoc aut iſta, aut illa improbes. Innumerabilibus enim modis eadem res & appellari, & diuidi poſſunt rectiſſime, ac ſubtiliſſime, ſed in tanta copia modorum vtitur quiſque, quo ſe congruenter vti exiſtimat.* Hactenus magnum lumen Eccleſiæ.

Interpres epiſtolæ huius duo veluti cornua habere debet, vitæ, & doctrinæ.

Supereſt tantum, vt aliquid dicamus de interprete, & lectore, ſiue auditore huius epiſtolæ. Interpres ſiquidem inſtar Moſis, duo cornua habere debet: nempe vt ſit potens opere, & ſermone, vel vt magnus ſit in regno cœlorum, qui

poſſit

Exod.34. *Matth.5.* *Infra 7.*

poſſit facere, & docere. Vitæ autem cornu in primis doctum commentarium præſtat eorum, quæ docuit Spiritus, ſanctus: nam loquitur Spiritus, quæ guſtu, & experientia præſtantur à bona vita. Præſtat etiam rectam intentionem, & ſimplicem oculum, quo corpus totum ſit lucidum. Iſta eſt Dei gloria, & ampliatio regni eius; hoc eſt ſalus animarum, quæ maxime quæritur. Quare beatus Paulus Timotheo recte dixit: Attende tibi, & doctrinæ: vt ea ratione ſit verbi Dei interpres concha, & non tantum canalis aquæ pertranſeuntis, & nihil retinentis, vt ait Bernardus. Talis eſt etiam vt flos promittens fructum. ſine hac autem bona mente redditur homo fortis currens ſine oculis; & nauigans, neſciens in quem portum tendere debeat. Tales ſunt qui ſpectant ad gloriam propriam vel doctrinam à ſe inuentam, quæ prædicet ſe ipſos, vel attribuant ſibi aliena, & denique ad lucrum aliquod temporale ſpectent, aut aliquam carnis concupiſcentiam. Tertio ab eodem cornu habetur charitas quædam zeloſa, vindicans à calumniis, & iudiciis temerariis: qualem ille habuit, qui dicebat: *zelus domus tuæ comedit me.* Cor etiam generoſum auditoris, amore doctoris capitur, quo tractandæ veniunt plagæ fratrum noſtrorum. Tribuitur etiam vitæ charitas prudens, docens quid, & quæ, & quo loco, & tempore, & quibus perſonis diſpenſanda ſint verba Dei; quæ item cuique tempori conueniat medicina. Quarto, bona vita præbet humilitatem, qua in bonis homo agnoſcit ſe inſtrumentum, & canalem, non fontem, iuxta illud Apoſtoli; Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: in malis autem, atque defectibus, aut doctrinæ, aut linguæ: aut memoriæ, aut inſipidi, & aridi ſpiritus, ſe fontem recognoſcit; humiliaturque, & patitur æquo ac libenti animo auditorium rarum, aut inquietum, aut ſomnolentum, aut ingratum, aut negligens, & verbo Dei minime fructificans vt deberet.

1.Tim.4.

Qualis doctor, ſeu interpres ſine zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum.

Pſal.68.

Bona vita doctori quam præſtet humilitatem.

Secundum vero doctrinæ cornu adeſſe debet, quia nemo dat quod non habet. Vt enim dolium, vinum, quo caret, non reddet; ita nec inſipiens doctrinam, qua deſtitutus eſt. Et qui magnam alit familiam, oportet eum opibus abundare. Debet autem in primis doctrina vera eſſe, etiam ſi odium pariat: & tunc vera eſt, quando vt legati non excedimus fines mandati. Pro CHRISTO, inquit, beatus Paulus, legatione fungimur. Hinc diuus Baſilius ponderat, quod Spiritus ſanctus quæcunque audiet, loquetur. CHRISTVS quoque dixit: *Quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: quomodo ergo magis nos hoc obſeruare debemus qui ad falſa ferenda, & ad mendacia ſumus natura propenſi. Debet deinde vtilis eſſe doctrina, iuxta illud Eſaiæ: *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia*; Debetque doctor vna manu ædificare, altera portare gladium in hæreticos, & in vitia, & in dæmones, vt olim Iſraelitæ ædificantes Ieroſolymitanum templum. Quod optime nouit Paulus Apoſtolus, cum dixit de Epiſcopo: *Qui potens ſit exhortari in doctrina ſana* (ecce ædificatio templi) *& eos qui contradicunt arguere*, ecce gladius. Tertio, debet eſſe accommodata tam in rebus, quam in verbis aptis, & proprijs, vt populus capere poſſit. Vt enim piſcis non capitur, niſi capiat eſcam quæ latet ſub hamo; ita nec auditor proficit doctrina propoſita, niſi eam apprehendat. Propterea oratio prædicatoris, aut interpretis verbi Dei, exemplis, ſimilitudinibus, & parabolis abundare debet. Præter hæc omnia neceſſarium eſt auxilium Dei ſpeciale, cuius præſentia hæc dicta omnia adſint, vt intellectum, & memoriam regat; linguam vero, ac vocem ad aptos corporis geſtus, & motus neceſſarios componat, & moderetur; & denique omnia neceſſaria concedat, vt ei quadrare poſſit: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Doctrinæ in prædicatore cō ditiones requiſitæ.

2.Cor.5.

Ioan.16. *Supra 15.* *1.Eſa.4.* *Eſd.48.* *Tit.1.*

Qualis doctrina, quam non capit auditor.

Matth.10.

In auditore autem exigimus certas conditiones, quæ deſcribuntur in illis Chriſti verbis. *Maria autem ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.* In primis ergo ſit Maria, hoc eſt, ſecundum vnam huius vocis interpretationem, exaltatio. Habere enim debet excelſam mentem, qua Deum agnoſcere cupiat, & Meſſiam ad medelam morbi, hoc eſt, peccati præteriti, & præſeruationem ad futuri peccati cautionem: ſit ad excitationem alicuius neceſſariæ virtutis, ad vnionem mentis cum Deo, & ob conſolationem ſpiritualem. Non igitur ob ceremoniam, aut ob curioſitatem aut, diſputationē, aut ob iudicium de concionatore temerarium ferendum, aut denique ob aliquam aliam calumniam, aut cupiditatem, aut vanitatem. Secundo interpretatur Maria, doctrix maris, qua voce innuitur, fidei docentem rationem verbo Dei ſubdi, non autem nullis certis argumentis, ſed hæc eſt ſumma probatio (vt Pythagorici olim de præceptore dicere ſolebant) IPSE DI-

Conditiones boni auditoris, ſiue lectoris.

Luc.10.

Mariæ vocabuli triplex interpretatio.

Pythagoreorum in magiſtrũ reuerẽtia.

XII. Tertio ſeſſione illa ſignificatur prudentia, quæ docet pugnandum eſſe aduerſus præſentes hæreſes, & vitia. Id etiam prudenter intelligimus, quod non omnia ſibi ſoli propinantur. Conſiderando etiam, diuerſas eſſe materias, & quod non omnia vbique dici poſſunt. Prudentia quoque eſſe debet, ne tam curemus de diſco; quam de cibo, qui in eo proponitur, quia non iuuat, aut palatum, aut ſtomachum diſcus quo porriguntur dapes, ſed cibus, qui prorſus diuinus eſt, & à Deo Domino noſtro conditus. Interpretatur quoque MARIA, amaritudo, ſiue myrrha maris: nam homo debet eſſe per pœnitentiam à peccatis mundus, vt edat panem doloris: & ſano palato panis ſapit, non autem infirmo; ad eum modum Euangelica doctrina ſapida eſt, & grata his, qui ſanitatem ſpiritus compararunt.

Sedere ſecus pedes Domini, quid.

Quinto additur: *Secus pedes Domini.* Quo in verbo humilitas declaratur, quæ certa porta eſt Diuinæ ſapientiæ, quæ abſconditur ſapientibus in oculis ſuis, & reuelatur paruulis. Ideo cum plures ſint, qui ſuperbiæ morbo intumeſcunt, & multum ſibi tribuunt; hinc eſt, quod in verbo Dei audiendo minimum proficiunt. Sexto, *Audiebat*, inquit Euangeliſta. Quo verbo innuitur attentio, & per totam horam continuitas: gutta enim cauat lapidem, vt quidam dixit, non bis, ſed ſæpe cadendo. Vt ita Scriptura ex peregrino fiat nobis comes indiuiduus, & ſocius: Notatur etiam eo verbo meditatio, & auditi verbi ruminatio, vt ita in alios diffundi poſſit, quod audiuit. Vltimo additur verbum, *Illius.* Quo verbo notantur, qui prompti ſunt ad fabulas, & comœdias, quæ recitantur, audiendas, aut qui ad circulatores, & circumforaneos audiendos aduolant, ad verbum autem Dei audiendum, & excipiendas veritates, quas filius Dei de cœlo in terram docere nos miſſus eſt, nonniſi tardi, & inuiti accedimus. Quod ſi gemmæ, & lapides pretioſi è ſuggeſtu in terram, aut auri fruſta ſpargerentur, homines haud ſegnes accurrerent: quid dicendum de verbis Dei, quæ omne pretium, & exiſtimationem excellunt, teſte Propheta: *Deſiderabilia*, inquit, *ſuper aurum, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel, & fauũ.* Doctus quoque, audiendo verbum Dei iuuari poteſt, etiam intellectu, vel à deficiente, & minus apto verbi Dei miniſtro, non ſolum in memoria, & voluntate, & exemplo alterius, ſed præterea alterum admonendo, & excitando ad cæleſtis gloriæ deſiderium.

Maria Magdalena audiens verbum Chriſti ſecus pedes illius, quos cõfundat auditores.

Pſalm. 18.

DISPVTATIO II.

Circa illam primam clauſulam prioris capitis epiſtolæ primæ Ioannis, *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.*

Cur Ioannes de verbo Chriſti annuntiato in primis ſermonem habeat.

QVONIAM, Vt ante monuimus, in hoc capite de prima iuſtificatione diſſeritur, quæ pendet ex Chriſto Domino, qui vita, & ſalus, & omne bonum noſtrum eſt: in primis aliquo fuit opus hoc tantum bonum nobis proponente; deinde fide hæc tanta bona acceptante, & per quam ingreſſum eſt Dei Verbum in Mariam, & in quemuis noſtrum bene diſpoſitum ingreditur: tertio neceſſaria ſunt opera bona, vt adeptam iuſtitiam retineamus, vt ita præmium propoſitum conſequamur æternum: idcirco in primis verbum, ſeu Euangelium proponit, hoc eſt, Chriſtum mundo annuntiatum.

Cauſæ obſcuritatis huius epiſtolæ.

Obſcurus eſt vt plurimum Ioannes, in primis quod res ſublimes, & altiſſimas pertractat. Deinde quod vocabulis vtatur abſtractis, quæ à nobis vtpote concretis, & minorem proportionem habentibus, minus capiuntur. Tertio conſulto obſcuriora reddita ſunt à Deo, vt ea ratione canibus, & porcis celata ſint. Quarto, vt hac via humiliori contemnatur loquacitas, & polita lingua: Regnum item Dei nonniſi in virtute, non in ſermone ſitum eſſe monſtretur. Quinto, vt opus ſit nos attentionem adhibere, deſiderium intelligendi, & denique orationem petentem intelligentiam iuxta illud. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, Denique vt cum maiori labore accepta intelligẽtia plus ſapiat ob victoriam intellectus ſuper intelligibile: non ſecus atque lepus, ſiue piſcis noſtro labore vel venandi, vel piſcandi captus, magis, quam donatus ab amico, aut in foro emptus, nobis placere, & ſapere ſolet.

1. Cor. 4.

Pſalm. 118.

Circa elocutionem multiplex difficultas expeditur.

Difficilis autem in primis eſt hæc prima clauſula ex duobus capitibus; altero quidem ex contextu, ſeu conſtructione

ipſius

ipſius orationis; altero vero ex eiuſdem contextus partibus dupliciter, Primo ex verbo principali, & ex particula illa, De verbo vitæ, quæ videtur habere vim ſubiecti; ſed hæc addenda videtur cum verbo, Quod fuit, vel, Quod erat, vel Quod fuerat, nam Græce eſt ἦν præteritum imperfectum, quod Ioan. ca. 1. conuertit interpres, erat. Vt ſit ſenſus, Quod fuit, vel quod erat de verbo vitæ: quod audiuimus oculis noſtris, &c. de Verbo vitæ.

¶ De verbo autem principali poteſt etiam dubium eſſe, & illa coniunctio, Et, poteſt accipi pro Etiam, vt ſæpe ſolet, in hunc ſenſum: Etiam manus noſtræ contrectauerunt, & ſic nullum videtur eſſe hyperbaton, ſed conueniens erit lectio. Eſt autem hyperbaton, figura Græce ſic vocata, quæ Latine dicitur Tranſgreſſio verbi, ſecundum Quintilianum, quo frequenter aſpera ac dura, diſſoluta prorſus, & hians oratio redditur, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur; & ob longius poſitum verbum eſſe ſolet hyperbaſis. Et proprie hyperbaton eſt à verbo ὑπερβαίνω, hoc eſt, Tranſgredior, ſiue tranſcendo. ¶ Poteſt deinde verbum principale eſſe, *Annuntiamus*, quod poſtea ponit, de quo ait: *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, &c.* Et infra: *Et hæc eſt annũtiatio quam audiuimus ab eo*, & reliqua. Et ſecundum hanc lectionem admittenda eſt in primis figura hyperbaton, & parentheſis in illis verbis: *Et vita* (id eſt, Quia) *vita manifeſtata eſt, & vidimus*, id eſt, quam vidimus, & teſtamur vobis, vitam, in quã, quæ erat apud Patrem. Et tamen poſt hyperbaton, ad memoriam refricãdam, ait, *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis*. Itaque ſecundum, *Annuntiamus*, eſt verbum principale ſecũdum ſcholia Græca: vel primum, annuntiamus, debet accipi, quia ſecundum videtur pars ſequentis clauſulæ, vel denique, ſi eclypſis eſt, & ſimile, annuntiamus ſupplendum. Repetitio autem verbi eſt ob memoriã. Et verbo, *Vidimus*, addit: *Et teſtamur, & annuntiamus*. Porro vitam ponit eſſe declarantem id, quod fuit de verbo vitæ. Atque ita parentheſis eſt ſolum in eo loco, vbi ait, *Et vita manifeſtata eſt*, vel illud, & præcedens, *Annuntiamus*. Vt ita quadruplex inueniatur lectio. Prima illa, Etiam contrectauerunt; ſecunda, quæ verbum ſecundum, annuntiamus, facit verbum principale: tertia, in qua ſupplendum eſt verbũ, annuntiamus, quarta, in qua primum annuntiamus eſt verbum principale, ablata tamen, ſeu relicta coniunctione, Et, ipſum præcedente.

Hyperbaton quid, & hyperbaſis, Quintiliano. *Fabius lib. 8.*

Propoſitæ ſententiæ ſingularũ partium explicatio, atque põderatio.

Sed iam Grammatica relicta, oratio tota, & partes ſingulæ ponderandæ ſunt. Primum verbum eſt relatiuum illud, Quod, in ſingulari poſitum: quia quod eſt æternum, cum multitudo æterna eſſe non poſſit, quia ante eam eſt vnitas; niſi vbi multitudo concurreret cum vnitate, quæ eſt ante omnem numerum, & pluralem, & ſingularem. Item illud, quod generale vocabulum eſt, & confuſum, & conuenit rei generaliſſimæ, & ineffabili, quæ Deus eſt. Et præterea relatiuũ, & optime Verbum Diuinum repræſentat, quod refertur ad Patrem, & omnem creaturam, vt eius idea repræſentat, ſicut omnis creatura refert, ac repræſentat ſuo modo Verbum. Refert præterea illud, quod in corde Ioannis erat intimum præ amore eius, & in verbo prædicationis, & in opere, quo illi inſeruiebat, & obſequebatur, erat externum.

Fuit, vel erat.

Ioan. 1.

Triplex durationis menſura, & Cur Deo omnia tẽpora tribuantur.

Subiungit Ioannes, *Fuit*: quod, erat, fuit, vel fuerat, ſignificare poteſt, vt eruditi docent, quia omnia illa tempora repræſentat in idiomate Hebræo per præteritum. Prima lectio commendatur primo capite Ioannis, cum ait: *In principio erat Verbũ*. Vbi Græce habetur: ἘΝ ἀρχῇ ἦν ὁ ΛΟΓΟΣ, ſicut hic habetur: ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. Secũda lectio, *Fuit*, nititur his verbis, quæ hic habentur de præterito, Vidimus, audiuimus, &c. Perpende igitur, ꝙ vt ſunt tres res inter ſe valde differentes: corpus, Angelus, & Deus, ita tres habens ſuæ durationis menſuras valde homonymas, & æquiuocas, nimirum tempus, & æuum, & æternitatem, & nomina vnius menſuræ reliquis non conueniunt: quemadmodum etiam nec menſura liquidorum aridis conuenit: nec è contrario menſura aridorum competere poteſt liquidis: Præterea à diuerſorum aridorum menſuræ variæ ſunt: alia eſt enim menſura frumenti, alia panni, ac telæ: non ſecus atque dulcedo mellis, atque vocis diuerſæ ſunt. Ita etiam acies alia eſt gladij, alia vocis, alia vero intellectus. Vocabula igitur, ac verba ſunt tertiæ perſonæ, quæ Deo, & Angelis non quadrant, ſed ſolum corpori: ob egeſtatem tamen linguæ, & quia noſtra menſura à prioribus fluit (vt nos à Deo ſumus, & Angeli) & earum eſt velut vmbra quædam: ab æuo quidem eminenter (vt ſic loqui liceat) ab æternitate vero æquiualenter contenta, accommodamus eis vocabula noſtra, ac Deo, de quo potiſſimum hic

Acies triplex.

eſt ſermo, tribuimus omnia tempora: quia vt totum eſſe diuinum eſt in omni loco, & in infinitis, ſi totidem eſſent loca, & ſua perfectio continet omnes gradus perfectionis, qui in creaturis inueniuntur: eſtque quilibet gradus non contracte, ſed, vt ſic dicam, incontracte: Ita tota ſua duratio toti tempori vel cuiuis momento, & nunc tempori noſtro coexiſtit. Ideo omnia vt præſentia videt, nec prius quam creaturæ ſibi ſint præſentes, videt eas: etſi bene eas videat, ac priuſquam ſint nobis præſentes. Vnde ad omnia, & ſingula, omni & ſingulo tempore eſt conuerſus, ideo toti, & ſemper, & vbique deberemus ei ſeruire, quem tamen nos ignorantes, & ſuperbi ita diſpicimus & parui facimus. Deinde peculiariter præteritum perfectum ei datur, quia ſemper eſt in actu, ac ſi res eſſet perfecta. Vnde illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sed ne vllo modo nobis ſignificetur vlla deſitio, ac vt continuitas operis, ac ſi non eſſet perfectum repræſentet: datur ei præteritum imperfectum: & forte perfectum non ei tribuitur, niſi cum refertur ad creaturam præteritionis capacem. Vt, *Creauit cœlum, & terram: Dixit, & facta ſunt: Ego eduxi te de terra AEgypti*: &, *Ego hodie genui te*, per reſurrectionem, vt Paulus interpretatur. Ob omnimodam etiam eius præſentiam, & coexiſtentiam, datur ei tempus præſens, iuxta illud: *Ego ſum qui ſum. Antequam Abraham fieret, ego ſum*: quia ſine vlla ſucceſſione durat. Datur & tempus futurum, ſecundum illud: Ego ero qui ero. Ita enim legitur Hebraice: *Ego Sum qui ſum*: & Dauid: *Tu autem*, inquit, *idem ipſe es, & anni tui non deficient*: quod tamen de creatura fugiente vt vmbra; vt vmbra moto corpore quod præcedit, dicere non valemus; ita enim fluxum corruptionis ſiſtere non poſſumus, qui etiam cedit cito, vel vmbra cedit luci. Hinc eſt, quod omnia etiam tempora Deo ſimul dantur. Vnde in Apocalypſi bis dicitur: *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Denique proprie verba intelliguntur abſoluta à noſtro tempore, cum Deo tribuuntur, & ſignificant vnionem ſubiecti ad prædicatum ſub habitudine cõuenienti ipſi æternitati. Habet etiam omnium temporum perfectionem, omni imperfectione remota: De præſenti habet exiſtentiam ablata imperfectione, quam ipſum præteritum imperfectum denotat. De præterito perfecto habet perfectionem ablata præteritione, quæ imperfectio eſt. Præterea de præterito pluſquam perfecto perfectionem maximam habet, quam ſignificat vox pluſquam perfecti; remota tamen deſitione, quæ nulla eſt, aut eſſe poteſt. De futuro vero tempore habet ſtabilitatem ad eſſe permanens, ablata tamen futuri imperfectione: quia ſicut ſimul eſt totus in eſſe ſuo, ita totus eſt in omni duratione ſua, quæ eſt æternitas, cui ſicut nihil præterit, ita nihil futurum eſt.

[Margin: Quanto dignus obſequio noſtro ſit qui creauit nos, Deus noſter. — Proprium diuinæ naturæ. *Pſalm.* 2. — *Geneſ.* 1. *Pſal.* 148. *Exod.* 20. *Actor.* 13. — *Exod* 3. *Ioan.* 8. — *Pſalm.* 101. *Hebr.* 1. — *Apoc.* 1. *Infra* 4. — Temporum omnes perfectiones in Deo abſq; omni imperfectione reperiri.]

Tertio ſubdit: *Ab initio.* Hoc eſt, ab æternitate. Vt alibi: *Ab æterno* (ait diuina Sapiẽtia) *ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret*: &, *Ab initio & ante ſecula creata ſum*: Michæas item; *Egreſſus eius ab initio*: & declarans initium, ſubdit: *A diebus æternitatis.* Ioannes quoque: *In principio erat Verbum*: Æternitas autem, menſura Dei infiniti eſt, & actionum eius: quæ ex ſe quidem initium eſt, quia nunquam veteraſcit, & nunc eius ſemper incipit, eſtque initium ſine initio, & fine: & rurſus initium cum medio, & fine coincidens, ſiue concurrens ob Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Pater enim, initium eſt vt artifex: Filius mediator noſter, medium eſt tanquam ars, ſiue idéa: Spiritus ſanctus finis eſt, vt manus exequens. Sed hi tres vnum ſunt: quod non eſt in nobis, vel in vlla creatura. Eſt etiam æternitas initium, quia ab eo fluunt omnia: ac vt eſt æternitas intra omnia mobilia, & tamen quieta & tranquilla; ita coexiſtit, ſiue præſens eſt omni tempori; ſine tamen ſucceſſione vt Iacobus dixit: Apud quẽ non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Et quia initium, medium, & finem à Deo habemus tam in cognitione, quam in perfectione, ei adhærendum eſt, vt ſuum eſſe æternum, noſtrum eſſe, quod fluxum eſt, & mobile, conſolidet, atque confirmet.

Dicendo, etiam Verbum eſſe ab initio, hoc eſt, ab æterno, hæreticos confundit, Hebionem, & Cherintum, negantes Chriſtum fuiſſe ante Mariam. Confundit & Arrianos tollentes Chriſto diuinitatem, & æternitatem. Deinde confundit Iudæos, & Gentes, aſſerentes Euangeliũ Chriſti rem eſſe vanam. Vnde dicebant quidam Athenienſium de Paulo, *Nouorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe*: Iudæi vero, Quænam eſt hæc doctrina noua? cum tamen apud Iudæos æterna ſit res, & in Scripturis prænuntiata, & antiquis omnia nota per fidem extiterint, quia habebant eundem Spiritum fidei, quẽ & nos habemus; & Ieſus Chriſtus heri

[Margin: Ab initio. *Prouer.* 8. *Michæ.* 5. *Ioan.* 1. — Diuinarum attributa perſonarum. 1. *Ioan.* 5. — *Iaco.* 1. — Deo cur adhærendum. — Hoc verbo: Ab initio, quorum dogmata confodiat, atque proſternat Ioannes. — *Actor.* 17. — *Marc.* 1. — 2. *Cor.* 4]

& hodie

Heb. 13.

Pudenda antiquita deorum, & plane ridicula.

Euſeb. in Chronico.

B. Auguſt. lib. 18. *de Ciui Dei. c.* 19. *to.* 5.

& hodie, ipſe & in ſecula, vt dixit Apoſtolus. Tertiò peculiariter contra Gentes oſtendit, Deum noſtrum recentem non eſſe, vt ſui, qui omnes fere fuerunt ab Cecrope ad Troiæ excidium, hoc eſt, à Moſe ad iudicem dictum Labdon: vt probant Euſebius, & Auguſtinus ex Varrone in libr. de Ciuit. Dei, hoc eſt per quadringentos triginta annos: cùm tamen ante Moſen populus Dei, & per duorum millium annorum ſpatium cultor DEI extitiſſet poſt Abraham. Atq; ita Dei noſtri æternitas, & doctrinæ noſtræ antiquitas, & veritas proponitur in illo verbo: *Quod erat ab initio.* Nam ſicut (exẽpli gratia) granum frumenti hoc anno natũ, nouum non dicitur, quia erat iam in cauſa ſua, hoc eſt in grano alterius ſeminis: ita nouũ Teſtamentũ erat quidem in veteri, & in lege naturę, & denique ab initio fuit Chriſtus. Quare conſultum erit, vt hæreamus æterno Deo, vt æterni ſimus. Tranſiturus enim rapidum fluuiũ, prudenter facit, ſi oculos aquæ currenti non defigat, ſed littori oppoſito, quod firmum eſt, & ſolidum: ita nobis Deo ſtãtu nitendum eſt tanquam littori, & manus noſtra non debet apprehendere aut paleas, aut ſtipulas, vel ramuſculos quos vehit amnis, ſed trunco firmo atque ſtabili, qualem deſignat Eſaias de Meſſia loquens, c. 11. hęrere, & niti debemus, ſi ſubmerſionis periculum euadere cupimus.

Quales vni Deo qui non hærẽt æterno.

Ioannem, cum ait: De Verbo vitæ, diuinum Verbum, id eſt, Filium Dei tantũ intelligere *Hieronym*⁹.

Sequitur: *De verbo vitæ.* Quo verbo non intelligimus Patrem, quia nomine Dicentis. Deinde quia ipſe Ioannes ſeipſum exponit, quod de ſecunda Perſona in diuinis ſit ſermo, quia ſubdit: *Annunciamus vobis vitam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Prima erga vox, q̃ Λόγος Græcè dicitur, teſte B. Hieronymo, plura ſignificat, nempè verbũ, ſermonem, rationem, cauſam, menſuram, ſupputationem, oraculum, definitionem: atq; hæc omnia aliquo modo quadrant ſecundæ Perſonæ, ſiue Filio Dei. Eſt enim Verbum, quo Pater dicit omnia, quæ fieri, & creari poſſunt. Deinde ſermo eſt ſeminatus extra per Incarnationem in terra humanitatis noſtræ, de quo ipſemet Filius ad Patrem: *Sermo*, inquit, *tuus veritas eſt*: & Paulus: *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, &c.* Ratio verò eſt, quatenus ipſe Filius Dei eſt rerum omnium idea & forma cognoſcendi. Ita enim interpretatur Tertullianus in Praxeam, & quidam ex recentioribus. Cauſa verò menſura, & ſupputatio: quia ipſe condidit omnia menſura, numero, & pondere. Oraculum etiam rectè dicitur, quatenus eſt deorum oratio: nam Chriſtus nobis reſponſum eſt Patris, & oraculum quoddam diuinũ de nobis, per nos interrogatum, à Deo exhibitum. Hæc igitur omnia ſignificata voce Verbi includuntur, & vltra hoc quoduis illorum excedit, vt rectè Interpres vocem Verbi cęteris prętulerit, qua quidem, vt fert balbuties humana, aptè repræſentata eſt, & ſignificata Filij Dei perſona. Verbum primo, & propriè eſt vocale, quo aërem, vel aurem verberamus, vt docet Auguſtinus libr. de Principijs Dialectices: vel quod veritatem ſecundum M. Varronem, dicere debeam⁹. Inde metaphorice vocamus conceptum mentis humanæ, antequã voce veſtiatur, iuxta illud: *Dixit inſipiens in corde ſuo*, &, *Dixit iniuſtus, vt delinquat, in ſemetipſo*: Iob quoq;, *Plenus ſum*, inquit, *ſermonibus, & coarctat me ſpiritus vteri mei*; rurſus idem, *Conceptum ſermonem continere quis poterit?* Soliti ſumus etiam dicere: Habebam quædam pulchra regi dicenda, ſi audire voluiſſet. Nomen ergo Verbi quadrat conceptui mentis noſtræ. Et ita prima metaphora eſt à vocali verbo ad mentale noſtrum. Secunda, à mentali noſtro ad mentale diuinum, quod eminentiſſimè, & proprijſſimè Verbum eſt, dicitur. Primò, quatenus eſt notio à Patre & dicente: Deinde vt modus procedendi eius denotetur à Patris perſona iam conſtituta, & ſeipſam cognoſcente, quia modus eſt ſpiritualis, & puriſſimus. Et ideò abſtinuit à verbo Filij; ne quid materiale, & corruptibile cogitaremus. Tertiò, vt intimum Patri, & in eo permanens declaretur: quia fructus rei cuiuſlibet eo magis intrinſec⁹ eſt, quo perfectior eſt. Vt ignis quidem extra ſe producit fructum ſuum hoc eſt, ignem: planta vero fructum ſuũ magis intra ſe producit: homo verò adhuc, & Angelus longe interiorem. Verbum ergo in vtero Patris, hoc eſt in Dei Patris eſſentia, à Patre producitur. Quartò, denotatur verbum infinitè amabile, & charum Patri: nam naturale eſſe ſolet cuiuis generanti, ſuum fœtum, vel prolem diligere: & ſic Poetæ ſua poemata, & quiſq; ſuos diligunt conceptus. Quintò, vt denotetur Verbum perfectè explicans mentem Patris: quod creaturæ non poteſt vlli conuenire: nam nec ſapiens, nec fortis, nec bonus vllo actu ſuo perfectè ſe poteſt explicare, quia ſupereſt adhuc potentia ad multa alia producenda. Ita Deus condito mundo, qui vmbra Dei eſt, adhuc ſe poteſt in multis alijs explicare.

Ioan. 17.

Hebr. 4.

Tertull.

Sap. 11.

Verbum primò, & propriè quid ſecũdum Auguſtinum.

B. Auguſti.

M. Varro lib. de ling. Latin.

Pſalm. 13.

Pſalm. 35.

Iob. 32.

Supra 4.

Septem cauſę, propter quas hic Ioãnes Chriſtum Verbum nominauit.

Dei proprium ſolius quid.

Secus eſt de Filio Dei, qui ſolus integrè Patrem repręſentat, & ſol⁹ ſupplet, quod debemus Deo, & quod nobis deficit in Patris cognitione. Eſt autem Verbū hoc, ſubſtantia, non accidens, vt eſt noſtrum; in actu ſemper, non in potentia, vt noſtrum ſolet plerumque eſſe vnicum: eſt, quia terminat totam potentiam, & non plura verba, vt ſolent eſſe noſtra: eſt etiā intelligens, & intelligibile, non autem eſt vt noſtrum, quod totum eſt intelligibile. Sextò, quia per intermedium Verbum Deus Pater loquitur ab æterno ad Spiritū ſanctum, cuius eſt proprium audire; vnde Chriſtus dixit: *Quæcunq; audiet, loquetur.* Vt enim auditus à corde, & ore; ita Spiritus ſanctus à Patre, & Filio proficiſcitur. Hinc illud: *Eructauit cor meum verbum bonum*; quod ſolum eſt à corde, Spiritui etiam noſtro creato loquitur. Patrem glorificando. Septimò indicatur Verbum arte, & idea condens omnia, recreans, ac redimens omnia, qui eſt omnia incontractè, hoc eſt, ablato nihilo, quod omninò à creaturis non aufertur, niſi per eſſe infinitum. Quia ego etſi habeam eſſe, & quidem rationale, non tamen maius, quā Angeli, vel cœli, vel cuncta ſimul habent. Ac ita equus abſolutus eſt Deus, tanto verior contracto, quanto res viua ſua imagine verior eſt: quia melius exit à Patre mundus in Verbo, quàm in nihilo, in quo ſemper creatura natat: ſicut melius vir in vxore facit filium, quàm faciat imaginem in vili materia, aut forma, aut auro, aut argento, aut ære, aut lapide, aut vlla alia materia: quemadmodum domus in artifice habet eſſe rationale, dom⁹ autem in ſeipſa habet eſſe inanimatum, & irrationale.

Diuini ab humano verbo differentiæ.

Ioan. 16.

Pſ. 44.

Deus vt ſit omnia incontractè.

Loquitur ergo perfectè Verbū coram Patre & Spiritu ſancto. Angelo autem, & homini exterius loquitur, vt capi poſſit; atque ob id condidit creaturas ex nihilo, & ex materia: quemadmodum pręceptor volens verbo docere, ex ſilentio, & aere format voces; vt ad Verbum, quod eſt beatitudo ipſa, & magiſterium, veniam⁹; ad quod tamen peruenire non valet, qui creaturis quaſi vocibus adhæſerit, non curans tamen de verbo interno, & conceptu, vt per ea quæ facta ſunt, inuiſibilia apprehendat, & affectu diligat. Ac Philoſophi quidem tempus contriuerunt in ſupputandis literis, & ſyllabis verbi, conſiderando ſcilicet materiam, & effectus, & rerum vtilitates; at non peruenerunt ad Verbum per illas miſſum, vt glorificarent Deum efficientem, finem, & ideam rerum, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, curioſa tantum propter gloriam ſcire quærentes. Mirum autem eſt, quòd Deus ferat de ſe homines loquētes: quod indignius eſſe videtur, quam ſi viliſſimus, atq; abiectiſſimus homuncio Regi conſedêret. Sed tanta eſt Dei benignitas, vt ferat nos concipere illum, vt poſſumus. Nam ipſe nihil amittit, & nos interim amorem exercemus. Inter omnes autem voces maximè ſonora eſt Chriſti humanitas, cui Verbum eſt peculiariter vnitum, & per eam vehitur ad hominū corda, vehenſque corda ad illam. Quare vehicula & nos efficiamur, & per ipſas tanquam echo proſonemus illud: aliàs vanę voces erimus, & inueniemur accepiſſe animas noſtras in vanum.

Aliter cū Patre, & Spiritu ſancto, aliter cū Angelo, & cū homine diuinum loquitur Verbum.

Rom. 1.

Cur Philoſophi de Verbo Dei philoſophantes, euanuerint in cogitationibus ſuis.

Ibidem 21.

Mira erga homines bonitas Dei.

Vox omnium vocaliſſima quæ ſit coram auribus Dei.

Pſ. 23.

Deinde dixit: *De verbo vitæ:* vita autem in Hebræo Chauah, vel etiam ברא in hiphil dicitur, quaſi dicas, peregrinatio; Græca verò lingua ζωὴ nominatur, id eſt, internus feruor, & animalis, ἀπὸ τοῦ ζωεῖν. Latinè verò vita dicitur, quaſi via, quòd ſe mouentem ſignificet: ſecundum alios verò, à vi, q̄ eſt virtus rei viuentis, ſine qua corrumpitur. Quantum verò ad rem ipſam attinet, vita ipſa natura eſt ſe agens per motum, vel mutationem; vel eſt illud, quod in ſe habet principium motus, & operationis: vt aqua viuens vocatur, quę ſeipſam mouet: planta itē viua, quia motu augmenti, vel alterationis mouetur: inde argentū viuum, petra viua, metallum viuum, & fides viua metaphorica dicuntur: ſicut etiā animal viuens, & homo viuus per eandem metaphoram diligens viuus vocatur, & in operatione prōptus expeditusq;: contra verò tardus ac negligens, mortuus appellatur: & inter infirmos qui pulſu carent, dicuntur mortui. Vulgo etiam dicimus: Quod vitę genus profiteris? quod perinde eſt ac dicere, Quod eſt artificium tuum; aut, Quā artem exerces? Secundariò autem ipſa animalis operatio, vita dicitur. Hinc dicimur vitam hominis videre, id eſt operationes, & exercitia: & quemadmodum intellectus, & voluntas non tantum denotauit facultatem intelligendi, & volendi, ſed etiam ipſos actus intellectus, & voluntatis, ita etiam & vita. Tertiò vita dicitur id omne, quod vitam conſeruat, & delectat. Dicūt enim multi, qui opiparè ac ſplendidè conuiuātur: Mea vita cibus eſt: Qui item muſicæ, aut venationi, aut ſtudijs, aut ludis vacāt: Muſica ipſa mihi vita mea eſt: Venatio quàm maximè me delectat, & vitam ſuſti-

Quid ſit vita, nomine & re.

Quæ viuant, propriè, vel impropriè.

Verbum æternum quomodo ſit vita. *Ioan.* 1.

ſuſtinet: Studium, aut ludus, inſtar mihi vitæ ſunt. Proinde cum Verbum dicitur vita, vel viuum vel viuens, vel, vt alibi Ioannes ait: In ipſo vita erat: rectè intelligendũ eſt: Quia primò vita eſt per eſſentiã: quia ſi viuere viuentibus eſt eſſe, vt dixit Philoſophus: ergo Verbum eſt vita, ꝙ non habet vitam acceptam ab alio, cum Verbum ſit primũ, & nihil ſit ante illud, ſed omnia ab illo prodeant. Nec Verbum accepit à ſe vitam, quia ita habuiſſet, antequam eſſet. Ab æterno igitur habet vitam, & in ſeipſo habet, & ſine termino, & menſura habet: quia ſicut nemo potuit illi dare vitam, ita nemo potuit illi terminũ, aut menſuram tribuere. Prętereà non potuit habere vitam ex non viuere, quia ex priuatione non fit habitus: quemadmodũ nec à non eſſe, eſſe. Quãobrem eius vita longè eſt ab omni vitæ impedimento. Hinc elicimus, tam ex parte anteriori, quàm ex parte poſteriori vitam ſempiternam eſſe. Quia enim vita Verbi non habuit ante ſe non viuere, ita nec poſt viuere poteſt habere non viuere: nã infinita vita omnia excludit impedimenta. Solum enim illud vere habet immortalitatem: reliqua autem omnia morti ſubiecta ſunt, etiam Angelus & homo: quoniam ſicut ante horum vitam præceſſit non viuere, ita poſt vitam poteſt ſequi mors, vario tamen modo. Nam Angelus ſolo nutu Dei eſt mortalis: homo non tantum ſolo nutu, ſed etiam naturaliter propter corpus.

Ariſt.

Verbum vnde vitã habuerit.

1. *Tim. vlt.* Angelus, & homo quatenus mortales ſint.

Verbum æternum cur dicitur vita. *Ioan.* 5. II. ratio.

Eſt itaq; Verbum æternum vita ſuiipſius; vita item Patris ſui, à quo oritur, & à quo vitam habet in ſeipſo, & diligitur: & vita Spiritus ſancti infinita, quatenus ab eo ſimul cum Patre producitur. Deinde, quoniam vita eſt per eſſentiam, hinc fit, vt omnia creata quæ viuunt, per participationem verbi viuant: vt ſunt plantę, animalia, homines, angeli, quatenus verbum eſt primum principium dans formam, motus, & operationes medio principio contracto formę eorũ, cui non immergitur, nec miſcetur, nec diſtinguitur, quia infinitum eſt. Eſt etiam finis, obiectum, & conſeruans omnium operationũ naturalium & viuentiũ. Ad illud enim Verbum vitæ glorificandum ordinatur vita omnium viuentium, vt illa conſeruat, & manu tenet. Et ideò Paulus: *In ipſo,* inquit, *viuimus, & mouemur, & ſumus,* pluſquam accidens in ſubſtantia, ſine qua nõ viueret. Ergo vita eſt vitæ omnium naturalis: quatenus efficiens eſt, & quatenus finis, & obiectum conſeruans. Tertiò appellatur vita: quia præter naturalem vitam, quam medio formæ principio donat, confert etiam aliam longè excellentiorem vitam & Angelis, & hominibus, medio principio creato diuino, quod eſt gratia & gloria. Eſt etiam forma diuina limitata, principiũ quoq; & obiectum, & finis diuinarum operationum, quæ circa Verbum vt intelligibile, & amabile verſantur: & efficiens quidem amoris, & intellectionis. Quod vt explicatius reddam; ſi planta ex ſe habens vitam vegetantem tantum, quæ ſcilicet poteſt viuere, nutriri, augeri, & fructum producere, ac generare: finge, vel cogita illi plantæ adhiberi vnctionem quandam, qua vncta viuat vita ſenſibili, & moueatur motu animalis, videat, audiat, comedat: vel pone animal aliquod quod loquatur, vt homo, & ratiocinetur, vel denique viuat vitam humanam: ad eum modum debes cogitare hominem ex ſe viuentem vita humana, & naturali, ac planè ruſtica, adde per vnctionem gratiæ, & hominem viuere vitam ſupernaturalem, & diuinã, nobilem prorſus, & aulicam, ꝗ eſt intelligere, & amare diuinum, quæ primò non attingebat. Ideò dictum eſt: Vnctio eius docet vos de omnibus: Ego ſum reſurrectio corporum: & vita ſpirituum, non mixta creaturæ, quia Deus dicitur eſſe extra vniuerſum. Quartò dicitur etiam vita obiectum vitæ, vel res, qua maximè delectamur, vt cib⁹, vinũ, lucrum: ita Verbũ nobis eſt verus cibus, quatenus rationales ſumus, id eſt, intellectu, & voluntate vtimur, qua enim alia re magis intellectus veſcitur quàm veritate? Voluntas etiã nonniſi voluptate, amore, & ſuauitate delectatur. Ad eum modum Verbum ſumma veritas, & veritatum veritas eſt, & ipſum eſt omnium ſapientia, & ſapor, & cibus mentis, & voluntatis, quoniã bonum eſt incontractũ & illimitatũ: ac proinde ſuauiſſimum, de quo Salomon: *Non habet,* inquit, *amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudiũ.* Præ Verbo non cibant creaturę: etſi cibare videantur, vmbrę tamen ſunt, & inſomnia quædam, in quib⁹ nobis videmur edere, & viuere. Quia verò febricitamus, & altum dormimus, & aſſueti ſumus cæpis, & porris AEgypti; hinc eſt, quòd Chriſtus nobis non ſapit. Vnde videmus maiores fieri concurſus ad creatas veritates percipiendas, & ad ſpectacula, & ad delectationes in comœdijs, & fabulis fictis; quàm ad

Actor. 17.

III. ratio.

Qualis vita hominis naturalis, qualis ſupernaturalis.

1. *Ioan.* 2.

IV. ratio.

Sap. 8. Diuinum Verbum qualem præſtet alimoniã homini.

Verbum

Verbum Dei agnoſcendum. Chriſtus item gaudium eſt Patris, & Angelorum, & hominum. Quęramus igitur hanc vitam amiſſam in Adam, & more ſapientis mulieris drachmam decimam, id eſt, Chriſtum patris monetam quęramus, qua vna ſola, & ditamur, & ſatiamur: maximè verò vitæ gratiæ inſiſtamus, qua vna ad beatam & ſempiternam vitam peruenire poſſimus.

Luc. 15.

Cur Ioannes hoc principio: Quid fuit ab initio, de verbo vitæ, magis quam alio ſimul vti voluerit.

Dicet quis: Quorſum ita locutus eſt Iohannes: *Quod fuit ab initio de Verbo vitæ*: & non poti⁹ ſic planè exorſus eſt, dicens: *Verbũ vitæ*, vel, *Verbũ viuẽs quod fuit ab initio*? Reſponderem, hoc non ſine iuſtis rationibus factũ. Nam in primis hebraiſm⁹ eſt, ſicut illud: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*: quod eſt, dicere, Effundam Spiritum meum: & Dauid, *Dabitur ei* (id eſt Meſſiæ) *de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper*, id eſt, aurum Arabicum, & ipſum ſemper adorabunt. Tale eſt & illud: *An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo* (hoc eſt, hunc mundum) *iudicabũt*?

Ioel. 2. *Actor. 2.* *Pſ. 71.* *1. Cor. 6.*

II. rat. à Dei incõprehenſibilitate, immenſitateque.

Secundò ita locutus eſt: quia ipſum Verbum inuiſibile eſt, & ſub aſpectum non cadit, vt centrum infinitum ſphęrę, quod vbique eſſe debet, & circumferentia nuſquam. Nam Deus vbiq; eſt, infinitè profundum, & altum infinitè latum, & longum. Eſtque incomprehenſibile à creatura: ſicut centrum ſphæræ ſolidæ non poteſt oculo videri. Et ita Deus eſt ſine circumferentia, hoc eſt, ſine comprehenſione à creatura, quæ comparatione Dei eſt circumferentia ſine centro, quia eius centrum viſibile eſt Deo penetrantiori omni gladio ancipiti, vt à nobis circumferentia, & non inuiſibilis, vt à nobis eſt centrum. Deus igitur non videtur à nobis, ſicut nec lux, nec eſſe, neque ſubſtantia, ſed colores tantum, & accidentia: ita non quidem ipſum Deum, ſed veritates creatas à Deo, quæ in circuitu eius ſunt, videre poſſumus, iuxta illud: *Potens eſt Domine, veritas tua in circuitu tuo*.

Hebr. 4. *Pſ. 88.*

III. ratio ab incarnationis Verbi neceſſitate.

Tertiò Apoſtolus non intendit tantùm de Verbo dicere quatenus in patre eſt, ſed de Verbo incarnato, & occiſo ante mundi conſtitutionẽ, ac de vita, quę erat apud Patrem, & apparuit nobis, & manifeſtata eſt: & hoc ab æterno ordinatum erat. Primò quidem, vt Deus qui eſt omnia abſolutè, eſſet omnia contractè, quorum omnium homo eſt coarctatus epilogus, maxime in Verbo non coarctatus humana perſona. Ex quo elicimus, humanitatem Chriſti, perfectionem totius ſpeciei continere; ſicut maximum, & non contractum, aut limitatum frumenti granum, omnia frumenti grana contineret. Deinde vt creatura per Verbum procedens, quatenus principium eſt, per creationem ſortitur ſpecificam ſuam perfectionem: & idem etiam quatenus finis eſt, Deum reduceretur, & in eo eleuata, & exaltata quieſceret. Tota enim perfectio cuiuſuis rei, ſita eſt in reditu eius ad ſuum autorem. Alioquin omnia meliora eſſe poſſent, quàm nunc ſunt, & excellentiora. Tertiò Dei potentia, quæ creatura vlla non terminatur, ſeipſo in opere extra ſe cõdito terminaretur, quatenus ſeipſum terminauit Chriſti humanitate, dando ei eſſe diuinum perſonale, quo maior vnio, ſaluis naturis, non poteſt concipi: & quauis minori gratia data, adhuc maior dari poteſt: & ſecundam habens, non eſſet immediatus mediator, nec primus.

Apoc. 13.

Quatenus Dei potẽtia Incarnatione terminetur.

Dicitur autem Dei potentia Incarnatione terminari, non ita tamen quòd humanitas ſit ſubiectum infinitæ vnionis, quia tranſiret in infinitum, nec humanitas eſſet: perſona autem infinita perſonæ infinitæ vnitur, quia infinitæ ſunt. Eſt tamen maxima vnio naturæ humanæ, vt humanæ, & cum quauis eius parte totum eius Verbum vnitũ eſt. Quartò, opus fuit abſolutè incarnatione: vt ſicut omnia exiſtunt à Deo, qui exiſtit omnia abſolutè, ita contracta eſſet à Deo, cui ipſa contractio eſt maximè vnita: ita vt pri⁹ ordine Deus ſit, nempe omnium creator. Deinde Deus homo vniuerſalis omniũ contractio. Tertiò, vt omnia in eſſe contracto prodeunt. Quarto, vt natura beatificanda, & capax beatitudinis haberet primum mediatorem, & magnum gloriæ accidentalis obiectum, ac ducem imitabilem, quia falli nequit, & captu facilem, Verbo aſſumente vocem humanitatis, cuius factis, & verbis nos docuit.

IV. ratio.

Reiiciũtur modi quinque vniõis hypoſtaticæ.

Non eſt autem vnio hypoſtatica (qua maior eſſe non poteſt, ſaluis naturis) male à nobis concipienda: quidam enim putant eſſe tanquam diuerſorum vnionem, quia cum Deus ſit omnia incontractè, ſiue abſolutè, non eſt diſtinctus à quoquã alio. Deinde non eſt concipienda vt vnio partis cum toto, ita vt quodlibet ſit reſpectu totius: quia Deus non eſt pars, ſed totum ipſum. Tertiò, neque conſideranda eſt hæc vnio vt materiæ cum forma: quia Deus non eſt forma informans, nec eſſe poteſt, quia imperfectum quid deſignat. Quartò non eſt meditanda quaſi ſit vnio prius diuiſorum, quia con-

contractum ante non erat, & abſolutum non habet prius, & poſterius, nihilque ei adijcitur ex contracto, nihilque cum eo componitur. Quintò, non eſt vnio ſimul compoſitorũ, ſed humanitas Verbi perſonę vnitur, vel filiatio humana, ſed eſt in primis vt attractum in attrahente, quemadmodùm ferrum in magnete, intermedio eius Spiritu, vt ſubiicitur in ſubiecto: quemadmodùm ſenſitiuum in intellectiuo, ac vt trigonum in tetragono. Tertiò, vt maxima polygonia in circulo, quia maximum rapitur ad alteram ſpeciem, nec per ſe. Quartò, vt vnitum in vniente. Quintò, vt duæ arbores in circulo inſertæ. Sextò, vt fluuius in mari, ad quod ducitur, & quod ipſum capit. Septimò, vt vox in verbo, & vox in charta, philoſophia in Ariſtotele, artifex in imagine, & vt filius patris Galli, matris Hiſpanæ: qui ſimul eſſet & Gallus, & Hiſpanus, his enim exemplis ducitur quis commodè ad concipiendam veram vnionis hypoſtaticæ rationem: ſed modus iam tantis ſpeculationibus eſt adhibendus, & ita iſta ſufficiant.

Septem modi, quibus apte concipi poteſt à nobis vnio hypoſtatica.

DISPVTATIO III.

In qua reliqua verba primę clauſulæ explicantur: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, &c.*

Pictoris ingenium.

QVEMADMODVM perſpectus pictoriæ artis magiſter plus temporis inſumit in depingenda facie, ſiue vultus forma, quàm in toto reliquo corpore fingendo, ita nobis in explicando huius epiſtolæ exordio, quod Chriſtum caput noſtrum continet, ſubtilius procedendum eſt, vt ex eo etiam reliqua omnia magis explanentur, atque illuſtrentur.

Sex difficultates in verba propoſita diluendæ.

In primis igitur circa hęc quatuor verba nonnihil philoſophabimur. Deinde expendemus verba propoſita: nam multæ dubitationes in illis inſurgunt. Primũ quidem ſcopus Apoſtoli videtur declarandus. Deinde cur ſenſibus externis & internis diuinum Verbum explicari voluerit; cum conſtet, Deum lõgè eſſe ab omnibus ſenſibus, & mentibus, & intellectibus hominum. Tertiò, quare præmittitur ſenſui viſus, ſenſus auditus. Quartò, cur repetitur verbum Perſpeximus: nam idem eſt perſpicere, quod videre: quorſum etiam, Oculis, ait, noſtris, quaſi ſine oculis quiſquam videre poſſit: Et videtur Pleonaſmos figura; vt id: *Et ſic ore locuta eſt.* Præterea ſequitur de contrectatione manus, de qua in Euangelio verbum nullum: & quia ille ſenſus interdum ludificatur, non poteſt certam fidem ſtatuere. Venit etiam inquirendum, cur adiungat: *Et vita manifeſtata eſt*: quia videtur fruſtra replicari quod prius erat dictum.

Virg. 1. AEneid. & alibi.

Ad I. dub. Quis ſit ſcopus Apoſtoli.

Quod attinet ad primum, Apoſtoli Ioannis mens eſt rem magnam annuntiare: ſed quia non poteſt verè annuntiari, quod non cognoſcitur, iuxta illud: *Quod ſcimus, loquimur: & quod vidimus, teſtamur*: nec vere poteſt cognoſci, quod non eſt: idcircò Apoſtolus poſtquam narrauit Verbum maximè eſſe, quia antiquitate, & ſublimitate nobile eſt, quia Verbum, & vtilitate, & delectatione præſtantiſſimum eſt, quia vita: modò incipit enarrare qua ratione ſciri poſſit. Nam quia homo eſt creatura tempori ſubiecta, & omnia ex modo creaturarum iudicat, non poteſt cogitare quomodo ſine principio ſit Verbum æternum, idcircò oportet vt ipſum Verbum æternum illum doceat, tum lumine naturæ, & vidente non eſſe procedendum in infinitum, & ideò ad principum aliquod ęternum veniendum eſſe: vel lumine etiam reuelato, vel vtroque, & naturali, & reuelato, & quantum poſſumus ex verbis, quę propriè, & metaphoricè ex Scripturis capiuntur, & ex earum commentarijs vtrunq; lumen concurrit, & vterque ſenſus, externus ſcilicet, & internus. Nam Chriſtus Deus, & homo eſt, ſpiritus quidem ratione deitatis, & animæ eſt, & corpus ratione carnis: homo etiam ratione ſuperioris partis animæ, luminis reuelati capax eſt. Senſus etiam interni actiuè concurrunt ratione inferioris luminis naturalis, ſenſuſq; externi intermedio corpore: ideò per vtrunq; ſenſum vnico vocabulo propriè, & translatè ſumpto ſignificatum, ait ſe cognouiſſe illud, quòd annuntiat: & primo ſenſu externo auditus, dicendo, *Quod audiuimus.* Etſi maxima ſit fidei Catholicæ certitudo ſuper omnem ſenſus, & intellectus facultatem, & ſuper omnem experientiam, & euidentiam, quia nititur Verbo Dei, ꝙ fallere, & errare nequit: atq; hæc cognitio nixa Verbo Dei, ſuperat omnem, quæ ſenſibus haberi poteſt, certitudinem. Voluit tamen Deus multa eiꝰ myſteria à primis ſuis Diſcipulis & Apoſtolis omnibus ſenſibus apprehendi. Nam etſi reuera plus ſit dicere, Deus dixit, quàm, dicere, Homines Dei Apoſtoli viderunt tamen hoc magis eſt homini

Ioan. 3.

Quotuplici lumine Verbi diuini homo indigeat ad capiendam ipſius Verbi æternitatem.

Ad II. dub. Cur ſenſibus internis & externis diuinũ Verbum explicari voluerit.

Fidei Catholicæ certitudo quanta.

mini conforme, & facilè conſueuimus fidem accommodare hominibus loquentibus nobis de Germanis, aut Indis, apud quos verſati ſunt, aut de templo Ieroſolymitano, quod religionis ergo viſitauerunt. Ideò rectè ait: *Quod audiuimus.*

Animæ noſtræ naturalis modus ſciendi, & intelligendi quis ſit.

Quia verò Anima noſtra inter intelligentias minor eſt, & in corpore quaſi terra ſeminata, & ſepulta iacet: ideò modus ſuus naturalis cognoſcendi, eſt à ſenſibus accipere, quibus non ſolùm vtitur ad id, quod vtile, & delectabile eſt corporis, vt bruta animantia, ſed ad cibum intellectus & affectus noſtri, qui ad diuina aſcendunt, quod eſt ſolius hominis ꝓpriũ. Quia vt peritus artifex melius, & ad plures effectus nouit vti inſtrumento aliquo, quàm imperitus; ita anima noſtra melius hoc præſtat, quod non poteſt anima bruti.

Gene. 3.

Rom. 5.

Chriſtus igitur, vt approbaret naturam hominis, quam ei dedit, & vt introduceret per illas eaſdem portas vitam, per quas dæmon mortem introduxerat, per auditum ſcilicet ſerpentis, & viſum ſimplicem pomi, & per diligentem eius perſpectionem, & tactum eiuſdem ſimplicem, & guſtum, qui etiam quidam eſt tactus, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, humanam carnẽ aſſumpſit, vt ita per eaſdem portas intraret & vita Verbi, medio pomo eius, quod eſt humanitas, audita, viſa, perſpecta, & tactu cognita, vt ita Verbũ altũ nobis condeſcendens exaltaretur, doceretque nos ſedere antequam ſurgamus. Deinde verò vt totus homo impleretur vita ſimul cum exteriori ſenſu; etſi interior capiebat verum Verbum incarnatum.

Cur auditũ animali, & præſertim homini natura impertiuit.

Auditus ſenſus neceſſarius eſt tam animali, quam homini, & Chriſtiano: bruta enim animantia per illum vitant ea quæ lædere poſſunt: aues rapaces ex clamore laqueos, vel ex garritu fugiunt, & aſpera quæque: conſequuntur vero commoda, vt cibum, & coitum, de quibus ſe ſolent bruta inuicem admonere. Delectationẽ etiam ſenſus auditus interdum quærunt: vt facit philomela, & aliæ auiculæ, quæ cantu delectantur. Homini verò vltra hęc omnia prodeſt auditus ad omnes humanos contractus, ad diſciplinas, & ſcientias; ad delectationes quoq;, & vtilitates ex eis captandas. Sed vltra hæc omnia peculiariter Chriſtiano valet ad doctrinam de Verbo incarnato concipiendam, quę eſt initium fidei, & amoris, & æternæ noſtræ gloriæ. Vnde ait: *Quod audiuimus*, ſcilicet externè, in primis per Prophetas,

Vnde Apoſtoli audierint Verbum vitæ, quod mundo annunciarunt.

& Angelos prædicentes Verbum, antequam ſciretur veniſſe: quod ex ſola Dei voluntate, excluſis naturalibus pendebat, & ſolus Deus potuit præſtare, vt & præſtitit. Deinde externè audiuim' per Ioannem Baptiſtam, cuius erat diſcipulus, & vox, & eius quaſi echo, & per bonos omnes, qui eo tempore viuebant. Tertiò etiam externè per ipſum Verbum incarnatum loquens, de quo propriè hic eſt ſermo, cum ait: Et hæc eſt annuntiatio, quam audiuimus ab eo. Verbum ergo æternum eſt, quod ſeipſum poteſt reuelare & de ſeipſo loqui: ſed primò ſe Angelis reuelauit, deinde Prophetis per Angelos, tertiò populo, & Apoſtolis qui de populo erant, per Prophetas, nouiſſimè verò locutus eſt nobis in Verbo homine facto. Atque hoc quidem duplici modo. Primò quidem verbo ipſo prædicationis vero, vtili, accommodato, & gratiam ſpirãte, & forti, & raro, & crebro per tres integros annos. Vnde & dicebant: *Nunquã ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo loquitur*; Chriſtus verò de ſe dixit: *Euãgelizare pauperibus miſit me*: & alibi, *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberẽt*: Pater verò, *Hic eſt Filius*, inquit, *meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Deinde locutus eſt nobis factis vitæ ſanctæ, & moribus inculpatis, & multitudine ſignorum, & miraculorum. Atque hic duplex modus conueniens fuit priori, ob eos, qui capaces erant per Verbum ſermone erudiri: poſterior ob eos, qui minus capiebant concluſionem ſuper naturalem a Verbo, & auditu acceptam, & ob eius probationem factis oſtenſam, & viſu acceptam poſteà capiebant.

Verbũ Patris quibus ſe manifeſtauerit. *Hebr.* 1.

Deus Pater dupliciter per Filium locutus eſt, & cur.

Ioan. 7. *Luca* 4. *Ioan.* 15. *Matth.* 17.

Ad III. du. Cur Ioannes ſenſum auditus præmiſit ſenſui viſus, cum tamẽ ſit iſte perfectior.

Ioan. 2. *Infra* 8.

Et primò ait de auditu: quia verba Chriſti vt concluſio præcedebant, ſigna autem ſequebantur vt probationes: *Hoc fecit*, inquit, *initium ſignorum Ieſus in Cana Galilea: & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Ergò anteà per ſermonem piſcatus erat diſcipulos. Ac vt patientia, & manſuetudo Verbum ſuſcipiens agnoſceretur, quod non capiebat in malis, iuxta id, *Sermo meus non capit in vobis* qui dicebant, *Dæmonium habet, & inſanit; quid eum auditis?* Vt audiens etiam, & videns viſionem, mereretur, iuxta illud: *Audi filia, & vide.* Tum vt magis vis diuina ſine ſignis primos trahens oſtẽderetur. Et fides eſt initium regni religionis, quia Deus ad eam habendam initio ſuccurrit: opinio, & ſcientia extra regnum ſunt, quia nihil voluntarii habent. Denique vt ſanaretur auris primò læſa in Eua omniũ

Pſ. 44. Fidei neceſſitas.

Geneſ. 3.

parente,

De quo auditu hic ſermo ſit.

parente. Atque de hoc auditu videtur Ioannes in præſentia loqui: non autem de auditu Prophetarum, qui communis erat omnibus Iudæis: & quia fruſtra teſtis per ſe oculatus, & auritus ſe teſtem auritum teſtis auriti, hoc eſt, alterius, nempe Prophetæ hic faceret.

Cur in plurali Ioannes dixit, audiuimus. *Ioan.* 15. *Act.* 1.

Audiuimus autem, ait, de præterito: quia completè audierunt omnia. *Omnia,* inquit Chriſtus, *quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* In plurali etiam ait audiuimus: quia multi, vt Apoſtoli, & 70. Diſcipuli, imò etiam centū & viginti electi teſtes reſurrectionis Dominicæ. Audierunt etiam Prophetas Ioannem, & Chriſtum interno auditu fidei acquiſitæ, quæ non ponenti obicem ipſi auditioni conſequi ſolet. Tales fuerunt Samaritani: contrarij verò illi Athenienſes, qui dicebant: *Audiemus te de hoc iterū.* Deinde audierunt etiam fide infuſa, ſed imperfecta in Chriſti conuerſatione, de qua Petro dixit: *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Tertiò etiam fide infuſa, ſed perfecta, & minimè confuſa in die Pentecoſtes. Vnde Chriſtus de Spiritu ſancto dixit: *Quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis*; & antè dixerat: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Rurſus: *Cū venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Angeli verò eis cooperabantur in interna auditione per lumen naturæ, & fidei imperfectæ, & perfectæ. In externa etiam auditione, tum per prophetas, & Ioannem Baptiſtam, tum per Chriſtum. Ac bene ait, *Audiuimus de verbo vitæ*: quia ita auditum eſt Verbum non ſolùm docens intellectum, ſed etiam vita inflammans affectum, ac lætificans: & beati illi, qui illū viderunt, & audierunt, non tantùm ſemel, vt Paulus, ſed per integrum triennium.

Ioan. 4. *Act.* 17. *Matth.* 16. *Ioan.* 16. *Supr.* 14. *Infra* 16.

Angelorū cooperatio ad fidē de Verbo diuino.

Duo effectus Verbi diuini in nobis. *Ioan.* 20. *Actor.* 9. 1. *Cor.* 15.

Expenditur verbū: Quod vidimus.

Sequitur ſecundum verbum explicandum, vt diximus: *Quod vidimus.* Viſus externus ad eadem, & multò plura, quam auditus, prodeſt, tam bruto animanti, q̃ homini puro, ſed magis, vt ex creaturis naturalibus, & ratione præditis aſſurgat ad Chriſti humanitatem, vt Apoſtoli, & alii teſtes, ſignificandam. Ac primi quidē viderunt Chriſti præſentiam corporalem paſſioni ſubiectam per totam vitam: ſed maximè poſt paſſionem oſtendit dotes illas corporum glorificatorum. Nam & ambulauit ſuper mare: & volentes lapidare, repreſſit: & claritatem oſtendit in Transfiguratione. Oſtendit etiam eandē naturam poſt Reſurrectionem impaſſibilem, & opera paſſibilis oſtendentem: vti faciebat edendo, & bibendo cum Diſcipulis, & quando ſub forma peregrini, & hortulani viſus fuit. Impaſſibilitatem etiam oſtendit in Aſcenſione, & reuelando cogitationes ſuas Apoſtolis, gratiſſimum ſanè, & præclarum oculis obiectū Chriſtus erat, in quem omnium oculi erant intenti. Vultum habens tantæ venerationis, vt videntes poſſent & diligere, & formidare. Talis item erat, vt ab eo diſcipuli difficilè auellerentur. *Ad quem*, inquit, *ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Vnde legitur coëgiſſe Diſcipulos aſcendere nauim & ire trans fretum. Idem quoque dixit: *Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.* Prætereà innumera ſigna per eum edita viderunt tum in modo diuerſa, tum in vtilitate, quia exhilarabant ſpectatores, & illa quidem crebrò. Alia autem, quæ ſolam oſtendebant potentiam, vt Transfiguratio, & ambulatio ſuper mare, raro: rarius etiam lædentia, vt quæ fecit circa ficum, quam arefecit, & circa dæmones, quos permiſit intrare in porcos, & mari ſubmergi. Tertiò viderunt etiam, quod vtilius, & mirabilius eſt, nimirum externos actus virtutum Chriſti imitandos, tum in proſperis, tum in aduerſis ad inſtitutionē noſtram propoſitos omnibus, tum doctis, tum indoctis, tum Iudæis, tum Gentibus. Et viſus ſuccedit auditui, vt in Eua etiam contigit: quia viſus forma eſt, & ſigillum aliorum omnium ſenſuum, eos tranquillans, ſicut internus viſus etiam internum auditum; & quia iudicat omnia, atque hæc non ſine diſcurſu.

Humanitatis Chriſti clariſſima teſtimonia. *Matth.* 14 *Ioan.* 10. *Matth.* 17

Luc. 24.

Chriſti amabiles mores ſuauitasque conuerſationis. *Ioan.* 6. *Marc.* 6. *Ioan.* 16.

Quæ ſigna Chriſti rara, quæque rariſſima. *Matth.* 17. *Supra.* 8.

Auditus Apoſtolici prærogatiua ſingularis. *Geneſ.* 3.

Ad IV. dubium. De hac emphaſi Ioannis: Quod vidimus oculis noſtris. *Act.* 4.

Addit verò: *Vidimus oculis noſtris*, ob expreſſionem certam, & quaſi miram: nulli enim oculi digni erant hæc videre, quia multi, quæ viderunt, oculis ſuis dicunt ſe vidiſſe; ideò addit oculos: & qui ſic videndo perſuaſi ſunt, dicunt cum Petro & Ioanne; *Non poſſumus quæ vidimus & audiuimus, non loqui.* Et ideò non eſt Pleonaſmos, vel Periſologia. Et hoc tam de interno oculo, quam de externo eſt accipiendum; non autem quatenus oculus videtur ſignificare mentem in idiomate Hebræo. Ita dicitur diſplicuiſſe quis in oculis alicuius: quibus verbis ſignificatur mentis diſplicentia in vultu, & maximè in oculis.

Hebraiſmus in voce oculis.

Cur additum hoc verbum: Quod perſpeximus.

Sequitur tertium verbū: *Quod perſpeximus, ſiue ſpectauimus,* Diſtinctum hoc verbum à verbo priori videndi: nam Græcè habetur, ὃ ἐθεασάμεθα, id eſt, id quod quaſi in theatro cū diligentia, admiratio-

Duplex perſpe-ctio, inter-na, & ex-terna.

ne, atque delectatione videmus, & quaſi rem in ſpectaculo poſitá Deo, & Angelis, & hominibus ad intuendum. Et externè quidem ſignificatur vis diſcretiua, quæ eſt in oculo humano ratione intellectus hominis, non autem in brutis. Videmus enim hęc eſſe, hæc, & diſtinguimus ab aliis: & hæc verſatur circa omnia ad quæ ſimplex viſus ſe extendit. Eſtq; neceſſaria, ne ſimplex viſus decipiat. Interna autem perſpectio eſt internus viſus ſine diſcurſu, ſed per intelligentiam, quod ſe habet ad viſum præcedentem, ſeu mediationem, vt captio prædæ reddatur ad curſum, & quies ad motum, portus ad nauigationem. Ideò cum delectatione eſt, quæ diligentiam otioſam parit, & admirationem. Et circa omnia dicta ſtupet Verbum internum, in omnibus videns ita condeſcendens, & ſeſe oſtendens.

Ad IV. dub In id. Et manus noſtræ contrecta-uerunt.

Subdit Apoſtolus de ſenſu tactus: *Et manus noſtræ contrectauerunt.* Non eſt hic finis clauſulæ, quia debet oſtēdere aliquid pluſquam præcedentia, nempe auditus, viſio, & perſpectio Ieſu, & Ioannes non iterum repeteret, Annuntiamus vobis. Ergo ſimili modo iungēdum eſt præteritis dictis. Et quia auditio fuit vt cōcluſio habens probationē ex ſenſu viſus, addenda fuit altera probatio ex tactus ſenſu. Et quia cognitio noſtra à ſenſu incipit, quæ eſſe ſeu eſſentias non penetrat, ſed externa tantùm: ideò quanto plures ſenſus rei alicui vt teſtes accedunt quaſi plura ſigna phyſiognomiæ, tāto res eſt certior. Hinc ſimplex viſus per ſpectationem certior efficitur: ſed ne in viſu videretur præſtigium oculos ludificans, adhibitus eſt tactus ſenſibilior, & craſſior è propinquiori ſpatio rē ſentiens, & viſum iuuans: qui viſus oſtendit colorē, magnitudinem, figuram, & ſitum, tactus autē magnitudinem & figurā, molle, durū, planum, aſperum, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, & cætera. Et ſicut quo plura ſigna, ſeu accidētia rei habemus, eò certiores de ea reddimur, vt de vino, viſu, odoratu, & guſtatu, & tactu cognito: ita tactus ad eadem iuuat, & immediator eſt tēperaturæ corporis, quæ per totum corpus ſpargitur. Hinc ſignum eſt, quādo mens habet bona organa, iuuat maximè eius delectatio ad conſeruationem indiuidui, & ſpeciei.

Cauſæ certitudi-nis rei ali-cuius.

Ioan. 20.

Hoc ergo tactu Apoſtoli, ac maximè Matris, ac Thomæ Apoſtoli manibus tāgebant, ac ideò omnium manus reputantur, & dicuntur tetigiſſe Chriſti humanitatem, tum Chriſti infantis: & quando A-

Matth. 21.

poſtoli Chriſtum ſuper aſinam & pullum impoſuerunt, & cum deſuper ſedere fecerunt, & Iudas cum oſculatus eſt eū. Lauit etiam eorum pedes inter cœnandum; eundem Ioannes viuum tetigit, dum recubuit in cœna ſuper pectus eius, & cum ſuſcitatum tetigit, ſecundùm illud: *Palpate, & videte.* Ioſeph quoq;, & Nicodemus in morte tetigerunt, & ſuſcitatum; omnes item in Euchariſtia. Tangebant etiam ſigna, & panem multiplicatum, vinum, piſces. Dicebat Petrus: *Turba te comprimunt & affligunt, & tu dicis, Quis me tetigit?* mulieres præterea tenuerunt pedes eius, & oſculatæ ſunt.

Matth. 26. *Ioan.* 13. *Ibidem.* *Luc. vlt.* *Ioan.* 19. *Matth.* 14. *Luc.* 8.

Didymi Alexan-drini mira, nec ta-men in-credibilis interpre-tatio hu-ius loci.

Didymus Alexandr. hæc verba in hunc modum interpretatur: *Multi per hæc verba putāt præſentiam Saluatoris poſt reſurrectionem factam Diſcipulis demonſtrari, aſſerentes quia dixit hæc Ioannes de ſe, cæterisq; Diſcipulis, quia prius audierint, quoniam Dominus reſurrexit, poſteà verò oculis ſuis inſpexerint, ita vt contrectarent pedes, & manus, & latus eius, & ſenſu caperent figuras clauorum eius, &c. Nam licèt ſolus Thomas palparet eum, attamē hoc omnibus repræſentatum, cùm ipſe Saluator dixerit vniuerſis. Palpate me, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Hæc ille. Ex cuius ſenſu dicimus, non tantùm Thomam, cui dixit: *Quia vidiſti me Thoma* (id eſt, tetigiſti) *credidiſti*, ſed etiam alios Apoſtolos Chriſto paruiſſe dicenti. *Palpate, & videte*, & q̄ ſequuntur. Poſteà tamen idē Didymus producit ſenſum profundiorem, qui non tantum ſpectat ad diem reſurrectionis, ſed etiam ad omne vitæ ſuæ tempus.

Luc. 24.

Quid Io-annes ma-nuum ta-ctu Verbi diuini de-ſignauerit

Et manus, ait, *noſtræ*: notans vtramq; manū; vt medicus, qui pro certitudine morbi accipienda, vtriuſque manus brachium tangit. Opera autem Ieſu, ſicut & ſigna, quia nec calida, nec frigida erant, nō tangebant, ſed obiecta, vt veſtes, lectum, cibum, & ſimilia. Atque ita hoc verbum Tangēdi, pro certa cognitione poteſt accipi. Vnde dicere ſoliti ſumus: Faciam vt tangas manu rationem meam. Tactus a. internus eſt ille, quo voluntas amore ſequente perſpectionem internam ebria amplectitur. Ac vt videns mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt cum ea; ita qui Chriſtum videt amando tangit. Guſtus verus quaſi per quendam tactum ſignatus, repræſentat amorem ſequentem meditationem, quæ minor eſt ſignato per tactum. Sicut etiam delectatio guſtus, delectatione venerea minor eſt, per quam etiam, ſicut per guſtum, & viſum, & odoratum, & auditum, ſignatur gloria æterna, iuxta illud: *Læua*

Matth. 5.

Quibus deliciis gloria ſignetur æterna.

eius

eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: & alibi, *Gaudebit Sponſus ſuper Sponſam*: Dominus quoque Apoſtolis, *Vt edatis*, inquit, *& bibatis ſuper menſam meam in regno meo*: Dilectus item, *Videbimus eum ſicuti eſt*: Sponſa verò in Canticis, *Introduxit me Rex in cellaria ſua*. Etſi odor crebriùs ſit guſtus quidam reſpondens fidei, quæ eſt auditus, de quo: *In odorem vnguentorum tuorum curremus*. Dominus quoque dixit, *Venit hora, cum iam non in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis*. Spiritualis etiam tactus eſt, quo credita, quatenus credita, dilatat intelligendo; vt colus nendo diſtenditur; in Euchariſtia quinque ſenſibus percipitur Chriſtus ſub ſpeciebus, vel accidentibus panis, & vini. Eſtque Chriſtus vellus in colo Crucis, & præſepio, ex quo ſindon noſtræ conuerſationis, & induſium fidei contextum fuit: Fuſum autem, eſt diſcretio. Guſtus, & odor non ſolent de humano indiuiduo certos nos facere; ideò hæc non producuntur. Vel forte perſpicientes, vel manu tenentes pomum vitæ Chriſti odorati, ſicut & guſtauerunt: idcircò hi duo ſenſus ſubintelliguntur in perſpectione, & contactu: homo enim odorem emittit, ſicut etiam reſolutionem: vnde canis ex odore cognoſcit hominem, quia cerebrum magnum ſua humiditate odoratum hominis obtuſum reddat: ex quo illud: *In odorem vnguentorum tuorum curremus*: metaphoricè autem hoc dicitur de vnguentis odoriferis virtutum, & officiorum charitatis. Chriſtus igitur in lege naturæ auditus fuit: in lege ſcripta viſus eſt, maximè in fine, quia durauit vſque ad paſſionem, vbi occiſus legem conſummauit in gratia ſiue in Euangelio perſpectus; in gloria tactus: & in quouis ſtatu ſunt alia tria, ſed ſecundùm modum ſuum. Vel: *Audiuimus*, à Prophetis: *Vidimus* incarnatum, *Perſpeximus* transfiguratum: *Tetigimus* iam à morte ſuſcitatum.

[Margin: Cant. 2. / Eſai 62. / Luc. 22. / Ioan 3. / Cant. 1. / Ioan. 16. / Pulchrè Chriſtus in vellere repræſentatur. / Vnde canis agnoſcat ſuum dominum. / Cant. 1. / Ioan. 19. / Alter ſenſus eorum verborum: Quod audiuimus, vidimus, perſpeximus, contrectauimus.]

Ex his quatuor verbis diſcamus primò audire per fidem, iuxta illud: *Quis credidit auditui noſtro?* Ergo fides ex auditu: etiamſi non capiamus, quia qui credit citò, leuis corde eſt. Secus qui credit Deo veraciſſimo, cui ſine pignore mutuandum. Et ſic merebimur videre, hoc eſt, intelligere rationes rerum credibilium. Si non credideritis, inquit, non intelligetis. Secundò videbimus oculis ipſis fide iam illuminatis rationes, & cauſas cum magno guſtu, & admiratione; veluti ſanctæ Trinitatis, Incarnationis, Mortis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis myſteria, quæ propriè ſunt hominis ſpiritualis paſtus, & ſolidus cibus. Tertiò perſpiciemus cum admiratione, delectatione, aut guſtu de fide, vt Auguſtinus de Incarnatione lacrymis, & delectatione admirabatur: & Paulus raptus eſt in tertium vſque cœlum. Quartò tangamus, ſeu contrectemus manu bonorum operum, credita, & viſa operando; nil enim eſt, quod magis nos certos reddere poſſit de veritate fidei, quam iſte tactus bonorum operum, & vitæ Chriſtianæ: quia in manibus, vt ait ſanctus Iob, Deus abſcondit lucem. Debemus etiam tangere Chriſtum in ſpeciebus Euchariſtiæ ex fide ſumendo & perſpiciendo mirabilem Domini dignationem, vt ita poſteà in gloria digni ſimus tangere, & dicamus: *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*.

[Margin: Documenta quatuor ex illis verbis. / Eſai. 53. / Rom. 10. / Eccli. 19. / Eſa. 7. / Hominis ſpiritualis paſtus, & ſolidus cibus / 2 Cor. 12. / Iob 36. / Cant. 2.]

Clemens Alexandrin. in fragmentis ſuæ expoſitionis in hanc Epiſtolam, in hæc verba ſcribit: *Fertur ergò in traditionibus, quoniam Ioannes ipſum corpus, quod erat extrinſecus tangens, manum ſuam in profunda miſerit, & ei duritiam carnis nullo modo reluctatam eſſe, ſed locum manui præbuiſſe diſcipuli*. Hæc ille. Quæ traditio non videtur mihi omninò reſpuenda, quæ oſtendit, præter Thomam alios diſcipulos palpaſſe, & vidiſſe Dominum ſuſcitatum. Nam non ſolùm in vita, ſed etiam poſt mortem ſigna edebat Dominus Ieſus: & ſicut cum viueret, impaſſibilem ſe eſſe oſtendebat, cum paſſibilis eſſet, dando corpus, & ſanguinem ſuum edendum in Euchariſtia, in qua nunquam conſumitur, nec conſumi quidem poteſt; ita poſt reſurrectionem aſſumpto corpore ſolido, & impaſſibili, paſſibile tamen, & quaſi penetrabile à manibus Ioannis tangentis non ſine miraculo reddebat, vt oſtenderet ſe ab amicis tangi velle, & penetrari eius carnem, vt ea protegamur; ac vt aperiat nobis diuitias bonitatis ſuæ, qui etiam nobis diuitias ſpirituales, & animam, & diuinitatem facilè aperiret, ſi amore eum tãgeremus, vt tetigit Ioannes.

[Margin: Admiranda quædam traditio de Ioanne Euangeliſta, ex Clemente Alexandrino perpétuò. / Ioan 20. / Chriſti potentia, & benignitas.]

Subdit: *Et vita manifeſtata eſt*. Dixerat ſe audiuiſſe, & tetigiſſe Verbum vitæ; reddit nunc rationem per parentheſim, quomodo id fieri potuerit dicens: *Et*, id eſt, Quia, ſicut more Hebræo ſolet accipi, ſecundùm illud: *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, id eſt, quia peccauimus: ita etiam ait alibi Ioannes: *Et verbum caro factum eſt*: Beata quoque Elizabeth ad B. Virginem: *Et benedictus fructus ventris tui*; eodem modo illud accipe: *Et inimici hominis, domeſtici eius*. *Vita*, hoc eſt, Verbum, quod in

[Margin: Ad quintum dubium. Cur Ioannes dicat: Et vita manifeſtata eſt. / Eſa. 6. / Ioan. 1. / Luc. 1. / Micha 7. / Matth. 10.]

ſe vita eſt, & in Patre, & in Spiritu ſancto, & in omnibus viuentibus naturalis, & in quibuſdam ſupernaturalis. Manifeſtata autem eſt congruo modo per Chriſtum hominem ſibi vnitum. Licèt enim vita in ſe viſibilis ſit, ſicut etiam ſummè eſt, vnde omnia viſibilia ipſum oſtendunt, quia infinita potentia, ſapientia, & bonitas in quouis apparet: nam quodque in ſe eſt infinitum in potentia, quod eſt omnia, & omnia ſuo modo continens; ſuperiora velut in vmbra, inferiora perfectè, & eminenter: & quia oſtendit per hoc, quod nulla potentia finita ſufficeret ad id creandum, hinc eſt, quòd in omni quæſtione de Deo, ponitur eius reſponſio: quærimus enim, an Deus ſit, & quid ſit, & propter quid ſit: & reſponſio eſt ad primam, ipſum eſſe: in ſecunda, ipſum quidditatem eſſe: in tertia, ipſum ſui ipſius finem, & propter ſe ipſum eſſe: ipſe denique eſt omnia contractione ſublata: vnde vt omnia lucida Solem, & omnia calida, ignem, & calorem oſtendunt; ita omnia Deum omnibus inexiſtentem, immixtum, & omnium ideam oſtendunt, iuxta illud, *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Tamen quia homo erat peccato obcæcatus, nec id ſine collyrio videbat, inuenit modum ſe manifeſtandi. Hic autem fuit occultando abſolutionem Deitatis, potentiam, ſapientiam, & bonitatem contractione humanitatis, potentiæ finitæ, ſapientiæ, & bonitatis terminatæ: quemadmodùm Sol lippis oculis ſe nube occultat, & quo ſe manifeſtare vellet, tanto magis ſe abſconderet; & è contrario quò plus ſe abſconderet, magis ſe declararet. Et vt Sapiens ſuam ſapientiam indicans, ſe abſcondit, ſe ipſum autem abſcondens, ruſticanè, & populariter loquens, ſe magis manifeſtaret: ita vita illa abſoluta carne tegens, ſe prodidit facto Incarnationis, deinde ipſis ſignis ad id oſtendam factis: Si mihi, inquit, non vultis credere, operibus credite. Quæ etſi naturalia extitiſſent, Deus tamen non permiſiſſet ea fieri, ſicut nec dæmonem permiſit ſacerdotibus Baal tempore Eliæ incendere ſacrificium, quod facto perquam facillimum erat: quia eſſet tentatio ſupra vires. Tertiò verbis etiam ſe oſtendebat, vt dictum eſt: ita vt quæ olim Angelis, & pauciſſimis intellectibus vi huius manifeſtationis erant nota, nunc omnibus noſtris facultatibus conſpicua ſint, & vegetatiuæ, & reliquis. Nam virtus vegetans in ſolis Euchariſtiæ ſpeciebus cognoſcitur, cùm ſentit ſe Chriſti deuotione refici, & ait cum Propheta: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Sentit etiam carnem ſuam mortificari, ſentiendi etiam potentiam auditus, qui ſpiritualia verbis induta audit; & viſum, qui etſi corporea tantùm videat, videt tamen alia ineſſe, quæ non videt; nec ſolo viſu, ſed etiam tactu, qui craſſior eſt ſenſus, & viſu inferior: nam tactus lucem, & colorem non percipit, neque aliquid longè poſitum, nec aliquod ſucceſſiuum. Prodit ſe etiam imaginatione, ob ſenſibilia propria, & communia: in ellectu quoque, ob animam, & Deitatem, & corpus, quanquàm hoc medio corporeo ſenſu percipiat: & verè per eum acceſſum habemus ad Deum noſtrum, non ſolùm quia ſumus ei nondum cognito grati, vt paruuli baptizati cogniti à Deo, & non cognoſcentes eum, ſed quia habemus etiam baculum ſenectutis, in quo ſubſiſtimus: ducimur & ad hoc vt paruuli lac habeamus. Et ne conqueramur cum Arſenio, qui putabat Deum, hominem corporeum eſſe. Homo enim non putauit Deum homine nobiliorem, qui eo maiorem non videbat, nec excellentiorem, ideò Deus ſe hominem fecit, quòd tulerit illis Deum noſtrum; vel cum Magdalena, cùm ſublatum ſolùm eſſet corpus.

Verbo autem manifeſtatur vita per obiecta omnium potentiarum: quia ipſa eſt regnum cœlorum, denarius, brauium, theſaurus, margarita, & obiectum viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus: & per id quod omnes ſuperat. Et ſic vita in Chriſto homine eſt manifeſtata Patri, qui tunc cognouit quòd Deum timeret: quare ſibi in eo complacuit. ¶ Angelis etiam apparuit vita, qui omnibus myſterijs Chriſti interfuerunt: omnibus item Iudæis & Gentibus, iuſtis, & peccatoribus, Animabus etiam Purgatorij Chriſti Incarnationis meritum fuit manifeſtatum. Primò, quia per eum eſt lumen, quo in omnibus creaturis agnoſcitur, & Scripturis, licèt non videretur ſicut lux; quæ facit videre colores, & non videtur, nec pupilla, per quam videmus: ideò nil illa viſibilius. Deinde quia fides, & gratia, quæ antè erat velata ob paruitatem, & fortitudinem formidinis, propter quod non differebat puer à ſeruo, vt actus etiam tunc perfectorum manifeſtant, ceu Dauidis contra Nabal, & Miphiboſeth Ionetæ filium, & querelas Ionæ prophetæ, & Eliæ, & ſimilium. Contra verò de noſtris, qui poſſunt dicere: *Maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus.* Hoc autem prouenit ex copia gratiæ, & fidei, & ex concupiſcentiæ,

ſiue

Cum per ſe viſibilis vita verbi ſit, quid opus ſui manifeſtatione.

Ioan.1.

Secundus modus manifeſtationis Verbi diuini.

Ioan.10.

3.Reg.18.

1 Cor 10.

Tertius modus.

Pſal 83.

Dupliciter acceſſum habemus ad Deum per Chriſtum.

Rom. 5.

Error Arſenij cuiuſdam de Deo.

Ioan.20.

Quibus vita Verbi ſit eſſe manifeſtata.

Matth 3.

Infra 17.

Animabus purgatorij ſtilicet innotuit.

Gal 4.

1 Reg.25.

2 Reg 4.

Iona 4.

3.Reg 19.

1.Cor 4.

ſiue fomitis imminutione. Vnde factum eſt, vt poſſet eſſe auditus ad Chriſti doctrinam percipiendam, quē non habent iuuenes ad Ariſtotelis philoſophiam. Tertiò, quia vita gloriæ nondum erat hominibus manifeſtata, quia tempore Ioannis innumeris qui ad beatitudinem peruenerant, iam patebat. Et ſic liquidum reddidimus, vitæ huius manifeſtationem, tam in capite, quàm in multis membris factam eſſe, quæ pleniſſimè erit in die iudicii. Et prodit, poſt mortem aliam eſſe vitam, & amorem ſenſibilia omnia contemnentem. Et ita manifeſtata eſt hæc vita, vt ſit locus fidei, etiam in Apoſtolis, nedum in nobis: vnde non eſt viſus adhuc per eſſentiam, & præſentiam, per quam excludatur fides.

Verbi vitæ manifeſtatio pleniſſima.

Sequitur: *Et vidimus*. Id eſt, Vidimus, inquam: repetit enim, quod cœperat. Et per verbum vidimus, omnem præceptionem per tres ſenſus, externos, & internos, capere poſſumus; quia nomen viſus ad oēs ſenſus, etiam ad intellectum extendi ſolet: velut cum dicimus, Vide hanc rationem: vide illum odorem; vide illam vocem. Et hic eſt finis parētheſis. *Et teſtamur*. Ratio eſt: quia verba ſuperiora de præterito ſunt: hoc a. teſtamur, de pręſenti. Ita vt ſit ſenſus: Quod fuit ab initio, & vidimus, etiam teſtamur, & annuntiamus. Et appoſitiuè addit: *Vitam æternam*. Teſtes autem, qui non ſe ingeſſerunt, ſed vocati ſunt ad contractū, vel inſtrumentū cōficiendū; ideò fide digniſſimi: ſecus eſt de ijs, qui obiter, & caſu viderunt: & ideò teſtes idonei primò ſcire debent veritatē, quia auriti, & oculati, & palpatores eſſe debent eius rei, de qua teſtantur, & plenè perſuaſi, vt dicere valeāt: *Non poſſumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui*. Vnde Eſaias, *Væ mihi*, inquit, *qui tacui*; & Apoſtolus, *Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero*, quia calculus ignitus, quo purgati & inflāmati erāt, vrgebat eos. Dauid, *Credidi*, inquit, *propter quod locutus ſum*. Et tales teſtari poſſunt contra eos, qui non accipiunt teſtimoniū eorū, vt erant Apoſtoli. Secundò teſtes debent eſſe veraces, id eſt veritatis amatores: quod vita, & ſignis oſtendere debent. Tertiò fortes, & conſtantes ſint oportet, qui à vero nō declinent, aut minis, aut muneribus, aut tormētis. Quartò verò teſtantes, ad pœnā talionis ſe exponentes, quorū vnus dicebat; Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, & alio loco, *Ego libētiſſimè impendar, & ſuperimpēdar pro animabus veſtris*. Quintò, imitatores Chriſti, qui teſtimonium perhibuit veritati: qui eſt pars contraria, & iudex, & ita Apoſtoli conteſtes iudicis, & aſſeſſores ſtabunt in magna cōſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. Et primò quidem pro auditoribus ſunt in eorum vtilitatem, ſi fide recipiant teſtimonium: deinde verò ſi fide non acceptant, contra illos ſunt, quibus dictum eſt: *Excutite puluerem, de pedibus veſtris in teſtimonium illis, &c.*

Viſus pro intellectu.

Apoſtoli quales teſtes fuerint Verbi incarnati, ex quinq; cognoſci poteſt.

Act. 4. *Eſa.* 6. 1. *Cor.* 9. *Pſal.* 115. *Rom.* 9. 2. *Cor.* 12. *Ioan.* 18. 1. *Tim.* 6. *Sap.* 5. *Matth.* 10. *Luc.* 10.

Voluit autem Chriſtus Dominus Ioānis Baptiſtæ vti teſtimonio, de quo dicitur: *Hic venit in teſtimoniū, vt teſtimoniū perhiberet de lumine*; & Ioannis Euangeliſtæ, qui teſtimoniū perhibuit Verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcunq; vidit: teſtimonium etiam omniū Apoſtolorū, quibus dictum eſt: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalē, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſq; ad vltimū terræ*: & propter ſe, vt ſuam bonitatem nobis communicaret: & propter nos, ne facilè poſſem' excuſari quòd non audiuimus. Chriſtus ipſe quoq; de ſe teſtificatus eſt: ait. n. Ioan. ca. 3. *Quod vidit & audiuit, hoc teſtatur: & teſtimonium eius nemo accipit*; nullus ſcilicet carnalis, & qui ex Deo regeneratus non eſt.

Cur Chriſtus Ioannis Præcurſoris, & Apoſtolorum teſtimonio vti voluerit. *Ioan.* 1. *Apoc.* 1. *Act.* 1. *Ioan.* 3.

Subiungit Apoſtolus: *Et annūtiamus vobis vitā æternā, quæ erat apud Patrē, & apparuit nobis*. Siquidem parentheſis clauderet omnia ſuperiora vſq; ad verbum, Teſtamur; tunc hoc continuandum eſſet cum ſuperioribus, *Quod fuit ab initio de Verbo vitæ, &c.* etiam teſtamur, & annuntiamus vobis. Ac vt appoſitiuè declararet quid ſit, ſubiungit: *Vitam æternā. quæ erat apud Patrem*. Si vero parentheſis claudit id: Et vita manifeſtata eſt; tunc verbū, *Vidimus*, repetitio eſt, & complexio illorum trium verborum vno vocabulo. Idem tamen vtrobique eſt ſenſus, & adhuc ſuauior, ſi ad verbum, annuntiamus, ſuppleretur, teſtamur, quaſi videlicet ad pœnam talionis ſe exponentes.

Ordinatio orationis.

Sūma e go hæc eſt annuntiatio ex multis, tunc ex re annuntiata, ſcilicet vita tot ſuis expenſis nobis manifeſtata, vt à morte transferamur ad ſe, qui vita eſt. Deinde ex mittente annuntiationem, Patre ſcilicet, vel Chriſto. Tertio ex legatis talibus ſuam legationem ſanguine confirmantibus. Quarto à tot populis, & illis omnibus, quibus facta eſt.

Apoſtolicæ annuntiationis Verbi diuini magnitudo vnde perſpicitur.

Annuntiamus igitur vobis, qui tenebræ eſtis, & à vita alieni, *Vitā æternam*. Hoc eſt, Totam ſimul viuentem, & valentem, & operantem tam diuerſa, & diuerſo tempore exiſtentia, quia æquiualet omnibus voluntatis actionibus, & ſucceſſiuis ope-

Vitæ diuinæ & æternæ perfectiones.

rationibus : Quæ erat ab æterno per ſe ſubſiſtens, & apud Patrem, hoc eſt, ab eo perſona diſtinctum, qui & filius eius eſt; & omniũ principiũ,& ſummè amatũ, & cum Spiritu ſancto coniunctũ, ac dulciſſima poſſeſſio in ea ſummè incluſa, quia verbũ immanens, & in ſinu eius ſummè propinqua Vita æterna autẽ quæ eſt extra terminos, hoc eſt, ſine initio, ſine fine, ſine ſucceſſione, quia idem cũ eo eſſe, eademq́; natura eſt: quod non eſt de humana Chriſti natura, quia eſſet infinita, & in Deum tranſmutata, quod non eſt, nec eſſe poteſt. Eſt autem humanitatis vnio maxima, & q̃ manens humanitas habere poteſt: & quia Pater vbique eſt omnia viuificans, vita ſibi dulciſſima & chariſſima. Eſt etiam hæc vita æterna ſecundæ Perſonæ, quæ Filius eſt, vbique & vnus eſt, in alio, & vnus ab alio, & plenè notus, ac dilectus ab alio.

Ioan. 1.

Vita illa cur apparuit nobis.

Et apparuit nobis. Quia vbiq; quidem in ſe, ſed nobis apparuit per effectum nouum humanitatis ſibi vnitæ: per quam loquentem, & patientem ſe manifeſtauit: non ſecus atq; vberrimus fons, qui cùm vult, faciet à ſe aquam prodire. Tollitur autem hæc lux, ſiue vita ob demerita noſtra; vel abſconditur, ſicuti dixit beatus Iob: *In manibus ſuis abſcondit Iob lumen*, Apparuit autem nobis nihil tale merentibus, ſed contemptibilibus, vt per nos humiles, & pauperes agnoſcentes miſerias noſtras, quaſi per cryſtallum ſplenderet aliis lux intus incluſa, ſed vt Sol Oriens, primò in montibus apparet, inde per montes collibus, & campis: ita debet in nobis viuere Chriſtus, vt vita Ieſu (mortificata tamen prius animali vita) manifeſtetur in corporibus noſtris, vt monet beatus Apoſtolus Paulus.

Iob. 36.

Eadẽ quomodo viuat in nobis.

2. Cor. 4.

Et licet hæc vita non appareat mundi dilectoribus, & ſeculi ſapientibus, ſatis tamen eſt, quòd viuat in corde illis abſcondita: Deo autem manifeſtata, vt dici poſſit nobis : *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*. Et quia æterna vita meretur honorem, imitationem, propinquitas verò ac ſimilitudo mutuum, & infinitum amorem: ideò hoc debitum non niſi Pater Filio, aut Filius Patri reddere poteſt. Et ideò nobis, qui in honorificando Patre, & Filio deſicimus, imò etiam Angelorum chori congaudere debemus, quod ſe inuicem perſonæ plenè, ac perfectè, & agnoſcant, comprehendant, & honorificent pro merito, & dignitate. Ac de his hactenus.

Coloſſ. 3.

Vitæ æternæ debitum, ac ſimilitudinis ſibi inuicem vt reddant diuinæ perſonæ.

DISPVTATIO IV.

In verba illa : *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.*

IN Primis præmittendum eſt, vnum ex ijs, qui maximè ſapientia in mundo claruerunt, verè, & acutè dixiſſe, præſtantius eſſe, pauca etiam, vel probabiliter de Diuinis, & cœleſtibus, quàm multa de creaturis his inferioribus, & terrenis, vel etiam per demonſtrationes cognoſcere. Vnde vel hic eſt magnꝰ fructus, agnoſcere illum minimè agnoſcibilem, & comprehendere illum eſſe talem quem comprehendere minimè valeamus. In primis dubium eſt, cur repetit illam ſententiam: *Quod vidimus, quod audiuimus, annuntiamus vobis*. Deinde, quænam ſit iſta ſocietas, quam deſiderat Ioannes ſuos diſcipulos, ac præcipuè Parthos, ad quos ſcribit, ſecum habere. Tertiò qua ratione illa eadem ſocietas Parthorum eſſet cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. Quartò dubitamus, quare non meminit communionis, ſeu ſocietatis cum Spiritu ſancto. Quintò quomodò huius epiſtolæ ſcriptio paritura eſſet plenum gaudium in eis; cum conſtet, eos de quibuſdam reprehendi; id quod non ſolet materiam gaudii præbere, ſed magis triſtitiæ, & mœroris.

Vel mediocris, & parua Dei cognitio quanti referat.

Dubitatio prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Primum dubiũ ſoluendo dicimus, duo tantùm Apoſtolum verba repetere: *Quod vidimus* ſcilicet *& audiuimus*: quia omnia Chriſti myſteria, & geſta, aut dicta, aut facta fuerunt, quæ ad aures, & oculos referuntur. Præponit a. viſum auditioni, quia ſuperius ꝓcedebat ab imperfectioribus, id eſt, ab auditu futurorũ ad viſum, vel à ſenſu valenti ſubtiliora percipere ad ſenſum valentẽ craſſiora, id eſt, oculũ, & pòſt tactum; modò verò contra facit, vt doceat primò, præceſſiſſe auditum imperfectũ; deinde a. re completa, atq; viſa, redibat ad melius capiendum iam audita.

Ad primũ dubium. De repetitione huius ſententiæ: Quod vidimus, & audiuimus, &c.

Annuntiamus, inquit, *vobis*. Hic dicit Apoſtolus ob bonam ſpem, quam de illis habebat; & ideò annuntiat teſtimonium in eorum fauorem, & contra eos non teſtificatur. *Vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum*. Vt & vos: Græcè eſt, *Vt etiam vos, qui non vidiſtis, nec audiuiſtis, ſicut nos*, vt in hoc ordine diuina commendetur ſa-

Charitas Apoſtolorum in Parthos omneſq́; Chriſtianos.

tur ſapientia, & in varietate omnium continentia, & in adiutorio vnius per alterum præſtito denotetur fidei meritum, & obedientiæ, & humilitatis, & charitatis erga Deum, non ſolum in ſe, ſed etiam in ſuis membris. Per maiores enim, tanquam per columnas, voluit alios iuuari, nec tantum in ſe, ſed etiam auditores: & bonus annuntiator Ioannes non quærit quæ ſua ſunt, ſed ea quæ ſunt Ieſu Chriſti.

Boni nuntij, legatiue partes.

Solutio ſecundæ quæſtionis.

Quam ſocietatem cum Apoſtolis habere debeant Parthi.

Collega, ſodalis, comes, ſocius differunt.

Socius cur ſit dictus.

Vt ſecundam dubitationem diluamus, aduerte in primis dici collegas eos, qui pari ſunt magiſtratu: ſodales vero, qui ſimul edunt, vel qui vna ſedent in menſa, aut ſimul edentes: comites, qui conſulendo, operamque præſtando alios ſubſequuntur, & præſertim in itinere, quod non tam ſui cauſa, quam vt alij ſe ſequantur, arripiunt. Vnde Cæſar de Labieno ſcripſit: Cum ſe Pompeij victoris comitem eſſe mallet, quam ſocium Cæſaris. Socius autem dicitur, qui pari conſilio, ſpe, & periculo rem aliquam cum altero aggreditur, ſiue in bello, ſiue in negotiatione: ſic dictus, vel quod ſecet, id eſt, diuidat laborem alteri*; vel quod eum in re laborioſa ſequatur, à ſocco, calceo vtrique pedi apto: quia ſocius ſe amico commodum in vtraque fortuna præbere debet, tam in proſpera, quam in aduerſa.

Societatem ergo hic vocat, communionem eiuſdem ſortis, id eſt, hæreditatis quæ ſorte diuidebatur, & quam Deum ſine meritis, quod attinet ad titulum, licet non quantum ad poſſeſſionem, donat. Atque ita ſocietas, eſt communicatio eorundem donorum ſpiritualium: quæ qui guſtant, quia vident illa omnibus ſufficere, & quo plus nobis dantur, eo magis prius habentes replere, non ſolum non auerſantur, ſed etiam optant ſocios habere, & participes. Quod tamen de temporalibus verum non eſt: nam quia craſſiora bona, eo magis communicata diminuuntur: aureus enim, exempli gratia, non poteſt eſſe ſimul in tua, & in mea manu, aut in crumena. Secus autem eſt de voce, quæ mihi, & tibi, & multis communis eſſe poteſt, & etiam de luce, quæ plus (ita dicam) habet ſpiritualitatis. Ita etiam qui pedibus ingreditur, non eget tanto commeatu, atq; ille, qui equitat: quia non tantum pro ſe, ſed & pro equo, & ſeruo viatico indiget.

Spiritualium cõmunicatio bonorũ quã longe ſit ab omni inuidia.

Deſiderat ergo Ioannes cõmunicationis ſocios, nam ad eam Deum videt prõptiſſimum, dum ſe, & omnia omnibus in naturali ſocietate, quæ in inferior eſt, cõmunicat. Se namque Deus cuiuis creaturæ donat, dum in ea eſt, vt eam conſeruet, ne videlicet vt graue cadat in locum ſuũ, id eſt, in nihilum, vnde omnia orta ſunt. Vnde ad Iob dixit Dominus; *Vbi eras, cum me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*? Cum enim homo vſque ad ſextam diem conditus non eſſet, & Angeli, qui dicuntur aſtra matutina, ante omnem diem, vel in ipſa prima die conditi ſint, recte dixit, Vbi eras? vt inſinuaret, omnium rerum, & omnium hominum propriam patriam nihilum eſſe. Et perinde ac manus ſuſtentat calamum, ne excidat, ita Deus perpetuo, conſeruat omnia à nihilo.

Cur Deus ſeſe creaturis communicet ac donet.

Iob 38.

Expenditur illud apud Iob: Vbi eras, cum me laudarent?

Dat etiã Deus ſe ipſum cuiuis quodammodo in creatione, cum homini tribuit infinitatem in potentia, quam ipſe habet in actu: nam ſi tempus infinitum eſſet, minimum milij granum infinita grana produceret: idem de ignis ſcintilla contingeret, quæ continue ſcintillam produceret. Communicant & rei cuilibet omnia creata iuxta eius capacitatem, id eſt ſuum eſſe formale: ſuperiorum quidem imperfecte, & in vmbra, quemadmodum aurum eſt in argento; inferiorum vero perfecte, atque eminenter, vt aurum continet eſſe argenti. Et ſic quoduis creatum iuuat quodlibet, & quodlibet à quocunq; altero iuuatur: vt in membris corporis eſt cernere, & in Pſalterij chordis (cui quidem mundus ipſe totus habens decem chordas comparatur) ſcilicet corpora quinque ſimplicia, hoc eſt, cœlum cum quatuor Elementis; & quatuor miſta, hoc eſt, habentia eſſe, viuere, ſentire, ratiocinari, & intellectu percipere quod eſt proprium Angelorum. Artifex autem faciens, & conſeruans harmoniam, Deus eſt, qui & vbique eſt, & nullibi eſt: Deus enim replet omnia, & nullibi eſt tanquam à loco comprehenſus. Deus igitur, qui facit, & ſeruat harmoniam, extra, & intra ſuum pſalterium eſt, in quo omnes chordæ inæquales, & inferior antequam perueniat ad maximam in ſua ſpecie, rapitur ad ſuperiorem: & ſpecies ſunt vt chordæ, etſi immediate actu ſint, & maximæ, & minimæ, non tamen potentia: ſicut nec chordæ, ſed Deus medias, maiores, vel minores facere poteſt. Maior autem eſt ſupernaturalis ſocietas, quam naturalis, de qua diximus: ideo ad eandem infinita bonitas, & miſericordia Dei pronior eſt: imo ad horam in communione naturali parcus eſſe

Quam tribuat homini Deus infinitatem quodammodo.

Proprium Angelorũ

Dei locus.

Ierem. 23.

Præcipua ſocietas quæ ſit nobis cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.

videtur (etſi ſine reprehenſione, quia omnibus dat quæ ſufficiunt ſuæ naturæ) vt in ſupernaturali ſocietate ſit liberalior. Hinc ſui ita eam deſiderant, illam curant, & magnifaciunt, ſe omnibus communicando vſque ad vitam, & ſanguinem. Hîc autem ſermo eſt de ſupernaturali communicatione.

Apoſtoli, columnæ Eccleſiæ ſpiritalis ædificij. *Iud.* 20. *Ioan.* 17.

Subdit: *Vt ſocietatem habeatis nobiſcum.* Qui ſcilicet viuimus, & columnæ ſumus, ſuperædificantes vos ſanctiſſimæ (vt Iudas ait frater Domini) veſtræ fidei. Vnde Chriſtus in oratione ad patrem: *Non pro eis* (ſcilicet Apoſtolis) *rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Vide etiam, quod minime poſſumus ſocietatem cum Chriſto habere, niſi Eccleſiam eius ingrediendo. Non enim poteſt Deum habere patrem, vt magnus dixit Cyprianus, qui Eccleſiam non habet, vel agnoſcit matrem: ſicut nec lucem, & calorem, qui hoc in templo continetur, percipere nequit, niſi qui in locum, & actiuitatis eius ſphæram intrauerit. Quemadmodum autem inferiora membra medijs ſuperioribus capiti vniuntur, ita ſucceſſores medijs præcedentibus Chriſto coniunguntur; vt perinde ſit Eccleſiam, & anteceſſores eius reijcere, ac nolle eſſe Chriſti membrum. Sicut idem eſt, pedem intermedio reliquo corpore capiti hærere nolle, atque nolle eſſe pedem in corpore.

Societas cum Chriſto quid requirat.

B. Cypria. epiſtol. 3. & lib. de vnitate. Eccleſia.

Tertia ſoluitur dubitatio. De ſocietate quã habebãt Apoſtoli cum Patre, & cũ Filio eius.

Iam ad tertium reſpondendum eſt, vbi ait: *Et ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto.* Ne quis putaret Ioannem ſe, & alios qui viderant, ponere pro obiecto ſocietatis, ſeu pro ipſa ſocietate, quia ipſe, cum alijs videntibus immediate deberet Deo vniri, nos vero nonniſi illis tantum; declarare voluit hoc ita non eſſe. Quia etſi caput animalis nulli membro proxime vniatur niſi collo, illud autem per alia deriuat vim ſuam; tamen in corpore myſtico Chriſti ſine medio ille cuiuis membro vnitur, influxus internos per ſe quoſuis efficiens; etſi quędam membra tantum ad quoſdam externos intermedia ſunt, vt propoſitionem eorum, quæ agenda, & credenda ſunt, & Sacramentorum adminiſtrationem, & interceſſionem ad Deum immediate tamen influentem; & exteriorem purgationem illuminationemque, qualis eſſe ſolet in Angelicis hierarchijs reſpectu Diuinæ bonitatis intus iuſtificantis & glorificantis. Etſi autem hæc mediatio externa ſit: qui tamen eam deſpicit, vel negligit, internam non accipit, nec immediatum influxum à Deo, quia ſe à capite per peccatum abſcindit: caput autem quia liberrimum, & ordinatiſſimum eſt, à quo omnia fluunt, idcirco ſtandum eſt in cómmunicatione ſanctorum, etiam externa, ſine qua interna non habetur.

Corpus Chriſti myſticũ quid diuerſum habeat à corpore naturali.

Sãctorum cõmunionis neceſſitas.

Omnes ergo quia immediate vnimur Deo, tam videntes, quam non videntes; idcirco cum emphaſi repetens, & declarans ſocietatem, ait: *Et ſocietas noſtra* (quod eſt mirabile: & hæc non eſt brutorum, quia ex nobis nihil ſumus, & nihil poſſumus, & omnia mala promeremur) *ſit in æternum cum Patre & Filio eius.* Quod vt capiamus, ſciendum, hic declarari, quod dictum eſt, iuſtitiam, quæ verbi prædicati finis eſt (finis enim noſtræ iuſtitiæ Dei laus eſt, & honor, cum ait) *Vt credentes, vitam habeatis in nomine eius, Omnem,* inquit, *qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* Iuſtitia autem duplex eſt, altera perfecta, quæ eſt beatitudo, & de qua Auguſtinus dixit; *In ea, quæ perficienda eſt iuſtitia, &c.* alia eſt viæ, quæ ſecundum eundem Auguſtinum, vnicus eſt charitatis habitus, & erga Deum, & erga proximum, quæ vinculum eſt perfectionis. Etſi vero charitas forma iuſtitiæ ſit; inſtrumentum tamen medium ad eius habendum initium, fidei actus eſt ſecundus, deinde ſpei actio, ſiue fiducia; tertius eſt dilectio ex auxilio ſpeciali elicita, qua etiam peccatum deteſtamur. Atque hæc omnia omnino libere donantur reſpectu naturæ nudæ ipſa iuſtitia fidei, quæ eſt charitas, cuius poſtea operibus redditur iuſtitiæ augmentum, & præmium gloriæ. Hæc autem charitas quia iuſtitia participata, clarum eſt eam ab eſſentiali totam vim ſuam accipere, quæ eſt vel tota Trinitas, vel appropriate Spiritus ſanctus, quia per modum doni procedit, & qui vnio & ſocietas eſt Patris, & Filij. Eſtque participata charitas, ſtratum animam diſponens, Spiritus ſancti, & Trinitatis per eum, quæ in eius habitat animo, & de charitate hac Spiritum ſanctum nobis ſecum adducente, & donante ſuum thalamum animę, videtur loqui Ioannes, vocans eum ſocietatem.

Diuinæ huius ſocietatis beneficium explicatur.

Ioan. 20. *Eſai.* 43.

Duplex iuſtitia. *B. Aug. lib. de ſpiritu, & litera c. 36. tom. 3.*

Coloſſ. 3. Tria ad iuſtitiã requiruntur.

Iuſtitia creata, & infuſa vnde pendeat.

Quare ſoluitur quod quarto loco dubitatum fuit, cur in hac communicatione, ſiue ſocietate, non meminit Spiritus ſancti; ſemper enim exprimitur Spiritus ſanctus, licet occulte. Illum etiam Paulus vocat gratiam, donum, & pacem, quia eſſentialis eſt vnio & Patris, & Filij, & Verbi cum humanitate carnis: vnde & conceptus dicitur de Spiritu ſancto. Chriſti et-

Ad IV. dubium. Cur Ioannes de ſocietate cũ Patre, & Filio loquẽs, ſuppreſſerit Spiritũ ſanctum.

ſti etiam vnio cum corporibus beatorum,quæ à Chriſto vt palmites in vite ſubuntur,& vim accipient digeſtam à calore Spiritus ſancti , ſicut ſpiritus beati ab Spiritu Chriſti , & per Chriſtum hominem à Deitate Filij,& Patris: hæc, inquã, Chriſti vnio cum Beatorum corporibus, ab eodem Spiritu erit. Hæc autem charitas creata , ideò iuſtitia noſtra eſt, quia illud eſt cauſa alicuius, quo poſito ponitur effectus , & quo ablato tollitur : poſita autem charitate in nobis, iuſti ſumus , & habemur à Deo;illa verò ablata, iuſti non ſumus, nec habemur.

Ioan. 15.

Duplex charitas,creata , & increata.

Increata autem Dei charitas, eſt efficiens,obiectum,& forma formans, altiſſima penetrans : quę appropriatè eſt Spiritus ſanctus. Et duplex eſt ; vna in beato per amorem,& viſionem in patria; alia verò, quam in via ipſe Spiritus nobis datus ſecum adfert per cognitionem, & amorem : quæ licet fidem ponat , eſt tamen in amore. Hic autem ideo iuſtificat,quia peccata aufert, deificat. Ac vt ferrum manens in natura ferri, ignis accipit proprietates; ita ignis amoris huius reddit animam candentem,lucidam, teneram, callidam, raram , flexibilem. Hæc etiam charitas totam implet legem, & dat ius ad cœleſtem gloriam, quia eius confert titulum , licet non conferat poſſeſſionem , quæ meritis comparanda eſt.

Vocat igitur Ioannes ſocietatem cum Patre,& Filio, & Spiritu ſancto,gratiam, ſeu charitatem, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis : per Spiritum enim hunc diuinum fit vnio illa noſtri ſpiritus cum Deo,quia facit ſcire quæ ſocii ſunt. Vnde illud : *Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Dicitur etiam communio, quia facit videre quæ omnium ſunt. *Fidelis*, inquit, *Deus* , *per quem vocati eſtis in ſocietatem Filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri:* quia videlicet aderit mutua protectio, atque defenſio. Ita ſocii Romanis facti ſunt Iudæi, vt dicitur in libris Machabęorum.

Societas fidelium cum Patre,& cum Filio eius, cur gratia,ſeu charitas, iure etiã communio dicatur.

Rom. 5.
Ioan.15.

1.Cor.1.

Oportet ergo bellare bellum Domini pro eius gloria,& animarum ſalute , ac pro eo ſemper ſtrenuè decertare, vt ille viciſſim bellet bella noſtra,id eſt, quæ ad ſalutem corporis, & animæ noſtrę pertinent,abundanter ſuppedicet. Portemus item onera Dei, hoc eſt, legem, & præcepta eius, vt ipſe quoque ferat onera noſtra, hoc enim ſociorum eſt, iuxta illud: *Alter alterius onera portate.* Reuelemus etiam ſecreta cordis noſtri, & deſideria per orationem Deo, vt ille viciſſim nobis ſua myſteria patefaciat , & more ſociorum adiuuemus illum in membris ſuis, vt ille nos,& noſtros pro quibus fundimus preces,adiuuet.

Quid bellare bella Domini.

Gal.6.

Pater igitur origo eſt Deitatis, quia ex ipſo Filius eſt , ex vtroque Spiritus ſanctus : & ex tribus illis vniuerſæ creaturæ prodierunt, & per Spiritum ſanctum redeunt ad Chriſtum iuxta illud; *Ille me clarificabit,quia de meo accipiet :* & per Chriſtum redeunt ad Patrem:*Nemo*,inquit,*venit ad Patrem niſi per me. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Et in homine ad Deum reducto, omnis creatura corporea ad Deum reducta cẽſetur, & fit ille circulus pulcherrimus , de quo Salomon:*Ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur,vt iterum fluant.*

Proprietates diuinarum perſonarum.

Ioan. 16.
Supra 14.
Rom.8.

Eccleſia. 1.

Ad hanc autem ſocietatem manu tenendam,opus eſt prius renunciare ſocietati dæmonũ, de qua Paulus Corinthiis, *Nolo vos*,inquit,*ſocios fieri dæmoniorum.* Et Principes debent renunciare furibus , vt partem habeant in hac ſocietate : quia ſcriptum eſt, Principes tui infideles , ſocii furum. Et hæc eſt illa ſocietas,de qua Apoſtolus ad Philippen.dixit: *Si qua ſocietas ſpiritus* , vt aliorum ſcilicet ſpiritus præcipuè adiuuemus. Et ſi æterni Patris ſocii ſumus,communicemus noſtra aliis, vt Pater fecit.Si etiam filii eius Ieſu Chriſti ſocietatem profitemur , demus operam,vt noſtra ope alij in filios Dei adoptentur,& ſalutem conſequantur, & vnctionis Chriſti participes fiant, vt ſcilicet bonus odor Chriſti ſimus in omni loco. Quia ergo grandis eſt charitas,qua Chriſtiani vocantur à ſocietate dęmonum, & latronum,ad ſocietatem Regis,& Primo geniti eius , & Apoſtolorum, demus operam vt illam magis agnoſcamus,quia facit diuina guſtari,& excludi omne peccatum:facit quoque aduerſa tolerare pro Chriſto.

Cui ſocietati prius renunciandum quam de ſocietate cũ Deo cogitandum.

1.Cor. 10.
Eſa.1.

Philip. 2.

Societatem cum Patre & Filio eius cotentium ſtudia,& actiones.

2.Cor.2.

Eff. ctus diuinæ ſocietatis in Chriſtianis duo.

Ideò ſubdit Apoſtolus , dicendo ; *Et hæc ſcribo vobis vt gaudeatis , & gaudium veſtrum ſit plenum.* Magnum gaudium ſiquidem eſſet inuenire theſaurum infinitum, ſi tantopere paruus, vel finitus delectat: & ſi ipſe,vtpote paſtor,de oue perdita lętatur , & pater de filio iuniori ad bonam frugẽ reuerſo dixit ad alterum natu maximum : *Epulari,& gaudere oportebat , quia frater tuus hic,mortuus erat, & reuixit: perierat,& inuentus eſt.* Vt enim natura poſt

De ſocietate cum Deo Patre,& cum Filio eius quãdorum gaudium ſit.

Luc 15.

Luc.15.

expulſos

expulſos malos humores,exonerata lætatur,ita animus ablatis peccatis,& exoneratus tanto pondere, gaudere,& geſtire ſolent.Deinde etiam ſummè gaudere debemus, ſi pro Chriſto aliquid patiamur; quia ſi ſocij ſumus paſſionum, ait Beatus Paulus, erimus & conſolationum. Præterea Deus per ſe gaudium eſt,& lætitia;ideò per ſe præcipit gaudium vel lætitiam, triſtitiam autem non per ſe, ſed vt per illã triſtes veniant ad gaudium.Nũc gaudeo, ait Apoſtolus Corinthiis: non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Nam vt peritus chirurgus inciſionem venæ ob ſanitatem aſſequendam præcipit, ita triſtitiam tantùm ob gaudium Deus præcipit. Et ne homo à mundo, aut à dæmone multas moleſtias eſſe in Chriſti via fingentibus reuocetur, propterea ait Ioannes: *Et hæc ſcribimus vobis,vt gaudeatis.* Nam quia natura humana ob plurium facultatum capacitatem, auidiſſima eſt gaudii, quia creata eſt ad æternam lętitiam; ideò non quieſcit in temporali. Quia etiam homo inter animãtia ſolus miſcet voluptates,vt in viſũ,auditu, odoratu,& tactu facere cõſueuit; vt gaudia, & delectationes ſenſuum multiplicet, & quia etiam amara ſponte ſuſtinet ad horam,vt poſteà magis gaudeat: nam ieiunat interdũm, vt magis ſapiat cibus; vigilat quandoque,vt melius dormiat:ex his apparet,hominem delectationis, & gaudii auidiſſimum eſſe. Nam cauſa permanendi in operibus,gaudium eſt; & ideò comparamus nobis habitus, quibus poſſimus promptè,& delectabiliter operari. Dandaque eſt opera, vt non tantum de ligno ſcientiæ edamus, quemadmodum Philoſophi,ſed etiam de ligno vitæ, quod plantauit Deus in Eccleſia tanquã in Paradiſo:& hic eſt Chriſtus.

2.Cor. 1.

Infra 7.

Cur Deus velit nos triſtari tantummodo.

Vnde hominis ad gaudium ſit tanta propenſio.

Lignum vitæ in medio paradiſi conſitum quid myſticè. *Gen. 2.*

Vera gloria vbi ſit, ſecundũ Apoſtolum.

Scripſimus ergo vobis,vt gaudeatis.Nõ vt,inquit,doceam vos,ſed vt rememoratione gaudeatis de præſenti in conſcientia tuta. Nam gloria noſtra hæc eſt,teſtimonium conſcientiæ noſtræ: vt tantùm gaudium noſtrum in ſeculo futuro ſit plenum.Rectè quidem Euangelium,bonum nouum, ſiue bonum nuncium dicitur:quia bonitas,obiectum eſt voluntatis ad illam tuendam;ſicut nouitas, obiectũ eſt intellectus ad illum excitandum.

2.Cor.1.

Euangelium cur bonum nuncium appelletur.

Quatuor autem ſunt, ex quibus pendet hæc plenitudo gaudii: Primum quidem ex pleno obiecto: ſecundum ex plena facultate animi: tertium ex plena vnione obiecti cũ potentia: quartum & vltimum ex pleno tempore. Obiectum igitur primum Deus eſt, cui nihil deeſt, & qui implet omnia animæ deſideria, iuxta illud; *Qui replet in bonis deſiderium tuum*; &, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*. Dicitur autem plenum vas, cui nihil deficit: ſicut plena eſt ficus,& plena arca. Eſt autem Deus infinitus, infinitam plenitudinem tum amoris,tum ſapientiæ,tum miſericordiæ,tum iuſtitiæ,potentiæ, honoris,& gaudij habens. Quod autem gaudium,vel lætitia eſt, inuenire theſaurum multorum aureorum in olla recõditum? quid ſi magnam arcam? quid denique ſi tantus ſit, vt ampla domus illum capere non poſſit? quid ſi numerari,aut menſurari non poſſet? Hoc eſt ergo obiectum primò per creaturas ſenſibiles repræſentatum,ex quo delectatio guſtus, & omnium ſenſuum,qui tantum huius theſauri corticem deguſtant. Deinde per creaturas ſenſibiles ad Deum ordinatur, vt Patres veteris Teſtamenti, quorum vnus dicebat: *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*: Eſdras etiam præcipit: *comedite pinguia,& bibite mulſum, & mittite partes his qui non præparauerunt ſibi.* Tertiò hic theſaurus vnitus eſt nobis per dona fidei, ſpei, & charitatis, & dona plura ipſius Spiritus, & vltimò per ſe ipſum ſine vinculis in gloria edendus obiicitur: nam dicetur nobis, *Intra in gaudium Domini tui*; non autem;Gaudium intret in te. Et à Petro dicitur lætitia inenarrabilis, & glorificata;cùm modo nonniſi lætitia narrabili,& potius dolore,quàm lætitia induta ſit. Et licet in ſe ſit gaudium, & plenum,tamen non implet modò, ob imperfectionem noſtræ virtutis perſpiciendi, quæ tantum obiectum non capit, ſicut nec oculus lucem Solis in rota ſua,bene autem in corpore aliquo opaco,vt nube, vel alio: ſicut etiam puer panem durum non mãdit, donec augeatur vis manducandi dentibus munita. Eſt ergo parua vnio. Et licet ille perfectè nobis vniatur, nos tamen illi perfectè non vnimur, cum deficere poſſimus. Tertiò additur temporis breuitas, quo Deo hic contingit frui; & ideò ſemper eſt fames, etiam quanto plus guſtatur,vt appareat eius inexhauſta plenitudo: vt rectè intelligi poſſit illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me,adhuc ſitient.*

Quatuor in rebus de diuina ſocietate cum electis, gaudij plenitudo conſiſtit.

Pſalm 102. *Sap. 1.*

Dei plenitudo qualis quantaque ſit.

Pſalm 91.

2.Eſdr. 8.

Matth. 25.

1.Petr.1.

Eccleſiaſt.24

Secundò pendet gaudium à plenitudine potẽtiarum noſtrarum, quæ & cibo bono ob infirmitatem nõ delectant quãtum opus eſt,& quantum capacitatis habent. Eſt igitur duplex defectus: primus,

Duplex defectus potentiarum noſtrarum ad gaudium cœleſte de ſocietate cum Deo.

quia

quia non eſt omnis potentiæ Deum guſtare poſſe, vt organicæ, & ſenſitiuæ, niſi ex redundantia ſpiritus tanquam micæ cadentis de menſa fidei, & contemplationis, de qua dixit Dauid: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Deinde quia intellectuales facultates non intenduntur vt capiant plenum gaudium, quia infirmæ redduntur ob adiunctum corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam, deprimitque terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, eſtque vt ignis, qui etſi accenſus, & inflammatus, tamen alligatus ligno, aſcendere in altum non valet. Accedit, quod ob occupationes alias neceſſarias, dum viuimus, non poſſumus contemplationi vacare. Adde, plura eſſe contriſtantia hominis pacem, & conſcientiam, vt peccata, vel propria, vel aliena, quæ gaudium ipſum adæquant. Sunt etiam plura ſupplicia, morbi, & infirmitates, quæ Deo contemplando vacare non permittunt. Secus ſentiendum eſt de anima ſeparata, vel animis carentibus corpore retardante: ideo capaces ſunt maioris gloriæ, & gaudij: ſed in cœlo tantum intellectuales gaudent: in reſurrectione vero omnes facultates organicæ, & intellectuales, quia ſanum corpus, ac ſibi prompte obediens, tum ſeruiet animæ, vt contemplatione impleri, & inebriari poſſit. Et vt in Chriſto prior fuit gloria, & gaudium animæ, quam corporis, quod eum contriſtabat, & virum dolorum reddebat: ita in nobis animi prior erit gloria, quam ſuſcitati corporis. Et ita etiam gaudium, & gloria animæ pœnitentis præcedit gaudium corporis. Et ſicut in eadem menſa ſanus guſtat, & infirmus non guſtat eundem cibum edendo; ita erunt in reſurrectione facultates animæ & intenſæ, & extenſæ in Deum, nec remorabitur illas corporis vniendi appetitus, nec infirmitas, & eueniet illis, quod ſæpe contingit aſſiſtentibus menſæ, quia ſimul lætantur.

Pſalm. 83. *Sap. 9.* Quæ turbent nunc hominis pacem, & quietem. *Eſa. 53.*

Tertio, vnio potentiæ, & obiecti conſiſtit in cognitione, & amore, quia cognitum in cognoſcente eſt, ſicut amatum in amante: contra vero cognoſcens eſt in re cognita, quia potentia intellectus intelligendo fit omnia, & amans, magis in amato, quam in ſe. Anima etiam, vt dici ſolet, plus eſt vbi amat, quam vbi animat. Hinc Dominus. *Vbi eſt*, inquit, *theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Hæc vero cognitio nota Philoſophis, debilis eſt per ſimilitudines, & phantaſmata, quæ non plene repræſentant per fidem quæ obſcura eſt, vel per cognitionem impeditam ob neceſſitates. Amor etiam modicus eſt, & imbecillus, quia parum cognoſcitur: & quia nos pueri ſumus, vel cito perditur, vel mutatur cum amore creaturæ, vt fœminæ, aut honoris, aut pecuniæ, aut vindictæ. Eſtque peccatum mutatio amoris Dei in vilem amorem creaturæ, quemadmodum eſſet amorem legitimæ vxoris pulchræ, & prudentis, mutare in amorem ancillæ fœdæ, & abiectæ; vel qualis mutatio rei pretioſæ in vilem. Item ſicut lignum viride difficile ignis accendit, quia plenum eſt humoribus, quos pellere prius debebat: ita difficile in nobis accenditur ignis amoris Dei. Ideo nunc amor amittitur ob culpam noſtram, non autem ob vllum Dei immoti, & nos amantis defectum. In gloria vero erit vnio fortis, & intima, & indiſſolubilis, quia homo in Deum ingreditur, & Deus in hominem, tam intrinſece, & fortiter, vt Deus, homo diuinus dici poſſit, & homo Deus humanus, & transformati mutuo per amorem tanquam ferrum in ignem, aut ignis in ferrum. Ideo hanc vnionem noſtrum debile ſcire, aut poſſe, aut velle, nec proximus, nec mundus, nec ipſe Deus poterit contriſtare, quia erit pater, ſponſus, amicus, ſocius, honor, gloria, deliciæ, margarita, theſaurus, & omnibus omnia fiet, vt perpetuo amore ſe ipſis fruantur. Nec peccata vlla patrata rememorata contriſtabunt nos, ſed cauſa potius erunt lætitiæ, quod ea euaſerimus: nec vllæ pœnæ, aut tormenta pro noſtris peccatis tolerata, aut propter Deum vllam moleſtiam adferent vel minimam, ſed omnia erunt materia lætitiæ, & cantus, iuxta illud Prophetæ: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*; & *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.*

Vnde contemptus noſter fit æternæ felicitatis, & gaudij de Diuina ſocietate. *Ariſt. Plato. Matth. 6.* Quid peccatum ſit. Dei vnionis cũ beatis efficacia. *1. Cor. 15.* *Pſalm. 88. Pſal. 86.*

Quarto, duratio vnionis illius obiecti cum potentia, non erit ad tempus, vt modo, ſed perpetuo, & ſemper, quamdiu De⁹, Deus erit. Ita enim dicitur; *Ibunt Iuſti in vitam æternam*; & Angelus iurauit per Viuentem in ſecula ſeculorum, quod tẽpus amplius non erit; & Dauid, *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Quod quomodo contingere poſſit, ſine vlla nauſea, & faſtidio, etſi intellectus non capiat, non propterea falſum erit: quia multa, quæ non capimus, fide tamen certa tenemus. Sed tamen ad hoc etiam rationes non deſunt. Et in pri-

Diuinæ cũ electis ſocietatis, vnionisque gaudij perpetuitas. *Matth. 25. Apoc 10. Pſal. 83.* Quo minus id a nobis

gaudium pcipi queat, quæ res ſint impedimento.

in primis delectationes, quo ſpiritualiores, eo maioris durationis ſunt; quo vero craſſiores, eo breuiori tempore finiuntur. Tactus ſiquidem cæteris craſſior: guſtus item, & odoratus breuius abſoluuntur, quam ſenſus viſus, & auditus, quia ſunt minus materiæ participes. Deinde poſt ſenſus delectationes, quæ ab imaginatione proficiſcuntur, prolixiores ſunt: vt illæ, quæ conſiſtunt in diuitijs naturalibus, ſiue artificialibus, in dominio, magiſtratu, & in amicitia: Durabiliores vero ſunt intellectuales delectationes, quæ in ſapientia, intelligentia, & amore conſiſtunt. ¶ Deinde rationi conſonum eſt, vt delectationes, quæ de Deo ſunt infinito, qui varijs modis ſe nouit, condire, & palatum animæ, & obiectum in eadem proportione ſeruare, quo ſemper nouus & nouus, ac varius, & delectabilis appareat, in æternum durent: Deus enim totus cõpoſitus eſt ex eſſe, nihil habens de non eſſe: ſecus eſt de nobis, & de omnibus creaturis, quæ quidem eſſe habent admixtum cum non eſſe: & quælibet illarum plus habet de non eſſe, quam de eſſe. Tertio, quia ſi Deus ſe delectatione ſuſtentat, id eſt, capacitatem ſuam infinitã ſe ipſo, & illam etiam Angelorum in æternum, cur non etiam ſuſtentare poterit noſtram minorem, & longe inferiorem capacitatem? Nam ſi quis poteſt conuiuium condignũ exhibere Regi aut Pontifici; poterit multo facilius ciui, vel ruſtico prandium plenum exhibere, ablato omni tædio, & faſtidio, & ſeruando in homine eandem famẽ, & ſitim, & obiectum in eadem; vt dixi, proportione, vt ſapiat. ¶ Fidamus igitur Verbo Dei dicenti, *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient*; &, *Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter me*⁹. Nam in vita illa ęternam non erit proprie eſus cibi, & potus, neque vllus omnino vſus venereorum, dicente Domino: In reſurrectione autem non nubent, neque nubentur; ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Atque ita erit gaudium plenum, vt hic ait Ioannes, qui quidem alluſiſſe videtur ad verba Domini dicentis: Hæc locutus ſum vobis, vt gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. Atque hactenus de hac ſententia dictum ſit.

Dei eſſe ab eſſe creaturæ diſcrimen.

Gaudia cæli metaphorica & impropria. *Eccl.* 24. *Ioan.* 12. *Infra* 17. *Matth.* 22. *Ioan.* 15.

DISPVTATIO V.

In illa Ioannis verba: *Et hæc eſt annunciatio, quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis, Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, &c.* 1. Ioan. 1.

HActenus Apoſtolus oſtendit excellentiam, ac nobilitatem eorum, qui vocati ſunt ad ſocietatem Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, qua certe maior, aut excellentior eſſe non poteſt: iam vero quia. *Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri*: multi ſiquidem nouerunt iuſtificationis donum acquirere fide, humilitate, oratione, & ſacramento, ſed facile ſua negligentia, & incuria amittunt infelices: nõ enim ſolũ magna vigilantia, & attenta ſui ipſius cuſtodia, ſed etiam puritate vitæ, precandi aſſiduitate, & colluctatione cum dæmone, mundo, & carne opus eſt: Ideo poſtquam dixit: Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos communionem, ſeu ſocietatem habeatis nobiſcum, & cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto; ſubiungit iam modum, & rationem permanendi in iuſtitia ſemel adepta: quod cõtingit, ſi fugiamus peccata, & vt in his, quæ quotidie peccamus, ad Chriſtum recurramus. Et hæc dicta ſint de ſcopo.

Quid intẽdit Apoſtolus in his verbis.

Ouidius.

Quę res neceſſariæ ſint ad cõſeruationẽ diuinæ iuſtitiæ.

De reliquis in primis dubium eſt, cur tertio repetit: Et hæc eſt annunciatio quã audiuimus ab eo, & annunciamus vobis. Secundo dubitatur, qua ratione Deus dicatur lux, cum tantum corpora iſta inferiora hac luce ſolis illuſtrentur. Tertio, qua ratione Deus ſit expers omnium tenebrarum; cum ipſe ſit formans lucem, & creans tenebras, vt ait Eſaias, & in mundi principio dicatur, quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Quarto, quis eſt qui dicit ſe ſocietatem habere cum Deo, & tamen in tenebris ambulat. Hæc pauca ſunt diſcutienda, atq; interpretanda.

1. Dubium.

Secundum

Tertium.

Eſai. 45.

Gen. 1.

Ait igitur: *Et hæc annunciatio*. Relatiuum Hæc demõſtrare poteſt prædicta de Chriſto homine, & ſocietatem cum eo, quam Deus Pater voluit per Chriſtum, per Ioannem, & alios Apoſtolos fieri. Quia ergo ipſe lux eſt, amat ſecreta ſua reuelare: *Nihil*, inquit, *eſt opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non ſciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Et prædicta omnia audita ſunt ab ore Chriſti ad Apoſtolos: *Beati*, inquit, *oculi qui vident quæ vos videtis: & aures, quæ audiunt quæ vos auditis*: & alibi, *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt ipſi in nobis vnum ſint.* Vel relatiuum Hæc, accipi poteſt, vt ſignificet, Deum eſ-

Matth. 10.

Luc. 10. *Matth.* 13. *Ioan.* 17.

ſe lu-

ſe lucem. Et annuntiationem vocat, quæ Græce dicitur ἐυαγγέλια pro eo quod eſt, ἀγγέλια, id eſt promiſſio pro annunciatione. Eſt enim verè & annunciatio, & promiſſio Deum eſſe lucem, quia nobis ſit lux, & vita, & omne bonum.

Quam audiuimus, Extra ſcilicet verbo, & intus fide, & perfectè: quia per triennium & eo amplius hæc prędicauit Diſcipulis Chriſtus. *Et ab eo*, inquit, ſcil. Deo, audiuimus, de quo proximè loquitur Ioannes: ſiue quod amans putat amatum in omnibus cordibus verſari perinde atque in ſuo. Ita Magdalena dicebat; Domine ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum. Et in Canticis Sponſa vtitur verbis defectiuis, & interruptis, quia multa inſinuat ſibi relicta eſſe in corde, quæ non deteguntur. Maxima autem circumſtantia eſt à Deo audire, hoc eſt, Dei Filio in Chriſto homine: etſi enim omne verum à Deo ſit, recipitur tamen ab homine ſecundum puritatem vaſis, vel impuritatem. Quemadmodum ſententiam illam propheticam: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo*, aliter accepit Caiphas, & aliter Ioannes. Quicunque enim adhuc eſt viator, inficere poteſt verbum Dei, quia omnis homo mendax, vt Nathan Propheta ex ſe, & ſpiritu ſuo loquẽs, & ſuadens ædificationem templi Dauidi; quam tamen Dominus reuocauit. Poteſt etiam verbo non participare in quibuſdam, vt Eliſeus, qui dicebat: *Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Imo Angelus ipſe poteſt neſcire, vt Moſes, & Ieremias ſe neſcios, & ignaros proteſtabantur coram Deo. Deus autem nec inficit mendacium vllum loquendo, nec aliquid neſciendo quod ſcire oporteat, vel ſcibile ſit. Nec etiam deficere poteſt in modo loquendi ea, quæ nouit: quia intellectũ, & affectum bene diſpoſitum habet, vt ratio loquendi poſtulat. Ideo oportuit Deum qui infinitus eſt, nobis loqui, tam verbo, quam facto. Sed quia neutrius eſſemus capaces, ſi, vt in ſua natura eſt, nobis loqueretur, nec ipſe noſtri modi, quia finiti, vt in ſua natura infinita eſt capax: inuentus eſt modus mirabilis, vt homo à nobis perceptibilis ſimilis Moyſi, ab hypoſtaſi Diuina, cuius ſunt actiones, aſſumatur, vt nec deſit ex parte ſua, nec noſtra, ſufficiens modus & loquendi, & intelligendi. Illi ergo homini dedit optima quæque opera, ac verba, & in ſe ipſo, & pro nobis: & idcirco ſummo cum amore & reuerentia eius verba audienda ſunt per Iohannem Apoſtolum, in veritate, & gratia confirmatum propoſita.

Amantis ingenium. — *Ioan. 20.* — *Quanti referat à Deo per ſe ipſum audire veritatem.* — *Ioan. 11.* — *Pſal 115. 2. Reg. 7.* — *4. Reg. 4.* — *Congruẽtiſſimus, planeque admirabilis Diuinæ ſapientiæ modus loquendi.* — *Deut. 18.*

Et annuntiamus, inquit, *vobis*. Continuè ferè de præſenti annunciabãt beati Apoſtoli verbo, & exemplo: quia lampadas intus lucem gratiæ habentes, foris ſplendorem gloriæ Dei emittebant. Etiam ter vſus eſt Ioannes verbo Annunciandi: quia Deus annuntiatus in Trinitate Perſonarum eſt. Anima etiam in tribus potentijs ſubſiſtit. Triplici quoque tempore hæc annunciatio facta eſt, & in natura, & in lege, & in tempore Gratiæ. Chriſtus ergo ſe lucem eſſe dixit: *Ego ſum lux mundi*; & *Credite in lucem, vt filij lucis ſitis*; rurſus: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus eſſet, apud te*: id eſt, Fac vt Diuinitas intus deliteſcens, me in corpore, & cordibus hominũ glorificet. De Patre vero Paulus dixit, *Qui lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit*: Iob etiam, *In manibus*, inquit, *abſcondit lucem*, & B. Iacobus appellat Patrem luminum, Eccleſia item canit: *Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero.* Deus verò vel Pater, vel Filius, vel Spiritus ſanctus, vel Deus Vnitrinus, de quo Paulus, & B. Iacobus loquuntur prædictis in locis, qui Græcè ΘΕΟΣ, id eſt, cum admiratione, & ſtupore videns, vt ſummam delectationem, quam videndo habet, ſignificemus: vel admiratio noſtra de tanto Deo viſo, vt Deum in ſe concipiendo cogitemus, omnia in eo ſuo modo eſſe mirabilia. Et ita videns eſt ratione ſapientiæ. Poteſt etiam Deus deriuari ἀπὸ τοῦ δέους, id eſt, à timore. Ita enim ille dixit:

Primus in orbe deos fecit timor, &c.

Et in Malachia Deus inquit: *Si pater ego ſum, vbi honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, vbi timor meus?* Et ita vocatur ratione omnipotentiæ ſuæ. Demum dicitur ἀπὸ τοῦ θέειν, id eſt, à currendo, ob velocitatem in ſuis effectibus, & operationibus, quia ex parte ſua per vnum nunc, ſiue temporis inſtans omnia operatur: ex parte etiam rerum factio rei paſſiua in inſtanti temporis menſuratur: vt ſunt creatio, iuſtificatio, beatificatio, & ſignorum editio. Vnde & ſcriptum eſt: *Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia.* Motus tamen eius quia infinitus eſt, & ſubſtantialis, cum infinita quiete concurrit: quemadmodum in ludo trochi videmus: quo enim trochus velocius mouetur, minus mouetur nam & noſter motus continuata quędam quies eſt.

Deus ergo lux eſt, & nobis finitis, &

Apoſtolorum annuntiationis aſſiduitas. — *Quoties hæc annũciatio, verbi ſcilicet diuini, facta ſit.* — *Ioann. 8. Infra. 12. Infra. 17.* — *Tim. vlt. Iob. 36. Iacobi. 1.* — *Papinius autor. Malach. 1.* — *Motus Dei qualis. Sap. 7.* — Dei lucis

immenſitas.

terminatis infinita, & interminabilis, ac proinde incomprehenſibilis. Et quia cognitio noſtra à creaturis varias formas habentibus, vt accidentia, quæ nos ferè tantum cognoſcimus, incipere ſolet, & quia nos infirmi etſi à Deo immediatè reciperemus, multiplicaremus ꝙ eſt vnum re, & eſt omnia per æquiualentiam, quia ab vno recedimus: ſicut præceſſio bonitatis Dei, ſe totum, quia ſummè bonus eſt ſingulis, & multiplicatur in ſingulis creaturis pro earum capacitate: inde fit, vt, donec in gloria ſit nomen eius vnum, id eſt, vnica viſione totum videamus, licet non comprehendamus, propria, & metaphorica, & ſymbolica ſortiatur nomina.

Cur Deus variis nominibus appelletur in ſacris literis.

Triplex theologia de nominibus diuinis.

Deus ergo lux eſt in genere, quam Theologia triplex variè exprimit. Nam affirmans, & communis Deum paucis verbis, & perfectionem ſonantibus, & remotis imperfectionibus deſcribit. Vocat enim Deum bonum, ſapientem, iuſtum, æternum, & ſimilia. Alia eſt myſtica Theologia, quæ negans dici poteſt, quæ nullo nomine vtitur, ſed ſolo ſilentio Deum honorat; & ideo omnia verba ab eo remouet. Alia eſt tertia Theologia ſymbolica, quæ omnes voces Deo accommodat: hinc dicitur leo, agnus, vermis, vitulus, lux, cœlum, ſtella, & quę ſunt generis eiuſdem.

Ad II. dub. Deum cur Ioannes vocet lucem.

Per lucem autem hoc loco non intelligimus corpus Solis, vt ſtulte Manichæi dicebant, ſed lucem intelligibilem, quæ rectè lucis nomine venit repræſentanda: nam adumbrat; & quod attinet ad Diuinam eſſentiam eius, vel quod ad Trinitatem perſonarum. Ad primum enim ſpectat, quod vt luce nihil notius, quantum ad rem vero ipſam, nihil eſt ignotius; ita Deo nihil certius, quid vero ſit hic Deus, nihil incertius. Deinde lux, perfectio externi oculi eſt, & habitus, & vita eius; ita Deus totus eſt perfectio, & habitus, & vita omnium. Deus eſt totum, & abſolutum, & infinitum poſſe, quod eſt ante eſſe, & non eſſe creatum. Eſt etiam abſolutum eſſe, & æquale ipſi poſſe, & abſolutus nexus ipſius eſſe, & poſſe, quibus omnia participant quantum ad eſſe, & poſſe: ſed ablata limitatione eſſe, & poſſe creati, remanet eſſe purum, & poſſe purum, quod eſt Deus. Tertiò, lux eſt, in ſe ſpiritualis; alias corpora non penetraret: ita Deus longe plus oleo, & luce omnia penetrat, cui nihil eſt opacum, & omnia permeat, atque in omnibus magis intrinſecus eſt, quam ipſa lux, quæ tantum in die, & in perſpicuis corporibus apparet,

Manichæoru m error, atque blaſphemia.
II. Ratio.

Tertia.

non in opacis. Quartò lux creat colores, & non eſt color, & facit eos ſub aſpectum cadere: ita Deus etſi in ſe inuiſus, facit tamen videri creaturas omnes, & ſe per illas patefacit, iuxta illud Apoſtoli: *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*. Quemadmodum ars in ſe quidem inuiſibilis manens, videtur tamen in ſuis operibus, à quibus inter ſe diſtinctis diſtinguitur. Nec eſt mixta, ſicut nec vnus color eſt alius, nec lux in ſe eſt color. Deinde apparent in luce veſtigia ſanctiſſimæ Trinitatis. In Sole enim eſt eius ſubſtantia, lux, & ſplendor, vel ſubſtantia Solis lux, & calor: vel in tribus lucidis impermixtis, & vnitis ſimul, quarum lux vna non eſt alia, & quælibet eſt in alia, & vna luce ablata, aliæ non auferuntur: de quo lege Dionyſium Areo. lib. de Diui. nominibus.

Quarta.

Rom. 1.

In luce quæ cernantur veſtigia Trinitatis.

B. Dionyſ. c. 2. de diui. nom.

Quod ad operationes verò, ſiue effectus attinet, Chriſtus Dominus in primis lux eſt communis, & vniuerſalis omniū, qui intellectu vigent: Quæ illuminat omnem hominem venientē in hunc mundum, non claudentem oculos Deo lumini, vel non reddentem ſe corpus opacum per obſtinationem. Deinde celerrima lux eſt in actione, quia nihil ei reſiſtit: qua ratione Chriſtus pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo: breuique tempore totum mundum ad ſe traxit. Et tamen tu es qui reſiſtis voluntate tua illi, & in te perficiendo Chriſtus eſt tardus. Pudere autem te deberet apud medicum tanto tempore infirmari, & apud tantum Magiſtrum ignorantem inueniri. Vnde Stephanus Iudæis dixit: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtiſtis*. Poteſt autem proculdubio, ſi viribus infinitis quibus valet, agere vellet, te reſiſtentem, ac repugnantem vincere: ſed quia non decet, nec eſſet tantum meritum, nō facit. Tertio illuminat & lumine infinito ſe, & Patrem, & Spiritum ſanctum; finito autem lumine gloriæ illuminat Angelos, & Beatos, vt ſe videre poſſint: lumine gratiæ viatores, vt credant, & ſe ſequantur: Vnde dixit: *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*: lumine autem rationis, & naturæ, vt ſe intelligant, etiam infideles, & Paganos. Illuminat autem, vires intellectus augendo, ac ſi quis daret plus virium ad portandum onus. Angelus verò, & Homo alia ratione hoc præſtat, nempe extra adiuuando; vt reddendo intel-

Chriſtum eſſe lucē ex multis oſteditur.
Ioan. 1.

Act. 10.

Vis cordis obſtinati, & duri quanta.

Act. 7.

Ioan. 8.

Aliter Chriſtus, aliter Angelus, & homo illuminat.

Pſal. 12.

intelligibilia plus clara, & minus confuſa. Ideo, *Illumina*, ait Dauid, *oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*, quæ vbique me expectat; & alibi, *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?*

Pſal. 26.

¶ Quartò, lux ex ſe calefacit: idem Chriſtus quoque præſtat, efficiendo ex ſe calorem Spiritus ſancti; calore etiam cœleſtis patriæ, & viæ conuenientem, vt Deum & proximum diligamus: naturali etiam calore, ex quo conſeruatio ſpeciei, & politiæ in creaturis oritur: ſe ipſum autem infinito calore calefacit, deinde Angelos, ac primo inter eos loco Seraphinos, qui dicti ſunt ab ardore, & incendio, per igneam proprietatem, ac naturam.

Seraphini cur ita vocantur.

Quinto lætificat lux non ſecus, atque tenebræ contriſtant: atque hanc lætitiam etiam non videntibus creaturis communicat, vt plantis, & inanimatis omnibus. Homines verò ratione gaudentes reddit, ſicut Angelos, & Beatos. Lætificat etiam vmbra, quæ eſt à luce Deitatis in Chriſto, & ab opaco Chriſto paſſo in carne, de quo Sponſa dixit: Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi; & Ieremias in Threnis; Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus. Tantum vero cauſa triſtitiæ eſt, quoties à Deo fonte lucis & gaudij, ad fontem ignorantiæ, & amaritudinis, hoc eſt, ad nos ipſos, & creaturas conuertimur & peccamus. Sextò lux valde eſt actiua, ex qua omnis generatio procedit. Dixit enim Philoſophus: Sol & homo generant hominem. Motus enim cœli per accidens ad generationem eſt, ſed quia vehit lucem, à qua omnia ortum habent. Ad eum modum Deus operatur omnia in omnibus, ſed omnibus concurrentibus quibus dat vim, & non ipſe ſolus, quia eius actio illimitabilis eſt, & nos nihil mereremur, dum Chriſtus Sol iuſtitiæ eleuat corda à terra, vt fructificent. Et vt à radice humorem Sol eleuat, vt fiat viriditas cogitationum bonarum, folia verborum honeſtorum, flores ſanctorum deſideriorũ, & fructus bonorum operum, & vmbra conſolationis Proximi. Vt autem à Deo fœcundemur, opus eſt vt ſimus valles per humilitatem, & vt frequẽter pluuia verbi Dei irrigemur, & denique Sacramento impinguemur; vt ita bene diſpoſita terra cordis noſtri, vberes fructus proferre valeat.

Chriſti lux exhilarat intuentes, Angelos, homineſque.

Cant. 2. Threm. 4.

Sequitur illud explicandum. *Et tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Omnis lux parua, ſiue creata, obſcuritatem aliquam admittit, neque eam omnino expellit: vt lucerna, & luna oſtendunt, ſed eo magis expellit; quo maior eſt lux: nam Sol plus expellit tenebram, quam Luna, & hæc magis, quã ſtella. Quia ergo Deus eſt infinita lux, nihil tale admittit; vt Sol, ſi eſſet infinitus, idem faceret, illuminaret enim ſimul vtrumque hemiſphærium. Et quia lux, & tenebrę opponuntur priuatiuè, ideò, per tenebras intellige limitationes perfectionum omnium quæ lux vocantur. Et quia omnis creatura ex eſſe, & non eſſe, compoſita eſt (non tamen quod non eſſe intret in compoſitionem creaturę, ſed quia omnis creatura habet eſſe limitatum, & per conſequens non eſt omne eſſe) hinc omnis creatura compoſita dicitur ex luce, & tenebris, & ſingulæ plus habent de tenebris quam de luce.

Qua ratione omnis creatura ex eſſe & non eſſe ſit compoſita.

Quia eſſe hominis non eſt eſſe ſtellæ, aut Solis, domus, menſæ, ſcamni, & ſimilium: ſolus autem Deus totus eſt infinitum eſſe, & ante omne eſſe, excludit tenebras, & limitationes in eſſe, in viuere, in ſentire, & in intelligere; in poſſe, in velle, & in operari: Ideò nullam habet impotentiam, ignorãtiam, imperfectionem, peccatum, limitationem, aut nihilitatem, vt ita dicam, atque mortem, ſed eſt actus purus, æternus, infinitus.

Quale ſit Dei eſſe.

In eo, inquit; bene autem in oculo noſtro eſt caligo, & tenebræ: ſed Deus ipſe lux eſt in ſe, & ſibi ſoli acceſſibilis, quia ſe comprehendit, & capit: nobis autem, ob debilitatem oculorum, lux eſt inacceſſa. Et poſuit (ait Dauid) tenebras latibulum ſuum. In eo ergo non ſunt tenebræ; ſecus autem in omni creatura, etiam in Chriſti humanitate, quæ limitatum eſſe habet ex ſe, ſed vnita Deitati Verbi, ita vt eſſe perſonale Verbi acceperit: acciperet quidem, ſed non daret, quia infinito nihil dari poteſt. Per hoc autem quod dat eſſe hominis, potius tollit, quam donat.

Quibus Dei lux inacceſſa tantummodo.

Pſal. 17.

Quæ tenebræ ſint etiam in Chriſti humanitate.

Rectè ait: *Non ſunt*, actu ſcilicet, imo nec eſſe vlla ratione poſſunt: nec ſunt vel ad momentum. Nam ita dixit Iacobus, *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio*; vt in homine picto, & materiali, qui motum habet ad locum, & acquirit maiorem, & minorem lucem. Nec viciſſitudinis obumbratio: quemadmodum qui vna manu teneret candelam, & altera illam tegeret, ſæpiuſque hoc faciens, vmbras varias efficeret. Sic Sol in noctibus, & eclipſibus, quas nobis facit, apparet. In Eclipſi vero paſſionis ſi retraxit radios, vt aliqui ſenſerunt,

Vt non ſint tenebræ in Deo.

Iacob. 1.

Chriſtus Sol iuſtitiæ quãdo obumbra-

tus fuit quodammodo. *Matth.* 27.

runt, etiam quantum ad ſe obumbratus fuit. Vnde Græcè habetur. Οὔτε τροπῆς ἀποσκίασμα, hoc eſt, obumbratio, ob varias vmbras, quas efficit à Tropico ad Tropicum per Solis reciprocationē. Auguſtinus verò libr. de Ciuitat. Dei legit ῥοπῆς, hoc eſt, nec momenti obumbratio, quia nec ad minimum quidem momentum vmbram recipit.

B. Aug. lib. 11. *c.* 21. *de ciuitat. Dei tom.* 5.

Alio modo Verbū. & Spiritus ſanctus à Patre, alio modo creaturæ lumen accipiunt.

At verò Deus quia eſt omne quod eſſe poteſt actu, & totus ſimul ſemper, tam intra, quam extra ſe per totam æternitatem, lucem emittit, & operatur; etſi quantum ad id quod intus, attinet, quia recipiens eſt infinitum, nempe Filius, & Spiritus ſanctus, ſine viciſſitudine vlla recipiunt, & in æternum: Creatura verò per tempus, & per æuum; ideò varia in tempore fit, & varia eſt in vno magis, quam in alio. Gaudendum igitur eſt de tanta luce, quia caret tenebris: vt gaudendum eſſet de potentia carente omni impotentia, & de ſapientia experti omnis ignorantiæ, & de gaudio ſine amaritudine, & de prouidentia ſine errore. & de bonitate ſine malitia, de iuſtitia ſine obliquitate, ac denique de theſauro ſine omni termino, ac fine.

Cur Ioannes Deum eſſe dixerit omniū tenebrarum expertem.

Si dixerimus, inquit, *quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur.* Iam explicat quorſum attulerit Apoſtolus hanc doctrinam, quod DEVS ſit lux ſine tenebris: nimirum vt cum luce pura ſine tenebris nos non poſſe habere ſocietatem intelligamus, ſi in tenebris peccatorum ambulamus. Ait ergo: *Si dixerimus.* Aut intus intellectu, ſiue affectu; aut extra verbo, vel opere. Cogitando enim, vel confidendo intus, vel dicendo, opera boni viri extra vſurpando, cum in peccato exiſtat, dicit ſe habere ſocietatem cum eo: Et charitas veri paſtoris oſtenditur, velantis, & non indicantis occulta ſubditorum ſuorum peccata, vt Iob de filijs ſuis faciebat. Indicatur etiam dexteritas Ioannis conuertens, & non confundens peccatores: erant enim tales tempore Ioannis, qui dicebant: *Faciamus mala, vt (inde) veniant bona.* Et rurſus: *Quid adhuc quæritur? voluntati enim eius quis reſiſtit?* Et Iacobus: *Vis autem ſcire ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt?* Hi ergo vnum extremum ſequebantur, nempe peccata non nocere, nec tollere ſocietatem cum Deo ob prædeſtinationem DEI, & quia cedunt in gloriam DEI: ex parte etiam noſtra, ob fidem mortuam. Et licet tales eſſe ſciret, non nominauit tamen eos, nec certum id aſſerit, ſed ſub conditione, vt intus tacti reſipiſcant. Tales enim ſuperbi ſunt, qui quidem acriori reprehenſione exacerbati obdurantur.

Iob. 1. Ioannis pium artificium.

Rom. 3. *Infra.* 9. *Iaco.* 2. Quo Pacto hos ab errore Ioannes conaretur abducere.

Quid eſt ſocietatē habere c[um] Deo.

Et ſocietatem habemus cum Deo, id eſt, participationem eiuſdem Spiritus, qui ſimiles ſimul verſantes, & ſe ipſis inuicem delectantes, & ſibi cooperantes, & ſecreta mutuo communicantes, & difficilè abſentiam inter ſe facientes, Deum, & hominem facit, quod eſt ſociorum. *Habemus*, inquit, de præſenti, cum tamen ſimus in tenebris: Ideo non dixit, habuimus, vel habebimus; ſed, *Habemus cum Deo Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. Et in tenebris ambulamus.* Immerſi, & vallati ab eis in quibus quaſi palmites in vite eſſe volumus & ab eis trahere vitam, & bonū: tunc in tenebris ambulamus. Tenebræ ſi ſumantur, vt opponuntur vniuerſali luci, qui eſt Deus, eſt omnis finitas, & priuatio circa eſſe, viuere, ratiocinari, & poſſe, & velle: quæ reſpondent appetitibus potentiarum. Et ſic ſumendo, nulla creatura habens tales defectus, ſeu in eis ambulans, ſiue in natura. ſiue in gloria exiſtat, DEI ſocietatem habet. Cum ſummo enim, & infinito habitu non poſſumus ratione priuationis, & imperfectionis ſocietatem habere, ſeu ei aſſimilari, vt nec pauper ruſticus cum Rege: ſed quatenus ſumus ex nihilo, id habemus. Quia talia non efficientem cauſam requirunt, vel habere poſſunt, quia non entia ſunt, ſed tantum deficientem. Cum enim ſummus DEVS ad ſui participationem naturalem creaturas vocat, ad id quaſi deſcendentes, non ens vocantur: nec ita aſcendere poſſunt, vt ad DEVM ipſum pertingant, id eſt, vt ſint DEVS, ſed ſiſtunt in eſſe creato, ac DEO condeſcendente, ac veniente ad nos: quemadmodum præceptore vocante ſilentio ad verbum mentis, ſiſtens in voce, ad verbum pertingere non poteſt. ¶ Ideò non videtur Ioannes loqui de his vniuerſalibus, ac proinde minus malis, tenebris, ſed de ſpecialibus creaturæ capacis gratiæ, & gloriæ: neque de quibuſuis, ſed ijs peioribus. Primæ quidem ſunt neſcientia, quæ cum beatitudine ſtat. Eſt enim neceſſe, vt beatus ſit creatura: erantque in Adam, & Prophetis, & Apoſtolis. Secundæ tenebræ ſunt errorum ſpeculatiuorum, vt in Mathematicis diſciplinis, alijs ſcientijs: vel practicorum, & artificialium non pertinentium ad mores: & hæ tenebræ non ſtant cum gloria, nec in ſtatu innocentiæ, bene autem cum

Quando in tenebris amb[u]lemus.

De quib[us] tenebri[s] non ſit ſermo I[o]auni[s].

Quad[ru]plices [te]nebræ de qu[ibus] potuiſ[ſet] nunc [lo]cut.

noſtra

noſtra iuſtitia: vt in Prophetis, & Apoſtolis, & Doctoribus videmus. Tertiæ verò tenebræ ſunt circa mores: vt ignorantiæ paruæ, quales ſunt veniales culpæ & venialium occaſiones: Et hæ cum ſocietate noſtra cum Chriſto ſtare poſſunt: quia iuſti etiam peccant, & putant creaturas magis diligendas quam ſint, vt parentes, diuitias, eloquentiam: non tamen æqualiter ad Deum, vel ſupra Deum. Quartæ igitur tenebræ, de quibus hîc loquitur Ioannes, ſunt errores ſalutem tollentes, & affectus, & opera, quæ eos conſequuntur: & tales errores omnes certo quodã modo dicunt: Creatura eſt Deus; & Deus nõ eſt Deus. Sic omnis inſipiens, teſte Dauide (id eſt, peccator mortiferè delinquens) in corde ſuo dicit. Non eſt Deus. Error quoque peccantis venialiter dicit creaturam eſſe perfectionem, quam ſit: nec Dei perfectionem qualis actu eſt, conſiderat. Huiuſmodi ergo tenebræ, quaſi dictamina peccatorum mortiferorum, excludunt ſocietatem cum Deo, oriunturque ex ſenſualitate, quæ etiam ſe extendit ad obiecta ſpiritualia; vt in brutis vidimus, imo etiam in homine ad obiecta magis ſpiritualia, quam quæ ſenſus humanus videre, vel appetere poſſit ob cõiunctionem ſenſus cum ratione: à qua etiam, quatenus ex non eſſe eſt & guſtum infectum ex ſenſu habet, procedunt errores circa quædam obiecta magis ſpiritualia, quam quæ ſenſus etiam humanus videre, vel appetere poſſit. Sed adhuc talia, quãtum ad cognitionem, per quam ratio aſcendat ad dicta obiecta, requirunt etiam prægustationem quandam ſimiliũ, etſi inferiora ſint in appetitu, ex quo guſtus rationis, id eſt voluntas, inferiora prægustans, appetat altiora, vt ſic dici queat, quod omnis tenebra eſt à ſenſu, cui dæmon dominatur, quia cum vicit in Adam; ideò tenebras altiores per eum, altiori eius principio, id eſt, rationi tranſmittit. Quemadmodum peritior artifex idem inſtrumentum ad altiora opera extendit, quam imperitus. Hinc princeps dicitur huius mundi, id eſt veteris hominis, ſeu carnis nondum iuſtificatæ. Senſus autem quia Dei creatura in homine eſt, vt in brutis, non peccat, ſed in ſua bona, in quibus Deum, pro ſuo captu ſenſibili modo participans, tendit: licet quatenus ex non eſſe eſt, poſſit peccare; non ita tamen, vt demereatur, aut illi peccatũ imputetur. Videmus enim bruta animantia ita deuorare, & ingurgitare ſe ipſa, vt quę edunt, ſibi noceant: vt lupos, & canes, nimium etiam appetere coitum, etiam contra leges naturæ. Quia ergo ex non eſſe ſunt, etiam & ipſa deficiunt: & Dei prouidentia ab omni defectu eas nõ præſeruat, quia non eſſent creaturæ; veruntamen à vitijs, & defectibus eas omninò dedecentibus ex ſe ſolet præſeruare. Alias ſatis eſt, ſi non faciat, nec eſſe quod dedit, id efficiat: ſed dos eſt creaturæ ex matre ſua, hoc eſt, ex nihilo productæ, quam ſibi contulit. Ratio ergo eſt, quæ peccat, dum quæ ſunt ſumma bona ſenſualitatis, quæ in eis modo quo poteſt, bonum ſummum accepit, vt ſumma ſua mendaciter accepit: quia etſi per illa ſummum bonum participet, non tamen illo modo quo poteſt, id eſt, per dona infuſa, & amorem ordinatum, & per delectationem in creatis modeſtam, & moderatam. Ideo ipſa ratio, non ſenſus ſequens ſuam naturam, qui relictus eſt in homine, ob originalem culpam à Deo, eſt quæ peccat.

Pſal. 13.

Quę tenebræ Diuina ſocietate homines priuant, ac ſpoliant, vnde proueniant.

Gen. 3.

Cuius mũdi princeps diabolus à Chriſto perhibetur eſſe. *Ioan. 12.* *Infra 14.*

A quibus animãtes vitiis atq; defectibus pręſeruet bonitas, & ſapientia Diuina.

In tenebris ergo, id eſt, in erroribus impellentibus ad lethalia, & mortifera delicta, quæ à ſenſu, & dæmone veniunt, eſt peccatum. *Ambulamus* conſenſu, & affectibus, vel op: r bus vel omiſſione, conformando nos erroribus, Græce legitur, *Deambulamus*. Immorando ſcilicet, & delectando, atque conſentiendo eis. Nam qui tantum tentatur, currit, non autem deambulat in tenebris. *Mentimur*. Vide in primis veritatis amorem, ob quem nec ſibi parcit, ac ſi diceret. Etſi nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit. Secundo vide charitatem, quæ acr ter reprehendit, vtens verbo mentiendi ſimul, & leniter, vt contra ſe etiam ſ ntentiam pronunciet, ſi ita diceret. Tertiò vide vim in verbo Mentiendi, quo ſignificatur falſitas verborum id aſſerentium, & quod mens quiete conſultа reclamet; licet cum malè pacifica ſit, in inſcientiæ bello fucum ſibi faciant tales nolentes venire ad lucem, ne arguantur. *Et veritatem nõ facimus*. Quaſi dicat: Etiam facto, vt hypocritæ, mentimur. Vel, veritas accipitur pro iuſtitia, (vt ibi: *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi*) quam non facimus. Vtimur etiam Ioann: s cap. 3. Euangelij hac loquendi ratione, cum ait ex Domini ſententia: *Qui facit veritatem, venit ad lucem*. & quæ ſequuntur. Vel: Veritatem non facimus, vt ille, qui veritatem mente conceptam, verbo, & opere non exprimit, ſed veritatem Dei in iniuſtitia detinet, vt dixit Apoſtolus. Mentiendo autem, homo corruptus eſt cor-

Quomodo ambulemus in tenebris.

Expendũtur hæc verba Ioannis: Mẽtimur, & veritatem non facimus. *Gal. 1.*

Sap. 14.

Ioan. 3.

Pſal. 84.

Ioan. 3.

Rom. 1.

eſt corde, & ore. Quare omnis opera danda eſt, vt fugiamus peccata, ſi iuſtitiam conſeruare volumus.

DISPVTATIO. VI.

In verba illa: *Si autem in luce ambulamus: ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem. Et ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Duabus rebus Chriſtiana iuſtitia conſeruatur in nobis. *Pſalm. 33. 1. Pet. 3.*

IVSTITIA perficitur ex declinatione à malo, & operatione boni, vt Dauid teſtatus eſt de volente vitam, & dies videre bonos: Declina, inquit, à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam. Non enim aliter conſeruatur iuſtitia Chriſtiana in nobis, quam peccata fugiendo, quæ qui operatur, ſocietatem cum Deo non habet: quam ſi affirmaret ſe habere, mentiretur in caput ſuum. Secundò conſeruatur operando bonum: nam ſi otioſa dona Dei non habemus: nec tantùm cõſeruamus, ſed etiam ipſam iuſtitiam augemus, & ita inquirimus pacem, & volentem peccata effugere, perſequimur, & retinemus.

Increatæ lucis, & creatæ diſcrimen.

Ait ergo: *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce; ſocietatem habemus ad inuicem.* Deum ſuperius dixerat lucem eſſe ſine vllis tenebris; Deus autem infinita lux eſt, & claritas oculi noſtri interioris finita eſt: ſicut etiam claritas aliarum creaturarum, quæ videndæ ſunt, parua ſunt lumina, & reſpectu primæ lucis, colores potius, quam lumina. Si Deus proxime ſe nobis vniret, opprimeremur à magnitudine gloriæ eius, non ſecus atque ille, qui Solem in rota conſpiceret. Imo vt teſtis eſt Gulielmus Pariſien. vir ſuo tempore doctiſſimus, annihilaretur animus lumine gloriæ non præmunitus, & eleuatus: ſicut oculus noſter corporeus, quod ad aciem attinet videndi, inſpecto Sole, oppreſſus in nihilum redigeretur. Idcirco Deus ſapientiſſimus ſe nobis vnire decreuit per intermedia lumina: quod etiam præpoſitio illa. In, ſatis indicat. Primum autem intermedium lumen eſt illud rationis, quod cum paruulum ſit, & vix illam lucem, à qua valde deſcendit, quæ terminus eſt, & per illam vix etiam cernimus; ideo additum eſt lumen fidei, & aliorum donorum infuſorũ, quæ intellectui

Prou. 25. Guliel. Pariſien. Vis luminis diuini.

Triplex lumẽ, quo Deus vnit ſe rationali creaturę.

ornando donãtur, quo tandem vltimum finem viæ, & diem videre, & videndo, exultare poſſimus, donec veniat tertium lumen gloriæ, per quod illi iuncti erimus. Nõ autem per viam deambulauimus ingrediendo, & egrediendo, ſed ſicut ſcintillæ (vt Sapiẽs dixit) in arũdineto diſcurrent. Hanc phraſim ambulandi in luce, vel in tenebris, acceperũt Paulus & Ioannes à Chriſto, qui dixit: *Qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat.* Superius vero dixerat, *Si quis ambulauerit in die, nõ offendit, quia lumen huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo.* Idẽ rurſus: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Paulus enim ait: *Vt filij lucis ambulate.* Idem autem eſt ambulare in luce; &, *Filii lucis ambulate*, & vnus alium locũ explicat.

Sap. 3. Hebraiſmus Chriſto, & Apoſtolis familiaris. *Ioan. 12. Supra 11.* *Supra. 8. Ephe. 15.*

In qua luce Parthi debebant ambulare.

Sed iam hîc in primis dubitatur, de qua luce ſit ſermo. Deinde quomodo ſit in ea ambulandum. Tertio, quomodo ſanguis Chriſti emundat ambulantes in luce ab omni peccato: qui enim in luce ambulat, quæ peccata habere poteſt, quæ indigeant emundatione? Sed ad primum iam cœpimus reſpondere, lucem hanc, in qua nobis eſt ambulandum, non eſſe Deum, ſed intermediam quandam lucem creatam, nimirum fidem, de qua: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* Eſt etiam illa lux, de qua Eſaias: *Ambulantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Eſt autem fides, lux quædam ſpiritualis, quæ inſtar ſtellæ ducentis Magos ad Chriſtũ, perducit nos ad eum cognoſcendum, & adorandum, & munera illi offerenda, & ad cognoſcendum eius Incarnationem, & natiuitatem ex Virgine. Docet etiam fugere malum, aut Herodem; & operari bonum, reſponſum habendo reuertendi per aliam viam in regionẽ ſuam. Ambulat autẽ in luce, qui cogitationes, affectus, verba, atq; opera dirigit ad imitationem lucis increatę vnitæ creatæ Humanitati Chriſti, qui eſt fidei, & morum obiectũ, & regula. Et, ambulare, profectũ denotat, & delectationẽ, cum, Deambulamus, Grçce hab. atur. Et via qua ad Deum tendimus, cum cautela perambulãda eſt, quia multas inſidias tendũt dæmones; multis voluptatibus, ac diuitijs ad ſe allicit mundus. Ideo audiendũ conſiliũ Pauli dicẽtis; Videte quomodo caute ambuletis.

Ioan. 18. Fides, qualis ſit lux, *Eſa. 9. Matt. 4. Supra. 2.* *Pſalm. 33. 1. Pet. 3. Matth. 2.*

Ambulet in luce quis.

Quomodo ſit in ea ambulandum.

Ephe. 4.

Sicut & ipſe, inquit, *eſt in luce.* Particula, Sicut, ſimilitudo eſt, non æqualitas: quaſi diceret quiſpiam: Vinum hoc lucidum eſt, & ſplendens ſicut Sol. Ipſe autem eſt Deus, qui ſemper eſt ipſe, iuxta illud: *Tu autem idem ipſe es*: quia immutabilis eſt,

Aliter Deus, aliter homo eſt in luce. *Pſal. 101. Heb. 1.*

cum

cum creatura in horas mutetur, & inſtar Protei in omnes figuras ſe transformet. Eſt, inquit, per æternum momentum & non ambulat, & creſcit, nec decreſcit. Et de Patre quidem à ſe vt Filio amato loquitur, & ipſe eſt in luce, & tã in ſe quam in filio lucem habitat inacceſſam. Ob noſtræ ſiquidem mentis compoſitionem Scriptura ita loquitur de Deo, & ipſe eſt ſua habitatio, qui tanta lux eſt, vt nobis ſit tenebræ, iuxta illud ad Iob dictum: *Indica mihi ſi noſti omnia, in qua via lux habitat, & tenebrarum quis locus ſit.* Locus enim tenebrarum videtur eſſe nihil, quod ob nullitatem non capitur: ſicut via inhabitata à Deo luce eſt ipſemet, qui eſt locus omnium ſpirituum rationalium. Ideò iuxta Dionyſium Areopagitam, quia Deus minimè eſt intelligibilis, plus ad noſtrum nihil, quam adeſſe noſtrum accedit.

1. *Tim.* 6.

[illegible] 38.

Locus tenebrarum quis.

Societatem habemus ad inuicem, Cum Deo ſcilicet: non ait, habuimus, ſi in peccato fuimus, vel habebimus, ſi futuri ſimus. Declarat autem Ioannes, quid ſit habere ſocietatem cum Patre, nimirum per Spiritum ſanctum fidem infundentem ambulare in Chriſto, in quo eſt Pater, vel, Participare virtutes infuſas, quas Pater habet per eſſentiam, & participare ſe mouendo & illis vtendo, præſertim fide, cuius vſus etiam perfectis eſt neceſſarius ad omnia mala fugienda, quæ voluntas, ſi fidei habitu mala oſtendantur, appetere non poteſt. Quamobrem fide, omnis mala tentatio, peccatum omne, ſcrupuli, atque dæmones propulſandi ſunt: ſicut etiam omnia bona per fidem habemus tanquam per initium quoddam, per quod acceſſum habemus ad Deum: quo modo per charitatem perfectionem omnem poſſidemus. Etſi fundamentum domus bonum eſt; non tamen ſatis eſt, niſi erigas parietes, & ſuperimponas tectum, quo te à pluuia, ventis, & aliis incommodis tueri valeas. Parietes autem erigit ſpes, tectum ſuperimponit charitas. *Ad inuicem.* Quia nos in Deo ſumus vt in luce, ſugendo dona Dei, ipſe verò in nobis ea infundendo. Deſcenſus enim Dei in creaturas, & aſcenſus creaturæ in Deum concurrunt, & idem ſunt: ſicut etiam corporis aſcenſus in animam, & animæ deſcenſus in corpus ſimiliter conuertuntur. Ita etiam Deus vna facies eſt reſplendens in variis ſpeculis creaturarum, & rurſus Deus ſpeculum omnium creatorũ, in quo verius reſplendent, quam in ſe ipſis.

Quid ſit ſocietatem habere cum Patre.

Fidei habitus neceſſitas ad bene operandum.

Rom. 4.

Fides quæ duo præterea requirat. *Matth.* 7.

Vt ſimus nos in Deo Deus vero in nobis ſit.

Ad tertium dubium, in illud: *Et ſanguis Ieſu Chriſti Filii eius emundat nos ab omni peccato*, in primis reſpondemus, copulam illam. Et, cauſam reddere, ob quã habemus cum Deo ſocietatem; cum tamen nos tenebræ, & peccatores ſimus: quia ſcilicet ſanguis Chriſti ſoluit, ac tulit parietẽ inimicitiarum, ablato peccato, & depulſis tenebris, vt cum eo ſocietatem habere poſſimus. Vel conſecutio eſt: quia habẽdo ſocietatem cum eo, peccata quotidiana nob. virtute ſanguinis Chriſti remittuntur.

Quomodo ſanguis Chriſti emundet nos ab omni peccato. *Epheſ.* 2.

Hîc autem meritò differendum eſt, cur nimirum Deus Pater ſanguine Filii ſui voluerit peccata noſtra mundare, cum poſſet libere noſtris peccatis ignoſcere: quomodo item ille ſanguis mundat, cum potius ſanguinis ſit inquinare, & ſordidum reddere, ſicut Propheta Eſaias dixit: *Quare ergò rubrum eſt indumentum tuum & veſtimenta tua ſicut calcantiũ in torculari? Torcular calcaui ſolus* (& quę ſequuntur) *& aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Tertio, an ſoli ſanguini Chriſti tribuendum ſit, an vero etiam aliis, vt aquæ baptiſmi, & virtuti aliorum Sacramentorum, quod ſi alia ſunt neceſſaria cum ſanguine, cur illi ſoli ſalus adſcribitur? Quarto cur potius ſanguini ſuo effuſo, qui extra venas dicitur cruor? cur item ſepties effudit illum, quare etiam de toto corpore in principio paſſionis, vt in horto; & in medio eius, hoc eſt in flagellatione, & corona ſpinea, & vltimo, ſcilicet cum manibus, & pedib. crucifixus, & lãcea latus ſit percuſſum. Quintò, cur prodigiosè illum interdum fundi voluit, vt in calice, vbi eum dedit potandum, & in ſudore ſanguineo, & denique quãdo ex eius corpore, iam exhalato ſpiritu & Patri commendato, exiuit ſanguis, & aqua. Poſtremò, quare ſanguinẽ ſimul cum aqua effudit, tum in Circumciſione, tum in horto, tum in flagellatione. Iſtis meritò eſt ſatisfaciendum hoc loco ſi plenè de Chriſti ſanguine eſſet agendum. Sed quoniam de his pleniſſimè diſſerui in tractatibus de Paſſione Dominica, ne idem repetẽdo actum agere videar, lectorem huius rei auidum ad eum locum mitto. Nobis tamen in præſenti verba Ioannis ponderanda ſunt, ac vt propoſito loco conueniant, expendenda.

Sex quæſtiones alibi quidem partim ſolutæ partim vero in præſentia diluendæ. *Eſa.* 63.

Luc. 22. *Ioan.* 19. *Ibidem.*

Matth. 26

Libr. 10. & *narratio. Euangelicarum.*

Ait igitur: *Et ſanguis Ieſu Chriſti Filii eius.* Diuinus ſcilicet, & per Spiritum ſanctum formatus, & per eundem effuſus, & oblatus, quique vitam præſtat; fortes quoque, & alacres reddit; & fidelis naturæ, in qua eſt, idem natura ſua dulcis guſtui; pretioſus item, & ſanguis Noui teſtamenti, ac proinde latria adorandus

Sanguinis Ieſu Chriſti virtutes.

Matth. 26.

eſt, vt myſterio Euchariſtiæ facimus; tametſi ſeparatus à corpore, & ab anima, non tamen à diuinitate: quique Chriſto mortem dedit temporalem, vt tibi vitam gratiæ, & gloriæ ſempiternæ donaret. Idcirco vita noſtra tum gratiæ & gloriæ in illo

Sanguinis Chriſti virtutes tot tantaſque quomodo & nos æmulari debeamus.

ſanguine ponenda eſt. Et quia nobilis ſanguis eſt, vtpote diuinus, vt diximus, & ex regia familia Dauidis propagatus, in eo tantum gloriandum eſt, vt non minus de eo dicendum ſit, quam de cruce: *Mihi autem abſit gloriari niſi in ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem ſaluati, & liberati ſumus.* Cum pretioſus ſit hic ſanguis, ita vt Paulus dicat; *Empti eſtis pretio magno*: dare operam debemus, ne tam pretioſæ rei iacturam faciamus ob leuiſſimam aliquam delectationem, aut viliſſimum lucrum, vt Iudas proditor fecit, Dominum ſuum vendendo vili pretio Iudæis: ne requiratur hic ſanguis fratris noſtri à nobis: quemadmodum fratres Ioſeph dixerunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, &c. en ſanguis eius exquiritur. Quia itẽ fidelis eſt in neceſſitatibus; ideo ad eum recurrendum, vt ad amicum ſingularem noſtræ naturæ humanę. Quia etiam animoſus eſt, & fortis, vt oſtendunt, quia ſanguine abundant, & illum fudit, cum confortatus eſt ab Angelo; idcirco & vos quoq; corroborat, vt ſanguis mori elephantos ad pugnam acuit. Hic ergo ſanguis effuſus à Chriſto prope mortem ſuam, inſtante morte noſtra nos corroborat, vt reſpiremus, & cõfortemur ab Angelo, qui ducat, imò portet nos in ſinum Abrahæ, vt olim Lazarum: propterea in nulla aduerſitate timendũ eſt. Idem quia dulcis eſt, & in dulci ſpecie vini nobis relictus ad potandum, vt eo alamur, & à pijs animabus lambendus, & ab ipſis etiam Gentilibus, qui ſe tamen agnoſcunt fuiſſe canes, qualis Chananæa fuit, quæ audenter Chriſto dixit; *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*: Quemadmodum olim canes ſuxerunt ſanguinem Achab Regis Iſrael cadentem ex vulnere quod acceperat inter pulmonem, & ſtomachum.

Gal. vlt. *1. Corint. 6.* *Matth. 26.* *Geneſ. 42.* *Luc. 22.*

Sanguinis mori virtus. *Supra. 16.*

Dulcedo ſanguinis Chriſti. *Matth. 15.* *3. Reg. 22.*

Expenditur verbum: Et ſanguis Ieſu Chriſti.

Quia deniq; Noui teſtamenti ſanguis eſt, ſubiungit: *Ieſu Chriſti.* Nempe ſaluantis quatenus Deus eſt, & qui, ſi Deus non eſſet, ſummus Mediator non eſſet, qui non eſſet Deo immediatus, cum à quauis gratia reſtet ſemper infinitus aſcenſus ad Diuinam naturã. Ideò oportuit in Chriſto concurrere naturam & gratiam, ita vt vnum eſſet: quemadmodum ſi non eſſet homo, nobis conueniens mediator non eſſet, quia nec nobis immediatus eſſet: ſicut etiam niſi Deus eſſet, Patri ſuo ſummè gratioſus non eſſet. Ait etiam *Ieſu Chriſti.* Qui homo fuit, quod ſummè neceſſarium erat. Si autem non eſſet vnctus oleo Verbi æterni, & Spiritu ſancto, adhuc non ſufficeret, vt dictum eſt, ad redimendum. Et quia maximus homo eſt, vtpotè non contractus hypoſtaſi humanitatis; idcirco illo mortuo, omnes mortui cenſemur: eo ſuſcitato, & renato in reſurrectione, omnes renati ſumus in potentia regenerandi, actu in vniuerſali reſurrectione, & omninò quantum ad animum attinet, in iuſtificatione, & glorificatione Spiritus regenerati, & ſpe ſua die glorificandi ſumus.

Qualis homo Chriſtus ſit. *Pſal. 44.*

Vt hæc exemplo aliquo illuſtrentur: ſi granum frumenti maximum contineret in ſe vim omnium granorum, quicquid illis omnibus de horreis totius mundi eductis fieri poſſet, illo vnico fieret: quocirca illo moriente, omnes mortui cenſeremur; illo ſuſcitato, omnes haberemur reuocati ad vitam; illo aſcendente, ſimiliter aſcendiſſe: illo demum ad dexteram Dei ſedente, omnes cum illo conſediſſe, dicente Paulo: *Cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu.* Nomen verò Chriſti vt ſignificat hominem Deum, ſiue Diuinum; ita Ieſus Deum hominem, vel Deum humanatum, ſecundum id, Deus noſter Deus ſaluos faciendi. Et vt olim in lege dicebatur Meſſias, hoc eſt vnctus, ita modò Ieſus: quia olim prius notus fuit homo, quam Ieſus, vel Deus, quia homo Deus via eſt ad cognoſcendum Deum hominem. Nos contra dicimus: Ieſus Chriſtus, quia per deitatem cognoſcimus vim humanitatis. Addit: *Filij eius.* Nempe naturalis, & vnigeniti, & per naturalem, & bonum expediens fuit reconciliare, atque beatificare adoptionis filios; & malos ſpernentes naturalem filiationem, cum ab adoptione in Adam (quæ naturaliter participatur) reſilierit.

Qua ratione omnes homines in vno Chriſto homine comprehendantur.

Epheſ. 2.

Quid nomen Chriſti, quid vero nomen Ieſu ſignificet. *Pſal. 67.*

Ieſus Chriſtus quod Filius Dei ſit.

Sequitur alterum verbum: *Emũdat nos:* circa quod verbum quatuor ſunt explicanda. Primum, quod emundat nos quadrupliciter: efficienter ſcilicet, & meritoriè; ac vt inſtrumentum ſacrificij, atq; exemplo: vti ita tot modis à peccatis purgati reuera dicamur redempti, id eſt, ſæpius ſiue iterum atque iterum empti, cognoſcamusque quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Quatuor modis Chriſtus nos emũdat ab omni iniquitate. *Pſal. 129.*

¶ Dein-

¶ Deinde emundat nos potentia, & merito, ſiue efficacia, & virtute. Vt Manna dicimus habere vim purgãdæ pituitæ; Rhabarbarum purgandæ choleræ: Mithridaticum verò, vim veneno reſiſtendi. Actu, ſiue effectu ſolos accedẽtes ad Chriſtum, per fidem, & Sacramentum purgat: non ſecus atq; Sol omnes potentia ſua illuminat, actu autem non niſi aut illos qui illi aperiunt feneſtram, aut ſe ipſos in loco, quem Sol ſpectat, conſtituunt. ¶ Tertio, emundat non ſimul, ſed per gradus, & paulatim: & hoc quidem perfectè à peccatis, tum verò à ſupplicijs, & pœnis peccato debitis, & dum viuunt in Purgatorio luunt debita: perfectius autem in gloria, ac beatitudine abſorpta omni potentia peccandi: perfectiſſimè verò in reſurrectione, vbi inimica deſtruetur mors, & extinguetur omnis concupiſcentiæ fomes. 1. Cor. 15.

Triplex genus propoſitionũ de ſanguine Chriſti & redemptione in Scripturis expreſſum.

Quarto illud vtiliter conſiderandum, tria genera propoſitionũ inueniri in Scripturis, quod attinet ad ſanguinem, mortem, paſſionem, propitiationem, reconciliationem: & redemptionem Chriſti; alias quidem de præterito, quaſdam verò de præſenti, alias de futuro. Legimus enim, quod dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo & Heb. 1. ait B. Paulus 1. Purgatione peccatorum facta (vt Græca habent) idem Epheſ. 1 *Gratificauit nos in dilecto Filio ſuo*; Rurſus ad Rom. 5. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius*, crucifixo etiam peccato: Eccleſiam Dei acquiſiuit ſanguine ſuo; ſanauit, redemit, & abſtulit peccata mundi; &, Proiecit in profundũ maris omnes iniquitates noſtras. Quæ quidẽ dicta, & ſimilia multa, nõ ſunt intelligenda actu, quia multi ante Chriſtum mortui ſunt, & in peccatis damnati; & quia non omnes præſentes fuerunt tempore crucis Chriſti, nec Iudam proditorem ſaluum fecit, nec latronem blaſphemantem, qui à ſiniſtris eius pendebat: nec item omnes futuros poſt eum ſignificant, quia non omnes obediunt ſiue credunt Euangelio: nec omnes qui credunt, viuunt ſecundum Euangelium, aut in accepta ſanctitate perſeuerabunt. Ideò multi dicuntur vocati, pauci, electi, &c. Quinq; ſunt fatuæ, quinq; verò prudentes virgines. ¶ Quare propoſitiones huiuſmodi vnum ex tribus ſignificãt. Nam primo vſque ad Chriſti mortem prophetiæ erant de præterito, ob immobilitatem ſcilicet, & certitudinẽ, quaſi iã factæ fuiſſent Ita intellige dicta prophetarum, quæ ſequuntur: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*; & infra: *Et ipſe peccata multorum tulit, & pro trãſgreſſoribus rogauit*: *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: Foderunt manus meas, & pedes meos*; *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.*

Act. 10. Eſai. 38. Matth. 21. Luc. 23. Rom. 1. Matth. 21. Infra 22. Infra 15. Eſa. 53. Supra 9. Pſalm. 21. Luc. 1.

Alter ſenſus.

Vel, ſi dicuntur ab Apoſtolis, ſecundo ſignificant, Chriſtum ex parte ſua feciſſe medicinam efficaciter ſanantem à morbo peccati, ſi tamen ſumatur, & incorporetur homini. Vel fecit conuiuium grande, id eſt, fecit expenſas ad conuiuium, in quo poſſes ſatiari, & amplius non famere, ſi modò ad conuiuium accedas. Fecit etiam redemptionem plebis ſuæ, id eſt, fecit peccata purgabilia, expiabilia, & remiſſibilia: nos verò ſanabiles, reconciliabiles, ac repropitiabiles. Hinc Paulus tria dicit: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Hæc de præſenti. De præterito vero ait: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis*; & infra: *Poſuit in nobis verbũ reconciliationis.* Et demum inferius, *Eũ, qui non nouerat peccatũ: pro nobis peccatum fecit.* Et paulo ante hęc verba: *Obſecramus*, inquit, *pro Chriſto, vt cõciliemini Deo.* Vt intelligas, in opere recõciliationis noſtræ inueniri Deũ in Chriſto, vt propter eius merita nos ſibi reconciliet: & interuenire etiam Apoſtolos verbo, & miniſterio reconciliationis, hoc eſt, Sacramento: tertiò interuenire nos ipſos, qui reconciliandi ſumus: quia ſine noſtra fide, & conſenſu, & cooperatione reconciliabimur nunquam. 2. Corint. 5. Ibidem 18

Tria interueniunt in opere reconciliationis.

Secũdum genus propoſitionum de Chriſti redemptione, cum triplici acceptione.

Secundo propoſitiones de præſenti in Scripturis inueniuntur, quales ſunt: *Emũdat nos ab omni peccato*: *Ecce qui tollit peccata mundi, Agnus Dei* ſcilicet: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorũ ſecundum diuitias gratiæ eius*, & reliq. Item *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*: *Speramus in Deum, qui eſt Saluator omnium hominum, maxime fidelium.* Iſtæ autem, & ſimiles locutiones, quibus plena eſt Scriptura, ſignificant vim, potentiam, & efficaciam, ac meritum Chriſti. Sicut dicimus Rhabarbarum purgare cholerã, Manna vero pituitam, & veneno reſiſtere Mithridaticum: non quatenus iſta medicamẽta veneunt in domo pharmacopolę, ſed quatenus moderata quantitate ſumpta ad iudicium periti medici nobis incorporantur. Secundo tales propoſitiones ſignant applicationẽ, & cooperationẽ noſtram, quæ continuè per fidem, Sacramẽtum pœnitẽtiæ, vel per opera bona, & indulgentiam, ſiue in vita, ſiue poſt mortem in Purgatorio. Tertiò eiuſmodi ſententiæ ſignificant expiationem, quã facit Chriſtus per Sacramentum Euchariſtiæ, quæ 1. Ioan. 1. Ioan. 1. Epheſ. 1. 2. Corin. 5. 1. Tim. 4.

quotidie pro peccatis offertur. Nam hæc hoſtia expiabilia facit omnia peccata, quæ poſt Baptiſmum admittimus, & applicatur nobis, aut per ſalubrem pœnitentiæ dolorem, aut per deuotionem, & charitatem.

Tertium genus propoſitionũ triplicis intelligẽtiæ. Tertiò ſunt quædam propoſitiones de futuro: Vt, *Ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius*: Et, *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? Cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael*: & Eſaias: *Venit ex Sion qui eripiat, & auertat captiuitatem à Iacobo. Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum*. Item Dauid, *Ex vſuris, & iniquitate redimet animas eorum*. Chriſtus quoq;: *Reſpicite*, inquit, *& leuate capita veſtra; quoniam appropinquat redemptio veſtra*. Apoſtolus quoq;: *Sed & nos ipſi primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorũ Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri*. Dicuntur ergo eiuſmodi peccata de futuro nobis remittenda, quia ipſa peccata futura erant, & necdũ admiſſa. Deinde ſignificant ſupereſſe diligentiam noſtram, & cooperationem ad percipiendam remiſſionem peccatorum actualium, poſt quę admiſſa, ſi alia noua ſuccedant peccata, noua alia futura diligentia expianda. Demũ ſignificant plenam redemptionem, etiam minutorum, & venialium peccatorum, & corporis noſtri futuram reſurrectionem, in quo plena accipietur remiſſio peccatorum: & in Apocalypſi dicuntur Angeli viciſſe dæmonem in ſanguine Agni. Sanguis Agni virtutes ſunt, quibus Chriſtus armatus, modeſtia ſcilicet, manſuetudine, & charitate, vicit, & docuit vincere eos qui ſe vincebant.

Pſal. 13. Eſa. 59. Rom. 11. Pſal. 71. Luc. 21. Rom. 8. Apoc. 12.

Quo ſanguine Agni vicerint Angeli draconem tartareum, & nos quoq; eum vincere debeamus.

Chriſtus emundat nos ab omni iniquitate quadrifariam.

Subdit, quod *Emundat nos ab omni peccato*. Nimirum & originali, & perſonali, ſiue leue ſit, ſiue magnum: ab omni etiam peccato omiſſionis, & cõmiſſionis corde, ore, & opere, ſiue quis in Deum, ſiue in proximum, aut in ſe ipſum peccet; ſiue quis ex infirmitate, ſiue ex malitia, ſiue ex ignorantia delinquat; ſiue peccatum ſit ſecretum, ſiue publicum, ſiue ſcandaloſum, ſiue ſit hæreſis, ſiue apoſtaſia, ſiue aliud horrẽdum, & teterrimum flagitium. ¶ Emundat etiam nos ab omni peccato, etiam mortifero, noua ratione, & via, præſeruando, tollẽdo etiã occaſiones, ne illis oblatis prolabamur; vel etiam illis poſitis iuuando, vt nõ præualeant: cõprimendo item dæmonis tentationes, & ſuggeſtiones, vt ſtatim inſidiæ detegantur. Veniales verò defectus emundat, ſupplendo cõtritionem, qua aboleantur, vel per orationem Dominicam, vel eleemoſynam, quæ ab omni peccato liberat; vel opera charitatis, quia charitas operit multitudinem peccatorum; vel per tribulationem patienter toleratam. Quia.n. in iſta frequenter incidimus, prouidit etiã de frequenti, & multiplici remedio benigniſſimus Deus. Quod ſi hic non ſint perfectè purgata omnia peccata; in alia vita proſpexit de igne purgante, de ſacroſanctæ Miſſæ ſuffragijs, de indulgentijs, vt plus poſſit mũdare ſanguis Chriſti, quã peccatum perdere. Emundat etiam ſanguis Chriſti primorum motuum concupiſcentiã, nimirum faciendo, vt ad adeptionem gloriæ baptizatis non imputentur: deinde rariores, ac remiſſiores hos motus efficiendo, vt facilius vinci poſſint. Atque hoc quidem dupliciter: quoſdam quidem motus reprimit medio habitu infuſo, quoſdam vero exercitio acquiſito. Nam vt Deus quoſdam Chananæos per veſpas, & crabrones interfecit, ita dono aliquo ſiue habitu infuſo mitigat carnem, ac reprimit, quoſdam vero per exercitium Iſraelis, quo pellitur Iebuſæus de domo ſua. Poſtremò ab omni etiam defectu pœnarum, quæ ſubſequuntur peccata, & peccata nominantur tales pœnæ, ſiue ſupplicia quia pretioſa ſunt propter Chriſtum tolerata, & breues ſunt, atque temporales. *Ibant*, inquit ſanctus Lucas, *Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*; & Frater Domini, *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Nam condimento diuinæ gratiæ, & conſolationis redduntur ſuaues, ac tolerabiles, imò etiam dulces, ac iocundæ, ſi conſideretur præteriti peccati magnitudo, & præſentis gratiæ largitas, & futurorum bonorum in cœleſti gloria ſublimitas. Atque ita ſatis indicatum eſt, qua ratione ſanguis Ieſu Chriſti Filij Dei emundet nos ab omni peccato.

Tob. 4. 1. Pet. 4. Prou. 10.

Duplex emundatio motuum concupiſcentiæ. Sap. 12.

Ioſu. 15.

Quæ pœnæ nominentur peccata, & cur.

Act. 5. Iacob. 1.

DISPVTATIO VII.

In illa verba Ioannis: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Dubitatio I. HÆc Verba etſi prima facie aperta, & clara videantur, dubium tamen eſt quorſum dicantur, & quomodo conueniant cum præcedentibus. Deinde quæritur, quis ſit ſenſus horum verborum; Secunda. quia quidam proponuntur ſatis probabiles. Tertio, ponderanda ſunt more Tertia.

noſtro hæc tam pauca verba, quo fructum aliquem eliciamus.

Ad I. Quæ duo extrema iuſtitiæ adeptioni, & in ea perſeuerantiæ reluctentur.

Expediamus primum: Duo ſunt extrema, quæ iuſtitiæ adeptionem impediunt, atque in ea ſemel adepta perſeuerantiam. Alterum eſt eorum, qui dicunt, peccatum lethale ſimul cum patris, & Filij ſocietate conſiſtere, de qua ſupra dixerat: *Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur*: quod eſt dicere, lucem & tenebras ſimul eſſe, & mortem cum vita poſſe conſiſtere. Alterum extremum eſt eorum, qui omnino inficiantur ſe peccatum vllum habere, ex quo in Chriſto ſunt, & poſtquam cum eo ſocietatem habere cœperunt: quod ſi verum eſſet, multa inde abſurda ſequerentur. Neq; enim homines in primis recurrerent cum Publicano ad Chriſtum medicum, ſed cum Phariſæo vt ſuam iactarent iuſtitiam, quam hoc ipſo ſe non habere proderēt. Deinde cum dixerit, ſanguinem Chriſti mundare nos ambulantes in luce abſque peccato, ſequeretur, quod ambulantes in luce peccatum haberēt. Vt maximè decipiantur qui aliter dicunt: nā ratio emundationis eſt, cognoſcere nos habere peccatum, & illud coram Deo confiteri, vt illud nobis remittat. Et hæc dicta ſint ad primam dubitationem.

Luc. 18.

Ad II. dub. De ſenſu huius ſententiæ: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c. vbi tres ſenſus excluduntur atq; confutantur.

Quod ad ſecundam attinet, diligenter inueſtigādum eſt, quale nam ſit hoc peccatum, quod renati habēt, & ambulantes in luce, quodq; noua indiget remiſſione. In primis enim peccatum originale in Adam patratum non eſt, quia illud baptiſmo tollitur, iuxta id quod canit Eccleſia: Confiteor vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum: & per Ezechielem ait Dominus: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Item qui Chriſto inſitus eſt, & translatus, nō eſt in Adamo, ac per hoc nec peccatum Adæ habet. Eſſet ergo blaſphemia baptiſmi, & gratiæ Dei, & ſanguinis Redemptoris, huiuſmodi peccatum aſſerere adhuc in baptizato remanere, vt docuit impudenter Lutherus. Ideò non dixit de præterito, Peccatum non habuimus, ſed de præſenti, Peccatum non habemus. Deinde hoc peccatum, quod baptizati, & iuſtificati habent, & perſonale eſt, mortiferum, aut lethale eſſe non videtur, quia iam tale ſuperius excluſerat dicendo: Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur: & tantus Apoſtolus Chriſti, qualis erat Ioannes Euāgeliſta, & in gratia Dei per Spiritum ſanctum conſtitutus, & confirmatus, nequaquam diceret ſe mortiferum habere peccatum. Et idem dicendum de reatu mortiferi delicti, in quo viuit peccator, qui poſt actum tranſeuntem remanere ſolet, quia dantur tempora quibus aliquis ſine peccato, vel reatu eſſe poſſit: vt cum quis perfectè contritus, aut per indulgentiam, aut per plurima opera charitatis exercitatus, aut per indulgentias fide, & deuotione ſumptas plenè ſit purgatus. Tertio non videtur hic ſermo eſſe de peccato veniali, vel eius reatu, vt interdum docet magnus Cyprianus, quod idem eſt: quia etſi vita noſtra ſine delictis minoribus non traducatur: vnde docuit Chriſtus Apoſtolos dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*, vt poſt ſuſceptum Sacramentum Baptiſmi, vel Euchariſtiæ, ſiue poſt indulgentiam adeptam, poſſunt eſſe etiam inſignia opera charitatis in quibuſdam, quæ illa peccata tegant, ac ſepeliant. Quod etiam illud oſtendit: quia non dixit, Habuimus, ſed habemus. Et alioqui oporteret aſſerere cum Luthero, iuſtum in quolibet opere ſuo bono peccare; quod eſt falſum, & contra innumeras Scripturas, & ſibi aduerſans, atque repugnans. Quomodo enim eſſe poteſt bonum opus, ſi peccatum eſt? aut ſi peccatum, quomodo bonum opus?

Ezech. 36.

Lutheri dogma peruerſum.

I. Senſus.

II. Senſus, qui eſt B. Cypriani.

Matth. 6.

Lutheri blaſphemia.

Quartus ſenſus, proprius ſcilicet huius loci.

Ex qua ratione colligimus, præſentem locum neq; de originali peccato, neq; de perſonali mortali, neque de perſonali veniali intelligi poſſe. Cogimur ergo præcipuè accipere hęc verba de vitio, ac morbo concupiſcentiæ, ſiue de fomitis defectu, ex quo multa peccata venialia frequenter incurrimus. Ad hoc autem primo mouet ſententia Auguſtini, qui ita interpretatur hunc locum li. 2. de Peccat. mer. & remiſſ. c. 8. lib. & de Perfectione iuſtitiæ prope finem, & epiſtol. ad Hieronymum, dicens: Quis ergo ſine aliquo vitio, id eſt fomite quodam, vel quaſi radice peccati? cum clamet is, qui ſupra pectus Domini in cœna recumbebat: Si dixerimus quod peccatum non habemus, &c. Secundo mouet autoritas Pauli, qui non ſemel hoc vitium peccatum appellauit, vt ibi: *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius*: & alibi, *Iam nō ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Facit etiam maximè ad rem; quia hanc concupiſcentiam de præſenti habent omnes baptizati, ſiue ambulantes in lumine, quia legimus: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: quærendum enim eſt peccatum aliquod,

B. Auguſt. tom. 7.

Ibidem

Idem epiſt. 29. *tom.* 2.

Rom. 6.

Infra 7.

quod, quod ineſſe poſſit iuſtis, & competere perfectis, & Apoſtolicis viris, vt Ioanni Euangeliſtæ, & reliquis Apoſtolis.

Triplex quæſtio de concupiſcentia proponitur & diluitur.

Quo verò hæc diligentius examinentur, tria meritò ſunt diſputanda de hac concupiſcentia. Primum eſt, an hæc concupiſcentia propriè ſit peccatum, vt pertinaciter noſtri ſeculi hæretici docent. Secundum, an renatis habere hoc vitium, ſit propriè peccatum, an verò peccatum ſit in nondum renatis. Tertium, in quem finem relictum ſit hoc vitium in baptizatis, cum magnam vim habeat ad homines impellendum in peccatum, & ad eos in Ægyptum reuocandos: & fortitudo redemptionis Christi hoc næuo ſatis offuſcari videatur.

An concupiſcentia in baptizatis remanens ſit peccatum.

Rom. 7.

B. Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. c. 27. tom. 6.

Idem lib. 1. Recognit. c. 13. & 15. & alibi paſſim tom. 1.

Quantum ad primum igitur, hæc pronitas, ſiue propenſio ad malum, quæ concupiſcentia, vel fomes, vel naturę vitium, vel languor, vel lex membrorum vocatur, peccatum dicitur: ac peccatum teſte ipſo Auguſtino, eſt factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem. Quibus in verbis peccatum definitur eſſe actus quidam in legem Dei admiſſus: & iſta cõcupiſcentia non eſt actus, ſed potentia, & pronitas quædam ad malum incitans. Deinde iſta concupiſcentia voluntaria non eſt, ſed ſæpè inuoluntaria: at vbi abeſt ratio voluntarij, abeſt & ratio peccati, teſte Auguſtino. Tertio hæc concupiſcentia vitari nequit ab homine, etiam baptizato, & iuſtificato: quod autem tale eſt peccatum non eſt: nam ſæpe eſt & in pueris, & in dormientibus. Quartò, non eſt contra legem Dei hæc pronitas ad malum, imò ex iuſtiſſima illius prouidentia relicta eſt, nec peccat appetendo quæ ſua ſunt. Quintò hæc concupiſcentia eſt in carne, & in membris, teſte Apoſtolo: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum*: & alibi, *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem*: at caro, ſedes peccati eſſe non poteſt. Sexto, baptiſmus omnem tollit, culpam, & peccatum, iuxta illud: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: & confitemur, hominem ita mundari per baptiſmum, & renouari, vt ſi ſtatim vbi baptizatus eſt, è vita decederet, euolaret in vitam æternam. Septimò, gratia, & donum Chriſti multo maius eſt, quam delictum Adæ, vt Paulus oſtendit: illud ergo quodcunque imputabile peccatum eſt, penitus extinguitur per Chriſtum. ¶ Obijcies; Qua ergo ratione quod peccatum propriè non eſt, peccatum à Paulo vocatur? Sæpius ad hoc argumentum reſpondi: ea ratione dici peccatum, quod ex peccato orta ſit hæc concupiſcentia: quemadmodum Scriptura, quæ manu conficitur, manus dicitur, & ſermo, qui lingua formatur, lingua nominatur; dicimus enim: Hic valet manu, hic pollet lingua: quia & pulchros pingit characteres, & eloquentia præſtat. Ita etiam concupiſcentia ex peccato originali orta eſt.

Rom. 7. Gal. 5.

Baptiſmi mira efficacia.

Ezech. 36.

Roman. 5.

Si concupiſcentia peccatum non eſt, cur peccatum appellatur.

Cur etiam ignorantia, & mors peccatum nominentur.

Roman. 7.

Obijcies ſecundo: Alię eiuſdem peccati pœnæ dicuntur peccata: vt ignorantia, & mors, & ſimiles alij defectus. Reſpondeo etiam, peccatum dici concupiſcentiam, quia non ſolum ad peccatum veniale, ſed etiam ad lethale ſtimulat, & impellit. Ait enim Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*. Si ergo hominem captiuum ducit ad mortiferum peccatum, certè lethale delictum eſt. In hac ergo concupiſcentia affectuum noſtrorum atque paſſionum radix eſt, per quas prorumpimus in peccata: nec tamen tales affectus propriè peccatum ſunt, ſicut nec ipſi vitioſi habitus, quibus hæc omnia inſunt: ſicut nec mulier pulchra, & honeſta, quæ ſua elegantia, & pulchritudine te ad peccatum allicit, peccatum eſt.

Sententiæ Auguſtini, quę aſſerit concupiſcentiam proprie eſſe peccatum, triplex interpretatio.

Aug. to. 7.

Gal. 5.

Tertio obijcies ex Auguſtino, hanc concupiſcentiam, propriè eſſe peccatum, aſſerere: ait enim libr. 5. contra Iulianum capit. 3. ſub initium: Sicut cœcitas cordis, quam ſolus remouet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animaduerſione punitur; & cauſa peccati, cum mali aliquid cœci cordis errore committitur: ita concupiſcentia carnis (aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus) & peccatum eſt quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis: & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis. Ad hoc Auguſtini dictum, quod magnopere vrgent hæretici, reſpõdemus, peccatum dici æquiuoce, vel analogicè ab Auguſtino: nam vt animal propriè dicitur ſanum, cibus autem, & medicina non niſi analogice, quia ſanitatis cauſa ſunt; at color, & vrina ſana dicuntur, quia ſigna ſunt indicantia ſanitatem; ita metaphorice peccatum dicitur cõcupiſcentia illa; quia ſicut mens inobediens ſuperiori ſuo Deo peccat, ita caro quia concupiſcens non obedit menti ſuperiori ſuo, rebellat, & reclamat. Deinde aliter dicere poſſemus, quod peccatum ſit, habere

bere

bere illam concupiſcentiam illis qui nondum ſunt renati: at vero in renatis peccatum non eſt, vt alias explicuimus. Tertio reſpondemus, dicendo, concupiſcentiam actualem prauam, & inobedientem non iam vllam eſſe potentiam, aut habitum: & ita tunc propriè peccatum eſt, & iam alia ratione accipitur, quam prius.

Paulus & Ioannes quibus verbis declarauerint concupiſcentiam propriè peccatum nō eſſe.

Quarto obijcies, Paulum, & Ioannem optimos fuiſſe Theologos, & tamen hanc concupiſcentiam peccatum appellaſſe; propriè igitur erit peccatum. Reſpondeo, hos ipſos duos Apoſtolos abunde concupiſcentiam declaraſſe propriè peccatum non eſſe: nam Paulus vult hunc morbum eſſe in carne, quæ peccati ſubiectum non eſt: præcipit enim, vt peccatum non regnet in noſtro mortali corpore, vt obediamus eius concupiſcentijs: aſſerit, quod caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: & Ioannes, *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: confitetur peccatum ineſſe perfectis, etiam Apoſtolis: ergo propriè peccatum eſſe non poteſt. Imò Apoſtolus ipſe Chriſtum vocat peccatum, & maledictum; & ſacrificium pro peccato, ſimiliter peccatum appellat Oſeas Propheta ſacrificium pro peccato, cum ait, *Peccata populi mei comedent*: hoc eſt, oblata pro peccatis ſacrificia. Apoſtolus vero, Is qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.

Rom.6. Galat.5. 1.Ioan.1.

2 Corint.5. Gal.3.

Oſe.4.

Quo ſenſu dictum ſit in lege Non concupiſces.

Exod.20. Rom.7.

Quinto argues, à Domino præceptum eſſe: Non concupiſces. Reſpondebo, nec omnem concupiſcentiam homini illis verbis interdici: nam bonam, & rationi conſentaneam non ſolum non prohibet, ſed præcipit: vt, quod ſpiritus concupiſcat aduerſus carnem: iubemur etiam vt concupiſcamus ſpiritualia, de quo ſanctus Dauid: *Concupiuit*, inquit, *anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore*: neque rurſus naturalem concupiſcentiam cibi, potus, veſtis, domus. & ſanitatis, ſi deſit, denique nullam prohibet concupiſcentiam, quæ cum ratione coniuncta eſt.

Pſal.118.

Cum ergo dicitur: *Non concupiſces*, carni non præcipitur, cui à Deo præceptum eſt per inſitam naturam, vt concupiſcat, aut in pœnam relictum: quia illa ei impoſſibilis eſt, & inuitis nobis, ac dormientibus ſæpe contingit: ſed præceptum eſt homini ſecundum partem ſuperiorem, id eſt, menti, & rationi, vt non conſentiat concupiſcentijs, nec ambulet ſecundum concupiſcentias ſuas. Vnde ait Spiritus ſanctus: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*: & alibi, *Spiritu ambulate, & deſideria carnis nō perficietis*. Et hactenus, concupiſcentiam non eſſe peccatum oſtendimus.

Eccl.18. Gal.5.

An concupiſcentia in ijs qui nondum ſunt renati, peccatum ſit, an etiam in renatis peccatum amplius non ſit.

Secūdo loco propoſitum dubium diluamus, an ſcilicet concupiſcentia in nōdum renatis peccatum propriè ſit, an verò iam renatis peccatum amplius non ſit. Probatur vtrumq; quod illis videlicet ſit peccatum, his verò non. Nam qui habet quod non debet habere, vel non habet, quod debet, manifeſte, & propriè peccat. Exemplū ſit: Qui ſine cauſa reliquit vxorem ſuam quam tenere iubetur; ſimiliter qui habet vxorem alterius, quam prohibetur habere, manifeſte peccat: & qui rem alterius, aut pecuniam habet per furtum, aut vſuram, certè delinquit: è contrario verò qui ſuam rem, aut pecuniam ſibi, & filijs neceſſariam, aut quæ eſt ex dote mulieris ad ſuſtinenda onera matrimonij, ex pura, & ſupina negligentia habere contemnit, certe peccati non eſt expers. Ad hūc propè modum quia in Adam omnes iuſtitiam originalem accepimus, per quam aberat iſta concupiſcentia, idcirco nondum renati qui adhuc ſunt in veteri Adam, obligantur non habere iſtam concupiſcentiæ pellicem: & habere iubentur illam iuſtitiam, quam Dominus dedit, originalem, vt legitimam vxorem. Quia tamen ſua culpa non habent, ideò ſæpe in doctrina Auguſtini traditur, quod habere iſtam concupiſcētiam, aut motus eius, ſit peccatum, quia homo nondum exutus ab illo veteri Adam, nondum liber eſt ab illo debito habendi talem iuſtitiam. Hinc nonnulli ex Scholaſticis definierunt, peccatum originale eſſe iuſtitiæ originalis priuationem cum debito habendi eam. Sed hoc peccatum nō eſt diſtinctum à peccato perſonali, ſed pars eius: nō quod duplex ſit, aut multiplex peccatum originale, vnum quod peccauit in Adam, & aliud, quod commiſit habēdo iſtam concupiſcentiam, aliud, habere iuſtitiæ originalis priuationem; ſed ſimpliciter vnum eſt, multas tamen habens deformitates. Hinc Auguſtinus in Enchiridio docet, peccatum originale dici iniquitates in plurali, iuxta illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, quia illi multa inſunt peccata: vt, inobedientia, ſuperbia, furtum, gula, & vana peccati excuſatio, & iuſtitiæ priuatio. Sicut igitur furari, & rem furto detinere, peccatum eſt vnum, non duplex, quia vt regula topica tradit, Vbi vnum eſt propter aliud, ibi tantum eſt vnum; ideo peccaſſe in Adam edendo

Quid Peccatum originale ſecundum aliquos.

Aug. cap. Enchiri. tom.3. Pſalm.50.

Ariſtot. in lib. Topic.

de vetito ligno, & habere iſtam concupiſcentiam, peccatum vnum eſt: ſi autem deſinit eſſe in Adam, & incipit eſſe in Chriſto; deſinit habere originale peccatum, & per conſequens obligationem habendi iuſtitiam originalem, atque adeò deſinit habere debitum concupiſcentiam illam non habendi: quemadmodum habere, ſiue portare veſtem alienam furto ſublatam, eſt quidem peccatum: at habere illam, ſiue portare iam mihi dono datam peccatum non eſt.

Quas ob cauſas renati etiam nunc motus concupiſcentiæ patiantur.

Iam quod ad tertiam dubitationem attinet, reliquit Deus in iuſtificato hanc concupiſcentiam, ſiue fomitem poſt baptiſmum, tum ob magnam diuinæ ſapientiæ commendationem; tum ob inſignes vtilitates noſtras. In primis enim Deus, tanquam medicus peritus, relinquit in homine vulnerato cicatricem, vt meminerit vulneratus & vulneris, & medici ſanantis, vt gratus illi ſit, eumque diligat. Nam etiam medicus ipſe Chriſtus cicatrices plagarum ſuarum reſeruauit, vt noſtrum omnium recordetur, pro quibus vulneratus eſt. Deinde vt hac ratione humiliemur, qui per ſuperbiam cecidimus: & ſi adhuc cum tanta infirmitate ſuperbimus, quantum quæſo ſuperbiremus, ſi ſpoliati illa infirmitate eſſemus? Et vt capite ſerpentis contrito, manet adhuc cauda ſe agitans, & mouens: ita etiam contrito ſerpentis diaboli capite, ne amplius mordeat, hoc eſt, originali peccato, fomes tamē adhuc mouetur in nobis: ſed mouere non poteſt, ſi volumus, hoc eſt, ſi eius motibus nolumus conſentire. Hinc dicimus cum Propheta: *Tu contribulaſti capita draconis in aquis*, ſcilicet baptiſmi, aut pœnitētiæ. Et ſicut ignis iniecta aqua fumat, vel aliquid caloris retinet, quod eſt ſignū ignis; ita Dominus vult te meminiſſe peccati illius, quod in Adam perpetraſti, vt & aliorum omnium, vt humilieris, & amplius non cadas. Tertio hoc factum eſt, vt cautius in futurum incedas, quia nōdum es omnino ſanus, ita, vt, ſicut dixit Chriſtus, ſpiritus quidem promptus ſit, caro autem infirma. Ac vt ſtultum eſſet, homini infirmanti eos cibos, aut rationem victus tribuere, quæ ad ſanum ſpectat: ita carni danda non ſunt quæcunque vult, aut appetit, ſed ea quæ conueniunt ſanitati recuperandæ: nam ſano, & forti ſtomacho omnia edenda concedimus, ſecus languenti & infirmo. Quartò accedit, ꝙ hac difficultate pellēdi Iebuſæum de terra noſtra, meritum nobis comparamus illum omnino expellendi, & aucta virtute illum exterminandi. Non enim coronabitur quis, teſte Apoſtolo, niſi legitimè certauerit. Atque ea ratione conſequitur nos maior gloria modo, quam fuiſſet in ſtatu innocentiæ: quemadmodum eques in equitando dexter, & ſtrenuus in equo rebelli, & ſolo lubrico bene currens, maiorem gloriam ſibi comparat, quam ſi in equo obediente, ac ſolido in ſolo ac firmo bene, & feſtinanter currat. Quinto, vt Chriſti gloria maior appareat: quia virtus in infirmitate perficitur. Nam maior gloria diuinæ gratiæ eſt, per infirmos homines, dæmones vincere fortiſſimos: & muſici gloria eſſet, ſi inſtrumento chordis diſſoluto, nec bene temperato, recte pulſaret.

Ioan. 10. — Gene. 3. — Pſal. 73. — Matth. 26. — Ioſu. 15. — 2. Timot. 2. — 2. Cor. 12.

Quid eſt Si dixerimus quoniam peccatum nō habemus.

Eſt ergo verus, & Germanus ſenſus huius ſententiæ: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*: hoc eſt, vitium hoc naturæ, & morbum, qui appellatur peccatum, & ex quo pullulant omnia peccata mortalia, & primi motus, qui hominem dedecent & in ſtatu innocentiæ, & etiam gloriæ, qui tamen ex Dei miſericordia, & Chriſti ſanguine ad peccatum minimè imputantur: atque ita, reuera ex nobis peccabiles ſumus, non ſolum quatenus creaturæ ex nihilo conditæ, ſed etiam quatenus homines habentes fomitem non ſolum potentia, ſed etiam actu, tum in mortalibus, à quibus nos Deus ſua gratia præſeruat; & in venialibus, quæ partim condonat, partim etiam ab eis præſeruat. Et propter ſolam potentiam, & propenſionem peccandi peccatores etiam magnos verè nos ipſos agnoſcere, & confiteri debemus, ſecuti doctrinam, & exemplum illius magni Apoſtoli, qui dicebat; *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorū primus ego ſum.*

1. Timot. 1.

Peccatores ſumus & nominari poſſumus triplici nomine.

Peccatores autem tripliciter appellari poſſumus: tum quatenus creaturæ ſumus ex ſe deficientes, & ex nihilo conditę. Deinde quatenus habentes morbum concupiſcentiæ ex peccato Adæ relictum ad peccatum ſolicitantem. Tertiò etiam, quatenus ex peccatis perſonalibus comparauimus nobis prauos, & vitioſos habitus ad peccatum inclinantes, de quibus dixit per Prophetam Dominus: *Si mutare poteſt AEthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* His igitur de cauſis potiſſimum merito nos peccatores debemus agnoſcere: quod ſi ſecus nobis eſſe videtur; inculcandum eſt illud prudens Socratis dictum, non eſſe eiuſdem, parere, & de partu ferre iudicium.

Ierem. 13.

Socratis dictum.

Sententiæ propoſitæ Ioannis ſingula verba pōderantur.

Iam expendamus verba Ioannis. *Si dixerimus.* Aſſerentes ore, & intus in corde ita ſentiētes. Et ideò ſe in hoc numero includit, vt nos magis terreat: *Quoniā peccatum* (ſcilicet concupiſcentiæ) *nō habemus*, vel actu, vel potentia. Omne enim peccatum ex illo producibile eſt: licet enim dimiſſum ſit ſemel iam Dei gratia præteritum peccatum: quia tamen poſſemus cadere, niſi inſigni gratia præſeruemur, illam obnixè à Domino poſtulare debemus. *Ipſi nos ſeducimus.* Nō ait, mentimur, vt ſupra dixerat, quia hoc non ita videtur

Luc. 18.

cōtra ſyntereſim, maximè ſi Deo tribuamus, quod non peccamus, vt Phariſæus in templo orās faciebat: ſecus autem eſt ambulare in tenebris: quod maximè diſcedit à ſynterẽſi: ideò ibi dixit: Mentimur.

Quid eſt ſeduci.

Ait ergo: *Ipſi nos ſeducimus.* Cum aliquo errore perſuaſi conſentimus, aut ex amore proprio extra nos ſeorſum ducimur: qui proprius amor pulchriorem repræſentat amatum, cui eſt quaſi fucus quidam ipſe amor, vel vt ſpeculum reddens meliorem

Speculi defectus.

formam quam ſit (quia ſpeculum præciſe nunquam rem repræſentat vt eſt, ſed aut maiorem, vel minorem, vel pulchriorem, vel fœdiorem quam ſit.) Vnde fit, vt homo ſibi magis mereri videatur, vel placere: imò accidit, vt ſi omnino pro meritis tractetur, ſibi diſpliceat. Ex complacentia autem ſuperbia, & ex ſuperbia cœcitas, & ſeductio oriuntur. Ideò ergo ſe licet ſibi amicum (imò quia ſibi malè amicus eſt) ſeducit. Si autem ſeipſum propter Deum diligeret, amor eum introduceret ad humilitatem, & ad verum lumen per cognitionem ſui ipſius. Vnde ſolita erat dicere

[C]atharinę [S]enen. ſa-[lu]bre do-[cu]men-[tu]m.
[G]ene. 3.

Catharina Senenſis, inſignis Chriſti virgo, plus eſſe homini timendum ab amore proprio, quam ab ipſo dæmone, plusque nocere homini. Ob eam cauſam callidus dæmon aggreſſus eſt Adam per Euam. Miſerabilis autem eſt ſeductio dicentis ſe non habere peccatum, quia negat morbum voluntarium peccati, qui non tollitur niſi à volente curari, ſi poteſt velle per ſe vt adultus, aut à volente curari per alios, ſi per ſe non poteſt, vt infans, aut amens, & fatuus. Negat etiam infelix aduentum Chriſti medici: Si morbus non eſt, non eſt medicina: & ridens, interim dæmones lætitia afficit, ſeipſum vero gloria priuat. Tali ſeductione ſeducti

[P]hariſæorum miſe-[ra] ſedu-[ct]io.
[L]uc. 18.

Phariſæi fuerunt, ſeque miſeri iactabant, quorum vnus dixit: *Non ſum ſicut cæteri hominum, &c.* (& concludens infeliciſſimus, adiecit:) *Et velut hic Publicanus.* Alios verò omnes præ ſe deſpiciebat, & à ſuo conſortio excludebat. Deinde fuit certum

Nouatianorum hæreſis, & Pelagianorum.

genus hæreticorum, qui Cathari Nouatiani ſunt dicti, qui pœnitentiam lapſis denegabāt, quaſi homo poſt baptiſmum ſine peccato eſſe poſſet. Tales & extiterunt Pelagiani, qui diu Eccleſiam vexarunt, & peccatum originale, aut naturæ infirmitatem non agnouerunt; qui audebant profiteri, naturam humanam, vtpote ſanam, ſine peccato poſſe conſiſtere, & ſine gratia cœleſti legem Dei ſeruare, & tentationibus reſiſtere, & promereri vitam æternam.

Conc. Mile. cap. 69.

Subdit Apoſtolus: *Et veritas in nobis non eſt.* Non dixit (vt rectè, & acutè Concilium Mileuitanum expendit) humilitas in nobis non eſt: quia non oportet mendacio emere humilitatem: nec dixit, Nos ipſos extollimus, nec rurſus, Iuſtitia in nobis non eſt, ſed, Veritas in nobis non eſt. Repugnamus enim Scripturæ docenti morbum: Ecce, inquit regius Propheta, in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Repugnamus ipſi Chriſto qui dixit: *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*; ac docenti nos orare: *Dimitte nobis debita noſtra.* Repugnamus ipſi quoq; Paulo, qui agnoſcens hanc infirmitatem dicebat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ipſi denique experientiæ repugnamus, quam in ſeipſo idem depingit Apoſtolus; cum ait: *Non enim quod volo, bonum, hoc facio; ſed quod nolo, malum hoc ago:* & infra: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

Pſalm. 50.
Ioan 8.
Matth. 6.
Roman. 7.
Ibidem. 19.

Negantium ſe peccatores eſſe temeritas.

Temerarium ergo eſt, aſſerere, ſe ſine peccato eſſe, etiamſi illud non agnoſcat, quia hoc peccatum eſt, & mendacium. Ac vt vitemus mendacium, & peccatum, ſinamus nos corrigi à Deo, & ab homine locum Dei tenēte, & frequenter ad Chriſtum confugiamus, dicamusque: *Dimitte nobis debita noſtra: In multis offendimus omnes: Septies in die cadit iuſtus, & reſurget: Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui*, non excuſator, vt Adam, & vxor eius Eua: *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato?* &, *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſeruo tuo.* Eſſe enim impeccabilem, proprium Chriſti eſt: nam ſolus natura talis eſt, reliqui omnes ex plenitudine gratiæ Chriſti accipiunt, vel ipſa ſanctiſſima Genitrix eius, quæ ab omni labe, tum originali, tum actuali ſuper omnes homines præſeruata fuit.

Iac. 3.
Prouer. 24
Sap. 18.
Gene 3.
Prouer. 20.
Eſai. 18.

Vnius Chriſti priuilegiū.
Ioan. 1.

DISPVTATIO IX.

In illa verba Ioannis: *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt,& iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.*

I. Dubitatio. Secunda.

HÆC pauca verba expedienda ſunt, in quibus primò dubitatur quorſum ab Apoſtolo dicantur. Deinde cum multiplex ſit confeſſio, de qua hoc loco ſit ſermo, de Sacramentaline, quæ fit cum miniſtris Eccleſiæ, an de communi quadam, & generali, quam coram fratribus facere ſolemus. Deinde cum inueniatur confeſſio minimè ſuis circumſtantijs ornata, alia verò recta & ſuis conditionibus decorata; dubitamus de qua illarum duarum ſit ſermo. Tertio, quare dicatur Deus fidelis & iuſtus, & qua ratione ſuis pactis ligari poſſit ſumma illa Dei libertas.

Tertia.

Sol. I. dub. De cohærentia dictorum inter ſe. Vnde ſeductio cordis noſtri, eiusq; medicina.

Expediamus primum. Dicimus igitur, quod vt ex amore proprio, qui eſt amare ſe propter ſe, & in ſe, tanquam ex corrupto fonte prodit ſui ipſius complacentia, tum ſuperbia, & cæcitas mentis, atq; ſeductio, tum ſuæ infirmitatis, & medici ſanantis ignorantia: contra vero ex amore Dei, & ſui propter Deum oriri ſolet ſui diſplicentia, quia agnoſcit ſe non reſpondere Dei legi, & Dei beneficijs, & ex hac ortum habet ſui diſplicentia, humilitas, & ſancta præſumptio nihil de ſe præſumendi, niſi de Deo tantum, atque ex hac lumen, ac veritas, qua quiſque Deum, ſe, ac proximum, Deique legem, ac beneficia agnoſcit: & hæc eſt via finem imponendi peccatis.

Quod ignorat medicina non ſanat.

Bene ait: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra*, recteq; hæc verba ad præcedentia de Chriſti ſanguine, & ad aliud, ſi dixerimus quoniam peccatum non habemus, ſubiungit Apoſtolus de peccati confeſſione: quia ex parte noſtra debebat eſſe confeſſio, cũ quod ignorat medicina, non ſanet.

Confeſſionis variæ acceptiones in ſacris literis.

Multiplex eſt autem huius verbi confeſſionis ſignificatio. Eſt enim in primis confeſſio laudis, & gratiarum actionis, iuxta illud; *Cõfitemini Domino quoniam bonus*: altera eſt cõfeſſio fidei Catholicæ, de qua Paulus: *Ore autem confeßio fit ad ſalutem*. De quibus confitendi modis nihil in præſenti dicitur, quia eſt ſermo manifeſtus de confeſſione peccati: hæc autem etiam varia eſt: nam & coram Deo illam facimus: quando oramus, ac dicimus: Dimitte nobis debita noſtra: confitemur enim Deo noſtra peccata. Alia vero eſt, quæ fit coram vicarijs, & miniſtris Chriſti. Sacerdotibus ſcilicet, qui nos abſoluunt confitentes: altera item eſt, qua nos coram fratribus humiliamus, vocando nos peccatores: de qua dicebat Apoſtolus, *Quorum primus ego ſum*. Videndum autem eſt de qua confeſſione hic agat Apoſtolus, & quæ ſit illa, quæ annexam habet promiſſionem remiſſionis peccatorum. Et relicta media, quæ nec per ſe bona eſt, nec mala, nec peccati remiſſionem meretur, dicendum in primis, nõ eſſe hic ſermonem Apoſtolo de confeſſione vitioſa, quæ propriè peccatum eſt nec meretur peccati remiſſionem vt illa, quæ fit ex diffidentia miſericordiæ Dei, qualis illa fuit Iudæ proditoris, qui confeſſo peccato, abiens laqueo ſe ſuſpendit. Non ex ſuperbia, qualis fuit illa Saul Regis dicentis ad Ionathan; *Peccaui, quia præuaricatus ſum ſermonem Domini, &c.* Neq; tertio loquitur hic Ioannes de illa, qua aliena peccata cõfitemur qualis Adæ fuit confeſſio peccatum ſuum per Euam excuſantis: *Mulier*, inquit, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Nec rurſus ſit mendax, qualis fuit illa Cain, qui interrrogatus de fratre ſuo Abel, vbi erat, reſpondit: *Nũquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Nec ſit coacta, & extorta, vt fuit confeſſio Acham, qui regulam auream, & quædam alia furto ſuſtulerat. Nec etiam impura, & ſine propoſito emẽdationis, qualis Regis fuit Pharaonis, qui dicebat, Peccaui, & iterum redibat ad peccatum. Neq; verò ſit dimidiata, qualem Ananias fecit, & Sapphira eius vxor, qui defraudarunt de pretio agri Non item prodeat ex cõtemptu fratrum, vt illa Phariſæi, qui dicebat: *Nõ ſum ſicut cæteri hominum, & velut hic Publicanus*. Non ſit etiam ex fide, ſiue fiducia commodi temporalis, qualis infirmi eſt medico confitentis ſecreta peccata quæ admiſit. Neq; ex ficta fiat humilitate, vel hypocriſi, vt illorum eſt, de quibus Apoſtolus Paulus ad Coloſ. *Nemo*, inquit, *vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum quæ nõ vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*: ſimiliter eorum, qui imparati accedunt, vel ſine dolore, & intentione obedientiæ, aut ſatisfaciendi, aut emẽdandi ſeipſos, aut quod abſtulerunt, reſtituendi. Non ſit tarda, & ſera confeſſio, qualis damnatorum erit, de qua Salomon, *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*. Nõ ex vſu, aut conſuetudine, quã quidam Chriſtiani faciunt ſine vllo ſpiritu, cum ſemper in eadem peccata relabantur. Non ſit denique ex ſecta, aut ex præſumptione, qualis hæreticorum eſt, ſe ſuo modo

Margin: *Pſal.* 117. *Rom.* 10. *Luc.* 11. *Matth.* 6. 1. *Tim.* 1. Falſi & inutiles confitendi modi, quos hic excludit Apoſtolus. *Matth.* 27. 1. *Reg.* 15. *Gene.* 3. *Infra* 4. *Ioſu.* 7. *Exod.* 9. *Infra* 10. *Act.* 5. *Luc.* 18. *Coloſ.* 2. *Supra* 5.

modo peccatores confitentium, & maxime Lutheranorũ, quia interdũ vſi fuerũt, nullum peccatum ſingulare recenſentes, ſed tãtum in genere ſe peccatores extitiſſe, ſuperbos, auaros, ac ſimilibus vitijs, & peccatis implicatos profitentes. ¶ His ergo reiectis inutilibus, & ineptis confitendi modis, vera confeſſio debet prodire ex fide docente peccatum non tantum quatenus rationi diſſonũ eſt, ſed ẽt, & maxime quatenus Dei maieſtatem offendit.

Veræ confeſſionis conditiones: qua de nimirum confeſſione hic eſt ſermo.

Deinde ſpes veniæ per Chriſtũ promiſſæ, & ſanguine eius emptæ concipienda eſt. Tertiò oriatur ex dolore animi interno, & cõtritione: quià dum placet, peccatum non tollitur. Quarto adſit humilitas, & verecundia, quam habuerunt Dauid, Petrus, Publicanus, Peccatrix & Samaritana qui peruenerunt omnes ad peccati remiſſionẽ, & gratiã cum Deo: atq; de iſta ſuis circũſtantiis ornata confeſſione loquitur Ioannes.

2. Reg. 12. Matth. 26. Luc. 18. Supra 7. Ioan. 4.

Veram cõfeſſionem peccatorum nullum excludere genus ea confitendi.

Et quia in genere dicit: *ſi cõfiteamur peccata noſtra*: videtur ꝙ nullum genus confitendi peccata noſtra ſit excludendum: Et in primis non excludit confeſſionem corã Deo, qua proteſtamur, & dicimus: Dimitte nobis debita noſtra. Nã promiſit ſe auditurum orãtes, iuxta illud verè pœnitentis: Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiã meã Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Matth. 6.

Pſal. 31.

II. Confeſſio Humilis. Peccatorum coram alijs confeſſionis exempla ſanctorum.

Deinde non eſt excludenda illa generalis confeſſio, qua homo coram aliis, vt ſe deiiciat, & humiliet, peccata confitetur ſua, vt illi orent pro ipſo, vt Paulus de ſeipſo dixit: *Nõ ſum dignus vocari Apoſtolus; &, Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.* Aug. etiam lib. 12. Confeſſionum conſcripſit, quib. peccata iuuentutis ſuæ ſcriptis commendauit. B. quoq; Franciſcus, eo ꝙ memoria eſſet lapſus prædicando, peccata ſua populo diuulgauit: at iuſtus omnis (ait Sapiens) in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Aug. idem in Pſal. 62. oſtendit Mathematicum quẽdam de ſuggeſtu, & pro eius peccatis & fatuitatib. in aſtrologicis prædictionib. voluit omnes orare.

1. Cor 15. 1. Timot. 1. Prouer. 18. Augu. to. 8.

Quod ſi etiã oremus pro aliis, aut petimus orari pro nobis, iuxta illud: *Orate pro inuicẽ vt ſaluemini*, alienos, vel noſtros defectus aliis aperimus, vt nobis precib. ſuis ſuccurrãt.

Iacob. vlt.

Tertia cõfeſſio peccatorum ſalutaris.

¶ Tertium genus confeſſionis eſt, qua à miniſtris Dei vicariis in Sacramento reconciliationis poſt enumerata peccata abſolui ab eis petimus. Nam etſi ad eos baptizãtes accedunt in prima iuſtificatione vt baptizentur, ſeſeq; ipſos peccatores eſſe cõfiteãtur, & tales ſe ſubmergi dum ſinunt, profiteantur, non propterea tamen de illa in baptiſmo confeſſione hic eſt ſermo, ſed de illa, quæ in Sacramento pœnitentiæ exhibetur, vt à peccatis abſoluantur. Nam primo non minus Deo cõfitemur coram ſacerdote vicario Chriſti peccata noſtra accuſando, quam ſi ſoli Deo confiteremur, imò magis, ob expreſſum Dei pactum de abſolutione. Nam illis dictum eſt. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis*: neque aliter abſoluimur, niſi voto ſaltem illa confeſſio facta ſit, cum actu illam facere non conceditur.

Ioan. 20.

Cur Deus per Sacramentum pœnitentiæ nobis gratiam largiri voluerit, cũ aliter valeret.

Deus autem ita pepigit, quia ſuauis eſt, & nouit naturam noſtram magis iſtis externis moueri, quam ſolis purè internis. Hinc plus permouemur externo rubore, & dolore coram alijs hominibus; quam cum ſoli ſumus: magis item excitatur fides, & ſpes veniæ, ac dolor de peccato, & cautelam in futurum promittimus, quando adeſt Sacerdos Dei miniſter: plus item ducimur, per nobis conſueta, qui iudices adhibere ſolemus in delictis alienis accuſandis, aut in noſtris excuſandis. Item in infirmitatibus noſtris, & languoribus conſulimus medicum & in illatis iniurijs condonandis, aut in amicitijs reſarciendis intermedios reconciliatores adhibemus: ſeruiunt etiam in vtilitatem, & exemplum aliorum tales confeſſiones miniſtris Dei factæ: atque de hac re videtur eſſe magis expreſſum pactum in Euangelio, quam de illa, quæ coram ſolo Deo ſit citra Sacramentum: ſunt enim verba Chriſti expreſſa ad Beatum Petrum: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*: & iterum, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*.

Matth. 16. Infra 18. Ioan. 20.

Quos vulgus inſipiens ſanctos appellet.

Mirum autẽ eſſe videtur, quoſdam eſſe qui excitent riſum, ſanctos ex contemptu vocantes eos, qui frequentãt Sacramenta: quia ipſa frequentatio domus medici, & aſſumptiò medicinæ, eos commonefacere deberet, vt eiuſmodi frequentantes Sacramenta pro ſanctis non ſe habeant, vel pro mundis, ſed potius pro peccatoribus, & immundis. Quod ſi ſanctus eſt, qui appetit ſanctitatem, & munditiam, tales hoc ſenſu ſancti dici poſſent. Qui vero medicum ac medicinam fugiunt, ac dedignantur; iſti ſunt qui facto ipſo profitentur ſe mundos eſſe, & ſanos, & medico non egere: quicquid ſit de ijs, quæ in corde ſuo ſentiunt, vel ore depromunt.

Quid peccata noſtra confiteri.

Addit: *Peccata noſtra*: hoc eſt, fomitem cũ primis motib. dedecentib. hominis iuſti innocentiam, & dignitatẽ, in qua olim poſitus fuit, & qui ad tempus exulabit ab ſtatu gloriæ cœleſtis: & exinde venialia in

quæ frequenter actu impingimus: quia ſepties in die cadit iuſtus,&reſurget,vt ait Salomon: Crimina etiam mortifera,quæ pro factis reputare debemus, etiamſi minimè contingat, quia ex nobis tales eramus, vt poſſemus cadere: maximè autē,ſi in aliquod actu incidim⁹ex fragilitate,vel ignorantia potius,quā ex malitia:ſed hæc ſola Sacramentali confeſſione tolluntur, re,vel voto exhibita. Addit: *Noſtra*, quia ſola peccata,id eſt,defectus, tā in naturalibus & artificialibus,quā in moralibus,& diuinis ſunt noſtra. Ex nobis enim nihil aliud habemus quam non eſſe, & talia ex Deo non ſunt, qui nobis non ſolet deeſſe pro ſua bonitate:neq; non entis cauſa eſſe poteſt, quia peccatū Dei iniuria eſt, & offenſa, quam ſibi Deus inferre nō valet. Cum etiā peccatum nihil ſit,repugnat ex non ente fieri. Deficiens etiam cauſa repugnat cauſæ infinitæ. Opera item bona non ſunt ſolum noſtra,ſed ex Deo,à quo accepimus,& cui liberè cooperamur; ideò ſoli ei debetur laus, & nobis in ipſo,& propter ipſum:quia operis laus,honor eſt artificis. *Nō audeo*,inquit Paulus,*quicquam loqui eorum,quæ per me efficit Chriſtus.*

Prou. 24. — Venialia delicta quomodo remittantur. — Peccata cur noſtra confitenda. — Opera bona vnde ſint. — *Rom.* 15.

Vbi aduerte,quod ea,quæ non ſunt libera,nec in ſe,nec in Deo gloriantur;quę libera autem ſunt,in Deo gloriari,non in ſeipſis poſſunt, iuxta illud Apoſtoli: *Qui gloriatur,in Domino glorietur*:at Deus in ſe, & in omnibus gloriari poteſt. Vnde ait: *Seruus meus es tu,quia in te gloriabor.* Ex Deo igitur Patre omne eſſe habemus,tam naturale, quam gratuitum, & omnia bona inde prouenientia. Ex prima autem matre noſtra,id eſt,ex nihilo,deficiendi potentiam; ex ſecunda autem matre noſtra Eua pronitatem ad deficiendum. Et hæc eſt dos vtriuſque matris noſtræ.

Inter non libera, & libera diſcrimen. — 1. *Corint.* 5. — 2. *Cor.* 10. — *Eſai.* 49. — Duplex mater noſtra, Nihil ſcilicet, & Eua, & quid ab illis acceperimus.

Subdit Apoſtolus de Deo: *Fidelis eſt,& iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* Vult dicere: Fidelis eſt in promiſſis ſeruandis, vel potius ipſa fidelitas, cuius participatione varia ac numeroſa alij fideles ſunt.Ita de ſe ait Paulus:*Tanquam miſericordiam cōſecutus à Domino vt ſim fidelis.* Eſt enim fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis,& de his quæ abſolutè promittit, ait: *Cælum & terra tranſibunt;verba autem mea non præteribunt.* In reliquis verò, quæ ſub conditione promittit, & comminatur, ſeruata conditione ipſe quoq; fidem ſuam ſeruat. *Repente*,inquit, *loquar aduerſum gentem,& aduerſus regnum,vt eradicem,& deſtruam,& diſperdam illud.Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo,quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui vt facerem ei*,& quæ ſequuntur.Interminatus eſt mortem Niniuitis,niſi pœnitentiam agerent: qua pœnitentia poſita mutauit ſententiam,& ſaluauit Niniuitas, alioqui perituros. Denuntiauit quoque ac prædixit per Eſaiam mortem Ezechiæ Regi: cui poſtea gementi & lacrymanti, quindecim annorum addidit vitam.¶ Oſtendūt autem eius fidelitatem quædam. Primum, quod Deus ob ſuam naturam liberrimam obligationis capax nobis eſſe non poteſt. Quis enim prior dedit illi,& retribuetur ei?ita tamen pręſtat promiſſa, perinde ac ſi mille vinculis obligaretur illa faciendi. Alterum eſt, quod homo cui promittit,quotidie meretur,vt ei promiſſio non ſeruetur iuxta illam regulam vulgatam:*Frangenti fidem fides frangatur eidem*, qui infideliſſimus Deo etiam in minimis inuenitur,quia omnis homo mendax.Et multo etiam amplius in maximis: quia ſicut in bonis temporalibus, corpore, ſenſibus,& ratione abutitur,ita & Scripturis, & Sacramentis & Angelis,paſtoribus,correctione, & gratia Dei abutitur: & fidelis eſt homo tantum dæmoni,carni,ac mundo ſuis capitaliſſimis hoſtibus, ac Deum mente,verbo,& opere,omnibuſq; modis inficiatur. Tertiū eſt, ob rem quam promittit, quæ eſt omnium maxima,vt eſt emundatio à peccato, quæ fontem ſalutis Chriſtum includit,& gratiam & gloriam, & naturam adhæc ordinatam. Quæ quidem omnia cuiuis impertitur,quoties vel lethalia crimina condonat, vel auget gratiam. Quartum argumentum fidelitatis Dei erga nos maximum illud eſt quia ille nobis fidelior eſt, quam ſeruus domino, cuius vitę ſępè inſidiatur,& frater ſuo fratri, quem odio habet, & interdum occidit,vt Cain,qui Abelem de medio ſuſtulit, aut quam pater filio ſuo,quem eius inobedientia irritatus de domo expellit: aut quam maritus vxori, qui honorem eius ſæpe negligit, & corpus, & dotem eius perdit. Quinto conſtantior eſt fides Dei ad hominem,quā animę ad corpus ſuum, quia non tantum poteſt illi anima præſtare,quātum Deus homini:& quia in morte incipit Dei fidelitas in amicitia ſeruanda, quando cætera omnia bona illum deſerūt.Ipſe etiam tam fidelis eſt tibi in promiſſis ad ſalutem ſpectantibus, vt doleat te,ab illis tua culpa excidere.Erit & in puniendis delictis tuis fidelis:& quia tu ei fidelem non te præſtas in promiſſis in Baptiſmo, vel in Sacramento Confeſſionis Sacerdoti factæ. Denique ſe talem præſtabit, qualem tu te illi præſtiteris: ſi fidelem

Vt fidelis ſit Deus, & iuſtus. — *Pſalm.* 144. — 1. *Cor.* 7. — *Matth.* 24. — *Ierem.* 17. — *Ion.* 3. — *Eſai.* 38. — Fidelis Deus in promiſſis ſuis ex multis oſtenditur. — *Roman.* 11. — Humana aduerſus Deum infidelitas qualis, quantaq; ſit. — *Pſalm.* 115. — *Gene.* 4.

delem, fidelem; ſi infidelem, infidelem.

Fidelem Deus quē ſibi in minimis inueniat. *Luc.* 16.

Probat autem te Dominus, an ſis fidelis in minimis, hoc eſt temporalibus, vt periculum faciat de maximis, id eſt, ſpiritualibus. Vt enim dominus facit periculum de ſeruo quem habet, relinquendo aliquam minutam pecuniam de burſa cadere, vel in terram occultè proijciendo, vt videat ſi fideliter reddat inuentam: ita Deus contulit nobis hæc temporalia bona, quæ parua ſunt, & circa terram verſantur. nimirum diuitias, nobilitatem, ingenium, ſanitatem, & ſimilia; quibus ſi abutaris, negabit tibi maiora. Ideò non coronatur niſi fidelis: *Euge*, inquit, *ſerue bone, & fidelis: quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam*; & in Apocalypſi, *Eſto fidelis vſq; ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ.* Homo etiā qui ſæpe multa pollicetur, infideliter agit, & nihil præſtat, aut ex impotentia, aut ex ignorantia, aut ex obliuione, aut ex mutata voluntate, aut ex infirmitate. Quę cum omnia quam longiſſime à Deo abſint; propterea fidelis dicitur in omnibus verbis ſuis. Et ideò promiſſum Chriſtū Deus Pater ſuo tempore miſit: promiſit Spiritum Sanctum, quem poſt decem dies de cœlo largitus eſt. Fidelis eſt in remittendis peccatis in Sacramento baptiſmi, & pœnitētiæ. Imò in quacunq; hora ingemuerit peccator, continuo ſe reddit placatum. Fidelis eſt in tentationibus noſtris: quia non patitur, ait Paulus, nos tentari ſupra id quod poſſumus. Fidelis in orationibus exaudiendis: fidelis etiam nobis in morte; quia præcepit vnicuique noſtrum: *Eſto fidelis vſque ad mortem.* Eſt demum adeo fidelis, vt Paulus dixerit: *Scio cui credidi, & potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* Et quæ ſequuntur.

Matt. 25. *Apocal.* 2. Vnde hominis infidelitas in promiſſis ſuis. *Ezech.* 18. 1. *Cor.* 10. *Apoc.* 2. 2. *Tim.* 1.

DISPVTATIO. IX.

In illa verba Ioannis: *Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis.*

I. Dubitatio.

IN Primis circa hanc ſententiam dubitatur, an ſit eadem cum præcedenti illa: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, an alia, & diſtincta. Secundo, ſi diſtincta eſt, ambigimus, an ſit intelligenda de ijs, qui peccatum originale negant, an vero de peccato perſonali, ac mortifero, de quo multi poſſunt aſſeuerare, quod non habuerint iuxta teſtimonium conſcientiæ, de quo Apoſtolus: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Tertiò ſi de peccato perſonali, ac veniali intelligitur, qua ratione, qui negat ſe habere peccata venialia, tam grauiter peccat, vt faciat Deum mendacem? In quibus tribus ſenſibus multa occurrunt dubia Theologica circa peccata venialia, & originale, neceſſario, vt vtiliter explicanda. Poſtremum dubium eſt, qua ratione faciamus Deum mendacem, aut quod verbum eius in nobis non ſit, cum conſtet, multos habere Dei verba, & tamen grauiter peccare & in his, & in alijs.

Secunda. 1. *Cor.* 1. Tertia. Quarta.

Primum dubium abſoluamus. Prima igitur ſentētia vel repetitio eſt præcedentis clauſulæ, vt recordemur rei tam fructuoſæ, & neceſſariæ: vel aliquid nouum addit, nempe: Si quis dixerit nos non peccauiſſe, de præterito, cum prius enunciauerit de præſenti: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*: vel tertio nouas pœnas addit, primum quidem cum dicit, alioqui nos facturos Deum mendacem. Deinde, quod verbum Dei in nobis non eſſet. Et quia præteriti temporis eſt illud, *Peccauimus*, perſpiciendum eſt de quibus hîc peccatis loquatur. Sunt autem tria peccata, originale, perſonale, mortiferum, & veniale, ſeu leue, & minimum peccatum.

Ad I. dub. De clauſula propoſita: Si dixerimus, &c. an ſit eadem cū ſuperiori, an ſecus.

Ac vt exordiamur à venialibus, de quibus præceſſit ſententia prędicta: *Si cōfiteamur peccata noſtra, &c.* nullus certe iuſtus eſt, qui in multis nō offendat. Septies enim in die cadit iuſtus, & reſurget; &, Iuſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Ac de iſtis venialibus tria ſunt diſtincte diſſerenda. Primum eſt, an poſſit homo iuſtus ſine illis viuere. Secundum, an iuſtus quiſquam ſine illis actu inueniatur aut ſit. Tertium, ſi iuſtus eſſe poteſt ſine illis peccatis, & actu eſt, cur id nunquam contingat.

Ad II. dub. De peccato veniali. *Ioan.* 3. *Prouer.* 18.

Ad primū ergo dicendum eſt, eiuſmodi quæſtionem eſſe de iuſto intelligendam, qui Dei gratia fulcitur, & ornatur. Eſtque ſermo de venialib. quæ iuſtus poteſt habere, non autem de mortiferis, quæ repugnāt iuſtitię præſenti, licet nō repugnent peccata pręterita iam dimiſſa, quæ perinde ſunt, ac ſi nō eſſent. Dicimus ergo, hominē Dei gratia, peculiari videlicet, adiutum poſſe omnia venialia vitare. Quæ ſentētia in primis confirmatur verbis Auguſt. li. 2. de Peccat. merit. & remiſ. c. 6. in princ. *Qui dicunt eſſe poſſe in hac vita hominē ſine peccato, nō eſt eis continuo incauta temeritate obſiſtendum. Si enim eſſe poſſe negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc vo-*

An poſſit homo iuſtus viuere ſine veniali peccato, nec ne. *Aug. to.* 7.

Idem eodẽ & 10. *lendo appetit, & Dei virtuti, vel miſericordiæ, qui hoc adiuuando efficit, derogamus.* Idem tradit lib. de Nat. & grat. c. 42. & homil. 23. de 50. homil. Aug. quæ eſt, de peccatrice. Idem rurſus lib. de Perfect. iuſt. c. 2. aſſerit, iuſtum eſſe non poſſe ſine peccato, etiamſi vellet, niſi adiuuet Dei gratia. Quam ſententiam Auguſtinus minime retractat, etiamſi eius meminerit libr. 2. *B. Hier. to. 5* retract. c. 32. idem etiam docet B. Hieron. lib. 2. & 3. dialog. in Pelagian. vbi probat, Deum homini donare poſſe impeccantiam, & quod quæ impoſſibilia ſunt apud *Matth 19.* homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Secundò probatur, quod non ſolum ſingula, ſed etiam omnia peccata ſimul vitare poſſumus, etiamſi aliter doceant quidam ex Scholaſticis Doctoribus.

Omnia etiam peccata ſimul vitare nos poſſe.

Quemadmodum, aiunt, poteſt quis ſingulas guttas maris bibere, ſed non omnes: poteſt etiam quemlibet hoſtem interficere, ſed non omnes ſimul, in quos ita argumentamur: Si nos non poſſumus omnia vitare; ergo qua parte non poſſumus, non obligat nos Deus, & conſequenter illa nõ imputat nobis; imo nec quidem ſunt peccata: vel ſi obligat, ad impoſſibile obligaret: vel admitteremus, peccata à coactis, & inuitis fieri, & non ſponte. Vbi *1. Ioan. 2.* *Matth. 11.* ergo eſt illud: *Mandata eius grauia non ſunt?* &, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue?* Tertiò præcipitur nobis, vt omnia vitemus, omnia ergo poſſumus vitare, vel Deus non eſt fidelis in promiſſis ſuis, quia *1. Cor. 10.* ſcriptum eſt: *Non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poßitis ſuſtinere.* *Infra. 15.* Quartò Scriptura præcepit: *Euigilate iuſti, & nolite peccare;* & Petrus, *Secundum eum qui vocauit* *1. Pet. 1.* *vos, Sanctum, vt ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis: quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis,* *Leuit. 19.* *quoniam ego ſanctus ſum;* ac rurſus: *Hæc* *2. Pet. 1.* *enim facientes,* inquit, *non peccabitis aliquãdo:* *1. Ioan. 2.* Ioan. item huius epiſt. c. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis:* ergo poterat non peccare, & Tobias ſenior dicebat: *Tob. 4.* *Multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* *Conc. Arauſi.* Concilium quoque Arauſicanum. II. c. 25. *Hoc etiam,* inquit, *ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati (Chriſto auxiliante & cooperante) quæ ad ſalutem pertinẽt, poßint, & debeant (ſi fideliter laborare voluerint) adimplere.* Ergo vitare venialia, quod ad ſalutem pertinet.

Aduerſariorum obiecta diluuntur. Quod vero obijcitur ex Sanctis quibuſdam, vt ex Hilario in verba illa Pſalmi: *Amputa* (vel vt legit ipſe, Circumcide) *à me opprobriũ meũ, quod ſuſpicatus ſum, &c. Propheta in corpore poſitus loquitur, & neminẽ viuentium ſcit ſine peccato eſſe poſſe. Sed cum circumcidi à peccato ſe orat, non tanquam de admiſſo perpetratoq́, confeſſus eſt; ſed quia id per infirmitatem carnis ſuæ in ſe ſuſpicatur habitare.* Item ex Ambroſio lib. de Fuga ſeculi: *Idem ex Ambroſio lib. de fuga ſeculi c. 1. tom. 1.* *Sed quod peius eſt,* inquit, *frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offuſio mentẽ occupat, vt quod ſtudeas vitare, hoc cogites, animoque voluas. Quod cauere difficile eſt homini, exuere autem impoßibile.* Et infra: *Nam quis inter tot paßiones huius corporis, inter tantas illecebras huius ſeculi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium?* Et ex capite 12. libri de Fide ad Petrum: *Fulgen. Epiſcop.* *Firmißime,* inquit, *tene, & nullatenus dubites, etiam iuſtos atque ſanctos homines, exceptis ijs qui baptizati paruuli ſunt, ſine peccato hic neminem viuere poſſe:* Ex Gregorio etiam homi. 39. ſuper Euangelia: *Greg. to. 2.* *Sine culpa in mundo eſſe non potuit, qui in mundum cum culpa venit,* quod pluribus Scripturæ teſtimonijs etiam confirmat. Denique ex Bernardo ſermo. In cœna Domini ſub finem, expendens illud, *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. Lotus eſt, qui grauia peccata non habet, cuius caput, id eſt, intentio, & manus, id eſt, operatio, & conuerſatio munda eſt: ſed pedes, qui ſunt animæ affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi eſſe non poſſunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curioſitati pluſquã oportet, cedat animus, vel ad horã:* Hęc, inquam, Patrũ teſtimonia, & ſimilia permulta recte intelligenda ſunt; nempe, nos nõ poſſe eſſe ſine peccato, vel ex natura noſtra, vel mortaliter, hoc eſt, valde difficile. Vnde Ariſt. lib 5. Metaphyſicor. impoſſibile varium inducit, & inter alia id quod eſt valde difficile, quale illud eſt in primis, *Matt. 19.* *Quod impoßibile eſt apud homines, poßibile eſt apud Deum.* Ideo frequenter ait: *Heb. 6.* *Quam difficile eſt diuitem, &c. Impoßibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, iterum renouari ad pœnitẽtiam,* quod verbum moderans Apoſtolus, ſubiungit: *Confidimus autem de vobis dilectißimi meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur.* Deinde *Act. 15.* Petrus vocat legem Moyſi iugum importabile. Eodem ſenſu dicitur apud Ieremiã: *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam &c. &* *Iere. 13.* *vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Tertiò reſponderi poſſet, hominem non poſſe niſi temere ſe affirmare eſſe ſine peccato, cum Dauid ille ſanctiſſimus pro ſe Dominum precaretur: *Pſal. 18.* *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, &c.* Eius vero filius Salomon; *Prou. 20.* *Quis poteſt,* inquit,

dicere,

dicere: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? maxime quia venialia innumerabilia ſunt, & leuiſſimis de cauſis admittuntur. Sic ſoluimus primam dubitationem propoſitam.

Num quis omnino inueniatur, aut ſit ſine delicto veniali.

Ad ſecundum accedimus. Dicimus, hominem, etſi ad breue tempus actu eſſe poſſit ſine peccato veniali, vt puer baptizatus, vel adultus poſt baptiſmum ſuſceptum, vel poſt Sacramẽtum Euchariſtię, vel poſt indulgentias pie ſuſceptas, vel alia opera heroica, vel deniq; excellenti gratia confirmatus: non totam tamen vitam ſine peccato poſſe traducere; quod his Scripturæ teſtimonijs confirmare poſſumus. Ait enim Salomon non ſemel: *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*; Dauid etiam pater eius: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*; Frater quoque Domini: *In multis offendimus omnes*; rurſus Salomon: *Septies in die cadit iuſtus.* Hæc enim tanta teſtimonia manifeſte probant, nos aliquando prolabi, & peccare.

Eccle. 7. 3. Reg. 8. Pſal. 142. Iacob. 3. Prou. 24.

Secundũ argumentum.

Deinde idem probat illud verbum Ioannis ſatis planum, & apertum: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus: non quidem aliquo breui tempore, ſed per totam vitam, & citra peculiarem, & eminentem gratiam: vt in B. Virgine fuit, & ita Concilium Trident. cap. 11. & 23. decreti de iuſtificat. illam ſententiam Ioannis intellexit; & Aug. in Enchiridio c. 64. & lib. de Perfect. iuſtitiæ, prope finem. Item in vera Logica, poſito poſſibili in eſſe, nullum ſequitur inconueniens: vt, Maria fuit ſine peccato, & ſunt pueri baptizati ſtatim decedentes: baptizati etiam adulti repentina morte ſublati. De quibus dici poſſet quod ex ſe peccauerũt. Vnde Hieron. concedit, poſſe aliquem actu ſine peccato ex gratia Dei exiſtere, etſi Auguſt. libr. de Spiritu, & lit. & in libris de peccat. mer. & remiſſ. aliter docuerit. Vnde Cœleſtinus Papa non probauit omnia, quæ Catholici contra Pelagianos diſputarunt: neq; iſtum articulum, quem tractamus, niſi quatenus concupiſcentiæ motus peccata vocauit in iuſtis, & baptizatis.

Virginis Deiparæ prærogatiua ſingularis. *Trid. Syno. Aug. to. 3. ſub init. Idem to. 6. Hieron. lib. aduer. Pelag.*

Tertium argumentum. *Matth. 6.*

Tertio idem probatur ex oratione, quam iuſtos, & renatos docuit Dominus orantes vſurpare debere. *Dimitte*, inquit, *nobis debita noſtra*, & quę ſequuntur. Ac nomine debiti nõ intelligit debitum extra peccatum, quia apud Lucam expreſſit peccata: apud Matthæum etiam poſt ſententiam propoſitam ſubdit explicationis gratia: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra.* Quæ quidem verba Domini non intelligũtur ex humilitate quia Deus non eget noſtro mendacio, & humilitate: neq; dixit Ioannes: *Si dixerimus quoniam peccatum nõ habemus*, nos ipſos extollimus, vel humilitas in nobis nõ eſt, ſed, *Nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Innocentius item I. in epiſtola ad Epiſcopos Concilij Mileuitani: *Quis*, inquit, *ferat orantem, & non hominibus, ſed Deo mentiri?* Deinde non dicitur; Dimitte nobis peccata noſtra in perſona aliorum, vt quidã interpretantur, quos reprobat Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum mer. & remiſſ. c. 10. quod probat ex verbis Danielis; c. 9. *Cum confiterer*, inquit, *peccata mea, & peccata populi mei.* Vbi non ex aliorum tantummodo, ſed ex propria quoque perſona orabat Propheta. Recens quoq; baptizati eandem precationem Domino offerre iubentur, ac ſimul etiam Beatiſſ. Virgo eandem frequentabat, vt credere pium eſt, ac rationi conſentaneum, cum tamen omnis peccati eſſet expers, ſed quia videbat, quod ex ſe talis fuiſſet, vel talia committeret, niſi diuina gratia præſeruante iuuaretur: quemadmodũ dimiſſio à peccato ſubleuat à iam contracto, vt præſeruatio à peccato contrahendo. ¶ Non inepte etiam quis diceret, eiuſmodi precationem: *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. cõfeſſionem eſſe fomitis inexiſtentis, & motuum eius: nam dedecent naturam integram, & ſanam, qui defectus ſunt, & proinde peccata ex ſe, etſi confitenti illa, & precanti ex diuina miſericordia minime imputentur.

Luc. 11. Ioh. 13. Innoc. I. Aug. tom. 7.

An B. Virgo precem Dominicam vſurparet.

Matth. 6.

Tertium quæſitum ſoluendo, dicimus, hominem idcirco non viuere ſine peccato, etſi poſſit Dei gratia, ſi velit, quia non vult facere quod iuſtum eſt, vt ait Auguſtinus: ſiue quod latet, quod iuſtũ eſt, ſiue quia nõ delectat. Ignorãtia ergo, & infirmitas, vitia ſunt quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel non recedat ab opere malo. Vt autẽ innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat quod non delectabat, gratię Dei eſt, quæ hominis adiuuat voluntatem, quę vt non adiuuetur, in ipſa itidem eſt, non in Deo. Permittit tamen Deus ex parte ſua, vt homo ſuapte natura ſuperbus, qui per ſuperbiam cecidit, & adhuc infirmus, & ignorans ſe ſolet efferre, eiuſmodi infirmitatem, & ignorãtiam ſuſtineat, ne amplius ſuperbiat. Deinde vt luctans cum paruis peccatis, non incidat in maiora: queãdmodũ reliquit in terra Iſrael Iebu-

Vnde fiat, vt nemo viuat ſine peccato, cũ poſſit. *B. Aug. lib. 2. de Peccat. mer. & remiſſ.*

Quæ vitia voluntatẽ impediãt, teſte Auguſtino. & cur illa a Domino ſint relicta.

ſæum,

Deut. 7.

ſæuum, ne terra beſtijs impleretur. Tertio, vt agnoſcens ſe minora vitare non poſſe, multo magis agnoſcat maiora, & difficiliora non poſſe; niſi gratia Dei adiuuante. Quartò, vt frequenter preces fundendo, ac deprecando, auxilium diuinum impetret pro omnibus, tam paruis, quam magnis; atque ea ratione plus lucretur orando, quam perdidit peccando. Quinto, vt homo pugnet, & decertet, quia etſi parua, ac decem millia venialia non efficiant vnum mortiferum, ad illud tamen diſponunt: quia, *Qui minima negligit*, ait Sapiens, *paulatim decidet*: vt ſtillicidium paruum tecti, vel ferrum ſoleæ equinæ, etſi paruæ res ſint, tamen ex illis oriri totius tecti diſſipatio, aut equi, ſiue equitis detrimentum magnum ſequi poſſet: neque hoſtis eſt tam paruus, quin paulatim euadat magnus, ac potens ad lædendum. Atque hæc de primo ſenſu dicta ſufficiant, ſi præſentem textum de venialibus peccatis intelligamus.

Eccleſ. 19. Qualia ſint peccata venialia, niſi curentur, atque præueniatur.

II. Senſus dicti Ioannis: Si dixerimus, &c. de peccato ſcil. perſonali, nunc excutitur.

Si vero accipiamus in ſecundo ſenſu, nempe de perſonali peccato, ac lethali, vt ſignificet: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, graue ſcilicet, & lethale: non ſolum non abnuimus, verumetiam affirmamus iuuari poſſe verbis illis quæ ſequuntur: *Et emundet nos ab omni iniquitate.* Eſt enim iniquitas, ſiue Græce ἀδικία vox, quæ peccatum graue deſignat, & eſt contra iuſtitiam. Nam vt plurimum verum eſt in multis, quòd in lethalia crimina, & grauia incidant. Nam etſi qui ſint qui non peccauerint ita grauiter, debent tamē tales agnoſcere quod ex ſeipſis peccauiſſent, niſi gratia DEI præſeruati fuiſſent, vel ob negligentiam magnam, vel ob carnis petulantiam, vel ob dæmonis aſtutiam. Quare ad Deum confugiendum eſt, & noſtra infirmitas conſideranda: adiuuatque vehementer agnoſcere, & recordari nos multa peccaſſe, & venialia, & lethalia: non quidem vt amplius peccemus, ſed vt maiori odio habeamus peccatum, illudque in nobis ipſis caueamus, ac vt vehementioribus deſiderijs auxilium diuinum poſtulemus, ne amplius peccemus. Vnde Iſraeli Moſes inculcabat in perſona Dei: Memento quod eduxerim te de Terra Ægypti, & de domo ſeruitutis. Multa hic poterant dici de peccatis mortiferis, ſed non eſt viſum operæpretium.

Quid boni iuſtis afferat prætéritorum recordatio peccatorum.

III. Senſus, de peccato originali expenditur.

Venio ad primum ſenſum de peccato originali, de quo dicit, *Si dixerimus quoniam non peccauimus, mēdacem facimus eum.* Peccauimus ergo olim in Adam: ſed quęritur in primis quale fuerit eius peccatū; & cur eius quoq; peccati pœnitentia noſtra non exigitur; Tertio quare Chriſtiani illo peccato purgati, id nihilominus in filios traducunt; poſtremo quomodo illud tollitur, ſiue extinguitur in nobis.

Quod attinet ad primam dubitationem, Paulus ait de Adam: *In quo omnes peccauerunt*, in illo ſcilicet peccante, & vetitum lignum comedente. Et rurſus, *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi*; Conſtat autem Adam edíſſe de ligno vetito, ac proinde peccaſſe, & nos in illo: ad quod ſequitur priuatio iuſtitiæ originalis, & gratiæ, concupiſcentia, & mors. Quod autem illud peccatum extiterit, inde conſtat, quia actus quidam fuit, & contra legē Dei, & merè voluntarius voluntate Adæ. Erat etiam euitabile in ipſo Adam: erat & noſtrum, quorum eſſe dicitur peccatum. Quod ideo plerique non capiunt, quia ignorant aut naturam, aut vim pactorum, aut Dei ſapientiam: naturam quidem, quia filius eſt portio ſubſtantiæ patris. Ignorant etiam vim pacti Dei, quia in parentibus poſſunt filij obligari ob vtilitatem ſuam. Similiter Dei ſapientiam non agnoſcunt, quia ab Adam ſuo plaſmate, & ſibi chariſſimo voluit ſortem noſtram pendere, vt illo ſtante, & obediente, & nos cenſeremur ſtetiſſe, & obediuiſſe (quia parentum eſt theſaurizare filijs) tum etiā quod homo poteſt pro libito, & arbitrio ſuo legare bona ſua vt vult: quanto ergo magis Deus poterit diſponere de bonis ſuis pro ſua voluntate? Illo autem cadente, nos qui natura, & pacto in illo eramus ad lucrum, vel non lucrum, illorum bonorum, & cui videbamur Adæ conſenſiſſe per conſenſum tacitum, & interpretatiuum, quia reuera ſi tunc fuiſſemus, habuiſſemus ratum, vt Eua, quæ adfuit, & ratum habuit, & peccauit; ita cenſemur & nos cecidiſſe, & peccaſſe. Vnde Eſaias: *Cecidimus quaſi folium vniuerſi* (arefacta ſcilicet radice, quæ eſt Adam) ſicut illo ſtante (vti diximus) quandiu ſtetit, ſtetimus omnes.

Quale fuerit peccatum Adami.

Rom. 5. *Geneſ.* 3.

Vnde inſcitia multorū peccati Adæ poſteritatem obligantis.

2. *Cor.* 12.

Eſa. 64.

¶ Explicatur etiam hæc doctrina alio exemplo, Leui ſcilicet decimati in lumbis Abrahæ: quia patre Abraham decimante, ſoluit decimas Melchiſedech. Baſilius quoque eleganter: *Quia non ieiunauimus*, inquit, *exulamus*, ſcilicet à Paradiſo.

Heb. 7.

Geneſ. 14.

Baſil. hom. 1. *de ieiunio.*

Nec obſtat verbum illud Pauli dicentis de morte regnante ob peccatum originale: etiam in eos qui non peccarunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: verum eſt

Aliud eſſe peccatum originale in Adam, aliud in poſteris eius.

rum eſt enim, quod non peccauerunt vt Adam proprio actu, & propria voluntate; *Rom. 5.* quia ille proprio conſenſu, & voluntate peccauit, nos vero quatenus in illo eramus, & conſenſu interpretatiuo: quemadmodum agentes, & cõſentientes idem peccatum peccant, ſed aliter, & aliter. Quare Adæ peccato debebatur ignis gehennæ: quia vero nos non ſimili modo peccauimus, atq; ille; ideo nec ſimili ſupplicio punimur. Et Paulus quidem duo ibidem teſtatur de nobis: alterum, quod in Adam omnes peccauimus; alterum, quod non peccauimus in ſimilitudinem præuaricationis Adæ: quia, vt diximus ille proprio actu, & voluntate propria, nos vero non noſtra voluntate, neque noſtro actu peccauimus. Neque illa in ſeipſis pugnant, etſi pugnare videantur. Non enim noſtra inobedientia, vt illa Adæ, fuit cauſa efficiens noſtræ, ſed illa eadem inobedientia Adæ noſtra fuit formaliter, & per illam, & non per aliam inobedientes fuimus, quia dicimur in illo peccaſſe. Cum ergo ait: *Rom. 5.* Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: non intelligas efficientem inobedientiam, ſed formalem tantum.

Cur Adæ inobedientis potius, quã aliud eius peccatum nobis imputetur. Quantum ad ſecundum, ex pacto Dei pendet, quod in illo peccato ſolum, & non in alio Adæ, vel alterius parentis originaliter peccauimus. Ideo Eua peccando, & comedendo ante virum, etſi lethaliter peccauerit, & gratiam Dei perdiderit, non tamen originalem iuſtitiam amiſit, *Gene. 3.* ſed ſibi tantum nocuit, nec cognouit ſe nudam, nec erubuit poſt eſum, niſi poſtquã comedit Adã, in quo principaliter pactum initum erat. Si Adam etiã alio quopiam peccato peccaſſet, ſimiliter gratiam amiſiſſet: ſed nobis non nocuiſſet. Simili ratione ideo etiam ſua pœnitentia, aut ſua iuſtitia nõ cenſetur noſtra, quia quale quicquam in peccatis non cõtinebatur, eo quod in illo peccato ſolum illud originale ſitum erat, cum talis Adæ pœnitentia, & iuſtitia perſonalis fuiſſet, & non egreſſa Adæ perſonam. Non enim traducitur pœnitentia, & iuſtitia, ſicut traducitur peccatum, & pœna.

Quomodo ex parentibus filii contrahant peccatum originale. Abſoluamus tertium dubium quod propoſuimus. Traducitur hoc peccatum originis in poſteros non in ſemine, vel qualitate morbida (vt quidam opinãtur) quæ incapax eſt peccati, ſed quatenus datur natura ſpoliata, & filia Adæ contenta in illo primo homine ex natura, & pacto: renati etiam, & mundati, ab illo peccato per Circumciſionem, vel Baptiſmum, peccatum illud in poſteros traducunt. Ait enim Auguſt. lib. 2. de Peccat. mer. & remiſſ. cap. 9. ex perſona Pelagianorum: *B. Aug. to. 7.* *Si peccator genuit peccatorem, vt paruulo eius reatus originalis peccati in Baptiſmi acceptione ſoluatur, etiam iuſtus iuſtum gignere debuit.* Et reſpondet: *Quaſi ex hoc quiſq; carnaliter gignat quod iuſtus eſt, & nõ ex hoc potius, quod in membris eius concupiſcentialiter mouetur, & ad vſum propagandi lex peccati mentis lege conuertitur. Ex hoc ergo gignit quod adhuc vetuſtum trahit inter filios ſeculi, nõ ex hoc, quod in nouitatem promouit inter filios Dei: Filij enim ſeculi huius generant, & generantur.* *Luc. 20.* *Inde & quod naſcitur tale eſt, quia & quod naſcitur de carne, caro eſt*, & reliq. *Ioan. 3.* Deinde cap. 25. eiuſdem libri ſubdit Auguſtinus; quod ſicut in Abraham decimatus fuit Leui, & *Heb. 7.* fratres eius, nõ tamen propterea fuit obligatus Leui nõ ſoluere decimas, nec propterea fratres ceſſarunt decimas ſoluere fratri ſuo Leui; ita baptizati in patribus egent baptizari Cap. 27. ſubiungit: *Quocirca ſicut homo qui non vixerit, mori non poteſt; & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt: ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt. Ex quo conficitur, neminem in ſuo parente renaſci potuiſſe non natum. Oportet autẽ; vt ſi natus fuerit, renaſcatur; quia niſi quis natus fuerit denuo, nõ poteſt videre regnum Dei.* *Ioan. 3.* Rurſus li. 3. c. 9. Pelagianos alloquens: *Quid reſpondebitis*, inquit, *quare non Chriſtianus de Chriſtianis naſcatur, niſi quia non facit generatio, ſed regeneratio Chriſtianos?* *Non generatio, ſed regeneratio facit Chriſtianos, & quibus id fiat exemplis perſpicuũ.* Hæc ille, quæ his exemplis confirmantur: nã ſicut frumenta paleam, & præputium circumciſus; ita baptizatus non baptizatũ; quod quidem eſt exemplũ Auguſtini prædictis eius verbis adiunctum. Alterum exemplũ ſit: Sicut enim ſemen ſurculi optimi inſerti, & producentis optimum, & gene- *Rom. 11.* roſum fructum, ſi ſeminetur iterum, refert naturam ſylueſtrem, non domeſticã, vel generoſam parit, aut generat: ita Chriſtianus inſertus in oliuã bonam Chriſtũ, fert quidem fructus bonorum operum, hoc eſt, fructus radicis Chriſti, ſemen tamen Chriſtiani, hominem producit peccatorem originali peccato vitiatum; ſicut nudum granum etiam granum, ſed cum palea fructificat.

Qua ratione peccatum Adami, ſeu originale in nobis extinguatur, aboleaturque. Vt quartum dubium expediamus perpendendum eſt, quod etſi peccati actus, nẽpe illa comeſtio contra Dei præceptũ, actu tranſierit, manſit tamen in omnib. hominibus reatus eius (ſicut de peccato perſonali loqui conſueuimus) & eius effectus: quorũ primus fuit offenſa Dei, hoc

eſt, animus incenſus, & indignatus, & ad iram & vindictam de nobis ſumendam paratus: quæ nihil aliud eſt, quam diuina voluntas, & pronitas quædam ad puniendum, quam ipſum peccatum ſua malignitate in Deo excitauerat: ſed vt illam excitauit Adæ inobedientia, hanc ſuſtulit Chriſti obedientia, quæ ipſum placauit Deum, & illam Adæ inobedientiam ſepeliuit. Porro illa obedientia Chriſti applicatur nobis per fidem, & Sacramētum, quod quidem infiniti meriti fuit. Poteſt autem illa obedientia dupliciter conſiderari, quantum attinet ad redemptionis efficaciam. Primo quidem, vt per eam quis redemptus, & ſaluatus fuerit per viā præſeruationis, ita vt effectus illius peccati nullus ad eum peruenerit tanquam ex gratia acceptum à Deo Patre: & ideo in mente Dei conſideratum non vt Adæ filium, & peccatorem, vt per illam inobedientiam Adæ facto ipſo corruerit. Nam hic modus quoniam exceptiuus eſt à regula, & continet priuilegium: opus etiam eſt, vt habeat certam, & idoneam priuilegij rationem, quia non eſt acceptor perſonarum Deus: & idcirco hic modus ſalutis non debuit concedi niſi perſonæ tanto priuilegio dignæ; ita vt ſi non impertiretur, res quidem abſurda, & abſona, & nequaquam ferenda ſequeretur. Hæc eſt autem Beatiſſima Virgo electa & prælecta in Chriſti ſponſam, & ſororem primogenitam Dei inter multas filias, præferendam omnibus etiam Angelorum choris, & ſecundum carnem in Matrem Saluatoris electam. Vnde conueniens erat, vt caro illa, quam ab ea Redemptor accepturus erat, & mundi per eam facienda redemptio, primo hoc, & eximio modo ad redemptionem ſuæ matris applicaretur. Etſi enim ipſa eſſet filia Adæ, & ita particeps pacti, & communis ruinæ in Adam; tamen quia electa in matrem, non placuit, vt ipſa ſub illa generali regula ante oculos diuinæ ſapiētiæ comprehenderetur. Et hoc maxime propter honorem Filij, qui maluit, ac debuit magis conſiderare vnde ipſe Chriſtus eſſet venturus, quam vnde Mater ſua veniſſet. Item quod hoc magis in ſerpentis inuidiam, & ſuperbiam eſſet, ne quando glorioſus ille dicere poſſet: Ego poſſedi aliquando Matrem tuam, ego retinui ſub vinculis meis ſponſam, & reginam tuam.

Obedientiæ, & redemptionis Chriſti modus eſt duplex.

Act. 10. & 34. & alibi paſſim in Scripturis.

Alius autem modus redemptionis communis eſt, vt omnis in hunc mundū veniens pro aliquo tempore, ſiue in vtero materno, ſiue extra illum, contineretur ſub patre Adam, in pacto illius ruinæ, ac ita fuerit pro illo tempore vacuus gratia Dei, & iræ filius, & dignus morte, niſi applicaretur ei obedientia Chriſti, vt ita ab eo peccato, & illius pœnis liberetur, hoc eſt, à carentia diuinæ gratiæ, & fidei, ſpei, & charitatis, & à diuinorum ignorantia, & à concupiſcentia fomitis, ac demum à diaboli dominatu. Quæ omnia longe à Virgine ſancta fuerunt; licet mortem, & externas pœnas cum Chriſto, vt imitaretur filium, tulerit; non autem corporis putrefactionē, aut expectationem reſurrectionis ad iudicium vſque, quemadmodum alij putreſiunt, & expectant, & paulatim ab illis omnibus reliquijs ſanantur. Modus autem ſanitatis eſt, cognoſcere nos peccauiſſe in Adam, & incurriſſe illius peccati pœnas ſicut etiam Maria ex ſe, & natura ſua ſe talem agnoſcebat: ita etiam orabat: *Dimitte nobis debita noſtra*: ex charitate item amplectente aliorum peccata pro ſuis, vt Paulus & ipſe faciebat, cum diceret: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et ſimili ratione Daniel faciebat, cuius vox eſt: *Cum confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael*; ſed præcipue ipſe Chriſtus, de quo Petrus Apoſtolus teſtatur, quod peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ac proinde, ac ſi fuiſſent propria, pro illis ſatisfecit. Vnde & Dauid in perſona eius dixit: *Longe à ſalute mea verba delictorum meorum.*

Cōmunis modus redemptionis humanæ.

Mater Chriſti eſt morti fuerit ſubiecta, quę tamen ab omni fuit labe originis prę ſeruata.

Matt. 6.

2. Cor. 11.

Dan. 9.
1. Pet. 2.
Eſa. 53.

Pſal. 21.

Si ergo dixerimus, quoniam non peccauimus in Adam, primo ſumus hæretici, & impij, quales fuerunt Pelagiani, quærentes ex contemptu per quas rimas ingreſſum eſſet hoc peccatum in mundum. Secundo eſſemus temerarij, negantes venialia peccata, quæ fructus ſunt originalis peccati: quia *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Dominus quoque apud Ieremiam: *Prauum eſt cor hominis*, inquit, *& inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?* Et Sapiens: *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum; & purus ſum à peccato?* Tertio ingrati eſſemus Chriſto medico ad nos de cœlo miſſo, & qui nos liuore ſuo, & ſanguine ſanauit: at ingrati animi vitiū grauiſſimum eſt in filijs gratiæ, & Euangelij. Quarto, eſſemus pernicioſi nobis, quia ſuperbi facti, & multum nobis, ex nobis tribueremus, & tanquam Phariſæi medelam, & medicum negligeremus. Quinto, faceremus Deum mendacem, qui in Scripturis ſæpe dixit nos peccaſſe in Adam:

Negantes ſe in Adā non peccaſſe, quales ſe produnt illi infelices.

Pſal. 18.

Ierem. 17.
Prou. 20.
Ingrati animi vitiū in quibus grauiſſimum.
Eſa. 53.

dam: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Eſt autem peccatum toti mundo commune illud Adę, de quo Paulus: *In quo omnes peccauerunt*, & Dauid, *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*; Iob quoque, *Nunquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?* vbi Septuaginta vertunt: *Nec infans, cuius vita vnius diei ſit ſuper terram.* Dominus etiam, *Non veni*, inquit, *vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*: Paulus verò; *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Ad hæc pœnæ ipſę quibus affligimur, omnibus communes, teſtantur Adæ delictum eſſe noſtrum; alias iniuſte puniremur. Denique facto ipſo mittendi ad nos Chriſtum in mortem, ſatis teſtatur Deus noſtrum peccatum: fruſtra enim tot expenſas mortis ſuæ, & ſanguinis feciſſet, ſi morbus non erat in homine, à quo eſſet curandus. Fruſtra etiam docuiſſet dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Summum quoque nefas fuiſſet, dicere,, Deum, qui eſt prima, & ſumma veritas, mendacium, & pluſquam ſeipſum ſeducere, quia eſt Deus verax, & perdit omnes loquentes mendacium, &, omnis homo mendax eſt. Nos tamen ex nobis facimus illum mendacem. Ex cuius aſſertionis veritate omnia bona naturalia pendent, ſiue cœleſtia ſint, ſiue terrena: ac proinde poſito Deo mendaci, nulla prorſus eſſet veritas: ſicut ablata prima luce, nihil eſt lucidum: & ipſe homo eſſet purum mendacium.

Rom. 5. Pſalm. 50. Iob. 20. Luc. 5. 1. Tim. 1. Matth. 6. Pſalm. 115. Rom. 3. Pſal. 5.

Quod verbum Dei non ſit ne-gantibus nos peccatores.

Sexto ſubdit: *Et verbum eius non eſt in nobis.* Verbum poteſt accipi pro ipſo Chriſto, quatenus verbum eſt, & perfectioribus loquitur, ac manifeſtat, vt Angelis, & Prophetis, & Apoſtolis. Vel Verbum, id eſt, verba eius, quæ locutus eſt. Et non eſt in nobis, quia Chriſtus oſtendit Patrem veracem. *Qui me miſit*, inquit, *verax eſt: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Nam ſcriptura in nobis non eſt, quando non perſuadet, nec habet energiam, nec fructus ſuos, teſte Auguſtino ſermo. 40. de verbis Apoſt. & epiſto. ad Conſentium, vbi docet, quod etſi non poſſumus viuere ſine peccato, poſſumus tamen mereri diſcedere hinc ſine peccato. Et eodem ſerm. *Iterum te interrogo alio modo. Iuſtus es, aut peccator? Reſpondes, Peccator. Mentiris, quia non quod te corde eſſe credis, hoc ore dicis. Ergo etſi non eris peccator, eſſe incipis dum mentiris. Dicis enim, Humilitatis cauſa nos dicimus peccatores eſſe: nam Deus videt quia iuſti ſumus. Cum ergo humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficieris, quod euitaueras. Veritas in te non eſt, niſi te ita dixeris peccatorem, vt etiam eſſe cognoſcas: veritas autem ipſa eſt, vt quod es, dicas. Nam quomodo eſt humilitas, vbi regnat falſitas.* Hæc ille. Et hæc quidem de præſenti capite dicta ſufficiant.

Ioan. 8. Aug. c. 3. ſerm. 10. idem epiſt. 89. tom. 2. 2. q. 1. cum ... om. ... Sent. diſt. 1. ca. ſicut autem.

DISPVTATIO. X.

In illa verba Ioannis: *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, 1. Ioan. 2.

Circa hæc verba in primis occurrit dubitare de ſcopo, & qua ratione hęc cum ſuperioribus connectantur, pręſertim cum dicit: *Hæc ſcribo vobis, vt non peccetis*, nunquid enim in hominis poteſtate eſt, vt non peccet? Deinde dubitatur, cur eos filios appellauerit, non autem fideles, aut dilectos, aut chariſſimos, vt alij Apoſtoli ſolent, ſed nomine iſto diminuto, filioli. Tertiò occurrit dubitare de voce Paracleti, ſiue aduocati, & quid ſignificet, & quæ ſint illa, quæ ad rationem aduocati ſunt neceſſaria; & an illa Chriſto inſint: quare etiam vtitur metaphora aduocati, cum in cœlo non ſit iudicium, vel tribunal: & an ita ſit aduocatus, vt excludat ſanctos alios aduocatos in cœlo & in Eccleſia militanti, & peculiariter cum ait, Apud Patrem. Quarto, cur vocat Ieſum Chriſtum Iuſtum aduocatū. Cur item non dixit, Habetis me, vel habetis Chriſtum, ſed, Habemus. Poſtremum dubium eſt, quomodo Chriſtus ſit propitiatio; & quare addit: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

Primum dubium. Secundū. Tertium. Quartum & quintum.

Priorem dubitationem ſoluendo, dicimus, Apoſtolum vt in primo capite de prima iuſtificatione, quæ per fidem acquiritur in baptiſmo, per charitatem, & per bona opera in luce ambulando, & tenebras peccatorum fugiendo, atque adeo falſam iuſtitiam, conſeruatur, diſſerit de iuſtificatione, qua homo amiſſam innocentiæ gratiam, & amicitiam cum Deo perditam recuperat, & reſtaurat: & vt illa fit in Baptiſmo, ita hæc in Sacramento reconciliationis. In hac autem non fit men-

Ad primū dubium. De propoſito Ioannis, verborumque connexione.

tio de reparata fide, quia illa per peccatum lethale non amittitur: in hac autem ſecunda non adipiſcimur nouum fidei habitum, vt in prima, ſed vſu eius, & ſpei exercitio auerſi per dolorem à peccato, & conuerſi ad Deum, habitum charitatis amiſſæ obtinemus, quem alio modo donat, quam in prima iuſtitia, id eſt, obligatione ad pœnam luendam, valituram tamen virtute ſatisfactionis Chriſti, qui voluit in hoc variari pactum pœnitentiæ à peccato Baptiſmi, vt eius gloria magis oſtenderetur, & noſtra vtilitas amplius promoueretur. Ita enim magis illuſtratur multiformis poteſtas, & ſapientia Dei, varijs modis ſanans infirmitates noſtras vi ſanguinis Chriſti. Bonitas etiã Dei, dum iuſtitiam exercet, & miſericordiam, dum nos plus cauere facit peccatum, & apud eum promereri, & Chriſto patienti magis aſſimilari, reddit etiam nos magis ſollicitos in iuuandis fratribus, ſiue viuis, ſiue mortuis, quibus poſſumus in hoc debito perſoluendo opitulari pro eis patiendo, vel precibus, ieiunijs & alijs ſuffragijs auxilium ferendo. Plus etiam Deo cooperamur, ita proprijs, & laborioſis operibus ſatisfaciendo, vnde & vitioſi habitus diſſoluuntur, & boni comparantur vltra eos, quos Deus ſua benignitate infundit in hac ſecunda iuſtitia, quam in prima. Quanquam autem ad hæc omnia præſtanda, nonniſi expenſæ ſanguinis Chriſti requirantur, alio tamen modo, vt dixi. Nam vt pater filio aleatori primo quidem ſummam aliquam pecuniæ ludo perditam reddit, vbi vero videt filium ludum repetere, & aliam ſummam, vel maiorem amittere, prudenter non reddit totam ſummam, ſed durum ſe exhibet erga filium, & aliquam partem debiti perſoluit, non autem totam, & integram, vt ita interim filius erubeſcat & ludum aleæ deteſtetur, & ita cautior fiat, & alienior ab alea. Videns autem pater, quod filius non ſit ſoluendo, tandem ipſe de ſuo ſatisfacit. Idem præſtat DEVS in Baptiſmo, vbi etſi ſimul omnia condonet, hic tamen, id eſt in Sacramento pœnitentiæ, paulatim, & per partes, quo ita magis conſulat ſaluti filij. ¶ Alio exemplo poteſt hoc illuſtrari. Finge enim aliquem cenſus annuos redimere ea lege, vt ſibi fructus cenſuum reddantur, quolibet quadrimeſtri ſpatio anni tertia eorum pars, vel omnes ſimul fructus die certa anni aſſignata. Hic eadem eſt perſona luens in vtroque caſu, ſed in hoc poſteriori ſimul reddendi, aſſimilatur ſolutio quæ fit in baptiſmo; in priori vero aſſimilatur ſoluendi per tres annos eandem pecuniæ ſummam.

Baptiſmi à pœnitentiæ Sacramento diſcrimen, eiuſque diſcriminis cauſæ.

Qualem Deus videri poſſit ſeſe præſtitiſſe in hoc duplici Sacramento.

Alterum exemplũ.

Dubium ſecundum diluamus. Vocat eos filiolos Apoſtolus, vt imitaretur Chriſtum qui dixit: Filioli, adhuc modicum tempus vobiſcum ſum; quem etiã imitatus Paulus, Filioli, inquit, mei, quos iterum parturio. Quod vt altius ſpeculemur, attende, patrem dici apud nos eum, qui dat portionem paruam ſubſtantiæ ſuæ, quæ vim habet formandi fœtũ, licet ad animam rationalem, quam ſolus Deus creat ex nihilo, & infundit in corpus, non pertingat: Matrẽ vero dici illã, quæ partẽ mẽſtrui ſanguinis pro materia fœtus corporis formandi ſuppeditat. Ad eum modum miniſtri Dei duo porrigunt in formatione hominis Chriſtiani: primũ quidem verbum quaſi virile ſemen, de quo meminit Petrus, dicens: *Renati: non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum.* Alterũ vero Sacramenta quæ adminiſtrant quaſi materiam: nam ipſi ſunt, qui baptizant, qui præbent abſolutionem, & eucharistiã, & Chriſma miniſtrant. Quare merito & patres, & matres vocantur; etſi Deus ſit, qui ſolus dat gratiã, & eſſe diuinum: ſicut etiam ſolus ipſe dat eſſe rationale, creans formam hoc eſt, animam in cuius tantum diſpoſitione miniſter poteſt, non autem ad eſſe gratiæ attingere, quod diuinæ ſolius eſt poteſtatis, vt diximus Hinc Paulus ad Corinth. *Nam ſi decem*, inquit, *millia pædagogorum habeatis in Chriſto; ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu, per Euangelium ego vos genui.* Et iterum ad Galat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis* Sunt ergo Apoſtoli patres animarum & matres, quia ſponſi ſapientiæ, & ſponſæ Verbi, hoc eſt, Chriſti ſunt; qui, quatenus Deus eſt, eſſe gratiæ donat, ac ſi eſſet pater animæ rationalis. Vnde & pater dicitur futuri ſeculi, hoc eſt, ꝙ ſuccedet ſeculo peccati Paulus etiam ad Heb. ait: Num multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Quatenus autem Chriſtus homo patiens eſt, & maxime in cruce, mater eſt parturiens, & ad pectus apertum lateris ſui lactans, ac nutriens nos inſtar Rachelis, quæ in partu Beniamin mortua fuit: Ita clamans voce magna; Dominus ſpirauit, ac morte ſua nobis vitã dedit Licet ergo Chriſtus quaſi pater ſit ſpiritus, alij vero quaſi patres carnis, ſpiritualiter tamen, quia patres robuſtiores eſſe ſolent, ac minus blandientes paruulis ſuis, & magis graues, à ſe genitos vo-

Ad ſecundum dubium. Cur Parthos filiolos appellauerit. *Ioan. 3. Gal. 4.*

Miniſtri Dei verbo & Sacramento Chriſtianos Deo concipiunt, & pariunt.

1. Pet. 1.

Dei proprium ſolius vt animam rationalem, ita & diuinam gratiam infundere.

1. Cor. 4.

Gal. 4.

Eſa. 9. Chriſtus cur pater futuri ſeculi. *Heb. 12.*

Ioan. 19. Gen. 35. Mar. 15.

tos vocant filios, & quatenus etiam ipſi perfectiores ſunt. Qua ratione vero ſpiritu ſunt matres, pro amore, qui extra trahit amantem in amatum, ſicut è contrario intelligens trahit rem intellectam in ſe ipſum, quod eſt patrum, inſanientes filios imperfectos vocant filiolos. Ita Dominus diſceſſurus ab imperfectis. Apoſtolis, quibus ſuum amorem volebat imprimere, illoſq; paternis viſceribus commiſerabatur, dixit, *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum: quæritis me*, & ſicut dixi Iudæis: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire; & vobis dico modo.* Ita etiã alibi cum dixiſſet: *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Subdit Euangeliſta: *Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis eius*, & quia imperfecti, putabãt difficile ſpoliari poſſe ab amore terrenorum, Ieſus rurſus reſpondens, ait illis, *Filioli, quam difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire?* Hoc affectu tenero locutus eſt Chriſtus, cum Apoſtolos vocauit paruulos, & ante hæc dixerat, *Nolite timere puſillus grex.* Paulus autem filiolos appellat conuerſos à ſe ad fidem, vel ſaltem à mortifero pacto reuocatos. Adoptiui autem ſunt, qui per alterum intermedium conſeruantur in gratia. Mulieres ergo quia tenerioris ſunt affectus, magis trahuntur amore filij quam viri; ideo diminutiuis vtuntur, & Corculum proles appellare ſolent, fraterculos, & animulas, regulos. Imo ſponſa dicebat: *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. Filioli*, inquit, *mei*; facti per trãſfuſionem ſpiritus proprij. Auferam, Dominus ait Moyſi, de Spiritu tuo (quaſi vir generans) tradeturque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris. Media etiam transfuſione materiæ ſacramentalis quaſi fœminæ, generantes per cruciatum deſiderij, & laborem parturitionis.

[Margin: Ioan. 13. — Supra 7. — Marc. 10. — ...c. 10. — Ibidem 32. — Qui ſint filii adoptiui. — Cant. 1. — Ioannis charitas in Parthos effuſa. — Num. 11.]

Hæc ſcribo vobis, vt non peccetis. Hæc, inquit, nimirum quæ prædixi, tam neceſſaria de ſanguine Chriſti, & cognitione. Hæc etiam, tam neceſſaria, vt panis famelico, & medicina infirmo. *Scribo*, Non ait, loquor, aut verbis nuntiando vobis mitto; ſed, ſcribo: quia homo labilis eſt memoriæ, ſcripto aliquo indiget. Vel hæc ſcilicet quæ conſequuntur de Chriſto aduocato, quæ magni ſunt ponderis, & momenti. *Vt non peccetis.* Nam non peccare, omnis fructus eſt. Iſte omnis fructus, ait Eſaias, vt auferatur peccatum eius, id eſt, domus Iacob. Et in cœleſti gloria non eſt niſi non peccare, id eſt, Non deficere iuxta naturam, aut donum in cognitione Dei, & in amore. Et ita via ad gloriam, eſt non deficere à fide, charitate, & operibus: contra vero, via ad gehennam, deficere eſt, & peccare, & ad nihilum tendere. Ita autem hæc ſcribo, vt nemo inde accipiat occaſionem licentius peccandi.

[Margin: Quænam ſit illa quæ ſe afferit ſcribere, vt non peccarent. — Eſai. 27. — Cœli, & inferni diuerſa conditio.]

Subdit Ioannes verbum magnæ conſolationis. *Sed et ſi quis*, inquiens, *peccauerit.* Me nolente, nec dante occaſionem, ſed tantum ſi caſu id cõtigerit, quaſi diceret, laudo rhabarbarum, laudo manna, & caſiam, non vt infirmitates, & ægrotationes quæratis, ſed vt ſciatis vim illis ineſſe efficacem contra morbum ingruentem; & denique danda eſt opera, ne vel ex conſideratione gratiæ Dei per Chriſtum plus æquo fidentes, & male ſecuri reddamur. Et vtrinque eſt periculum, ne vel gratiæ Dei diffidamus, vel facilitate remiſſionis abutamur.

[Margin: Peccantũ conſolatoria Ioannis oratio.]

Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Ad tertium dubiũ vt reſpõdeamus, παράκλητος, ſcribitur cum η longo, q̃ vox vertitur vel per e, vel per η longum, non autem per ypſilon, quia ἄκλυτος, vel παράκλυτος ſignificat infamem, ſiue ingloriũ, vt κλυτός, & inclytus Latine, famoſum denotat, & inſignem. Hanc igitur vocem παράκλητον, ſiue paracleti, quidam vertunt conſolatorem, Oecumenius deprecatorem, vel adhortatorem; quidã vero alij, inter quos eſt noſter interpres, aduocatum, ſiue patronum. Et forte non male omnes iſtæ ſignificationes congruunt Chriſto. Eſt enim ille Patris adhortator, vel deprecator pro peccatoribus *Dimitte me*, inquit Deus Moyſi, *vt iraſcatur furor meus contra eos*, &c. Moyſes vero orabat Dominum Deum ſuum, dicens, *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra AEgypti in fortitudine magna, & in manu robuſta? Ne quæſo dicãt Aegyptii: Callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra*, & quæ ſequuntur. Ita bonus, & ſapiens Moſes Dominum placauit. Ita Chriſtus efficacius retinet Deũ vindicem, ne puniat. Maxime etiam nos ad bonum adhortatur, præſertim, cum dicat: *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem?* Deinde dici poteſt conſolator ſanctæ matris Eccleſiæ afflictæ ob tot filiorum ſuorum perditionem: & ſola Chriſti interceſſio, & oratio, & ſanguis eius poteſt de lapidibus duriſſimis ſuſcitare filios Abrahæ. Ideo per Chriſtum abundat omnis conſolatio noſtra, & conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, & ſpem facit no-

[Margin: Ad tertiũ dubium. De vocabulo Paracleti, quid ſit. — Chriſtum nõ inepte etiam Paracletum appellari. Exod. 32. — Pſal. 15. Rotunda ſignificatio Paracleti. — Matt. 3. — 2. Cor. 1.]

Tertia, eaque congruentior.

bis veniæ obtinendæ. ¶ Tertiò melius, & magis ad rem interpretatur Aduocatus, vel patronus: quanquam Latinè hæ duæ voces diſtinguantur. Nam teſte Laurentio Valla, Aduocatus eſt, qui aſtat ad defenſionem alicuius, actoris, vel rei; ſiue verbo agat, ſiue non: Patronus verò eſt, qui accuſatum reum dicendo defendit. Aſconius Pedianus ait: *Qui defendit aliquem in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt; aut aduocatus, ſi ius ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico; aut procurator, ſi negotium ſuſcepit; aut cognitor, ſi præſens cauſam nouit, & ſic tuetur vt ſuam. Sed procurator eſt abſentis, cognitor vero præſentis.* Chriſtus autem tam agendo, quam patiendo, & dicendo, hoc eſt, orando ſiue prædicando in via, quam etiam agendo, & repræſentando ſe, & vulnera ſua Patri, & mortis ſuæ obedientiam, dicendo etiam, hoc eſt, orando, in patria nos reos defendit: actores autem nos contra carnem efficiendo: *Quis me*, inquit Apoſtolus, *liberabit de corpore mortis huius*? Et contra mundum, de quo Chriſtus dixit: *Confidite, ego vici mundum.* Contra item Satanam: *Deus*, inquit, *pacis conterat Satanam ſub pedibus noſtris velociter*: Adiuuat item, vt obtineat de hoſtibus ſuis victoriam, & vindictam. Hic tamen, quia agit de peccantibus, eſt quidem aduocatus, non autem ſecundum rationem vniuerſalem aduocati, ſed ſecundum particularem patroni, quia nos rei ſumus, & ipſe agit cauſam noſtram dicendo, hoc eſt, vt diximus, orando.

Lauren. Valla. Aduocatus & Patronus differunt. *Aſconi. Pedia.* *Rom. 7.* *Ioann. 16.* *Rom. vlt.* Chriſtus qualis aduocatus.

Ideò meritò tractanda ſunt quatuor, Primum, an officium aduocati conuenire poſſit Chriſto: ſecundum, an perfectus ſit aduocatus: tertium, an excludat alios aduocatos ſe inferiores: quartum, an illa aduocatio Chriſti, & interceſſio fiat ore, & oratione, ſicut apud nos fit: quinto loco ponderanda ſunt verba literæ.

An officiū aduocati rectè Chriſto conueniat, nec ne.

Quod ad primum attinet, notandum, donatum eſſe à Deo hominibus Chriſtum ad omnes vſus, & neceſſitates ſuas: ideò ſicut donatus eſt vt ſit medicus, mediator, procurator, fideiuſſor, & iudex; ita etiam vt ſit aduocatus: nec repugnat vnum, & eundem pro varijs temporibus eſſe iudicem & aduocatum etiam eiuſdem cauſæ; licet non conueniat, hominem aduocatum eſſe ſimul, & iudicem eiuſdem cauſæ, quia ſententiam ferret pro ſe ipſo, ſecus de Chriſto Deo, & homine ſentiendum, qui ita eſt aduocatus clementiſſimus, vt ſimul ſit iudex iuſtiſſimus: ita vt non repugnet eius iuſtitia clementiæ, aut clementia iuſtitiæ. Deinde Chriſtus quatenus homo, in natura humana orat, & interpellat, quia inferior Deo eſt. Dei autem Filius ſecundum naturam Diuinam non orat, quia ſic par eſt Patri per omnia, & æqualis, & propriè nemo ſe ipſum orat, ſed ſecundum humanam naturam præſtat officium aduocati, quia actiones, ait Philoſophus, ſunt ſuppoſitorum.

Chriſti proprium. *Ioan. 4.* *Ariſt. 1 de Anima.*

An Chriſtus ſit perfectus aduocatus.

Quantum ad ſecundum, perfectus inuenitur Chriſtus aduocatus: nam & poteſt, & vult, & nouit aduocare. Eſt enim Chriſtus DEVS, & homo, & ideo immediatus iudici DEO, & immediatus reo homini inuenitur: ideò ſerio agit cauſas noſtras, & coram Deo obtinebit. Primò enim Chriſtus fuit pars offendens, & ſatisfaciens in cruce, nam perſonam eorum agebat in cruce. Deinde aduocatus in cœlo pro ijs, quos morte, & ſanguine ſuo reconciliauit: Tertiò iudex erit in ſecundo aduentu, quia pater omne iudicium dedit Filio. ¶ Quod verò poteſtatem habeat aduocandi, multa comprobant. In primis, quia ſumma gratia valet apud Deum, à quo nihil eſt quod non valeat impetrare. quia eius gratia cum natura diuina concurrit. Vnde dicebat: Ego autē ſciebam quia ſemper me audis. Nec timet defectum audientiæ, quia ſemper viuit ad interpellandum pro nobis, ſemel ingreſſus in ſanctum tabernaculum; nec deeſt ei gratia, & loquela, quia diffuſa eſt gratia in labijs eius: nec materia, quia ſemper peccamus, & indigemus eius patrocinio, & iudex ſemper habet, vnde miſericorditer proferat ſententiam, dum in via hac ſumus.

Ioann. 5. Quod habeat poteſtatem aduocandi apud Deū *Infra 11.* *Heb. 7.* *Infra 9.* *Pſal. 44*

Secundū argumentum.

Deinde ad hanc aduocationem accedit voluntas: tum quia Deus cum propoſuit aduocatum: *Non eſt*, inquit Petrus, *aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, & non eſt in alio aliquo ſalus*; & Paulus, *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*. Deinde quia iudex in quauis ſententia pronuntianda, honorem ſibi facit: ideò aduocatus libenter amplectitur aduocationem in cauſa, in qua certus eſt de victoria: tum etiam quia homo, cui eſt vicinus, & frater, eum maxime mouet ad aduocandum, quo etiam obtinente cauſam, Chriſtus obtinet; cuius regnum propterea dilatatur, ita vt ipſe ſit pars quæ lucratur lucrante reo. Denique Chriſtus quatenus DEVS, eſt pars offenſa, vt iudex Pater: ea verò non ſolum ſe-

Actor. 4. *Rom 3*

lum ſedente, ſed aduocante, libentius parcit: quare etiam vult aduocare.

Tertium argumentum à multiplici ſcientia aduocandi.

Tertio accedit etiam ſcientia aduocandi. Primo, quia optime cauſam nouit, quam vult defendere: ſpeculatiuam enim cognitionem habet omnium peccatorũ contra ſe factorum ab initio mundi. Habet & praxim, non quod ea ipſe fecerit, quoniam peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, ſed peccata portando in corpore ſuo ſuper lignum. Nouit illa quanti ſint ponderis, & quantum pro quolibet illorum ſanguinis effuderit quãtum etiam fuerit huius ſanguinis applicatum in diſpoſitione, & interceſſione. Tertiò, nouit etiam ipſe non ſolum factum, ſed etiam ipſum ius, & quantum vnumquodque peccatum meretur ſupplicium ſecundum legem diuinam, & ſecundum mẽtem ſibi iudici notam. Quartò etiam nouit allegare in iudicio, quanta ſit miſericordia Dei patris pro peccatis noſtris: & quanto pretioſior in oculis eius eſt effuſio ſanguinis Chriſti, quam mereantur ipſa peccata. Nouit quoque producere in medium fragilitatem, & labilitatem noſtram ad peccandum; imperfectam noſtram cognitionem, & deteſtationem peccati, & ꝙ ipſe cognouit figmentum noſtrum, & recordatur, quoniam puluis ſumus. Impotentiam item noſtrã; & quod (vt Iobis verbis vtar) contra folium quod vento rapitur, oſtenderet potentiam ſuam, ſi nos perſequi vellet, & de nobis ſumere vindictam. Nouit & tot occaſiones cadendi, tantam diuinorum obliuionem, ignorãtiam, contemptum. Nouit etiam proponere noſtras qualeſcunq; diſpoſitiones, & deteſtationes peccati, & animum paratum obedire, & ſatisfacere, quatenus cum gratia DEI cooperatur: nouit idem Eccleſiæ preces nixas eſſe ſuo nomini, & promiſſionem remiſſionis peccatorũm factam: *Si quid*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: præſertim in re ſpectante ad ſalutem. Atque ita nouit mentem rei & iudicis in ſeipſis; & ad ſe inuicem collatam. Habet denique Chriſtus vt aduocatus propria verba, & breuia, & doctrinæ referta, è media cauſa, id eſt, collatione ſanguinis ſui ad peccata eruta: verba etiam promouentia, vt ex charitate iudicis, & ſui, & rei prodeuntia, & ex odio hoſtium vtriuſque. Habet præterea actionem ſuam ſingularem, & conuenientem: quia Chriſtus oſtendit Patri latus, & vulnera; ſicut Mater vbera, teſte Bernardo. Denique de eo ſcriptum eſt: *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis; propterea benedixit te Deus in æternum.*

Eſai. 54. 1. Pet. 2. Ibidem. Pſal. 102. Ibidem. Iob. 13. Ioan. 16. Pſalm. 44.

An Chriſtus cum perfectus ſit ipſe aduocatus, alios etiã admittat aduocatos, & patronos ſecum.

Abſoluamus quod tertio loco propoſuimus. Dicimus, hũc Aduocatum, nempe Chriſtum, alios non excludere tanquã inuidum, ſed includere potius, quia omnes alij in eo valent, & exaudiuntur; non quidem, vt neceſſarios, tanquam ipſe ſit minus idoneus, ſed vt fœcundus alios ponere valeat, qui in vita præſenti, vel in futura, nomine Chriſti orant, vel aduocant: vel potius in quibus Chriſtus aduocat, & orat. Vt enim Deus infinitæ miſericordiæ non excludit humanitatem finitæ miſericordiæ, quamque nos, vtpote finiti, melius capimus, & per eam ingredimur ad Diuinam, vt per effectum ad cauſam; & ob fiduciæ materiam præbendam impetrandi: ita ſanctos parauit, tam beatos, quam viatores, vt homines per noſtras conſuetudines inſtructi moueamur. Ideò in orante Stephano pro lapidantibus Iudæis, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, Chriſtus orabat, & aduocabat, vt ita eius exemplo diſcamus aliorum fieri aduocati, vt illi pro nobis vicem rependant, nõ tantum in temporalibus, ſed & in ſpiritualibus neceſſitatibus, ac vt ei per omnia aſſimilemur. Nam vt ipſe eſt lux, iudex, magiſter, ſaluator, paſtor, ac Deus, & pro Eccleſia pati voluit; ita etiam nos iudices, magiſtros, ſaluatores, & deos aliorum effecit voluitque vt patiamur nos quoque pro Eccleſia, quemadmodum fecit Paulus, qui dicebat Coloſſenſibus; Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia: eadem ratione nos Chriſtus voluit reddere aduocatos per ſeipſum, & in ipſo apud Patrem. Imò vt in operante DEVS magis reſpicit cor ipſius, quam opus, ſecundum id, Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ita in ſanctis aduocantibus magis reſpicit Chriſtum in eis, & per eos aduocantem, quam ipſos, quia Chriſtus in corde eorum eſt; nam dixit, Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis.

Actor. 7.

Chriſtus in nos quę deriuet, & veluti transfundat ſui honoris inſignia.

Coloſ. 1. Gen. 4. Ioan. 17.

Inepta hæreticorum argumentatio

Male ergò inferunt hæretici: Chriſtus hoc fecit, ergò ſancti non faciunt: cum contra potius valeat: ergò ſancti faciunt. Dixit enim, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde; &, Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Etſi bene inferatur, quod nemo fecerit in eo gradu excellentiæ, in quo Chriſtus fecit. Vnde ipſe lux eſt per eſſentiam, homo per participationem. Chriſtus per ſe, & proprie ſal-

Matt. 11. Ioan. 13.

Aliter Chriſtus

ſaluat. aliter ſancti. *Rom.* 11.

uator eſt ſanguine ſuo, Paulus ſaluat, & remittit peccata, ſed miniſterio. Cuius eſt vox illa fiduciæ plena: Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis, Iudæis ſcilicet, infidelibus. Male itaq; inferunt infelices illi: Chriſtus hoc facit: ergò excludit reliquos omnes; cum tamen ſit exemplar imitabile in omnibus. ¶ Simili fraude vtuntur Veteratores, cũ argumẽtantur: Chriſtus ſaluat: ergò ſine medijs, ergò ſine Sacramẽtis, ergo ſine ſanctis intercedentibus, ergò ſine ſacrificio Miſſæ: quæ omnes conſequentiæ infirmæ, & inualidæ planè ſunt.

Quale ſit nobis Chriſtus exemplar ad imitandum propoſitum.

Chriſtus orat pro nobis Patrem interpellet humano more, an ſecus.

Quarto dubio reſpondendum eſt: Chriſtus non ſolum repræſentat merita mortis ſuæ, & obedientiæ, apparens vultui Dei pro nobis, ſed etiam orat verbis, & vtroq; modo cauſas noſtras agit. Quia ſancti Dei, & Beata Virgo, & Angeli exemplo Chriſti, qui interpellat pro nobis, orant. Nec hoc dedecet humanitatẽ eius, ſed gloria eſt illi, vt omnes videant, & agnoſcant nihil illi denegari, & oſtendat veram illam ſententiam: Multum valet deprecatio iuſti aſſidua, id eſt, Chriſti per excellentiam iuſti.

Iaco. 5.

Cur hac metaphora, aduocati ſcilicet, & ſimilibus vtatur Apoſtolus. *Ioann.* 1.

Iam poſtremò ponderanda ſunt verba, & in primis vox Patris: ad quam melius percipiendam, perpende. Filium intimum Patri, & in ſinu eius exiſtentem, vt Ioannes declarauit. Deinde, quod etſi in cœlo non ſit forum iudiciale, nec lites, nec accuſatores, nec rei, nec iudices: hæc tamen omnia fingit Ioannes, vt hac alluſione ad temporalia noſtra, & vſitata in iudicio, melius ſpiritualia, & diuina apprehendamus. Apud Patrem, inquit, aduocatũ habemus tam patroni, quam rei: ideò ſententia erit paterna, quia,

Terent.

Pro maximo delicto paululum ſupplicii ſatis eſt patri.

Vt Comicus dixit. Quare etiam nõ dixit: Apud iudicem, ſed, Patrem, clementem ſcilicet, & benignum.

Expenditur verbũ illud: Habemus Chriſtum ſcilicet aduocatum.

Secundò ponderandum verbum, *Habemus*, vel habeamus, legendo, ἔχωμεν pro ἔχομεν, hoc eſt, de præſenti, habemus paratum, non impeditum in alijs cauſis, vel infirmum vel abſentem, qui cauſam noſtram agat. Habemus etiã Ioannes inquit, vt ſe inter peccatores includat. Itẽ dicitur aliquid quis habere, quando eo vtitur. Ita Chriſtus dixit: *Ei autem qui non habet, & quod putat ſe habere, auferetur ab eo*: hoc modo nos habemus, id eſt, vtimur; vel vtamur opportune, ne prętereat nos tempus, quia periculum eſt in mora, interim recurrendo ad Chriſtum, & illi committendo negotium, vt ſua oratione nobis applicetur.

Mat. 25.

Pulchra Auguſtini ponderatio illius ſententiæ Ioannis. *B. Aug. tr.* 9.

Auguſtinus verò tractat. 1. in hanc epiſtolam, ita expendit hęc verba: *Si quis peccauerit, aduocatum,* inquit, *habemus. Non dixit, Habetis, nec, me habetis, dixit: ſed & Chriſtum poſuit, non ſe, &, habemus, dixit, non, habetis. Maluit ſe ponere in numero peccatorum, vt haberet aduocatum Chriſtum, quam ponere ſe pro Chriſto aduocatum, & inueniri inter damnãdos ſuperbos.* Et infra: *Sed dicit aliquis: Ergo ſancti non petunt pro nobis? ergo Epiſcopi, vel præpoſiti non petunt pro populo. Sed attendite Scripturas, & videte, quia & præpoſiti commendant ſe populo. Nam Apoſtolus dicit plebi: Orantes ſimul & pro nobis. Orat Apoſtolus pro plebe. orat plebs pro Apoſtolo: oramus pro vobis fratres, ſed & vos orate pro nobis. Inuicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet.* Hactenus ille. Solue ergò tanto aduocato tuo agenti, & vincenti cauſas tuas, ſtipendium, ſi ſoluis perdẽti ſalarium. Fides, fiducia, obedientia, amor, hæc omnia tanto aduocato pendi debent. Præſtemus etiam viciſſim aduocationem noſtram Chriſto in proximis, qui laborant aut animo, aut corpore, aut in bonis temporalibus, aut conſilio.

Coloſſ. 4.

Quid Chriſto apud Deũ pro nobis aduocato debeamus.

Chriſtum aduocatũ cur iuſtũ appellet Ioannes. *Gloſ. ordi.*

Vocat autem Chriſtum aduocatum, iuſtum, quod Gloſſa interpretatur: Iuſtus aduocatus iniuſtas cauſas non ſuſcipit: quo tamen iuſtos nos defendat in iudicio, ſi nos accuſamus iniuſtos. Hæc illa. Vocatur etiam Chriſtus iuſtus, quia non lædit DEI iuſtitiam, ſed ſinit clientem ſuum Patri ſatisfacere. Et rurſus iuſtum, quia promiſit aduocare, & intercedere pro ſe humiliante, & accuſante.

Quo ſenſu Chriſtus dixerit: Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrẽ de vobis, &c. *Ioann.* 16. *Supra* 14.

Obiicies: Quomodo Chriſtus rogat in cœlo, qui dixit: *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* vbi videtur reſpuere ſuam interceſſionem, aut aduocationem apud Patrem. Dicendum eſt, ſenſum huius ſententiæ Chriſti eſſe: Non allego quod rogabo pro vobis Patrem, licet magnum ſit: & verè rogabit, iuxta illud: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*: ſed allego amorem Patris, qui radix eſt meæ aduocationis, & ad quem amorem oſtendendũ, ego ſum aduocatus. Et maxima pars aduocationis Chriſti eſt, vt reddatur nobis Paracletus perditus per peccatum, quatenus inhabitator eſt cordium.

Præcipua Chriſti aduocatio apud Patrem quænam ſit.

DISPVTATIO XI.

In illa verba: *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

Scopus Apoſtoli.

DICENDVM In primis, quorſum hæc tendant, & quid eſt propitiatio, & quomodo Chriſto conueniat; quo item pacto non pro noſtris tantum ſit propitiatio, ſed etiam pro totius mundi. Demum verba expendemus. Dixit ſuperius Apoſtolus, Chriſtum eſſe aduocatum, & agere cauſam noſtram. Diceret aliquis: Credo; neſcio tamen an vincat cauſam noſtram, quia Deus eſt iuſtus, & cauſa grauis eſt de peccatis, quæ ſunt crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, & neſcio an Chriſti iuſtitia valeat opem ferre, quia dicitur per Ezechielem: Etſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum. Quod ſi & beſtias peſſimas induxero ſuper terram, vt vaſtem eam, & fuerit inuia, eo quod non ſit pertranſiens propter beſtias: tres viri iſti ſi fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur. Sed hæc omnia tollit vno verbo Ioannes, dicens: Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; ac ſi diceret, Nouit vincere cauſam, & poteſt, & Deum ipſum placat, pluſquam peccata offenderint, & cuius iuſtitia non eſt priuata, vt aliorum hominum, ſed communis, & vniuerſalis omnium, vt capitis. Et illa propitiatio pro nobis facta eſt, quia factus nobis (ait Paulus) ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Imò, quod plus eſt poterat aliquis cogitare, ex eo quod Chriſtus agitat cauſas apud Patrem, quod ipſe ſit purus homo, & non Deus: ſicut teſtatur Auguſt. quoſdam ex illo, quod Spiritus dicitur aduocatus, cum dicitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, deducere, Spiritum ſanctum minorem Patre: quod ſi verum eſſet, profecto & Chriſtus eſſet purus homo, & minor Patre, & Spiritus ſanctus minor Filio, imo etiam Apoſtolis, qui dicuntur ſedere, & iudicare duodecim tribus. Chriſtus item iudex eſt, & nõ niſi propter Spiritum ſanctum, quo impletur, quia ſpiritualis iudicat omnia, & per eum Apoſtoli iudicant in foro conſcientiæ, quibus dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Noli ergo cogitare Chriſtum ita aduocatum, vt ſit minor: imò ad eum ſpectat miſereri, & remittere peccata, quia pars offenſa, id eſt, Deus, & propitiari, quia homo aduocatus, & eatenus poteſt aduocare, & promereri, & ſoluere pro nobis.

Ezech. 14. — Chriſtus qualis propitiator noſter. — 1. *Corint.* 1. — Contra Macedonianos, & Arrianos. *Aug. lib. contra ſermonem Arriano. ca.* 19. *to.* 6. — *Ioan.* 14. — *Matth.* 19. *Luc.* 22. — *Eſai.* 11. 1. *Corint.* 2. — *Ioan.* 20.

Quid ſit propitiatio in ſacris literis. *Eccl.* 5. *Pſal.* 102. *Pſal.* 129. *Luc.* 18.

Expediamus ſecundum dubium. Propitiatio in ſacris literis ferè ſemper dicitur reſpectu peccati: De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, ait Eccleſiaſticus, & Dauid, *Quia propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*: & iterum, *Quia apud te propitiatio eſt*: idem rurſus, *Impietatibus noſtris tu propitiaberis*: Publicanus quoque orabat, *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Et vt peccatum accipitur pro alienatione, vel elongatione, ſiue, quod idem eſt, pro diſtãtia à Deo (quia peccare eſt vertere terga Deo, & conuertere ſe ad creaturam) & hoſtia pro peccato. vnde illud: *Peccata populi mei comedent*: Paulus etiam: *De peccato damnauit peccatum in carne*: & alibi, *Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit*: Eſaias quoque, *Si poſuerit*, inquit, *pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. Vt ergo duplex eſt peccatum, ita duplex eſt propitiatio, nimirum pro ipſa reconciliatione, vel placatione, qua nobis Deus per peccatum diuiſus, & elongatus, propinquus fit nobis. Vnde Frater Domini, *Appropinquate*, inquit, *Deo, & appropinquabit vobis*. Vt propitiare nihil ſit aliud, quam propè ire, quod eſt reconciliare, quia hoſtes non propè eſſe volunt: ſed ſicut corde diſtant, ita corpore diſtare volunt. Quod ſi quando corpore appropinquant ad duellum, vel ad pugnam, id eo conſilio faciunt, vt magis poſtea diſtent altero illorum occiſo: ſed in Deo eſt propitiatio, iuxta illud, *Quia apud te propitiatio eſt*. Deinde illa vox ſignificat ſacrificium medium, quo propitiationem à Deo conſequimur: ita accipitur Ierem. 5. Geneſ. 35. Iob. 38. & Eccl. 34. *Nec*, inquit, *in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*. Tertio, accipitur propitiatio pro loco dicto Propitiatorium, ex quo Deus conſultus reſpondebat, & oſtendebat ſuam miſericordiam propitiando: atque ad hoc videtur alludere verſus citatus ex Dauide. Dies vero, quo intrabat ſummus Sacerdos in ſanctã ſanctorũ & aſpergebat ſanguine propitiatoriũ, vocabatur dies Propitiatiõis. Et ita in hoc ſenſu triplici Chriſtus dicitur propitiatio, vel propitiator, vt ad Rom. 3. quanquam ibi Græcè dicatur, ἱλαστήριον, hoc eſt, propitiatorium. Primò enim Chriſtus eſt ſumma propinquitas hominis à Deo elongati, & per peccata à Deo, abeũtis, tanquã filij iunioris à patre,

Quid peccatum item, ſiue peccare. — *Oſe* 4. *Rom* 8. *Eſai.* 54. — Duplex peccatum & propitiatio itẽ duplex. *Infra* 59. — *Iacob.* 4. — *Pſalm.* 12 — II. Significatus verbi propitiatio. III. — Dies propitiationis quiſnam erat. — *Luc.* 15.

Humanæ cum diuina natura mira colligatio & connexio.

in regionem longinquam, dum aptè in Incarnatione iungitur Deus homini, & homo Deo: vniti ambò tali, & tanta vnione, vt homo Deus ſit, & Deus homo: quia ſimul in vno ore comedunt, & bibunt, ſimul dormiunt, ſimul orant, ſimul regnant, & operantur miracula: quæ vnio maior eſt quam partis cum toto, & materiæ cum forma, & accidentis cum ſubiecto, & quam quælibet alia coniunctio, præter illam Verbi cum Patre, & cum Spiritu ſancto, quæ eſt in natura, non in perſona; iſta è contrario eſt in perſona, non in natura. Quia ergo Chriſtus homo eſt ſumma humilitate, & charitate præditus, eiuſdem nobiſcum eſt ſpeciei, & ex alia

Diuini verbi per Incarnationem in nos beneficia. *Eſai.* 7. *Matth.* 1. *Ioan.* 1. *Deut.* 4.

parte idem eſt Deus, & Deum ſibi propinquum reddens; atque ob eam cauſam dicitur Deus de prope, & non de longe: eſtque verè Emanuel, & Verbum caro factum; & idcircò verius, & multo accommodatius dicere poſſumus, quam olim populus Iudæorum; Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis deprecationibus noſtris: quia per Incarnationem Chriſtus frater noſter eſt; Deus, pater; & Spiritus ſanctus, conſolator, & aduocatus noſter: & in illa eſt propinquitas affinitatis, quia in hac dat nobis veram carnem, vt magis confidamus. Se-

Humanitatis cum Verbo vnio qualis, & per illam coniunctio nobiſcum. 2. *Cor.* 11.

cundo, vt magnes coniungitur ferro, & per illud alijs ferreis circulis, ita diuinitas coniungitur humanitati, & per illam alijs, quos fide, & amore ſuſpendit ne terram attingant, ſed ſint in Verbo. *Deſpondi vos vni viro*, ait Paulus, *virginem caſtam exhibere Chriſto*. Qui propterea aſſumpſit humanitatem ſine perſona, vt perſonalitate humana non differat à te, vel à me. Non differt etiam patre à nobis, quo caruit, ſed matre tantum, quia etiam mater noſtra per eum reddita eſt. Et ita nec matre, nec patre differimus, ſed vt membra capiti vnita, quæ regit, viuificat, & alit.

Vnde nobis recte viuendi neceſſitas inducitur. *Eſai.* 9.

Adhæc Chriſtus in vita omnes exaudiebat, & petita concedebat, etiam peccati remiſſionem. Hinc magna nobis indicta eſt neceſſitas bene, & caſte viuendi, quia veſtimentum miſtum ſanguine, ait Propheta, erit in combuſtionem, & cibus ignis. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: noſtraq; peccata plus offendunt Deum, vt peccata vxoris plus offendunt maritum, quam concubinæ, aut mulieris ſolutæ.

Chriſtum eſſe ſacrificium propitiatoriũ. *Hebr.* 5.

Deinde Chriſtus eſt ſacrificium propitians nos Patri æterno, cui ſe in Cruce obtulit ad patiendum, vt ſoluat quaſi fideiuſſor pro nobis, & vt in eo ſumat vindictam de peccatis noſtris: nam peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ: &, poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omnium noſtrum; Dauid quoq; *Quia apud Dominũ miſericordia* (nempe in Chriſti humanitate) *& copioſa apud eum redemptio*: Paulus item, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum*. Chriſtus etiam, vt nobis eſſet propitius, ſibi noluit propitiari, etiamſi Petrus ſuaderet ei, imò increparet illum dicens: *Propitius eris tibi Domine* (ſic habet Græca litera) *non erit tibi hoc*. Imo nec Pater, nec Spiritus ſanctus, nec ipſe ſibi pepercit, vt nobis parceret, nec nos illi pepercimus, quia in eum mortuum ſæuijmus lancea vulnerando. Vnde vt verus mediator pro pace conſtituenda, à nobis habuit vulnera, & à Patre flagellatus, atque derelictus eſt: quia omnes ad Patrem traxit: propter ſcelus, inquit, populi mei percuſſi eum. Sed ipſe quam primum mortuus eſt, apparuit ſanctis Patribus, & eos beatitudine donauit: omnibus autem alijs potentia, & merito cœpit propitiari fidelibus per gratiam ſibi vnitis. Tertiò, Chri-

1. *Pet.* 2. *Eſai.* 53. *Pſalm.* 129. 1. *Cor.* 5. *Matth.* 16. *Roman.* 8. *Ioan.* 19. *Pſalm.* 21. *Matth.* 27. *Eſai.* 53. *Ioan* 12. *Eſai.* 53. *Zachar.* 11.

Chriſtum eſſe verum propitiatorium. *Leuit.* 16. *Hebr.* 13.

ſtus eſt verum propitiatorium ſanguine aſperſum à Pontificibus Iudæis, & in die expiationis, ſiue propitiationis Chriſti, id eſt, Crucis Chriſti, quando ſuper hircum ſolitudinis, id eſt, Chriſtum extra portam paſſum, imprecati ſunt omnia peccata populi, & delicta, iuxta illud Caiphæ Pontificis, Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Perduxerunt quoque Ieſum in deſertum Caluariæ locum. Tabula tegens arcam, erat Chriſti humanitas, quæ erat plena illis tribus, nempe virga potentiæ in miraculis, Tabulis ſapientiæ, vt noſſet propitiari; & vrna plena cœleſti manna, Spiritus ſancti, & bonitatis, & miſericordiæ. Vel potius erant non humanitas, ſed Euchariſtiæ accidentia, quæ tegunt nobis Chriſtum, in quibus ſedet Chriſtus vt propitiator, & oblatus quotidie pro noſtris peccatis, in cuius virtute valent omnia Sacramenta. Cherubini etiam duo obumbrant alis ſuis Propitiatorium: quia Angeli deſcendunt, & adorant hoc Sacramentum. Et Angelos facit hic cibus, & vinum hoc germinat virgines, vt dixit Propheta Zacharias.

Ioan. 11. *Mar.* 15.

Tabula tegens arcam: virga item, tabulæ, & vrna quid myſticè.

Zach. 9.

Erat autem aſperſum hoc Propitiatorium proprio ſanguine: quia per Chriſtũ aditus fit omnibus, qui acceſſum habent

Roman. 5.

per fi-

Pſalm.24.

per fidem ad Patrem. Propter nomen tuum Domine (id eſt, Chriſtum vocatum propitiatorem, vel propitiationem, vel propitiatorium) propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.

Ioan.16.

Exaudientur ergo omnes orationes. *Si quid petieritis,* inquit, *Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hinc Eccleſia cunctis ferè orationibus ſuis addit: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*: per quem omnes gratiæ cõceduntur, ſed præcipuè gratia remiſſionis peccatorum, & quæ confertur per Sacramenta ex opere operato.

Donum Chriſti præcipuum in electis.

Temporales autem gratiæ, hoc eſt, de temporalibus bonis, per viam impetrationis obtinentur pro reatu autem ſacrificium valet per modũ abſolutionis, vel æquiualẽtis ſatisfactionis, tã pro viuis quam pro mortuis. Hinc Chryſoſtomus in Ioannem ſcribit: *Ideo in myſterijs inuicem ſalutamus, vt multi vnũ efficiamur, & cõmunes pro non initiatis preces effundamus, & pro nõ infirmis & terræ, & maris, & vniuerſi orbis fructibus ſacrificamus.* Hæc ille.

B.Chryſoſt. homil.77. in Ioan. in fi. tom.3.

Pro quibus non ſacrificet Eccleſia licet oret pro illis.

Poſſumus igitur orare in Miſſæ ſacrificio pro infidelibus, ſed non ſacrificium offerre pro illis. Quis enim offerat Corpus Chriſti, ait Auguſtin. pro his qui non ſunt membra Chriſti. Vel ſacrificamus pro augmento Eccleſiæ, in quo implicite continetur conuerſio infidelium. Et ſic ſecundam dubitationem diluimus.

B. Aug. ad Renatum lib.11. ca 9. tom.7.

Chriſtum ſolum perfectum eſſe propitiatorem, & nõ alium, pro peccatis noſtris.

Ad tertiam accedamus: *Ipſe,* inquit. Solus ſcilicet, non enim eſt alius redemptor mundi, cuius iuſtitia valeat pro toto mundo, licet ſint quidam, qui in virtute Chriſti doctrina ſua, vita, & morte alios poſſint iuuare, vt regnum Dei incipiens à fide, ſolius Chriſti ſanguine emptum ſit: applicatur tamen eis per alios empti regni poſſeſſio. Eſt, ait, de præſenti, hoc eſt, ab æternitate, & ante omne tempus, in tempore, & poſt tempus, ante tempus in mente Dei prouidente, & acceptante hanc propitiationem: in tempore paulatim augmentum ſumente, & creſcente per applicationem factam hominibus, vt fons eſt ſcaturiens. Minus in lege Naturæ, & in lege Moſaica: amplius verò, conſeruando effectus auctos, & fructus in gloria. Et, inquit, propitiatio, nempe factis, ſiue aduocatus verbis, id eſt, oratione.

Euangelicæ legis excellentia.

Chriſtus propitiatur tripliciter.

Triplici autẽ pacto propitiatur Chriſtus. Primò quidem Incarnatione, qua ſibi homines affines effecit: deinde paſſione, & morte, qua ablatum eſt peccatum, & diſtantia à Deo, & qui eramus longe, facti ſumus prope. Iam non eſtis, ait Apoſtolus Epheſijs, hoſpites, & aduenæ: ſed ciues ciuis ſanctorum, & domeſtici Dei. Tertio Euchariſtia, qua commenſales ei ſumus, vt propitiati loquamur cum illo, comedamus, & oſculemur eum. Et ita, vt ſicut ipſe ſine diminutione diuinitatis factus eſt homo, ita nos, ſine diminutione humanitatis fiamus dij.

Eſai.59. Epheſ.2.

Deut.4.

Non eſt enim natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut ipſe nobis adeſt. Idem B. Auguſt. Cibus, inquit, ſum grandium, creſce, & manducabis me: verum tamen non tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.

Vox Chriſti ad Aug. de ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.

Aug. lib. Confeſſ. lib.7. cap.10. tom.5.

¶ Et quia Chriſtus propitiatio eſt prima, & abſoluta, atque adeò per eſſentiam, alios propitiationem pro alijs facit, primò Sacerdotes, hinc illud: *Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, vel propitiatio,* id eſt, reconciliauit: orando enim Deum & ſacrificando, & docendo, & benedicendo. Sacerdotes propitiantur pro peccatis populi, & maximè in Sacramento pœnitentiæ, in quo Chriſtus amicus reconciliationis reddit alios reconciliatores, propitiantes, & abſoluentes Quod fecit, vt magis certos nos redderet ſuæ propitiationis, & conſolaretur nos.

Aliter propitiatio Chriſtus eſt, aliter ſacerdotes.

Eccl.44.

Mira plane, ſtupẽda, incomparabiliſque Chriſti benignitas Saluatoris noſtri.

Et quis vnquam Rex ita clemens, & propitiabilis extitit, aut tale inſtituit tribunal, vt omnes iniuſtitiæ ſibi factæ, ſi per alios miniſtros ſuos accipientes earum confeſſionem, remittantur, habeat ratum, & ex corde remittat? Deinde reliquit Martyres qui nobis etiam propitiarentur. Adimpleo, inquit Paulus, ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia: idem rurſus, Ego delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Vox quoque eiuſdem Apoſtoli eſt: *Ego libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris*: &, *Omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur*: Quia ſanguis Martyrum (ait Tertullianus) ſemen erat Chriſtianorum: & quia non debitores mortis moriebantur; ideò in his Chriſtus eſt propitiatio: quemadmodum lux Solis in ſtellis, & calor ignis in calidis omnibus.

Alterum genus propitiatorum apud Deum.

Coloſ.1.

2.Tim.4. 2.Cor.12. 2.Timot.2 Tertull. in Apologet.

Martyres cur & ipſi propitiatores ſint.

Paulus etiam dixit: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Et vt aliquid producam ex veteri Teſtamento; *Ego Dominus Deus ſanctus Iſrael, Saluator tuus* (Ecce Deus Saluator Chriſti, & ſubdit:) *Dedi propitiationem tuam AEgyptum, & AEthiopiam, & Saba pro te, ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus: Ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum ſum.* Hæc Dominus apud Eſaiam. Tertiò dedit nobis fideles, quibus præce-

1.Cor.9.

Eſai.43.

Tertium genus propitiatorum.

Matth. 5. *Iacob. vlt.* *Luc.* 23. *Actor.* 7. *Matth.* 6. *Roman.* 9.

præcepit vt parcerent mutuo, & vt pro ſe inuicem orarent: vt Chriſtus ipſe, & Stephanus ſuo exemplo docuerunt. Et ne pro ſe ſolis orarent, dixit orandum in genere. Dimitte nobis debita noſtra. Voluit item, vt qui ſanctiores eſſent reliquis, plus aliorum cura grauarētur. Vnde Paulus optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus, & dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? ex quibus apparet quanta ſit in Chriſto propitiatio, & quod nullum noſtrum peccatum deberet apparere; & quam coniuncti Deo eſſe deberemus. Et tamen nos quotidie irritamus Deum, & propitiationem præſtolamur, & ſpiritui gratiæ contumeliam facimus. Ac licet nomine, & propitiatione externa prope Chriſtum ſimus, vt Phariſæi, longè tamen corde ab eo abſumus, vt de nobis dici poſſit: *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longe eſt à me*: & accedentes ad terram promiſſam, corde tamen reuertimur in Ægyptum, quemadmodum Iſraelitæ faciebant, allia, cepe, pepones Ægypti ſuſpirantes. Cauſa autem elongationis à Deo alia non eſt, quam quod capitaliſſimos noſtros & Chriſti inimicos amamus, vt carnem, honorem, diuitias, voluptates mundi.

2. Cor. 11.

Humani cordis in Deum ingratitudo quanta.

Heb. 10.

Eſai. 29. *Matth.* 5.

Nume. 11.

Vnde ſimus longe à Deo.

Ponderemus iam noſtri Apoſtoli verba: *Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.* Quorum verborum triplicem lego interpretationem apud Patres. Prima eſt, vt noſtra, ac totius mundi propitiatio ſit apud prædeſtinatos: quod ſanè violentum mihi videtur. Nam prædeſtinati, ſiue electi, pauciſſimi ſunt, non totus mundus: & quia etiam pro non prędeſtinatis Chriſtus obtulit ſeipſum propitiationem; & quia fideles non ſunt à prædeſtinatis condiſtincti.

Triplex horum verborum Ioannis interpretatio: Nō pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.

Secundo Oecumenius interpretatur: Non pro noſtris autem tantum, id eſt, Iudæorum, ſed etiam pro totius mundi, id eſt, Gentilium. Sed & hic ſenſus deficere videtur. Nam verbo, noſtris, includebat Parthos Gentiles: quomodo ergo comparatio conſiſteret? & cui dubium erat, quod Dominus obtulerit ſe pro Gentilibus? Ideo enim in figuram, extra portam paſſus eſt, vt expendit Apoſtolus. Nomine etiam mundi veniunt Iudæi: nam ſcriptum eſt: In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum nō cognouit: quod paulo poſt declarans, ait Euangeliſta. In propria venit, & ſui eum non receperunt.

Secunda interpretatio, quæ eſt Oecumenij.

Heb. vlt.

Ioan. 1.

Tertius ſenſus eſt melior, & ſolidior, vt pro noſtris, intelligamus omnes, qui cum Chriſto vnum corpus ſunt, id eſt, qui ei hærent per fidem & Sacramentum: Nomine autem mundi eos omnes, qui nondum Chriſtum nouerunt, neq; cum illo vnum corpus facti ſunt, ſed adhuc permanent in Adam, & impietate ſua, nondum reſtaurati, & qui filij huius ſeculi vocantur. Ergo non pro noſtris tantum, qui actu credimus, & baptiſmum ſuſcepimus, & nomen ei dedimus: ſed etiam pro illis, qui nondum credunt, nec baptiſmum ſuſceperunt.

Tertia interpretatio huius loco congruentior, & aptior.

Luc. 20.

Ex quo collige Lector, hanc ſententiā eſſe eandem cum illa Pauli ſcribentis ad Timotheum; *Qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium* Saluator quidem omnium hominum eſt in potentia, & in cauſa, & in merito, præteritorum, præſentium, futurorum: actu vero tātum eſt ſalutem acceptantium: quam multis damnatis fortaſſe copioſiorem obtulit, vt Lucifero, & Iudæ Apoſtolo, & pleriſque alijs, qui guſtauerunt bonum Dei verbum, & reuerſi ſunt ad vomitum, quam multis alijs, qui ſalui facti ſunt: ſicut etiam multi literis, nobilitate, & diuitijs præſtantes damnati ſunt, & ſalui facti pauperes, & ignobiles, & illiterati. Quis enim negare valeat, Porphyrium, Iulianum, Arrium, ac Lutherum plura dona à Deo accepiſſe, quam alios, qui nunc in cœlo beata vita perfruuntur?

1. Timot. 4. *2. Pet.* 3.

Explicatur illud Apoſtoli: Qui eſt Saluator omnium hominum maximè fidelium.

Eſai. 14. *Hebr.* 6.

Guſtauerunt qui bonum Dei verbum ac deinde fuerint prolapſi ſecundum Apoſtolū.

Ex hoc etiam verbo: *Sed etiam pro totius mundi*, patet colligatio Chriſtianorum, & vnitas Chriſti, & dilatatio animi Chriſtiani, atque adeo Chriſti ſanguinis, ad quem reſpiciens Apoſtolus: *Volo* inquit, *omnes homines eſſe ſicut meipſum*; & Moſes, *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?* Propheta quoque Eſaias, *Dilata locum tentorij tui*: Paulus item: *Eandem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatamini & vos.* Chriſtus etiam Apoſtolis: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ideo non debemus ſuperbire, etſi priuilegia habemus, contra Iudæos, & Turcas pro nobis, & pro Moſe, & pro Chriſto zelantes, quia in iniuriam Dei cedit odio illos proſequi, quos ipſe ſuo ſanguine redemit. Et fortaſſe cras conuertentur; vel certè mala noſtra vita impedimus ne ad Chriſtum conuertantur. Et idem dicendum videtur de ijs, qui arctiorem vitam profitentur, & de laicis, ſuperioribus item, & ſubditis.

Expenditur id: Sed etiam pro totius mundi. Chriſtus ſcilicet eſt propitiatio.

1 Corint. 7 *Numer.* 11 *Eſai.* 54. *2 Corin.* 6 *Mar. vlt.*

Non zelandum pro Deo eſſe contra Iudæos, atque infideles.

His ita expreſſis, dubium occurrit, an Chriſtus etiam ſe obtulerit in pretium, & propitiationē pro omnibus hominibus.

An Chriſtus Deo ſe obtulerit in pre-

Verum

tium pro hominibus vniuerſis. *1. Tim. 2.*

Verum de hoc dubitãdum non eſt. Nam ad Timoth. Apoſtolus ait de Chriſto mediatore: *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Conſtat etiam, non minorem eſſe Chriſti gratiam & obedientiam ad ſaluandum, quam fuerit Adæ inobedientia ad perdendum, vti ad Rom. 5. philoſophatur Apoſtolus. Dicitur & ab eodem, Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Vocatur item mundi redemptor hoc loco.

Roman. 5. *1. Tim. 4.*

Sed obijcies primò, quia Chriſtus non ſe obtulit pro omnibus, non enim ſe obtulit in Cruce pro iam damnatis actu: deinde nec pro pueris exiſtentibus in limbo, quia vel liberati fuiſſent, vel fruſtra obtuliſſet, vel detrectaſſet illud: Tranſeat à me calix iſte, ſcilicet in damnatos, vt Hilarius interpretatur.

Matth. 26.

Quomodo obtulerit ſe Chriſtus pro cunctis hominibus etiam damnatis, damnandisve.

His tamen non obſtantibus dicẽdum eſt, quod ſi omnino præciſi à ſeipſis non fuiſſent, quia pretium ſufficiens pro illis erat, & ipſe pro ijs omnibus, quibus Adam nocuit, offerre paratus erat, & vi oblationis Chriſti in Cruce, pro eis factæ, oblata illis ſalutis remedia fuiſſent, rectè pro illis mortuus, & propitiatio ex ſe factus fuiſſet: ſed non actu, quia fruſtra fieret illa oblatio. Actu tamen obtulit pro omnibus damnandis, de quibus ſpes eſſe poterat futuræ aliquando conuerſionis eorum, quia contingenter & non neceſſario damnati ſunt, & virtute oblationis Chriſti actæ in Cruce, media ſalutis eis applicata fuiſſent. Quod exemplo B. Brigittæ illuſtratur. Nam ſi mulier poſt nouem menſes fœtus in vtero ſuo portati, & cum grauibus doloribus in lucem editi, illum mortuum parturiat, & ſic ille fœtus non experiatur dulcedinem lactis, nec delicias matris, quas in ſinu recipiendo, & oſculando captaret: hoc vitio matris tribuendum non eſt, ſed ipſius fœtus tantummodo: quinimo fœtus mortuus maiorem dolorem, & triſtitiam parenti adducit, quia eſt velut in portu naufragium. Ita infantes mortui ante Baptiſmum, & poſtea damnati, Chriſto, & eius gratia, & miſericordia abutentes, ſua culpa pereunt, & non Chriſti. Vt ergo mater tantum ponit operæ, & laboris in emittendo fœtu mortuo, atque in viuo, & ex ſe maiorem dolorem concipit, quod contigerit edi mortuum; ita parem ponit laborem, & diligentiam Deus ex ſe in procuranda ſalute damnãdorum, quam eorum, qui ſaluantur. Et ratio perditionis ex fœtu eſt, aut ex alio defectu parentum, non ex Deo. *Nam perditio tua* (ex te ſcilicet) *Iſrael; in me tantummodo auxilium tuum.* ait Dominus per Prophetam.

Exemplũ B. Brigittæ perelegãs.

Oſea. 13.

II. Obiectio negantium Chriſtum ſe obtuliſſe pro omnibus. *Ioan. 17.* *B. Auguſt. tracta. in hanc epiſtolam Ioan.*

Secundo obijcitur ille Textus Ioannis: *Ego,* inquit, *pro eis rogo, non pro mundo rogo:* cui contrarium eſſe videtur, quod Chriſtus ſit propitiatio totius mundi, vel deprecator, vt legit Auguſt. Sed reſpondet idem Auguſt. quod pro Chriſtianis oratur, vt à peccatis, ac dæmonis infeſtatione ſeruentur: pro alijs verò, vt expectentur ad reſipiſcentiam. Quod mihi quidem, vt verum fatear, non ſatis plenè videtur ſolutum. Dicendum ergo Chriſtum non rogare pro mundo, quia mundus vt talis eſt, indignus eſt, qui amicitiam cum Spiritu ſancto, & charitatem habere valeat, cuius mundus incredulus hac ratione non eſt capax: ſed bene tamen (licet non ſic preces fundat pro mũdo) eſt propitiatio, vt mũdus non ſit mundus, id eſt, immundus, ac vt homines liberati à mũdo, idem ſint cum Patre, habẽtes eundem Spiritum charitatis. Vnde id quod manet de mũdo, etiã in homine iuſto, non habet ſpiritum, quia corpus mortuum eſt propter peccatum: & in iuſtificãdo mundus non accipit ſpiritum: ſicut nec aqua, quæ eſt in ligno, ignem, ſed pars, id eſt, ſpiritus, quę eſt pars ſuperior, quæ non eſt ex potẽtia materiæ, ſed ex Patre; ita hominis iuſti pars ſuperior capit Spiritum ſanctum, & eo delectatur; at inferior pars non poteſt capere.

Quo ſenſu Chriſtus pro mundo non oret.

Roman. 8.

An Chriſtus per Incarnationem, paſſionẽ, & Euchariſtiam pro omnibus propitiator ſit apud Deũ.

Quia verò dictum eſt, quod Chriſtus propitiatio eſt, quatenus incarnatus, paſſus, & tertio vt eſt in Euchariſtia: dubitari poteſt, an omnibus his modis ſit omnium hominum propitiatio. Dicẽdum eſt: Chriſtus omnium quidem frater eſt ratione incarnationis, ideò naturam ſine perſona humana aſſumpſit, & omnium communem cauſam egit. Et vt teſtatur Leo Pont. abſolutè Verbum caro factum eſt. Secundo, Chriſtus homo patiens propitiatio omnium eſt ex ſe, quia extra Ieruſalem, vt communi loco paſſus eſt: ſicut etiam extra Bethlehem in ſtabulo natus eſt, & in monte Oliueti extra Ieruſalem conſtituto in cœlum aſcendit. At verò in Euchariſtia, quæ eſt ſacrificium noui Teſtamenti, non eſt omnium propitiatoriũ, ſed tantum Chriſtianorum fidelium. Vnde dicitur, Myſteriũ fidei, & rurſus: *Quorũ tibi fides cognita eſt, & nota deuotio.* Vnde pro Eccleſia oramus, & pro Põtifice, & pro omnibus Orthodoxæ, & Catholicæ Eccleſiæ cultoribus. Nec verbũ vllum eſt ibi de oratione pro infidelibus, aut exiſtentibus extra Eccleſiã. Pro mortuis etiã offertur, ſed non pro omnibus, niſi ijs tantum, qui

Leo. 1. *Ioan. 1.* *Hebr. 13.* *Luca 2.* *Actor. 1.*

Verba Eccleſiæ in canone Miſſæ.

nos

nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Auguſt. etiam lib. 2. ad Renatum; ſcripſit: *Quis enim offerat corpus Chriſti pro ijs qui non ſunt membra Chriſti?* ſic ille ferè. Adde Concil. Bracaren. I. *Placuit*, inquit, *vt Catechumenis, ſine redemptione baptiſmi defunctis, ſimili modo nō oblationis ſanctæ commemoratio, neque pſallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam vſurpatum eſt.* Hæc ibi. Et vſque ad Euangelium, & oblationem poterant intereſſe Catechumeni Miſſæ ſacrificio, poſtea vero expellebantur. Item Paulus ait: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt*, hoc eſt Iudæi nondum Chriſto incorporati per fidem, & Sacramentum; nec Pagani, quia non poſſunt eſſe ſimul menſæ Chriſti, & menſæ dæmoniorum participes. Et ideò non ita propriè inſtituitur Miſſa pro infidelibus, aut Paganis, aut Iudæis, poſſumus tamen pro illorum conuerſione orare in Miſſa, & extra Miſſam: ita enim ſuperius dixit Chryſoſtomus: *Preces fundimus in ſacrificio Miſſæ pro nondum initiatis.* Non ait, ſacrificamus. Tertullian. quoque in Apologe. aduerſus Gentes, prope finem, cap. 30. *De pectore oramus*, inquit *precantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis, & Cæſaris vota ſunt.* Et cap. 39. *Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris eorum, & poteſtatibus ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Nullibi verò dicit, ſacrificamus. Et Paulus cum ait: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, &c. pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt*, nunquam meminit ſacrificij. Idem Tertullian. libr. Ad Scapulam præſidem Africæ: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro, & ipſius: ſed quomodo præcepit Deus, pura prece.* Nota verbum, *Pura prece.*

Aug. cap. 11. tom. 7. Concil. Bracaren. 1. — Mos Eccleſiæ circa Catechumenos. — *Heb. 13.* — *1. Cor. 10.* — Pro quibus orandum ſit, non tamē ſacrificandum. — *Chryſoſt. hom. 77. in Ioan. tom. 3.* — *Tert. par. 2.* — *1. Tim. 2.* — *Tert. eod. to.*

Indirectè autem dici poteſt, quod Euchariſtia offertur pro Paganis, quatenus oratur pro Eccleſia amplianda, ac propaganda, quæ non omnino augetur numero niſi per infideles, qui ſepoſita infidelitate ingrediantur in Chriſtum, qui per eum gratia, & meritis ditentur. Etſi autem pro his non offeratur in Eccleſia Dei Euchariſtia, tamen quia hoſtia eſt ſufficiens, & efficax per ſe, & ex voluntate, qua Chriſtus eam obtulit, & Pater eam acceptauit pro omnibus hominibus, qui ſibi incorporati eſſent, quos non repugnat omnes eſſe in merito, & potentia, etiam dicitur quòd eſt Chriſtus propitiatorium paratum Iudæis, Turcis infidelibus, & Mahumetanis, vt omnes per baptiſmum ingrediantur, ingreſſi habeant propitiationem Euchariſtiæ.

Qua ratione Eccleſia pro infidelibus etiam ſacrificet, ſitque pro illis propitiatorium Chriſtus.

Non poteſt igitur ſacrificium Miſſæ offerri pro infidelibus, quatenus propitiatorium eſt, quia tantum fidelibus ſibi incorporatis propitiatur: neque quatenus Sacramentum eſt, quia ponit remiſſionem culpæ peccati, qua carent infideles. Benè tamen poſſet inſtitui locus aliquis ſacer, aut capellania, in qua perpetuo pro infidelibus preces ad Deum fundantur: quia oratio valet per viam impetrationis.

Oratorium pro infidelibus cur valeat inſtitui.

Et vt expendamus verba propoſita: *Non pro noſtris autem tantum, &c.* ſciēdum, Apoſtolum his verbis in primis deprimere ſupercilium Iudæorum, & Phariſæorum, putantium pro ſe ſolis aduenisse Meſſiam, & non pro Gentibus. Confundit etiam hæreticos, & hypocritas, quibus perſuaſum eſt, Dei gratiam penes ſe tantum habitare, nec vident Chriſtum Solem iuſtitiæ vniuerſalem, in quo non eſt maſculus & fœmina, Gentilis, & Iudæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha ſeruus, & liber; ſed omnia, & in omnibus Chriſtus, teſte Apoſtolo. Et vt Rex Meſſias ingreſſus eſt mundum cum præcedentibus, ſequentibus, & concomitantibus, ipſe tamen ſolus expenſas fecit hoſpiti pro omnibus, etſi quidam antecederent, quidam ſequerentur, quidam comitarentur: expenſas tamen miſericordiæ, & gratiæ omnibus exhibuit, qui omnium Dominus erat, & ſalutare paratum ante faciem omnium populorum, & in lumen, & gloriam populi Dei.

Iudeorum hæreticorumque ac ſimilium arrogantia per Apoſtolum depreſſa. — *Coloſ. 3.* — Chriſti regis magnificentia. — *Matth. 21.* — *Luc. 2.*

Et bene, ſi pro noſtris poteſt, poterit & pro totius mundi peccatis ſatisfacere. Nam etſi eiuſmodi locutionis, qua ſoliti ſumus dicere: Non tantum pro his, ſed etiam pro illis, ſoleat ſecundum membrum continere exceſſum, vel magnitudinem numeri: ſicut homines multo plures erant, qui Chriſtum non cognoſcebant, & maiora erant peccata eorum, qui in impietate, & infidelitate remanebant, quam eorum, qui Chriſtum per fidem agnitum amplectuntur: tamen hic aliquam rationem inuenire poſſumus, quod maiora ſint peccata fidelium, quam infidelium. Nam vnum & idem genus peccati ſi perpetretur à Iudæo, vel Gentili, minus Deum offendit quam à fideli, qui

Chriſtum poſſe etiam pro peccatis totius mundi ſatisfacere. — Quemadmodum fidelium peccata maiora & grauiora ſint.

qui iam filius Dei,& amicus eſt:quemadmodum mulieris coniugatæ adulterium multo peius eſt,quam mulieris ſolutæ vel ancillæ fornicatio:vt autem agnoſcamus nos Chriſto ſponſo coniunctos; propterea dixit Apoſtolus: *Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto.*

2. Cor. 11.

Mundi variæ acceptiones in ſacris literis.

Verum vt hæc clauſula clariorem accipiat intelligentiam, explicandæ ſunt variæ acceptiones huius vocis, Mundus: deinde quomodo non ſimus de hoc mundo, & in quo ſenſu præcipuè dicitur: Sed etiã pro totius mundi. Quemadmodum autem vox analoga prius ſignificat vnum principale,& ad eius rationem analogam alia;ita mundus. Mundus ergò in primis capitur pro vniuerſitate creaturarum ordinata ob pulchritudinem cuiuſuis rei in ſe, & reſpectu totius. Ita Moſes dixit: *Vidit Deus lucem quod eſſet bona.* Et quia non tantum lux per ſe bona erat,ſed etiam reſpectu totius; propterea ſubiungit Moyſes: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat,& erant valde bona.* Et ſumpta videtur hæc metaphora à mundo muliebri: quia vt ille ornat mulieres, continetque anulos, inaures, ſpeculum, armillas, veſtes,& ſimilia; ita hic mundus continet cœlum ornatum ſtellis,terram plantis, & animalibus, aquam piſcibus, aerem volucribus. Vnde Græce Mundus ab ornatu iſto dicitur Κόσμος: ſed præcipuè cœlum incolis Angelis ornatur, ſicut terra ab hominibus præſertim eam inhabitantibus, ornamentum ſumit. Solus Deus extra mundum eſt ob excellentiam ſuam. Et ſicut Rex ſupra Regum eſt, quia illo non includitur, ita nec Deus mundo, etſi artifex finitus poſſit condere domum vel palatium, vel ſepulchrum quo includatur, non tamen Deus, qui infinitus eſt,& immenſus. Vt rectè Salomon dixerit: *Si cœlum, & cœli cœlorum non te capiunt: quanto magis domus iſta quam ædificaui?* Imò etiam incarnatus, & in vtero Virginis clauſus, non claudebatur eius immenſitas,de quo Ioannes: *Vnigenitus,* inquit, *qui eſt in ſinu Patris,ipſe enarrauit:* & Chriſtus ipſe de ſe: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis,qui eſt in cœlo.* Idcirco incarnatio nihil aliud fecit,quam quod Deum, qui extra mundum erat, mundi partem effecit. Imò qui rectè philoſophantur,non limitant Deum in ſuis actionibus: vt cum dicunt; Hoc vel illud poteſt fieri,vel non poteſt. Secus de mundi Domino, cuius eſt omnimoda poteſtas vt poſſit quodcunq; velit. Item, ſicut mundus muliebris non facit ad eſſentiam mulieris, id eſt, corpus, vel animum eius,ſed ornat tantum, & amabilem facit: ita iſta creata omnia Deum non faciunt,ſed ſunt veluti quædam ornamẽta eius,ſiue munditiæ, quibus ſe pulchrum, & amabilem oſtendit. Nam ſi effectus pulcher eſt, & amabilis,pulchrior,& amabilior ipſa cauſa erit. Vnde Poeta quidam ex noſtris eleganter dixit:

I. Significatus.

Gene. 1.

Ibidem.

Præcipua ornamenta cœlorum Angeli ſancti ſunt.

Proprium Dei ſolius mundo nequaquã comprehendi.

2. Paral. 6.

Ioan. 1.

Infra 3.

Digna Philoſophis de Deo loquendi ratio.

Qualis mundus iſte à Deo conditus videri poſſit.

Boetius.

Pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans.

Atque vt mundus muliebris in ſe non ſubſiſtit, ſed in muliere, quam decorat,& ornat: ita omnia quaſi accidẽtia quædam in ſe nõ ſunt, ſed nobiliſſimo modo ſubſiſtunt in Deo. Vnde ait ad Hebr. Paulus: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ:* & ad Coloſſ. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis, & in terra:* Propheta quoque Regius: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate; Auertente autem te faciem, turbabuntur; auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* De hoc mundo ait Salomon: *Mundum tradidit diſputationi eorum,* an videlicet vnus ſit, an plures, an æternus, an temporalis: item de numero cœlorum, de eſſentia, de motibus, de ſtellis,& influxibus illarum: multa quoque de elementis, Igne, Aere, Aqua, Terra, &c. de mineralibus, de plantis, de animalibus Philoſophis diſputanda relinquit in quibus multum temporis inſumpſerunt illi, & plurima bella bellarunt.

Hebr. 1.

Coloſſ. 1.

Pſalm. 103.

Eccleſ. 3.

Quid illud Salomonis: Mundum Deus tradidit diſputationi ſapientium.

Deinde mundus accipitur pro contentis in ipſo mundo. Ita enim Paulus Actor. 17. dixit: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt: hic cœli, & terræ cum ſit Dominus,* & quæ ſequuntur. Quatuor tamen in genere ſunt, quæ hoc ſibi nomen peculiariter vſurpant, nimirum ipſa terra, deinde diuitiæ, & facultates quas poſſidemus, tertiò homo in genere, ſiue bonus ſit, ſiue malus: poſtremò ipſe homo corruptus in Adam, & per vitioſas actiones, & prauas concupiſcentias contaminatus, peculiariter mundus dicitur. Atque iſtæ quatuor ſignificationes coniunctæ cum ſuperiori oſtendunt homonymiam quintuplicem huius vocis Mundus.

II. Significatus mũdi, quatuor rebus maxime competens.

Actor. 13.

Mundus ergo terram ſignificat, quia hæc ornata eſt mineralibus, ſaxis, plantis animalibus, fontibus, fluminibus, ſyluis, volucribus, atque hominibus,& quia in terra præcipua parte mũdi habitat homo ex terra cõditus. Et ita Chriſtus Matth. 13. declarauit, agrum eſſe mũdum, hanc terram ſcilicet habitabilẽ, in qua boni bonum ſemen ſunt,& mali, zizania. De hoc

Gene. 2.

Infra 3.

Matth. 13.

Ioan. vlt. mundo dixit Ioannes: *Nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros:* quod per hyperbolem dictum eſt: vt ſenſus ſit: Locus ipſe mundi, vel terræ nõ *1. Tim. 6.* caperet libros. Paulus item, *Nihil*, inquit, *intulimus in hunc mundum*, hoc eſt, in terram cum naſcimur. Ita dicitur homo ve- *Ioan. 1.* *Hebr. 9.* nire in hunc mundum: eodem Apoſtolo teſte, Chriſtus ingrediens mundum, dicit: *Hoſtiã, & oblationem noluiſti*: & apud Ioan- *Ioan. 17.* nem Patrem alloquens de Apoſtolis: *Non rogo*, inquit, *vt tollas eos de mundo, ſed vt ſer-* *Sup. 13.* *ues eos à malo*: & Ioannes: *Sciens Ieſus, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem.* Dixit quoque Apoſtolis Domi- *Mar. vlt.* nus, *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate* *Rom. 10.* *Euangelium omni creaturæ*: quod expreſſit *Pſalm. 18.* Apoſtolus ex propheta, dicendo: *in omnem terram exiuit ſonus eorum*, & reliqua.

III Significatus mundi.

Tertiò accipitur mundus in ſignificatione alia, quæ non longe eſt ab iſta prædicta, præſertim à Doctoribus, pro bonis fortunæ, id eſt, pro diuitijs, honore, poteſtate, ſapientia, quam vis rationalis cognoſcit, & appetit, & ab eis tentatur per modum obiecti, ſicut à carne per titillationem, & à dæmone per diſcurſum: atque ita dicitur tentatio mundi. De præcedente, & iſto ſignificatu mundi Ioan- *1. Ioan. 2.* nes dixit: *Nolite diligere mundum, neque ea* *Matth. 4.* *quæ in mundo ſunt.* Ita illud accipe: *Oſtendit* *Infra 16.* *illi omnia regna mundi*; &, *Quid prodeſt ho-* *1. Cor. 7.* *mini, ſi vniuerſum mundum lucretur*: &, *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*, *Iacob. 2.* Ita etiam accipiendum eſt quod ait Frater Domini: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo*, id eſt, in bonis temporalibus, quæ mundus producit: & è contrario: *1. Ioan. 3.* *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi*, id eſt, opes, & diuitias, quas mundani amant.

IV. Significatus.

Quartò mundus ſignificat hominem in genere: quia homo eſt præcipua pars mundi inferioris, & elegantior ſuapte natura, & ad illum omnia creata ordinãtur, vt ad proximum ſuum finem: quo bono & ſaluo, omnia bona ſunt ſalua. Eſt etiam Dominus à Deo omnium conſtitutus, *Gene. 1.* *Dominamini*, inquit, *piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* In hunc ſenſum dice- *Ioan. 12.* bant Iudæi: *Mundus totus poſt eum abijt.* & B. *Luca 2.* Lucas: *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, id eſt, homines *Marc. 16.* totius orbis; & Chriſtus Dominus, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: quia homo *Ioan. 3.* omnis creatura dici poteſt: idem quoque, *Nõ enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*: & paulò ante hæc verba: *Sic Deus di-* *Ibidem 16.* *lexit mundum*, id eſt, homines exiſtentes in mundo, quia ſequitur: *Vt omnis qui credit* *Infra 8. & 9.* *in ipſum, non pereat.* Idem ait: *Ego ſum lux mundi*, id eſt, Sol iuſtitiæ ad hominem microcoſmum, rurſus, *Panis quem ego dabo ca-* *Supra 6.* *ro mea eſt pro mundi vita*, intellige pro hominis vita reparanda, & alẽda; item, Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſi- *2. Cor. 5.* bi: & declarans ſubdit, *Non reputans illis delicta ipſorum*: homines enim ſunt qui delinquunt, & remiſſionem delictorum cõſequuntur, non mundus iſte corporeus, & ſenſibilis, rationis expers, qui minimè cũ Deo bellũ gerit, ſed ſolus homo. Eodem ſignificatu dictum eſt: *Vt cognoſcat mũdus,* *Ioan. 17.* *quia tu me miſiſti*; &, *Vt cognoſcat mundus* *Sap 14.* *quia diligo Patrem*: quæ cognitio ad ſolum hominem inferiorem ſpectat. Ita accipit & mundum Petrus, cum ait: *Et originali* *2. Pet. 2.* *mundo non pepercit*, id eſt, hominibus, quã- *Gen. 7.* quam poſtea ſubiungat, Diluuium mundo impiorum inducens.

V. Significatus mundi.

Quintò, & vltimo mũdus accipitur in malam partem, præſertim in nouo teſtamento, id eſt, pro veteri homine, qui filius huius ſeculi dicitur, appellaturque, deorſum, de terra, de mundo hoc, animalis homo, & caro, & homo vetus, & quatenus filius iræ, ex Adam, non capiens, nec ſapiens, nec amans diuina. Et talis homo meritò dicitur Mundus per Antiphraſim, ſicut lucus, eo quod minimè luceat. Bellum, quod minimè ſit bellum. Piſcina etiam, quod piſcibus careat. Æthiopem riſus gratia, vocamus cãdidum, ſiue album. Qui nimirum homo cognoſcit, & amat mundum in prima ſignificatione, & ſecunda, conſtituitque ſe hic mundi ciuem, & futuro renuntiat. Tertiò quia præſentem mundum vehementer diligit, eſtque propterea totus in eum transformatus, in tertia ſcilicet ſignificatione accipiendo mundum: nam ambit diuitias, honores, magiſtratus, & ſimillia. Et de hoc Paulus affirmauit: *Mundus non cognouit per* *1. Cor. 1.* *ſapientiam Deum*: Et Ioannes Euangeliſta, *Ioan. 1.* *Mundus eum non cognouit*, ſcilicet eſſe lucem: Chriſtus item, *Non poteſt mundus o-* *Infra 7.* *diſſe vos*, ſimiles ſcilicet, me autem odit, & Apoſtolos, quia annuntiamus mala eius opera. Idem Apoſtolis dixit: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, dili-* *Infra 15.* *geret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus.* Hic idem mundus dicitur totus eſſe *1. Ioan. 5.* poſitus in maligno, id eſt, dæmone regente eum, qui dicitur Princeps mun- *Ioan. 12.* *Infra 14.* di huius, & rector tenebrarum *Epheſ.*

harum,

harum, etiã reuera tyrannus ſit, quia per vim occupauit eum, & tyrannice regit. Dicitur etiam ſecundum ſeculum mundi huius, vel, ſecundum Principem poteſtatis aeris huius, de quo Ioannes infra dicit: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Paulus etiam, *Mihi*, inquit, *mũdus crucifixus eſt, & ego mundo*, veteri ſcilicet, cui non obediat, & pareat; & Dominus, *Non pro mundo rogo*, id eſt, pro veteri homine, complectente peccatum huius mundi: *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum: Cuius amicitia, inimicitia eſt Dei. Huius ſeculi triſtitia mortem operatur: Sicut triſtitia quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, & quia, *Præterit figura huius mundi*, Id eſt (vt Chriſtus dixit) Eius opera mala ſunt, eius exempla, ſcandala. Et ſicut Chriſtum mundus hic non cognoſcit, ita nec Spiritum eius poteſt accipere, nec illos, qui Chriſti ſunt Spiritu pleni, quos etiam muſto plenos appellare non dubitat. Et quia malus eſt hic mundus damnatur. Ideò Paulus præmonet, ne ſequamur mundum, ne cum illo damnemur. Ait etiam, *Sancti de hoc mundo iudicabunt.* Et mundus hic gaudet dolentibus nobis, de quo Dominus, *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* De eodem ait Paulus; *Fide Noe, & c. aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ per quam* (ſcilicet fidem) *damnauit mundum*, id eſt, impios, & incredulos.

Hic vero duo ſunt aduertenda: alterũ eſt, aliud eſſe homines in hoc mundo, aliud, eſſe de hoc mundo. Chriſtus enim Patri dicebat: *Et hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.* Et infra: *Ego dedi eis ſermonem meũ: & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo*, Chriſtus ergo in mundo erat, ſed non de mundo. Sicut aliud eſt eſſe in vrbe Roma, aliud vero eſſe de vrbe Roma, hoc eſt, Romanum. Ita nos; & Paulus, *In carne* inquit, *ambulantes, non ſecundum carnem militamus:* Sic de homine ſancto dicere ſolemus: Hic non eſt de hoc mundo, volentes ſignificare eum abhorrere à moribus aliorum, qui mundum ſectantur.

Alterum eſt, quod ſicut hæ voces, Homo, & Caro, in bonam, & malam partem capiuntur, ita etiam hæc vox, Mundus. Significat enim Caro hominem per ſynecdochem, vt in his locis: *Verbum caro factum eſt:* &, *Videbit omnis caro ſalutare Dei; Non fieret ſalua omnis caro.* Ponitur etiam in malam partem, vt ibi: *Omnis quippe caro corrumperat viam ſuam: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: Manifeſta ſunt opera carnis*, id eſt, hominis carnalis. Idem dicendum eſt de hominis, & mundi vocibus.

Sed iam explicemus textum propoſitum; qua ratione Chriſtus ſit propitiatio pro peccatis totius mundi. Mundus enim accipitur non in prima ſignificatione, nec in ſecunda pro diuitijs, nec in tertia pro bonis fortunæ, ſed in quarta, pro omni homine, bono, vel malo: ſicut dicitur Saluator mundi, lux mundi, reconcilians mundum, &, Sic Deus dilexit mundum, & ſimilia. Nec enim minus debet mundus reſpondere ſaluti per Chriſtum oblatæ, quam reſpondet peccato Adæ, quod intrauit in mundum, vt non minus ſit Chriſtus inſtaurator mundi, quam ille corruptor, & euerſor. Eſt autem Chriſtus propitiatio pro peccatis noſtris, faciendo nos eſſe quidem in mundo, ſed non de mundo hoc, ſed aduenas, & peregrinos, & in cœlo ciues, & domeſticos Dei. Non enim habemus hic manentem ciuitatem; ſed futuram inquirimus. Qui eripuit nos de præſenti ſeculo nequam, & de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij dilectionis ſuæ. Idcirco cum primum ingredimur Chriſtum, renuntiamus Satanæ, hoc eſt, Principi mundi huius, & pompis in omnibus operibus eius. Et ideò ſupereſt, vt obediamus Chriſto patri futuri ſeculi, quod ſanè futurum ſeculum hic incipit per gratiam, & fidem, quæ diuidit inter filios regni, & filios perditionis ad tollendas reliquias AEgypti. Cauendum tamen eſt à mundo ſe ſub Angelo lucis occultante, & ne, quem ore ſpuimus, atque reſpuimus dæmonem, in corde latentem habeamus. Nam olim mundus videns ſe ab omnibus derelinqui, fingitur doctrinæ gratia religionem ingreſſus, vt liberius poſſet ſeducere, quia ſimulata ſanctitas, duplex iniquitas. Et hęc ſint ſatis.

Matth. 24. Gen. 6. Ibidem. Gala. 5.

Quo ſenſu Chriſtus dicitur propitiatio pro peccatis totius mundi.

Rom. 5.

1. Pet. 2. Hebr. 5.

Gal. 1.

Coloſſ. 1. Renati in Chriſto vti Satanę renuntiẽt. Eſai. 9.

Mundi fallacia.

Simulata ſanctitas, duplex iniquitas.

DISPVTATIO XIII.

Circa Ioannis verba: *Et in hoc ſcimus, quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.*

EXPLICANDVM in primis, quò tendat his verbis Apoſtolus. Secundò explicanda ſunt ad literam iuxta men-

tem Apoſtoli. Tertiò dubium eſt, qui ſint illi, qui dicunt ſe noſſe Deum. Quartò, quæ ſunt illa mandata, quæ vult cuſtodiri, & quomodo veritas in eo non eſt, qui illa non obſeruat, cum multi impij, & ſcelerati multas veritates Dei nouerint.

Scopus Apoſtoli.

Quantum attinet ad primum, tradit modum reconciliationis cum Deo poſt omiſſam primam iuſtitiam: docet etiam modum ſe in iuſtitia, & reconciliatione conſeruandi. Et ita redit ad priorem exhortationem de puritate vitæ primo capite inchoatam, & explicat amplius quid ſit ambulare in luce. Vel ſecundò dicendum, quod non ſatis eſt tenere intellectu, & memoria Chriſti laudes, eum videlicet eſſe aduocatum, propitiationem pro peccatis noſtris, ac totius mundi: ideoque ſubiungit modum vtilem, & ſalutarem hæc cognoſcendi, ne decipiamur apprehendendo, & loquendo: quia hæc parua ſunt, & ſimilia de prophetis falſis, qui dicunt: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus*? Hæretici quoque noſtri temporis vbique iactant Ieſum, gratiam, Euangelium, aduocatum, propitiationẽ, oſtium, viam, ſalutem, qui tamen non agnoſcunt Chriſtum legislatorem, nec promiſſionem vllam ſub conditione ſeruandæ legis: denique omnis hæreſis ſuo modo laudat Chriſtum, & zelat pro Chriſto. Sed vt laus eius eſt in Eccleſia ſanctorum; ita zelus verus eſt in Eccleſia ſua, & nihil ſunt illa omnia, niſi adſit obſeruantia mãdatorum, quæ eſt lapis Lydius diſcernens veros laudatores à falſis. Et hæc dicta ſint de ſcopo.

Ieſu præconia atq; virtutes agnoſcenti quid præterea neceſſarium ſit. *Matth. 7.*

Pſal. 149. Vnde veri & falſi Chriſti ſaluatoris diſtinctio.

Neceſſitas perſeuerantiæ in adepta remiſſione peccatorum. *Ouidius.*

Sequitur: *Et in hoc ſcimus*. Non enim ſatis eſt recõciliari Deo, & propitiationem inuenire, niſi reconciliationem iam partam teneas. Non enim minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri. Alias ergo eſſet aquam in cribro ponere: nec ſat eſt habere dona homini viuenti per cognitionem, niſi ſciat quid habeat, & à quo habeat, vt lætetur, & gratus exiſtat, iuxta illud Salomonis: *Hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum*, continentiæ ſcilicet; & Paulus, *Nos*, inquit, *Non ſpiritum huius mũdi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*. Et præpoſitio, In, inſtrumẽtum ſignificat, vt ibi, *In baculo meo trãſiui Iordanem iſtum*. Ergo *in hoc*, inquit, id eſt, Per hoc ſolum res vnica ſingulariter amanda, & notanda.

Sap. 8. *1. Cor. 2.* *Geneſ. 32.*

Scientia duplex eſt in Sacris literis.

Verbum autem ſciendi capitur pro certa, & firma notitia, quia opinio coniectura, vel præſumptio nõ firmat, vel conſtabilit intellectum, nec facit ſcire, quia cum formidine eſt. Et hæc duplex eſt certa notitia ex euidentia principiorum, & concluſionis. Vnde Ariſtoteles, ſcire, ait eſſe rem per cauſam cognoſcere; & Cicero ad Atticum: *Cæſar*, inquit, *quid facturus ſit, magis opinari, quam ſcire poſſumus*. Et de hac in Scripturis loquitur Dominus cum dicit; *Scio quod* (Abraham) *præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe*, &c. & Dauid, *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt*; & Ioannes de Chriſto, *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine*; &, *Ego ſcio quos elegerim*; & rurſus, *Quod ſcimus, loquimur* denique vbicunque dicitur Deus ſcire, aut Chriſtus de certa ſcientia accipiendum eſt. ¶ Aliquando tamen pro certa fide accipitur, maximè quando de nobis eſt ſermo, vt his in locis: *Nos ſcimus quoniam trãſlati ſumus de morte ad vitam: Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Scimus quoniã cum apparuerit, ſimiles ei erimus: An non cognoſcitis voſmetipſos quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? Scio quia redemptor meus viuit: Scio quia reſurget in nouiſſimo die. Scio cui credidi, &c.* id eſt, certa noui ex fide: in ſcientia ſua (hoc eſt, In fide ſua) iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruos meos multos & Zaccharias ita accipit, cum dixit; *Ad dandam ſcientiam ſalutis*, id eſt, fidem certam.

Tull. *Geneſ. 18.* *Pſal. 39.* *Ioan. 2.* *Infra 13.* *Supra 3.* *1. Ioan. 3.* *Rom. 8.* *1. Cor. vlt.* *Iob. 19.* *Ioan. 11.* *Eſa. 53.* *Luc. 1.*

Quidam tamen volunt, ſignificare cognitionem ex coniecturis, & ſignis: quod etſi in Scripturis non legerim, ſcire dici cognitionem incertam, aut dubiam, tamen non eſt negandum aliquando capi pro ſcientia morali, & experimentali: & hoc, quia naturaliter ſcire non poſſumus ſi dona ſint infuſa, nedum ſi ſint in nobis, quod cognitu eſt difficillimum, ob ſimilitudinem habituum acquiſitorum, & infuſorum, quod eſt diſcernere inter veras gemmas, & falſas, quod perpaucorum eſt: multa etiam falſa veris probabiliora ſunt: ob ſimilitudinem item Angeli veri, & Satanæ transfigurati in Angelum lucis: ob ſpeciem quoque amoris proprij palliati, & veræ charitatis multi ſeducuntur. Quanquam hoc in habente donum diſcretionis ſpirituum, & in ijs qui acceperunt Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciant quæ à Deo donata ſunt ſibi. & in habentibus fidem, quæ ſecundum Auguſti. habet oculos ſuos, ſecus ſe res habeat; nam tales diſcernere poſſunt.

Tertia acceptio ſcientiæ a quibuſdã tradita, nec reſpuenda. Vnde à nobis diuinorum habituum & naturalium diſcrimen, non facile cognoſcatur.

2. Cor. 11. *1. Cor. 12.* *Supra. 2.*

Sequitur: *Et in hoc ſcimus quoniam cognouimus eum*. Duplex eſt notitia, alia quidem nuda, & ſicca, ſine obſeruantia mandatorum Dei, qualis fuit in Balaam, & in Prophetis, qui dicent in die iudicij, Domine,

Duplex notitia diuina. *Matth.*

Domine

Rom. 1. Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, &c. & in Philoſophis, qui cum Ioan. 15. Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, & in Iudæis illis, qui viSupra 12. derunt, & oderunt & Chriſtum, & Patrē Supra 2. eius; in ijs etiam, qui teſte Ioanne, in Chriſtum crediderunt, videntes ſigna quæ faciebat, ſed non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur; in ijs rurſus, qui crediderunt in nomine ipſius, Ieſus autem non credebat ſemetipſum eis; in illis deMatth. 21. nique, qui dicebant, *Hic eſt hæres, venite ocTit. 1. cidamus eum, & habebimus hereditatem eius*; & vt ait Paulus in illis, *Qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*, quique teſte 1. Ioan. 3. Ioanne, diligunt verbo, atque lingua, nō 1. Cor. 13. opere, & veritate. De hac ſcientia ait Paulus; *Etſi habuero omnem prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*: & iterum; *Scientia inflat, charitas verò ædificat*. Hæc ſcientia ineſt dæmoni, vt occidat; ſimilisque eſt Vriæ literas mortis 2. Reg 11. deferenti.

Secunda notitia diuina. Altera eſt notitia vniens per amorem, cognoſcentem cum recognita, de qua EEſai. 11. ſaias: *Non nocebunt*, inquit, *& non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terIere. 31. ra ſcientia Domini: Omnes cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum: ſcire vias Pſal. 36. meas volunt quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit: Ioan. 10. Nouit Dominus dies immaculatorum: Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ*. & per Ioan. 8. contrarium dicit, *Neſcio vos*, per notitiam ſcilicet amore vnctam; idem ait, *Sed ſcio eum* (Patrem ſuum intelligit cœleſtem) *& mandata* (id eſt, quia mandata) *eius ſeruo*. Hæc ergo Dei, & Chriſti cognitio iuſtifiEſa. 53. cat hominem, ſicut dicit Eſaias in perſoEius notitiæ effectus, & virtutes. na Dei patris loquens de Meſſia: *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos*. Liberat à peccatis, quæ ducunt nos in caSupra 5. ptiuitatem dæmonis: *Propterea*, inquit, *captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam*, quam ſcilicet ornat charitas. Priuat etiam honore paſtoris carentes hac Oſe. 4. ſcientia. Hinc illud; *Quia tu ſcientiam repulisti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*. Ioan. vlt. Nam de ea charitate ter Petrum Chriſtus examinauit. Conſcientiam quoque quie Sap. 1. tam reddit, quia maleuolam animam non introibit ſapientia: Humiliat item hęc ſcientia: nam qui addit ſcientiam, addit & laborem, & probat, ac vult Dominus ſciEccl. 1. entiam Dei pluſquam holocauſta. Dat & Oſe 6. veram gloriationem hæc ſcientia, de qua Iere. 9. apud Ieremiam Dominus, In hoc glorietur, inquit, qui gloriatur, ſcire, & noſſe me. Dicitur ſcientia ſalutis, quod homi- Luc. 1. nem ſaluet; ſcientia Dei, quod coram Sap. 10. Deo ſcientem faciat. Vocatur & ſcientia ſanctorum à Sapiente, & Paulus illam Philip. 3. præfert omnibus, cum ait: *Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminētem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei*.

Sequitur: *Si mandata eius obſeruamus*, Mandata Dei quæ nobis obſeruanda, ad noſtris eius notitiam comprobandam. Nimirum dilectionis Dei, & proximi, ad quam omnia alia mandata reducuntur, & in laudem ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis; & in bonum noſtrum vtile, delectabile, atque honeſtum, præcepit nobis hæc mandata obſeruare: nam & aduocatus aliquid præcipit clienti, vt poſſit vincere cauſam: & mediator, & propitiator aliquid etiam exigit, vt obtineat illi remiſſionem. *Si mandata*, inquit, *eius obſeruamus*; Id eſt, Intellectu reueremur, memoria retinemus; voluntate cæteris omnibus præferimus, & operibus nos illa cuſtodire ſignificamus.

Quartò dubio reſpondemus in illud, Quis dicat mentiendo ſe noſſe Deum, cuius tamen mandata non ſeruat. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt*, cuius ſcilicet hæc ſint verba. Dicit autem quis vel verbo, vel profeſſione, & habitu ſuo: vt B. Franciſci habitum geſtans, dicit ſe Franciſcanum. Nota ergò eſſe quoddam dicere ſine re, vt illius qui dixit patri roganti, vt iret in vineā, & reſpondit, *Ibo in vineam*, qui tamen Matth. 21. non iuit: aliud eſſe ire, & non dicere, vt fuit fratris eius. Et vtroque modo dicere debemus nos Chriſtum cognoſcere. *Noſſe Deum*. Hic noſſe, idem eſt quod, diligere, vt ſæpè accipitur in ſacris literis: vt cum Noſſe Deum quid. dicitur, *Nouit Dominus qui ſunt eius: cognoſco* 2. Timot. 2. *oues meas*, & per oppoſitum, *Neſcio vos*, id Ioan. 10. eſt, Non amo, nec approbo vos: *Etſi dixero* Matth. 25. *quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax*. Luc. 13. *Sed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo*, Ita vt il- Ioan. 8. la ſcientia non ſit ſine charitate, & obſeruantia mandatorum Dei.

Et mandata eius non cuſtodit. Hoc eſt: Cū Qualia ſint Dei mandata. ſint iuſta, rationi conſentanea, vtilia, facilia, & non grauia, vt infra dicetur. Et tanti cum ſint Dei mandata, illa tamen non ſeruamus; cum propenſi ſimus alioqui ad ſeruanda aliorum præcepta, & cum tantam mercedem ſeruantibus proponat, & tanto terrore agat in negligentes: & quia Deus bonorum noſtrorum non indiget, Pſal. 15. non præciperet niſi in bonū noſtrum, & cognoſcat te habere bonum Dominum, Pſal. 93. & te illi obligatum ſeruire, vt captet occaDei mandata quomodo cuſtodienda ſint. ſiones te remunerandi; & propterea (ait Dauid) finge laborem in præcepto. Qui ergo mandata eius non cuſtodit, vt theſaurum ſuum. qui vſu ſeruandus eſt, tan-

Matth. 25. quam enſis, nec in terram fodiendus, ceu talentum, vnde rubiginem contrahat, neque vt ſpeculum ſine vſu, quia non benè reddit faciem, maculatum: hic verax eſt. Cuſtodire etiam debet velut caſtrum obſeſſum, quo cuſtodito ipſe cuſtos cuſtoditur. Ita etiam alicubi dixit Dominus Deus; *Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te*, quia nimirum Deus conſeruantes ſua mandata ſeruat. Et dicitur non cuſtodire quis aliquod præceptum, qui non ſeruat omnia; quia quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, quod attinet ad fructum. Atque ita de Herode ait Marcus, quod audito Ioanne Baptiſta, multa faciebat, non dixit, omnia. Vel etiam: Non ſeruat Dei mandata, qui non facit illa in gratia ad mentem præcipientis Dei, id eſt, ad gloriam Dei actu, vel virtute; quia etſi peccatum non admittatur nouum ob transgreſſionem, ipſe tamen Deo gratus non eſt, nec opera eius. Vel rurſus: Non ſeruat ille, qui mādata ſeruat quando non perſeuerat in obſeruantia: qui enim perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit: Perſeuerat autem cum Chriſto, qui fidelis fuerit vſque ad mortem, à quo & accipiet coronam vitæ.

Eccl. 15.

Vnius præuaricator diuini præcepti, vt fit omnium præceptorum reus. *Iacob. 2.* *Marc. 6.*

Matth. 24.

Apoc. 2.

Subdit: *Mendax eſt.* Verbum eſt iniurium, & ab Spiritu ſancto intortum in nos, eſtque epithetum dæmonis, & humanitus hæc iniuria non ſolet expiari, niſi prouocatione illius, qui alium vocauit mendacem, ad ſingulare certamen. Sed profectò quis poteſt in Deum veraciſſimum dicentem, Omnis homo mendax, vllo modo inſurgere? Ideò potius ſubde te ipſum, & mendacem profitere, & viciſti. Eſt autem mendax omnis Chriſtianus non ſeruans Dei mandata. Primò quia promiſit in baptiſmo ſeruare mandata. Secundò, repromiſit Deo in ſacerdote abſoluente in confeſſione. Tertiò, quia profitetur nomine, habitu, religione, perceptione Sacramentorum, & auditu verbi Dei. Quarto, etiam mendax eſt contra mentem agens, quam tamen magno beneficio relinquit Deus, vt radicem corporis abſciſſam, ne omninò vt Sodoma confundamur non relicto ſemine. Eſtque eſſe mendacem, dæmone, & nihilo participare: ſicut verax participat Chriſto.

Vnde conſtet hominem ſeruantem Dei mandata eſſe mendacē.

Pſal. 115. *Rom 3.*

Quid ſit propriè mendacium, ſeu mentiri.

Pſal. 2.

Obijciebatur, multos non cuſtodientes præcepta, noſſe Dominum; cuiuſmodi fuere illi ſapientes teſte Paulo, qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificarunt, atque illi qui dicturi ſunt Chriſto iudici, Domine Domine nonne in nomine tuo prophetauimus? & quæ ſequuntur. Reſpondemus tamen, quod ſi, noſſe ſignificat diligere, mendax eſt qui ait Deum ſe diligere, & mandata eius non cuſtodit: quia in præceptis neglectis contemnitur ipſe præcipiens, & iniuria afficitur ipſe legislator, ac ſimilis redditur fœminæ, quæ latenter ſubijcit ſe adulterio, ore tamen teſtatur ſe virum ſuum diligere, eiusque honorem ſibi eſſe charum. ¶ Si autem noſſe, ſignificat cognitionem approbantem, & amori coniunctam; adhuc mendax eſt, quia nonniſi ſcientiam nudam, & fidem quoq; mortuam, quam & dæmones habent, hic talis habere dignoſcitur: per quam excuſabilis redditur, quia ſeruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, vapulabit multis. Et Chriſtianus ſimilis eſt mulieri proſtituenti corpus ſuum, quæ tamen habet maritum. Infidelis verò ſimilis eſt mulieri innuptæ, & liberæ, quæ tamen volentibus ſui copiam cōcedit; & hic eſt vel Iudæus, vel paganus. Similis etiam redditur exiſtenti in captiuitate apud Turcas, ad quem pater mittit magnam ſummam pecuniæ, & fratrem primogenitum, equos, ſeruos, & alia neceſſaria ad reditum, qui tamen ſponte nolit deſerere vitam illam captiuitatis infamē, etiamſi agnoſcat patris benignitatem, & fratris amorem, labores, & expenſas, ſed omnibus liberè renuntiat. Non eſſet etiam diſſimilis illi, qui multas faces ante ſe habens, ne in nocte tenebroſa incedat, malit tamen illis neglectis ambulare in tenebris. Venit etiam lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, queritur Dominus apud Ioannem. Rectè Apoſtolus; *Si quis*, inquit, *ſe exiſtimat ſcire, nondum cognouit quomodo oporteat eum ſcire*, id eſt, quo ordine, & quo ſtudio, & quo fine debeat ſcire. Nō enim benè nouit ſummam Maieſtatem, qui non honorat, nec reueretur illam: nec immenſam ſapientiam, qui illi obedientiam ſubtrahit: nec ſummam iuſtitiam, quam non timet, nec contremiſcit: nec ſummam illam benignitatem, & charitatem, quam amore non proſequitur.

Rom. 1. *Matth 7.*

Alter modus cognoſcendi Deum cum mendacio tamen & falſitate. *Iacob 2.* *Luc. 12.* Qualis Chriſtianus Chriſti mandata non ſeruans, qualis verò infidelis, & ethnicus.

Ioan. 3.

1 Cor. 8.

Quemadmodum quis non benè Deum nouerit.

Addit ad maiorem emphaſim: *Et in hoc veritas non eſt.* Senſus eſt: In intimo cordis ſui non eſt Chriſtus veritas, quia non amatur ab eo. Vel: Veritas Scripturæ creatæ non eſt in eo, id eſt, Non operatur, quod perinde eſt, ac ſi quis ab altero inuaſus, & vulneratus, habens tamen gladium, nec eo vtens dicitur in eo non fuiſſe enſis. Et *Non eſt*, inquit, quaſi diceret; poteſt tamen eſſe, ſi reſipiſcat: ideo non

Expenditur hæc emphaſis Apoſtoli: Et veritas in eo non eſt.

deſpe

Gene. 3. deſperandum. Et nil boni habet non habens veritatem: tamen ſummè dolemus, cum caremus vanitate, & mendacio, in quo poſuerunt ſpem ſuam Adam, & Eua non curantes, vel pro nihilo commutantes veritatem Dei, iuxta illud; *Commutauerunt veritatem Dei in mendacium.* Rom. 1.

Qui habeat charitatem ſeu dilectionem Dei ſecundum Apoſtolum.

Sequitur: *Qui autem ſeruat verbum Dei, in hoc charitas Dei perfecta eſt.* Præcedentem ſententiam per ſuum oppoſitum Ioannes more ſuo exprimit. Porrò infideles doctores ſunt Hæretici, qui mandatorum Dei nunquam vel minimam mentionem faciunt; cum frequenter tamen Chriſtus diuina præcepta inculcaret; & nihil frequentius habeat in ore Ioannes, quā præcepta, & mandata, præſertim dilectionis. *Qui ergo ſeruat*, inquit, *verbum Dei* (id eſt, Chriſtum Deum, & hominem) in corde, intellectu, manibus, & in ore habendo: in quo Chriſto mandatum vnicum amoris habemus: quia qui hunc proximum diligit, legem impleuit. Et ita vnum præceptū eſt lex Dei iuſta, peccatori autem multa. Vnde ſubdit c. 5. Apoſtolus: *Mandata eius grauia non ſunt*, quo propterea, qui hanc diſtinctionem bonorum à malis in Euangelio aperiret, ſcienter retulit Dominum dixiſſe, *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Diligenti enim, tota lex eſt vnum præceptum. In plurali autem de non obſeruante ſubdit: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat.* Eſt autem ſeruandum verbum Dei non ſecus atq; medicina operās, & mouens ad expellēdos vomitu humores, quia natura infirma nauſeat. ¶ Deinde obſeruādum vt fœtus ab aborſu, quando eſt bonum propoſitum, ſinimus nos vinci à carne, mundo, & dæmone. Tertiò ſeruandum vt theſaurus à latronibus dæmonibus, qui deuorare quærunt. Deniq; cuſtodiri debet, vt puer Ieſus ab Herode, id eſt, dæmone volente Chriſtum conceptum per fidem, & editum per bona opera interficere: ſed deludendus eſt ille nequam, & fugiendum in Ægyptum, vt tuti eſſe poſſimus.

Rom. 13. — Ioan. 14. — Ibidem 14. — Modus ſeruandi verbum Dei. — Matt. 2.

Argumentum perfectæ charitatis obſeruatio mandatorum Dei. Infra. 7.

Subiungit: *Vere in hoc charitas perfecta eſt.* Verè, inquit, non fucate, vt in hypocrita: quia non poteſt arbor bona malos fructus facere. Hinc operatio mandati ſignum certum eſt charitatis inexiſtentis, & iuſtitię. In hoc, ait, charitas perfecta eſt. Senſus, excellens, & ſingularis eſſe oſtenditur charitas Dei, ſiue qua ſe amat, ſi de increata charitate accipiamus, vel qua à nobis amatur in ſe, & proximo, ſi de creata intelligimus. Eſt ergo Deus amor eſſentialis, de quo ait ipſe Ioannes: Deus charitas eſt. Si autem intelligamus charitatem perſonalem; dicemus eſſe Spiritum ſanctum, cui tribuitur amor, ſeu charitas. Deus igitur primaria, & eſſentialis charitas in ſe perfecta eſt, quia quantum eſt amabilis, tantum amatur. Hæc autem infinita charitas eſſentialis, ſiue perſonalis, in ſeruante mandata, media alia charitate, id eſt, dono Dei inter creata omnia pretioſiſſimo, amore ſcilicet infuſo, quo Deus, & proximus nobis ſunt chari, & nos ipſi nobis propter DEVM diligibiles. More enim Principum ad nos venit, & præmittit ornamenta domus, quam eſt inhabitaturus, id eſt, habitus diuinos, & infuſos. *Qui diligit me*, ait Chriſtus, *diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Et infra: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionē apud eum faciemus.* Debemusq; dare operam, ne tales, ac tantas perſonas ad nos aduentantes, & ornamenta pretioſa, quibus domum noſtram exornant, pro vili lenticula (id eſt, pro bonis temporalibus, & momentaneis) tanquam Eſau primogenituram noſtram vendamus.

Deus eſt charitas, amor ſeu dupliciter 1. Ioan. 4. — Ioann. 14. — Geneſ. 25. Heb. 12.

Atque hæc infuſa charitas perfecta eſt in quouis ſeruante mandata: quia tanta eſt, quanta ſaluti comparandæ ſufficit, & quantum homo capit. Increata autem charitas perfecta eſt ex parte Dei infundentis eam, quia Dei perfecta ſunt opera; & ex parte noſtra, ſi bene diſponimur ad eam accipiendam, & eius inſtinctus, & motus ſequimur. Nam etſi conſilia ſeruata addant aliquid ſupra mandata, & ex cōſequenti maiorē & perfectiorem charitatem nobis commendatam, quæ eſt, vt animam ſuam ponat quis pro amico ſuo Chriſto, qui prior pro te, & pro proximis ſuam poſuit, diligentius cuſtodiendam. Quare ſeriò incumbendum, vt hanc charitatem ſeruemus: quia vt ſolitus erat dicere vir Apoſtolicus beatus Franciſcus: Tantam ſcientiam quiſq; ſibi comparat, quantum operatur. Qui enim parum bonis operibus incumbit, parum nouit: qui multum, magnam ſcientiā habet: qui vero nihil, nullā habet. Et ratio eſt in promptu: quia hæc eſt ſcientia quædam practica, neq; in ſpeculatione nuda conſiſtens: quemadmodū inter pictores, & ſculptores ille habetur præſtantior, qui excellentiorem imaginem pingit, aut elegantiorē ſtatuam: & inter architectos ille cæteris fabris eminet, qui ſolidiorē, & pulchriorem domum fabricatur: ita in hoc diuino præcepto charitatis, & dilectionis obſeruan-

Deut. 32. — Ioan. 15. — Supra 10. — Sancti patris Franciſci egregia ſententia de charitate

ſeruando, ille cæteris pręcellit, qui Chriſti imaginem elegantiorem formare nouit.

Ad charitatẽ quæ nobis eſſe poſſint incitaméto.

Permouent autem ad hæc præcepta Dei obſeruanda, in primis Deus Pater præcipiens, promiſſis magnis nos alliciẽs: Chriſtus Dei filius, & aduocatus noſter nos redimens, vt hoc poſſimus præſtare: Spiritus ſanctus ſua præſentia nos conſolans, vt hoc velimus: præcepta ipſa rationi conſona, & præmium amplum propoſitum: Angeli etiam, & boni omnes: omnis item creatura, ratione etiam deſtituta, quæ vel ſimplici verbo DEI obedit, & præceptum à Deo poſitum præterire non ſolet. *Pſal.* 148.

DISPVTATIO XIII.

In illa verba: *In hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Strenuus eques Chriſtianus & fortis tria habere debet.

SICVT Ad liberi equi curſum opus eſt in primis calcaribus, & freno, & virga percutiente, aut ictum minitante pone etiam alium equum præcurrentem, qui æmulatione maxime ducitur, vt experientia oſtendit, & Poeta qui dixit: *Virgil.* 3. *Georg.*

Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet.

Et aliter:

Et pugilem victorem, & equum certamine primum:

Ita excelſo, & generoſo animo natus homo ad currendam viam mandatorum, indiget negatiuis pręceptis, tanquã fræno coercente, & affirmatiuis mandatis, tanquam calcaribus vrgentibus, & virga timoris Dei deſuper terrentis, ac minitantis: denique indiget aliquo viuo, & animato exemplo, vt illo veluti excitatus, & quaſi duce, & anteſignano præeunte incedat, aſpiciendo in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum: atque de hoc ipſo ſcribit Ioannes: *Qui dicit ſe in Chriſto manere; debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* *Pſal.* 118. *Heb.* 12.

Quatuor dubitationes diluuntur.

Circa igitur hæc prima verba dubitatur in primis, an recte cohæreant cum ſuperioribus. Deinde quid eſt illud quod promittit dicta ſententia: In hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus. Tertiò, quis eſt ille, qui dicit ſe in Chriſto manere. Quartò, quid ſignificet: Debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare; nec enim ille imitabilis eſt à nobis in eo quod natus eſt ex Virgine, vel quod ambulauit in redemptione generis humani, illam operãs; nec in eo, quod miracula operabatur, aut dæmones de corporibus obſeſſis expellebat: Quomodo ergo ambulare quis poterit ſicut ille ambulauit?

Quo tendat Apoſtolus; & propoſita cum ſuperioribus vt recte cohæreant.

Circa primum aduerte, ſuperius Apoſtolum dixiſſe: Qui autem ſeruat verbum Dei, vere in hoc charitas DEI perfecta eſt, & propterea ſubiungit: In hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus, id eſt, Per hoc præcedens verbum, ſcilicet quod habemus charitatem. Vel quia hoc occultum eſt, melius eſt dicere, & magis ad literam: In hoc, quod ſeruamus mandata. Vel quod idem eſt, quod ſeruamus verbum Dei, quod rarum eſt, & notandum, & magna conſolatio eſſe ſolet cõtra omnia aduerſa, & ſtimulus ad omnia bona opera, ſcire ſcilicet quod in Deo ſumus. Non autem ſcimus per euidentiam, qua res per cauſas ſuas, & principia cognoſcitur. Nam etſi ſcire, certam ſcientiam, & notitiam ſignificet, vnde excluditur opinio, quæ eſt aſſenſus cum formidine: excluditur etiam euidentia, quæ non ſolum neſcit eſſe in nobis infuſa dona, verum etiam ipſa dona ignorat eſſe in rerum natura. Tertiò his verbis reijcitur fides Catholica, hoc eſt, de obiecto Catholico, quale non eſt, me habere gratiam. Quartò etiam remouetur fides acquiſita, quia iſta non ita firmat vt infuſa, nec ita attingit iſta ſupernaturalia vt infuſa; ſic etiam nõ diſtinguerentur conſolationes fidelium ab illis infideliũ, & hypocritarum ab illis bonorum. Quintò ergò reſtat ſcientia moralis, ſeu experimentalis, qua perſuademur nos Dei gratia inungi. Nam gratia, & fides infuſa, & omnia, quę ſpectant ad regenerationem, ignota ſunt lumini naturæ, quod poteſt dicere cum diſcipulis illis Epheſinis: *Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiui*: ſcientiæ tamen morali, ſeu experimentali nota ſuo modo ſunt. Vnde Apoſtolus: *Spiritus*, inquit, *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei*; & alibi, *Vosmetipſos tentate ſi eſtis in fide: ipſi vos probate. An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi forte reprobi eſtis.* Ipſe quoque Dominus apud Ioannem; *in hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Si ergo alij poſſunt Chriſti diſcipulos cognoſcere, ergò multo magis ipſimet ſe ipſos. Hinc Ioannes paulò ante hæc verba dixit: *In hoc ſcimus quoniam cognouimus eum*; & Apoſtolus Paulus; *Nos non ſpiritum huius mundi accepimus; ſed Spiritum* *Act.* 19. *Rom.* 8. 2. *Cor.* vlt. *Ioan.* 13.

Excluduntur quatuor modi ſciẽdi, diuina videlicet præcepta ſeruantes eſſe in Deo.

qui ex

qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Interrogat etiam Chriſtus Petrum, *Diligis me plus his?* poterat ergo illud noſſe. Neque ſcire, ſe habere gratiam prædicta ratione, ſuperbum hominem, aut arrogantem facit: alioqui Deus nunquam id reuelaſſet cuiquã: & opinio poſſet idem præſtare: experientia item teſte, iſti qui hanc gratiam conſecuti ſunt, humiliores fuerunt, & modeſtius de ſe ſenſerunt. Neque hæc notitia tollit timorem, niſi ſcrupuloſum. Timor autem ſanctus magis augetur, quia quo de theſauro, quem in vaſis fictilibus geſtamus, certiores efficimur, eo magis cum metu, & tremore ſalutem noſtram operamur, ne excidamus à gratia. Nec eſt periculum negligentiæ, vel tepiditatis, ſed magis cauſa eſt vigilantiæ, ac diligentiæ. Nam qui nouit ſe habere gratiam Principis, magis illam ſtudet conſeruare. Hinc Auguſtinus in illud Ioannis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum*, ita ſcribit: *Habebant occulte, accepturi fuerant manifeſte: quia & hoc ad maius donum ſancti Spiritus pertinebat, vt eis innoteſceret quod habebant. De quo munere loquens Apoſtolus, ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*. Quartò etiam non eſt periculũ Phariſaiſmi, imò ſecuris potius ad eius radicem ponitur, quæ eſt ſui confidentia, quam tollit cognitio, quod in gratia Dei ſumus. Vnde Paulus ſe primum peccatorum vocat.

1. Corin. 2. Ioan. 21. Scientiã, qua quis nouit ſe gratiam Dei habere, nõ eſſe illi fomẽtum ſuperbiæ, & arrogantiæ. Secunda ratio. 2. Cor. 4. Philip. 2. Tertia. a Aug. tract. 74. in 9. Quarta. 1. Tim. 1.

In hoc ergo ſcimus, inquit, *quoniam in ipſo ſumus*. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus. Eſſe igitur in Deo tanquam in creante, & conſeruante nos in eſſe naturæ, notum eſt: ſicut etiam exploratum eſt, creaturam ſe non condidiſſe, ac per hoc ſe non ſeruare, ſed ex prima cauſa eſſe ſuũ habere, & ſuam conſeruationem: ſuntque in Deo creaturæ, velut accidentia in ſubiecto, cui innituntur. Aliud autem eſt eſſe in Deo, apud Ioannem: eſt enim eſſe in Redemptore, ſiue in Beatificatore, in eſſe, inquam, diuino per charitatem, quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: Chriſtus etiam dixit: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*; & rurſus, *Manete in me, & ego in vobis*, non ſecus atque cognitum in cognoſcente, & amatum in amante, vt Philoſophi loquuntur: ſumuſque in eo tanquam ſtellæ in cœlo à terra eleuati, ſicut aurũ in igne, ob purgationẽ intimã peccatorũ, quia Deus noſter, ignis conſumens eſt: & ſicut piſcis in aqua, extra quam breui vitam amittit.

Quo modo certũ ſit nobis in Deo nos eſſe. Act. 17. Quid eſſe proprie in Deo, ſecundum Apoſtolũ hoc loco. 1. Ioan. 4. Ioann. 14. Infra 15. Deut. 4. Heb. 12.

Subdit: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*. Abſoluimus duo priora, iam tertium explicandũ. Porrò ille dicit ſe manere in Chriſto, qui verbo, aut profeſſione Chriſto adhæret. Declarat autẽ quid ſit in Deo eſſe, nempe in Chriſto ambulare: & ita explicat potentiam practicam. Aitque ſe, non ſua verba, vt Balaam, vel opera, vt Saul Dauidi non nocens. Qui ergò dicit, in ipſo manere, vt in fundamento, vt credat, vt in radice vitis fructificet; aut vt in capite, vt ab eo regatur, aut in centro, aut in nido, vt in eo quieſcat: ac vt in ſpeculo terſo, qui imaginem perfecte repræſentat, & diuinum eſſe conſeruat. *Debet*, inquit, *ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*. Non vult nos diſcere ſine magiſtro. Et infinita eſt hæc obligatio. Nam vt triremes in mandatis habent, vt id faciant, quod videant exemplo fieri à primaria trireme: ita nos præceptum habemus pręſtandi id quod Chriſtus docuit. Hinc ille: *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, & rurſus, *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: ſi ſaluti ſuæ volunt eſſe conſultum: ita nobis faciendum eſt, quod Chriſtus ſuo nos exemplo perdocuit. Non enim contentus fuit ille docere, aut præcipere, aut conferre gratiam ad præſtandam legem, ſed inſuper voluit ſeipſum in viuum, & animatum exemplum tradere. *Chriſtus*, ait Petrus, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*. Solẽt enim plus permouere exempla, quam verba. Hinc Seneca: *Longum iter per præcepta, efficax, & breue per exempla*; & Poeta Venuſinus:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Non autem tradit purum aliquem hominem, vt Socratem, Platonem, Pythagoram, aut Photionem, aut Ariſtidem, aut Scipionem Africanum, aut Catonem, aut Thraſeam, aut ſimiles, qui ſuis ſeculis pro perfectis, & bonis viris celebrati ſunt: quia cum homines eſſent, in multis deficiebant: Deus verò etſi perfectiſſimus ſit, & ſine vllo defectu; dignuſque proinde eſſet imitatione: viſus tamen noſter caligans, & manus noſtra torpens erat, vt ſequi tantum artificem poſſet. *Quid eſt*, inquam, *homo*, ait Salomon, *vt ſequi poſſit Regem factorem ſuum?* & ſanctus Iob, *Forſitan veſtigia pedum eius comprehendes, & vſque ad perfectum, Omnipotentem reperies?* Cum ergo homo eſſet in multis defi-

Quis dicat ſe in Chriſto manere. Ioan. 15. Matt. 11. Ioan. 13. 1. Pet. 2. Exemplorum vis. Sene. lib. 1. epiſtol. Horat. Iaco. 1. Deus nobis imitabilis per Chriſtum effectus eſt. Eccle. 2. Iob. 11.

ciens exemplar, Deus verò purus longiſſime à noſtra imbecillitate diſtaret: remedium à Diuina Sapientia excogitatum ex amore fuit, vt vnus idem eſſet Deus, & homo, qui perfectus eſſet, & proportionem aliquam ad nos haberet, & ita à nobis imitabilis redderetur.

Chriſtus aquilæ ſimilis. *Deut.* 3.

Vt enim aquila quæ per altiſſima loca volare ſolet, propter pullos tamen ſuos tuendos deſcendit, ſe ad eos demittens, & volans ſuper eos, vt prouocet eos, ac doceat volare, & cum omnibus pennis interdum volet, amore tamen plus volitat: ita de Chriſto Deo & homine dicendum, docente non tantum verbis, ſed & factis, imò priùs cœpit facere, quam docere, potenſque opere, & ſermone fuit; qui vſq; ad viliſſima, & extrema ſe demiſit officia, vt fuit lauare pedes Diſcipulorum.

Act. 1. *Luc.* 24. *Ioan.* 13.

Cur debeat Chriſtianus, ſicut Chriſtus ambulauit, & ipſe ambulare. Hominis ingenium.

Pondera deinde verbum *Debet*. Homo enim maximè pronus eſt ad imitationem in omni ſcientia, & arte, eſtque velut ſimia imitatrix eorum, quæ aut videt, aut audit. Vnde etiam animalia, quæ plus ad hominem accedunt, eò magis imitantur: quemadmodùm elephantes, pſittaci, pygmæi, ac ſimiæ. Rectè etiam ait, Debet: quia qui ingreſſus eſt Orcheſtram, ſaltare debet pro ratione ſoni, ſiue pulſationis inſtrumenti muſici: ita qui ingreſſi ſunt in Chriſtum, ad ſonum Euangelii mouere ſe debent, vt motus Chriſti choragi exprimere queant, vt bona, & conſona ſit ſaltatio. Adde, quòd filii eſt ſequi parentem ſuum, ſerui dominum, diſcipuli magiſtrum, militis ducem, nouitij perfectum artificem.

Idē Chriſtianus quomodo debeat, ſicut Chriſtus ambulare. *Marc.* 10.

Cùm verò ait, *Debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*: non intelligas æqualiter, aut paribus paſſibus, quia Dominus præcedebat ſuos diſcipulos, & non poterant ad illum peruenire, vt gigas currens, quē conſequi non poſſunt. Poteſt tamen quiſque pro ſuo captu ſequi illum, non tantum in Chriſtianis actionibus, & virtutum officiis, imò etiam in ſummo charitatis opere moriendi pro veritate Fidei, vt teneri pueri, & puellæ fecerunt. Et relatiuum, Ille, Chriſtum denotat, qui ſingularis fuit, & antequàm veniret in mundum, & poſtquam etiam receſſit, ab omnibus fide conſpectus eſt, vt poſſent illum imitari. Hinc Moſes dicitur tuliſſe improperium Chriſti: & à bonis in bonum, & à malis in malum notatus fuit. Dicebāt enim quidam, Quia bonus eſt; alij, Non, ſed ſeducit turbas. In Chriſto etiam Sancti imitandi ſunt, & quatenus illi Chriſtum imitantur, ſequendi, ſicut Paulus ait: *Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti*, ſcilicet ſum: & non ſecus faciendum, quam canes, qui inſequuntur prædam, quam non vident: debent enim conſequi alios præcedentes canes, qui vident.

Heb. 11. *Ioan.* 7. 1. *Cor.* 11.

Quemadmodum Chriſtus ambulauit. *Luc.* 13.

Sequitur verbum, *Ambulauit*, vel, vt Græcus codex habet, *Deambulauit*. Et meritò quidem: quia ſeriò, & cum delectatione ambulabat, & nec vel paſſum vllum amiſit. Vnde dixit: Oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare. Vel poteſt accipi metaphoricè pro vita rationali, & conſeruatione, & operibus eius. Obiicies fortaſſis, impoſſibile eſſe Chriſtum imitari, vt in opere redemptionis humanæ. Reſpondeo; ſi imitari non potes in redemptione, tamen in applicatione redemptionis potes, & moriendo pro Chriſti gloria, iuxta illud; *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.*

Chriſtus cum redemptor ſit, imitatores vt habere tamen poſſit. *Exod.* 25. *Infra* 26.

Chriſtus ſine imitabilis virtute ſignorum & poteſtate. *Ioan.* 14.

Deinde obiicies, Chriſtum non eſſe in miraculis imitandum. Reſpondebo, Dominum dixiſſe, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* Poſſumus enim mundare animum à lepra ſpiritus: poſſumus enim reſtituere viſum cordis amiſſum, & vitam illis, qui ſpiritu mortui ſunt; item calcare poſſumus mare vitæ huius, & ſiccis pedibus affectuum noſtrorum contendere.

Chriſti opera cum à Deo prodirent infinito, ea quis imitatione valeat comprehendere. *Matt.* 4. *Heb.* 9. *Ezech.* 36.

Tertiò oppones mihi, opera Chriſti fuiſſe Dei infiniti, ad quæ imitanda attingere non poſſumus. Verum vt Chriſtus in deſertum in Spiritu ductus fuit, & per Spiritum ſanctum conceptus, & per illum ipſum ſe patri obtulit in cruce, ita vt per illum poſſimus opera noſtra præſtare. *Spiritum meum*, inquit, *ponam in medio veſtri; & faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Aliud etiam eſt præire, quod proprium Chriſti eſt, aliud ſequi, quod noſtrum eſt. Vel propè, vt boni faciunt, vel è longinquo, vt qui tardiores ſunt greſſus.

Quo gemino pede Chriſtus ambulauerit. *Luc.* 2.

Ambulauit autem Chriſtus duobus pedibus, intellectu, & voluntate, ſanis, & æque velocibus. Ambulauit vt peregrinus extra patriam: partu editus in via, & extra domum, mortuus in aere, ſepultus in alieno ſepulchro. Ambulabat de die in diem, id eſt, clara veritatis notitia, ac ita non offendebat. Ambulabat via charitatis, ſicut ille faciebat, qui dicebat: Eſtote imitatores DEI ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus

Ephe. 5.

Matt. 21. *Zach. 9.*

dilexit nos. Ambulauit viam occultam, & paruam humilitatis; viam planã manſuetudinis: Ecce Rex tuus, inquit, venit tibi manſuetus: viam etiam clarã veritatis; vnde dixit: Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus teſtamur. Viam deniq; perfectã, & conſummatam; quia ipſe dixit: Conſummatum eſt, &, Opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.

Ioan. 3. *Infra 19.*

Chriſti charitas in nos. *1. Ioan. 1.*

Addit: *Et ipſe ambulare.* Ipſe, inquã, qui eſt in Chriſto, qui vult habere ſocios: *Et ſocietas,* inquit, *noſtra ſit cum Patre, & cum filio eius Ieſu Chriſto.* Debet ergo eſſe imitatio pro ratione doni conceſſi. Debet, ait, & ipſe ambulare: quia licet melius ſit habere perfectionem cum quiete, quam cum motu; præſtat eam tamen habere cũ motu, quam ea carere. Ideò otium Chriſtiano peſtiferum eſt. Deus continue operatur, & Chriſtus, qui pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo; & in cœlo interpellat pro nobis. Angeli ſunt à Deo miſſi in miniſterium ſalutis electorum: cœli denique in perpetuo motu perſiſtunt, & quo nobilior eſt res aliqua, eo magis mouetur: vt primum Mobile præ alijs, ignis præ aere, aer quam aqua, hæc vero magis, quam terra. Vnde otium pernicioſum eſt terræ, aeri, cœlo, plantis, animalibus, hominibus otio torpentibus: imò Paradiſum, atq; adeò Deũ ipſum deſtrueret, & in nihilum redigeret, ſi otiũ illis ineſſet. Error maximus, & pernicioſus eſt putare ſe omnia poſſe, ſe quæ velit, & quando velit, & quidem perfecte omnia p̃ſtare. Sed certe millies id putaſti, & contrarium expertus eſt, ac deceptus. Quis item te reddit certũ de tempore futuro? quia cum præſenti abutaris, facile erit & futuro abuti. Deus etiam nunc tibi ſeruit. & per ſe, & per ſuos. Præterea error eſt putare artem aliquam præclaram vna die addiſci poſſe: qui enim perfectus nouitius non eſt, nõ poteſt eſſe perfectus Profeſſus; & qui non fuit diſcipulus, non poteſt eſſe magiſter; qui hodie non eſt, cras minus aptus erit. *Fili,* inquit Sapiens, *conſerua tempus, & deuita à malo.* & Paulus, *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* At quomodo poteſt conſeruari, aut redimi tempus, quod in motu conſiſtit? in eo nempe operando ea, quæ perducunt nos ad æternitatem Dei perfruendam. Et quemadmodum refert Plutarchus: Ab alijs diſce quid ſit quod facere nõ debeas. Expende ergo quid te facere oporteat. Ita nos ex nobis ipſis, & alijs hominibus nouiſſe debemus, quæ ſint nobis fugienda, aut cauenda: à Chriſto verò ſolo ea omnia, quę maxime nobis expediunt, quia qui dicit ſe in Chriſto manere debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Et ne velimus eſſe ſimiles Scribis, qui locum nouerunt natiuitatis Chriſti, & alijs illum indicarunt, ipſi autem ad eum adorandum adire nolentes, permanſerunt in cæcitate ſua, & facta eſt ſcientia illorum theorica maioris præcipitij, & damnationis cauſa.

Act. 10. *Heb. 7.* *Supra 1.*

Rei nobilis conditio.

Errores duo pernicioſiſſimi quorundam.

Eccle. 4. *Ephe. 5.*

Tempus quare cõſeruari poſſit.

Plutarch.

Ab aliis quid diſcendum.

Scientes bonum facere, & non facientes, quales illi.

Matth. 2. *Michæ. 5.*

DISPVTATIO. XIV.

In illa verba: *Chariſſimi, non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio. Mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis. Iterum mandatum nouum ſcribo vobis, quod verum eſt, & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen iam lucet. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc,* & reliqua vſque ad: *Scribo vobis filioli.*

CIRCA hæc verba primo ſcopus eſt conſiderandus: Deinde quale eſt hoc mandatum, quod Ioannes dicit non eſſe nouum, ſed vetus, quod habuerunt ab initio. Tertio contingit dubitare in illud; Iterum mandatum nouum ſcribo vobis: quomodo ſcilicet vocat nouum, quod prius affirmauerat eſſe vetus. Quartò, cur ait, hoc præceptum verum eſſe, & in ipſo, & in illis: quia tenebræ tranſierunt. Quintò dubitatur circa illud: *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſq; adhuc: quomodo enim quis odio habens fratrẽ ſuum, poteſt dicere ſe eſſe in lumine?*

Primum dubium. Secundũ. Tertium. Quartum.

Dicendum ad primum dubium. Cum ſermo ſit in hoc capite de ſecunda iuſtificatione, qua Chriſtianus poſt baptiſmum lapſus non tam per fidem, & baptiſmum, quam per Sacramentum Pœnitentiæ & Confeſſionis iuſtificatur. in quo eſt Chriſtus aduocatus noſter, & propitiatio pro peccatis noſtris; iam ſecũdo modũ tradit permanendi in hac iuſtitia, nimirum per præceptorũ obſeruantiam: & ita quæ ſint illa præcepta declarat, nempe charitatis Dei, & proximi de quibus dixerat: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.* Vt enim nõ ſemper ſeminat agricola, ſed ad tempus: & poſtea expectat fructũ optatũ, atq; precibus ſibi dari illum expetit: ita miniſter verbi Dei

Inſtitutũ Apoſtoli.

Qualis verbi Dei miniſter.

ad tem-

ad tempus ſeminat, & pro ſeminatis precatur Deum omnis boni autorem ſuos vt labores felicitet: & videns prouentum, iterum ſeminat. Debet ergò ad tempus quieſcere prædicator, vt auidius expectetur, ac vt vberiorem fructum terra ad tempus intermiſſa ferat: quod Iudæi olim obſeruarunt præcepto Domini: ob quam etiam cauſam Chriſtus ad tempus ſe ab auditoribus ſubtrahebat, vt ſui maiorem ſitim excitaret.

Leuit. 25.

Chariſſimos cur vocet Apoſtolus Parthos.

Primo autem verbo vocat eos chariſſimos, vt alliciat ad obediendum, quemadmodum ſuperius vocauit eos filiolos, tenere dilectos; ac vt oſtendat ſe implere mandatum de dilectione, quod verba docent. Et vocabulum hoc proprium eſt Noui Teſtamenti, in quo Deus docuit, quantum ſint fratres amandi. Nam vere erant Apoſtolis chariſſimi illi, propter quos tota die mortificabantur, & quos etiam ex vinculis ipſis corroborabant: quorum vnus dixit: *Ita deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium, ſed etiam animas noſtras, quoniã chariſſimi nobis facti eſtis.* Et hoc, quia qui benefacit, amat eum, cui benefacit tanquam opus ſuum. Hinc Apoſtoli maximum, & electum opus facientes, Chriſtum ſummè amatum in filijs ſuis videbant, eoſque chariſſimos habebant.

Pſalm. 43. *Rom.* 8. 1. *Theſſ.* 2. Proprium amantis, atq; benefici.

Triplex cauſa, cur Ioannes pręceptũ dilectionis non nouum, ſed vetus appellet. *Deut.* 28.

Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mãdatum vetus, quod habuiſtis ab initio. Hoc verbo agit Apoſtolus in naturam rationalem, quę ob ſui excellentiam, & ob carnis mollitiem noluit grauari, nouis mandatis. Hinc Deus daturus legem, præmijs alliciebat ad eam libere recipiendam poſt tot promiſſa, & exhibita beneficia. Deinde hoc verbo pungit Iudæos legis ſuæ tenaciſſimos, ne putent Apoſtolos aliquid noui docere contra illos: quia omnia noua ſua nouitate ſuſpecta eſſe ſolent de dolo, vel falſitate vltra laborem, & ſubiectionem. Vnde mirati Iudæi, conquirebant inter ſe, dicentes, *Quidnam eſt hoc? quanã doctrina hæc noua: quia in poteſtate ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Poſtremò pungit hoc verbo hæreticos ſemper noua, reiectis veteribus ſectantes. Vnde Scriptura inſectatur profanas vocum nouitates, & ceremonias: commendat autem ſequentes antiqua maiorum noſtrorum præcepta: *Interroga*, inquit, *Patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Iugulat verò præcipue recentes hæreticos, quibus omnia, præcepta, præſertim de charitate, videntur noua, præter fidem vnam, quã ſola iuſtificari, & ſaluari ſibi videntur. Cum tamen fides ſine vlla charitate à Deo probata non ſit in vllo ſtatu: quia in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.

Mar. 1. 1. *Tim.* 6. *Deut.* 32. Qualia hęreticis præ fide videantur, pręſertim de dilectione præcepta. *Gal.* 5.

Apoſtoli Ioannis charitas, & humilitas. *Acto.* 17. *Philip.* 3.

Subdit: *Scribo vobis.* Chariſſimis nobis, quos grauare nouis pręceptis, nec decipere volo. Et ita confunditur ſuperbia noua ſemper ſcripturientium. Vnde Athenienſes dicuntur ad nihil aliud vacare niſi aut dicere, aut audire aliquid noui. Contra verò Paulus ait Philippenſibus: *Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Quare bonus Spiritus Prophetarum & Apoſtolorum videtur fuiſſe vnus, & idem, iuxta Apoſtolum dicentem: *Habentes eundem Spiritum fidei, credimus, propter quod & loquimur.*

2. *Cor.* 4.

Pſal. 115. Præceptũ dilectionis qua ratione idem ſit & vetus, & nouum. 1. *Cor.* 3. *Heb.* 5.

Notandum verò idem præceptum, ſiue eandem Scripturam, vel eandem prophetiam veterem eſſe, & nouam, diuerſis tamen rationibus. Nam in primis vetus eſt, quod ad literam, quæ data eſt à Moyſe, & Prophetis, attinet: qui antiqui & vetuſti patres ſunt. Eſt etiam vetus quantum ad ſenſum literalem, qui datus eſt cum illa ab Eccleſia, vt lac daretur paruulis. Tales enim ſenſus tum in moralibus, tum in ceremonialibus præceptis ſtricti erant, & paruulis conuenientes. *Cum eſſem*, inquit, *paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus*: quia omnia ad literam accipiebantur, quatenus ſpectabant ad illum populum continendum in officio extra idololatriam. Atque ita ad literam ſabbatizabant, circumcidebant carnem, ſacrificabant animalia, abſtinebant à ſuilla, & alijs carnibus, & piſcibus vetitis, vtebantur luſtrationibus, expiationibuſque, & alijs præceptis ceremonijs. Poſtea tamen per Spiritum ſanctum ſenſus illis eſt apertus, vt intelligerent Scripturas, & nouo lumine infuſo eadē Scripturæ præcepta, & teſtamenta noua ſunt; quemadmodum Sole accedente, illa eadem, quæ prius erant tenebroſa, noua, & clara fiunt. Vnde in Apocalypſi: *Ecce noua*, inquit, *facio omnia.* Omnia enim vere adueniente, nouo calore reuiuiſcunt, & fouentur, ac fructificant, quæ tamen in hyeme velut mortua iacebant. Surrexit enim Dominus ad nouitatem vitæ, & illuſtrauit Scripturas: ita vt accipienti, lumen adſit admirabile; ac vt Apoſtolus dixit, *Transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.* Et vt velamen dicitur poſitum ſuper cor Iudæorum, quando legitur Moyſes, quod non euacuatur niſi in

1. *Cor.* 13. Quibus præceptis quaſi vinculis populus Iudaicus fuerit conſtringendus, ne ad idolorum cultum dilaberetur. *Leuit.* 11. *Deut.* 14. *Luc.* 24. Mandatũ dilectionis vt fuerit innouatum à Domino. *Apoc.* 21. *Rom.* 6. 2. *Cor.* 3. *Ibidem.*

Chriſto,

Ioan. 1.

Qualis lex vetus, qualis noua à Chriſto tradita.

Apoc. 5.

Chriſto, ſecundum Apoſtolum: Ioannes quoque: *Lex*, inquit, *per Moyſen data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Id eſt: litera per Moſen, Spiritus per Ieſum Chriſtum datus eſt. Noua ergò iam reddita vetus Scriptura, quia multiplex eſt ſcientia, & iam Chriſtianus nouit legem libri ſignati ſigillis ſeptem. Vt enim ſartor ex eadem veſte reficit aliam, dando illi formam meliorem, & architectus fabricaturus altum palatium, prius ligneam quandam eius formam, ſiue ideam condit: ita Iudæis data eſt forma quædam veluti corporea, quæ complecteretur omnia noſtra myſteria, ita vt dicat Apoſtolus: *Omnia in figura cõtingebant illis.* Quare qui Scripturas interpretantur more Rabbinorum, infimos ſenſus, & paruulis conuenientes proferunt, & ſectantur; hique proinde Iudaizare in primis videntur, & à veritate ad vmbras redire, & à ſolido cibo ad lactis teneritudinem, & à vero, & firmo palatio, ad eius formam ligneam. Et vt gallina primò parit ouum, ſuper quo poſtea incubans, excludit pullum animatum: ita in lege quidem fuit ouum quaſi vmbra, in Nouo vero Teſtamento pullus viuus, id eſt, ſenſus principalis ab Spiritu Sancto intentus, & per Chriſtum qui ſe gallinæ comparauit, vt verum, & viuum pullum excluſum, atque declaratum.

1. Cor. 10.

Iudaizarẽt qui, rabbinizarentque.

1. Cor. 3.

Heb. 5.

Altera ſimilitudo legis veteris, & nouæ, id eſt, Euangelicæ.

Matt. 23.

Præceptũ dilectionis in populo Iudaico ſemper fuiſſe.

Leuit. 19.

Matt. 5.

Ad rem igitur noſtram, præceptum dilectionis proximi ſemper fuit, & in hac parte non eſt nouum; ſed olim Deus attemperabat ſe mundo rudi, & paruam charitatem habenti, & populo Iſraeli nutrito in Ægypto, ac indomito, & magna fomitis ſarcina grauato, ſenſum ſuggeſſit de amico diligendo, cõniuens de inimico odio habendo. In amico etiam diligendo, non tam altum præſcribebat modũ, atq; nunc. Dicebat enim: Diliges amicũ tuum ſicut te ipſum: in nouo verò Teſtamento altior exigitur, nempe, *Vt diligamus inuicem, ſicut Chriſtus dilexit nos.* Exigit enim dilectionem etiam inimicorum, & vſque ad ſanguinem, & mortem, & demũ ſalutem ſpiritualem: qualem nobis Chriſtus exhibuit. Deus enim donec ſuam amplã, & ſummam dilectionem non oſtendit homini, noluit nos ad tantam proximi dilectionem arctare, niſi quando Chriſtum dedit homini, qui pro eo moreretur, & ſenſum illum à populo tam imperfecto Iudæorum exigere, nec hortari ad conſilia hanc tam altam charitatem conſequentia, de qua Dilectus; Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Porrò in Nouo Teſtamento, Chriſto iam nobis donato tantum amoris meritum, & exemplum, & Spiritu ſancto ſuper omnem carnem effuſo, & cordibus iam renouatis, dedit illi illuſtriorem dictum ſenſum, ratione cuius mandatum eſt nouum. Primò quidem in extenſione eius ad inimicos; ſecũdo, in modo altiori, qui exigitur, nempe, *Sicut dilexit vos*: tertiò, quãtum ad renouationem cordium, quam facit per nouum intellectum, nouum guſtum, atque experientiam, quia ſemper nouum guſtatur: quarto, quantum ad obligationem, quia in quantum eſt à Moſe, non obligat eos, qui non ſuſceperunt, ſed quatenus à Chriſto commendatum eſt, & à ſuis Apoſtolis promulgatum. Ita vt hac ratione nouum ad literam ſit. Quintò propter multitudinem ſenſuum ſpiritualium, qui in Tropologicos, Allegoricos, & Analogicos diuiduntur: de quibus apud Danielem dicitur: *Plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.*

Ioan. 15.

Ibidem.

1. Ioan. 3.

Quo tempore ſumma proximi dilectio fuerit homini recipienda, atque commendanda.

Apoc. 1.

Ioel. 2.

Act. 2.

Ioan. 15.

Triplex ſenſus ſpiritualis diuinæ Scripturę.

Dan. 12.

Effectus Chriſtus lucis.

Subdit: *Quod verum eſt in ipſo, & in vobis.* Relatiuum illud, Quod, dupliciter poteſt intelligi: Primum, vt referat mandatum. Sed quia Græce mandatum, eſt fœminini generis, ἡ ἐντολὴ, quo modo accepit Oecumenius, manifeſtus eſſet ſolœciſmus. Deinde vt ſit pũctus ante relatiuũ, Quod, & ita quidem vitaretur ſolœciſmus, & ſenſus eſſet, quod in ſe, & per ſe verum eſt, ſcilicet quod tenebræ prętereunt vel prętcrierunt, & verum lumen iam lucet. Nam per Chriſti aduentum diſiectæ ſunt tenebræ etiam in nobis credentibus, & illuminatis, et nemo mentiatur ſe iam in luce eſſe. Poteſt etiam eſſe ratio ſuperioris dicti, nempe: *Quod verum eſt & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt.* Expendamus ſingula verba. Tenebræ, imperfectiones ſunt intellectus, & affectus, & operum. Deus enim olim ſe illi rudi, & infanti mundo, vt diximus, accommodabat, quia paruæ gratiæ erat capax, & magna fomitis concupiſcentia vrgebatur; concedebat item, vt diligeret amicos, tacite conniuendo vt inimicos non diligeret. Imperfectiones etiam affectuum erant, vt odium ad Chananæos, ac Samaritanos, affectus ad terrena, & temporalia bona, vt ad filios, bonorum abundantiam, victoriam hoſtium temporalium, etiam Romanorum. Erant & imperfectiones operum, quia à paruulis non illa exiguntur, quæ à viris.

Quæ tenebræ tranſierint Chriſti luce adueniente.

Tranſierunt, inquit, vel Græce Tranſeunt de præſenti, *per aduentum lucis, qui*

Dupliciter aliquid tranſit.

Luc. vltim.

Chriſtus eſt, & corda illuminat, & Scripturas aperit. Quo loco perpende, quod dupliciter aliquid tranſit. Primò quando ita tranſit, vt non ſit amplius, ſicut tranſit homo per mortem. Deinde quando alio modo eſt quam prius erat, vt puer tranſit in virum, non quòd non ſit ille idem, qui prius, ſed alio modo, ſcilicet ex puero vir, ex imperfecto perfectus. Ita lex Moyſis, quæ dicitur tenebroſa aqua in nubibus aeris, tranſiit. Et non omnino vt non ſit, ſed quantum ad ſenſus illos ſtrictos, & corticem literæ. Et remanent imperfectiones ſenſuum: ſicut puer non edit vt prius lac, ſed ſolidum cibum. Et ita imperfectum legis euacuauit iam Chriſti lex Euangelica. Nam imperfectiones illæ legis, vt vſura, odium Chananæorum, & multitudo vxorum, ſublata eſt per Chriſtum, vt amplius non ſit. Tranſierunt itaque ſenſuum puerilium vmbræ, & tenebræ affectuum, quæ Iudæos obcæcabant, qui non aduertentes ad Gentiles, quod & ipſi imagines Dei eſſent, & à Deo amatæ ſæuiebant carnaliter in lædentes, vel Paganos, vel incircumciſos, vt falſi quidam Chriſtiani, qui neſcientes Chriſti ſanguinem pro omnibus ſparſum, perinde perſequuntur Chriſtianos qui ex Iudæorum ſanguine deſcendunt, atque eos verbis, & cordibus perſequuntur, ipſosque omni honore, & magiſtratu, tam Eccleſiaſtico, quam ſeculari ſpoliare ſtudent: non intelligentes illud præceptum dari à Chriſto de diligendis omnibus & inimicis, & perſequentibus nos.

Quid: Tenebroſa aqua in nubibus aeris. *Pſalm. 17.*

Iudæi populi defectus à Chriſto ſublati.

Chriſtiani qui nunc quodammodo iudaizent.

Matt. 5.

Tranſierunt etiam tenebræ operum puerilium, commutataque ſunt in opera meliora: vt circumciſio carnis in circumciſionem ſpiritus; hoſtiæ legis in ſacrificia ſpiritualia, & beneficentiam: bella item carnalia in bella contra dæmonem, mundum, & carnem: Tenebræ etiã tranſeunt à Chriſtianis, & vtinã verè tranſirẽt: quia multi ſunt qui cognoſcunt Chriſtũ, ſed non quæ ſunt ſpiritualia, & æterna in Chriſto, ſed temporalia, vt honores, & diuitias mundi huius. Quibus tamen dicitur: *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis.* Sed iſti etſi tempore noui Teſtamenti viuant, in ſpiritu tamen Iudæi ſunt: econtrario qui nunc Iudæi fuere viri ſpirituales, per fidem Chriſtum Meſſiam expectantes, verè erant in ſpiritu Euangelici. Hoc eſt, quod Paulus dixit: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis*: & alibi, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filii lucis ambulate.*

Aliæ quædam tenebræ Iudæorum diuina Chriſti luce ſublatæ atque diſſipatæ.

Matt. 6. Veteres qui Iudæi ad legem potius Euangelicam quam Moſaicam pertinuiſſe dicendi ſint. *Rom. 13.* *Epheſ. 5.*

Quare ſequitur: *Et verum lumen iam lucet.* Cum duplici articulo Græce dicitur τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν. Pro verbo illo, *Verum*, aduerte, quod omnia quæ ſunt in creaturis in figura, in Deo ſunt in veritate, vt lux, amor, vitis, panis verus. Nam de luce dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat, &, Ego ſum vitis vera: Deus charitas eſt: Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Ita etiam equus abſolutus eſt Deus, cuius hic equus contractus tantum imago eſt: quia in non eſſe non poteſt res eſſe ſicut in infinito eſſe: quomodo (exempli gratia) in pariete non poteſt eſſe puer, ſicut in ventre matris ſuæ, quia hæc materia aptior eſt quod in ea puer viuus ſit, in muro nõniſi pictus.

Quæ ſint in Deo in veritate, in creaturis autem in figura tantummodo. *Ioan. 1. Infra 15. 1. Ioan. 4. Ioan. 6.*

De ſecunda voce illa, *Lumen*, aduerte, quod Pater eſt lumen vt eſt in luminoſo corpore: Filius vero eſt lumen rectum, & primarium, vt eſt in medio: Spiritus ſanctus ſplendor eſt: id eſt, lumen reflexum: Angelus, & homo, & alia omnis creatura, lumen ſecundarium, quod eſt in vmbra. Defectus autem vel Angeli, vel hominis, vel alterius creaturæ, non vmbræ ſunt, ſed tenebræ primariꝫ, & ſecundariꝫ, id eſt, lumine primario, & ſecundario carentes, de quo alibi dixit: *Lux vera*, non falſa, non figurata, nõ participata, ſed per eſſentiam. *Iam lucet.* In nouo ſcilicet Teſtamento poſt noctem legis naturæ, & poſt auroram legis Moſaicæ, & poſt Luciferum Ioannis Baptiſtæ. Aitque: *Iam lucet*: vt oſtendat tollere velamen oculorum quod Iudæi habent in lectione Moyſi ad habendum verum Scripturæ ſenſum, & ad habendam fidem, donum intellectus. Ideo velum templi ſcindi voluit in paſſione. Secundò lucet, donando calorem ad pellendum frigus odij, amandum Deũ vt Patrem, & proximum, vt Chriſtus dilexit nos. Tertiò etiam lucet ad præſtandam vim germinandi, & fructificandi, & fructus maturos, & perfectos fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, iuſtitiæ, & miſericordiæ reddendos. Quarto lucet, dando etiam gaudium, & lætitiam Paracleti ad patiendum quęcunq; aduerſa pro Chriſto. Ante Incarnationem autem verbum lux erat, habens potius rationem lucis, quatenus in Patre erat, quam luminis in medio lucendo, quod cœpit habere, quãdo lux venit in mundũ humanitatis mediæ, mittens radios amoris, ſapientiæ, & operum, quæ nos imitari in eo debemus.

Pater, Filius & Spiritus ſanctus vt ſint lumen inter ſeſe.

Angeli, vel hominis, alteriusve creaturæ defectus quid ſint.

Chriſti, lucis in lege Euangelica varii effectus. *2 Cor 3. Matt. 27. Ioan 1*

Sed quia multi ſunt, qui lucem aduentantem reſpuunt, vel quia ſomno vacant, vel quia claudunt oculos, vel quia piget eos fene-

Iudæi quibus in tenebris ſint vſq; adhuc. *Ioan.* 8.

eos feneſtras aperire, ne lumen ingrediatur, ſubdit: *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc.* Vel Iudæum pungit hoc verbo, qui profitetur ſe eſſe in luce Patris, vel in luce Patre, iuxta illud: *Nos vnum Patrem habemus Deum*: qui dum non vult credere, Chriſtum lumen eſſe in medio humanitatis aſſumptę, & cordium noſtrorum per eam, & fratrē ſuum primogenitū, quem odit, & Chriſtianum Chriſto ſimilem, & ab eo dilectum: *In tenebris eſt*, Et intellectus, & affectus: *Vſque adhuc.* Ab eo nondum ablato velamine per Chriſtum fratrem, confratres, & cohæredes ſecum ad cor hominis vt diligatur, ſicut ad cor Dei, introducentem. Idcircò rectè dixit Chriſtus: *Qui me odit, & Patrem meum odit.*

1. *Cor.* 3.

Ioan. 15.

Quis diligens fratrem ſuū, in lūmine manet.

Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. Intellige, Qui diligit fratrem ſuum ſicut ſeipſum: vel, ſicut Chriſtus dilexit nos: quod propinquitatem habet, quia naturale eſt ex potentia, & obiecto, ac proinde honorificum: vtiliſſimum homini etiam ad omnia, quia qui diligit proximum, legem impleuit. Additque: *Fratrem ſuum*, Primogenitum ſcilicet, Chriſtum Dominum, & in eo, & propter eum alios omnes. Et in primitiua Eccleſia ob frequentes perſecutiones, neceſſaria erat mutua dilectio, quę fecit tot martyres. *In lumine*, inquit, *manet.* Hoc eſt, in Chriſto ſe illuſtrante per fidē, calefaciēte per amorem charitatis, & fœcundante per bona opera, lætificante autem per Paracletum, & ita ſua luce oculos ſuos premente, vt nō videat in proximo, etiam offendente, niſi Chriſtum: vt qui videt lucem in rota Solis. Addit etiam: *Et ſcandalum in eo non eſt.* Id eſt, Non offendit, quia lumen huius mundi videt. Dirigitur enim à lumine, ne offendat: & ſi offenſus, vt non collidatur, quia hoc lumen habet, quo ſupponat manus: imo eſt lumen, & manus ſimul. At ſcandalizans, primo ipſe ſcandalizatur, quia prius, & plus lædit ſeipſum. Et hæc charitas eſt, quæ via plana eſt, & recta, & munda, & ſuauis ex parte ſua, de qua Apoſtolus: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* In veteri autem homine poteſt quis ſcandalizari, quia eius via amor proprius eſt, curuus, immundus, & ſaxoſus.

Roman. 13. *Supra* 8. Fraternæ dilectionis in Eccleſia primitiua neceſſitas.

In proximo quid intuendū vnum, & contemplandum ſit. *Ioan.* 11. In diligente proximum ſuū cur nullū ſcandalum ſit.

Qualis vis charitatis. 1. *Cor.* 12.

Sequitur: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt: & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Hæc etiam clauſula ad idem ſpectans, in præſenti diſputatione explananda venit. Et meo iudicio loqui videtur Apoſtolus de Gentili odio habente Chriſtum: ſicut ſupra in alia ſimili ſententia locutus eſt de Iudæo. Qui odit ergo fratrē, qui ita amabilis debet eſſe omnibus doctis in arte amandi, cum tamen qui hunc odit, viliſſima quæque diligat, vt vindictam, quam etiam diligit dæmon: & plus odio ſuo lædat ſeipſum, quam proximum. Non enim poteſt tangere guttam ſanguinis proximi gladio odij, quin prius ſeipſum, & proprium cor totum perfodiat. De hoc tali tria teſtatur. Primum, quod in tenebris eſt, id eſt, habet defectus intellectus, & affectus, etiamſi baptizatus ſit, & fidem habeat: quia ſequitur tenebras paſſionum, & in principe tenebrarum manet. Alterum eſt: *Et in tenebris ambulat.* Hoc eſt, in eiſdē defectibus, & affectibus, à quibus interius poſſidetur: exterius etiam conuerſando, & male operando ambulat. Tertium eſt: *Et neſcit quo eat.* Hoc eſt, Ad qualem gehennam, & ad quantum inferni, & non eſſe præcipitium, ad quod tamen præceps, & gaudens pergit, iuxta illud Salomonis: *Via impiorum tenebroſa: neſciunt vbi corruāt.* Et alibi: *Eſt via, quæ videtur homini recta, nouiſſima autem eius deducunt ad mortem.* Idem rurſus: *Omnis via viri recta ſibi videtur*: obcæcante quidem oculos malitia, ſed non excuſante.

Oderit quis fratrem ſuū, & in tenebris ambulet. *Ioan.* 12.

Chriſtus quam amabilis ſit.

In quibus tenebris ambulet odio habens fratrem ſuū.

Prouer. 4. *Infra* 14.

Infra 21.

Quia tenebræ, inquit, *obcæcauerunt oculos eius.* Hoc eſt, affectus immoderati, & vehementes paſſiones perturbant, & excæcant oculos intellectus, & voluntatis, & memoriæ, vt non recordetur legis Dei, & vt obiectum amabile non videat. Et tanto maior eſt iſta obcæcatio, quanto lumē, quo priuat, maius eſt, & nobilius, & quanto oculi mentis, quos ſuo lumine priuant, meliores, & excellentiores ſunt, quam externi, & quanto pericula quæ cæcum conſequuntur maiora ſunt, & commoda, & lucra videntis pretioſiora: quanto etiam hæc cæcitas non eſt coacta, ſed voluntaria. Quo enim ſupplicio dignus eſſe cenſeretur, qui gladiolo oculos ſibi confoderet, & erueret? quāto tales, qui hoc odij morbo premuntur, & poſſidentur, poſt erutos ſibi oculos ſe prę cęteris videre ſibi gloriantur. Hinc Dominus Phariſæis dixit: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, Quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Si eſſes vnigenitus Regis filius, & hæres regni, & aliquis ad te accederet, porrigeretque pomum, ac diceret, Da mihi regnum tuum pro hoc malo, quod dono: nonne merito excandeſceres, ac ſuccenſeres illi, atq; illum abs te proijceres quaſi ſeductorem, ac regno tuo inſidiantem?

Tenebræ vt obcæcauerint oculos hominis illius, quāta ſit huiuſmodi obcæcatio.

Ioan. 9.

Quanto ergo magis dæmoni debes iraſci, & illum cum ignominia à te expellere, qui pro falſa vindicta, aut vili delectatione, aut pro lenticula, vt alter Eſau contendit te priuare primogenitura, & honore filiationis DEI, & in regno DEI vita æterna.

Gene. 25.

Heb. 12.

DISPVTATIO XV.

Super illa verba: *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis patres, quoniam cognouiſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo vobis Adoleſcentes, quoniã viciſtis malignum. Scribo vobis infantes, quoniam cognouiſtis Patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortis eſt is, & verbum Dei manet in vobis.*

V. dubitationes diluendæ.

CIRCA hæc verba primum Apoſtoli ſcopum inueſtigabimus. Deinde quorſum in tres ſpecies diuidit Chriſtianos, in filios nempe, adoleſcentes, & patres. Tertiò dubium eſt, cur Patribus, & infantibus idem tribuat, id eſt, Patrem cognoſcere. Quartò cur repetit bis eadem nomina. Quintò ponderanda ſunt verba, & ſuis ponderibus libranda. Etſi enim verba facilia ſint, & plana, ſenſus autem abditus, & ſublimis videtur.

Quid propoſitum Apoſtolo.

Expediamus primum: Hortatus erat Ioannes ad ſeruanda DEI mandata per charitatem perfectam, cum diceret, vt ſicut Chriſtus ambulauit, ita & nos ambulemus, quod eſt vetus, & nouum mandatum ſeruare: modo vero declarat obſeruationem, & progreſſum in illo, ſiue ambulationem, & perfectionem, quæ debet eſſe ſecundum cuiuſq; captum. Nam cui parum datum eſt, parum & exigetur ab eo: cui autem multum, multum & exigetur ab eo. Hanc autem capacitatem oſtendit triplicem eſſe, nimirum patrum, adoleſcentium, & infantum: neque tantum eos in genere alloquitur, ſed & ſingulos cuiuſque ſexus, ætatis & conditionis, & quæ ſingulis ætatibus conueniunt, breuiter complectitur, & omnibus & ſingulis gratulatur de bonis acceptis: ita tamen, vt ſimul etiam moneat, quid cuique agendum ſit, prouidi inſtar Doctoris, qui plus laudando, & congratulando, quam ſeuere cõminando in diſcipulis efficit. Atque ita primæ dubitationi ſatisfecimus.

Triplex captus progreſſionis & perfectionis in charitate, deque obſeruantia mandatorum.

Boni, ac prouidi partes Doctoris.

Ad ſecundam accedimus. Perſpiciendum in primis nobis eſt, quod etſi hominis ætas ſecundum Auguſtinum libr. 83. quæſt. communiter ab alijs in ſeptem partes diuidatur, vt in infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, virilem ætatem, ſenectutem, ac in decrepitam: ab alijs verò in ſex, vt docet Iſidorus, ab alijs verò, inter quos eſt M. Varro, in quinque: rurſus ab alijs, vt ab Hippocrate, & Solone, vt refert Ambroſius in epiſtola ad Horontianum, in decem: addit enim ſeptem illis dictis perfectionem, & maturitatem: noſter tamen Apoſtolus, & Euangeliſta in tres tantum partes diuiſit ab Spiritu ſancto edoctus: quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus in omnibus rebus initium, medium & finem conſtituerant. Ac primò quidem initium ætatis eſt, in quo ratio, & corpus imperfecta ſunt, vt in infante: deinde medium, in quo corpus perfectum eſt, ratio verò imperfecta, vt in adoleſcentia, in qua vigent affectus, & paſſiones vehementes. Tertiò eſt finis, vt in ſenecta, in qua quidem viget ratio, ſed in corpore debili, & imbecillo. Nam quartus ſtatus, in quo perfecta ſit ratio, & corpus perfectum, vix eſt præſentis ſeculi, aut vitæ, ſed potius futuræ, in qua expectatur mens ſana in corpore ſano. Tres ergo huius miſeræ vitæ ætates hic ponit Ioannes; ad primam alludens, ait, Infantes; aut pueli, quia Græce eſt τεκνία, & ſecundum aliquos etiam, cum ſecundo loco vocat illos παιδία. Ad ſecundam ætatem alludit, cum dicit, Adoleſcentes, ſeu Iuuenes, vel Iuuenculi, quia Græce vocãtur νεανίσκοι. Ad tertiam alludit, cum dicit, Patres. Neque videtur eſſe mens Ioannis ad literam, ſcribere ad homines talis ætatis. Primum, quia ad infantes, qui non capiunt, ſuperfluum eſſet ſcribere: etſi vtile foret parentes commonefacere, vt illos ſuo tempore erudiãt. Nam quandiu ſunt infantes, cœleſtem Patrem non agnoſcunt, quia non habent vſum liberi arbitrij. Deinde quia præter originale peccatum per baptiſmũ iam deletum, non habent alia peccata, cum pueri à puritate dicti ſint. Accedit, quod adoleſcentium non eſt vincere, ſed potius vinci ab affectibus, & perturbationib. animi, ſi ætatem ipſam ſpectes: qui etiam inepti ſunt, vt verbum Dei in eis perfecte maneat, & fortes ſpiritualiter ſint: quia vbi cupiditates, & affectus vehementes dominantur, ibi debilitas ſpiritus. Denique ſenes, vt ſenes ſunt, non habent

quod

Cur tres in claſſes Apoſtolus Chriſtianos diſtribuat.

B. Aug. lib. 83. q. 58. tom. 4.

Varia diſtributio apud autores ætatis humanæ.

M. Varro.

D. Ambroſ. epiſt 59.

Tripertitæ Ioannis diſtributionis vitæ humanæ explicatio.

Quos Patres Deum qui ab initio eſt, agnoſcentes, hic Apoſtolus neque intelligat.

Pueri à quo denominentur.

Vbi debilitas ſpiritus maxime regnet.

quod æterna agnoſcant: imo vix exuere poſſunt priſtinos habitus, & difficilius conuertuntur, & ducuntur ad perfectionem, ob ſuperbiam exactæ vitæ, & mollitiem, quæ ſolet comitari illam ætatem. Supereſt igitur, vt hæ tres voces metaphorice ſint accipiendæ pro incipientibus, proficientibus, & perfectis in via Domini, in quacunque ætate corporis illi conſtituti ſint, vt dicemus, cū Textum ipſum explanabimus.

Quemadmodum ex clauſulæ de triplici Chriſtiano um ordine ordinandæ inter ſe ſint.

Demodo etiam contexendi has clauſulas eſt difficultas. Nam aliqui opinantur, Apoſtolum ad quemuis horum ſtatuum ſcribere: quod etſi defendi poſſit, difficultatem tamen habet, quia voces illæ, ſiue verba: *Remittuntur vobis peccata*: illud quoque: *Quoniam cognouiſtis Patrem*: non ſunt idem, ſed diuerſa. Voces item illæ Latinæ: *Filioli, & infantes*, ſiue, *Pueruli*, Græce vt ſuperius annotauimus, diſtinguuntur inter ſe. Ac voce illa, filiorum, hactenus eos indifferenter appellauerat, & poſtea etiam appellat. Deinde quia non ita ordinate procedunt filios ſcilicet, & patres ponendo initium, & medium, hoc eſt, inter infantes, & adoleſcentes. Tertiò etiam, quia ſi de paruulis egiſſet, replicaſſet etiam, dicendo: Scripſi in ſecunda repetitione, vt de patribus, & adoleſcentibus dicit, quia iuxta Græcam literam, in quatuor primis clauſulis de præſenti ait, γράφω, ſiue ſcribo. in duabus vltimis de præterito, ἔγραψα, id eſt, ſcripſi. Ideo videtur dicendum cum nonnullis interpretibus, primam clauſulam ad omnes pertinere, tres ſequentes, ad tres ætates ſpirituales, ac diſtinctas, à priori, ſeu perfectiori ad imam per mediam deſcendendo. In duobus verò vltimis poſitis poſt verbum, Scripſi, duas perfectiores ordinatas ad tertiam. Cur verò primam non repetat, ſuo loco poſtea dicetur.

Beatorū, & viatorum diuerſa conditio.

Heb. 12.

Sed iam ad ponderationem horū verborum accedamus. *Scribo*, inquit, id eſt, Per epiſtolam annuntio vobis omnibus, quibus ſuperius dixerat. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis vt non peccetis*. Et infra, vbi ait: *Filioli, nouiſſima hora eſt*. Et tales ſunt omnes, qui hic agunt, reſpectu eorū, qui in patria ſunt, qui ſunt grandiores, & Eccleſia primitiuorum ab Apoſtolo vocantur. Tales etiam ſunt reſpectu Apoſtolorum, qui filij abſolutè vocantur, quod ab illis eſſent tenero amore dilecti. *Quoniam*, (vel quod) *remittuntur vobis peccata propter nomen eius*. Peccata, vocat originale, & mortiferum quodcunque perſonale, quæ non eſſe præcedunt, & ſunt ante omnem ætatem

Duplex genus peccatorum, quæ remittit Deus renatis in Chriſto.

ſpiritualem: quia venialia ſunt defectus ipſius eſſe, comitantes omnem ætatem ſpiritualem. Ideò ad omnes ſpectat remiſſio peccatorum, & vt eſſe filiationis eis detur, quod per remiſſionem omnis culpæ conſeruatur. Atque hæc quidem altiſſima Scriptura, & ſumma eſt annuntiatio: vt ſumma miſeria eſt peccatum, & ſummum bonum eſt Deus, Chriſtus veniens cum donis in remiſſione, & longe melior, quam ſi ad damnationem tuam & mortem ſubleuandam mitteretur ad te filius ab ipſo rege. ¶ Neque intendit Apoſtolus denuo annuntiare, quod poſt acceptam hanc epiſtolam, accepturi eſſent hanc remiſſionem, vel quod per epiſtolam ſciant ſe obtinuiſſe gratiam remiſſionis à DEO quaſi Principe: verum illis congratulatur, & reducit ad memoriam, quod habeant perennem piſcinam, ſcilicet Chriſtum, in qua ſemper actu poſſint à peccatis mundari, vt in baptiſmo olim mundati fuerunt, etſi excellentius.

Qualis quantaq; ſit eiuſmodi annunciatio.

Myſtica Eccleſiæ piſcina Chriſtus quid præſtet.

Subdit: *Propter nomen eius*. Chriſtus quia purus, & ſingulari amore à Ioanne Dilectus, his ab eo pronominibus, Is, Ipſe, & Ille, deſcribitur. Ob nomen eius, igitur, id eſt, Chriſti. Non ait, ob merita noſtra, vel fidei noſtræ dignitatem, vel alterius conferentis Sacramenta. Et ita ſignificat, vel, ad eius maximum honorem, qui ſolus pro nobis eſt paſſus, & ſolus DEVM nobis potuit placare: non eſt enim aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo poſſimus ſaluari. Omnis enim, ait Propheta, quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; & B. Paulus: in nomine Ieſu omne genu flectatur: Ioannes quoque in Euangelio: Dedit, inquit, eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: ſicut hic dicit, Propter nomen eius. Nomen ergo eius gloria eſt. Vel etiam: In nomine eius, id eſt, Chriſti, accipimus remiſſionem peccatorum: *Si quid*, inquit, *petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Vt in nomine alicuius diuitis tu habes à mercatore frumentum ad vitam neceſſarium, à Pharmacopola medicamentum, ab alio alia. Quod ſi hoc ipſum in nomine pauperis alicuius peteres, diceretur tibi, *Non noui te*: Ita Eccleſia, ne patiatur repulſam, ſemper quando orat, adiungit: Per Dominum noſtrum.

Quid, remitti nobis peccata propter nomen Chriſti.

Actor. 4.

Ioel. 2. Act. 2. Philippen. 2. Ioan. 1.

Ioan. 16.

Ait verò, *Remittuntur vobis peccata*, de præſenti, quia pater omne iudicium dedit Filio, qui dedit Apoſtolis, & illi ſacerdotib. Neq; dixit de præterito, Remiſſa ſunt peccata, ſed de præſenti, Remittuntur, ne

Quare de præſenti, Remittū-tur, ait, vobis peccata.

Ioan. 5.

Error Nouatianorum.

quis cum Nouatianis putaret, Deum nō-niſi ſemel, hoc eſt, in baptiſmo, peccata remittere. Et hîc ſupplendum eſt, ſicut in alijs omnibus quinque clauſulis: Et ideò debetis diligere Deum, & proximum, atque eius ſeruare mandata.

Qui Patres hic dicantur eum cognoſcere qui ab initio eſt.

Sequitur ſecunda clauſula: *Scribo vobis Patres, quoniam cognouiſtis eum, qui ab initio eſt.* Hoc eſt, Per epiſtolam congratulor, & ſaluto vos, vocans vos Patres, hoc eſt, perfectos. Vel omnes, qui ſunt in ſtatu gratię, ſiue ſint pueruli, ſiue adoleſcentuli, ſiue ſeniores, qui Patres ſunt, licet vario modo, vt dicetur. Nomen verò Patris, apud Ioannem præſertim, ſignificat ſenē, qui vltra ſenectutem fœcunditatem habet in generando, Ideò per hos perfecti intelligūtur, qui infuſos, & intēſos à Deo habitus virtutum habent, & exercitio diuturno in via Domini acquiſitos, & verbo ſaltem priuato, ſed efficaciori, multorum concionatorum publico, & pręſertim exemplo, etſi præcipue poteſtatem habent Sacramento regenerandi: hi ſunt propriè Patres, & perfecti vocantur, quorum eſt ſolidus cibus.

1. Cor. 3. Heb. 5.

Ioan. 1. 1. Ioan. 1.

Quoniam, inquit, *cognouiſtis.* Vnctione, quantum ad habitus infuſos. *Eum qui ab initio eſt*: hoc eſt, Chriſtum Dominum, de quo: *In principio erat verbum*, & ſuperius: *Quod fuit ab initio*, notum iam Ioanni: ideò dixit, eum, ſed non ſimpliciter Chriſtum vtcunque, ſed quatenus Verbum à Patre ab æterno procedens. Et perfectio non progreditur altius, quam poſt huius viæ fœcunditatem in bonis operibus alios lucrantibus, & poſt ſui abnegationem, & affectuum mortificationem, de qua in Canticis: *Si dederit homo omnem ſubſtātiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam*, vt anima pura, & pulchra, vt Rachel, Verbum affectiue cognoſcat & quatenus à Patre procedit, & in quātum à Deo per totam æternitatem, omnia in vno opere intelligente, volente, & agente procedūt, licet temporalia ſub æuo ſint. Tali ergò Verbo grauida vult parere, & non poteſt, quia generationem eius quis enarrabit?

Cant. 8. Geneſ. 29. Eſai. 53.

Vndenā, Patres Deum cognouiſſe, Ioannes compertū habuerit. 1. Cor. 5.

Nouerat autem Ioannes, Patres noſtros DEVM Verbum ita cognouiſſe, vel quia cum eis conuerſatus fuerat, & odoratus odorem virtutis ſuæ infuſæ, vel quia in ſpiritu præſens erat cum eis, vt Paulus de ſe dicit Corinthijs. Vel melius dicere poſſumus, quod hic, vel ille eſſet pater, experientia tamen nouerat, quod is qui pater eſt, talem ſolet habere cognitionem. Eſtq; optima alluſio ad patres, quatenus experti ſunt quod æternitatē cognoſcant, ſecundum illud: *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*, & alibi: *Sperabam quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapientiam. Sed vt video, Spiritus eſt in hominibus, & inſpiratio Omnipotentis dat intelligentiam. Non ſunt longæui ſapientes, nec ſenes intelligunt iudicium.* Hæc Eliu apud Iob. Rurſus in libro Sapientiæ ait Salomon: *Senectus*, inquit, *venerabilis eſt nō diuturna, neq; annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata.* Qua ratione verò patres generāt filios ſibi ſimiles, dicere eos Verbum prolem cognoſcere. conſonum eſt, & ꝙ ſeminando in cordibus, filios faciunt: ergo de ſenectute ſpirituali eſt ſermo, quæ tamē ſimilis eſt corporeæ, & patribus tribuitur illud, quod vt appropriatum, à Theologis Filio in diuinis attribuitur, vt tollatur à Deo omnis defectus, & imperfectio filiorum, hoc eſt, inſipientia. Hinc dicitur ſapiens, quod patrum eſſe ſolet. Quoniam cognouiſtis, inquit, eum qui ab initio eſt. Quapropter diligere debent & obſeruare præcepta Dei.

Iob. 3. Pręcipuus doctor Sapientiæ, & intelligētiæ Spiritus eſt omnipotentis Dei. Sap. 4.

Filii Dei proprium in diuinis.

De adoleſcentibus, ad quos ſcribebat Apoſtolus. Actor. 7.

Sequitur: *Scribo vobis adoleſcentes*, ſiue vt Græcè dicitur, adoleſcentuli: qua voce nominatur Paulus Act. 7. quando teſtes dicuntur depoſuiſſe veſtimenta ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Hi nimirum corpore robuſti ſunt, ſed intellectu, & affectu, ob vehemētes cupiditates, & paruam experiētiam, imperfecti: valentiores tamen ſunt in vtroque, quam filioli, vel pueruli. Et per hos ſignificatur ſtatus proficientium, & eorum, qui non ſunt Iſrael vt patres, ſed ſunt Iacob luctantes, nō tantum cum carne, ſed etiam cum mundo, & Deo, quia in medio ætatis ſunt, nam initium, & finis ætatis, id eſt, infantia, & ſenectus, lactea ſunt: vt enim dici ſolet, Bis pueri ſenes. Suntq; hi ſancti ſenes pleni dierū, licet lac ſit multo dulcius, quod in ſecunda infantia exhibetur.

Adoleſcētes, quos ſignificēt.

Subdit: *Quoniam viciſtis malignum.* Ablata videlicet eius radice, id eſt, concupiſcentia, & ſenſualitate bene ſubiugata, cui niti ſolet dæmon: quia non poteſt in virum Adamum niſi per Euam. Et vocat Malignum, ſiue Græcè τὸν Πονηρὸν, id eſt, illum, malum, & aſtutū, ſiue malitioſum, aſperum, & labores, & dolores exhibentem, vt nomen indicat, & primo ex malitia peccantem dæmonem. Nam vt perſiſtens in veritate, & ſapientia, pergit ad bonitatem, vt Angelus bonus; ita veritatem abiiciens dæmon, cum mendacio ductus eſt ad malitiam, de quo ait Dominus

Quē malignum vicerint illi adoleſcentes. Gen. 3.

Quid ſonet malignus.

Ioan. 4.

Apoc. 2. *2. Cor. 2.* *Ioan. 8.*

in Apocalypſi: *Qui non cognouerunt altitudinem Satanæ*: & Paulus in poſteriori ad Corinth. *Vt non circumueniamur*, inquit, à *Satana, non enim ignoramus cogitationes eius.* Cumque ſit pater mendacij, tot, & tales homines, & tanto tempore execrandis, & teterrimis erroribus ſeduxit, qui tamen vel digito Dei deijci poteſt per Chriſtianum gratia ſua regeneratum. Sicut autem adoleſcens plus viribus corporis, quam ratione pollet: ita proficiens plus viribus affectus, quibus ſeipſum vincit, quam guſtu puræ mentis, & ſapientia pollet. Atq; hæc potentia attributum eſt Patris, quæ in iuuenibus, non in antiquis, & ſenibus eſſe ſolet.

Patris proprium in diuinis.

Ad quos nunc ſcribat infantes Apoſtolus.

Scribo vobis infantes. Iſti corpore, & mẽte imperfecti, & lac ſugentes, ſignificant incipientes ratione imperfectionis. Carent enim guſtu ſapientiæ puræ mentis, qua pollent ſenes, id eſt, perfecti ſunt etiam infantes, imperfecti viribus, & inexperti in lucta tentationum, donec vt adoleſcentes confirmentur. Et quia Græcè dicuntur παιδία, id eſt, pueruli, bene vertit noſter interpres, infantes, id eſt, fari neſcientes. His porrò infantibus conuenit Sacramentũ Baptiſmi; ſicut adoleſcentibus, vel adoleſcentulis alterum, ſcilicet confirmationis myſterium; Patribus verò conuenit Euchariſtiæ ſolidus cibus perfectè manducatus, & non quatenus eſt lac paruulorum, & refectio lactantium.

Quem Patrem cognouerint illi infantes.

1. Pet. 2.

Quoniam cognouiſtis patrem. Non dicit, Patrem Verbi, quem cognoſcere modo dicto, eſſet perfectorum, & patrum, ſed ait ſimpliciter, cognouiſtis Patrem, ſcilicet veſtrum, hoc eſt, Deum, qui quatenus vobis dulcis eſt & ab initio blandè erudiens rudes, & conſolans per Apoſtolum ſuum dicebat: *Sicut modò geniti infantes, rationabile, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Quia vero Deus vt talis, impaſſibilis eſt, tales autem non patiuntur, præſente videlicet ſponſo, donec ablactentur, ſunt adoleſcentes. Et ieiunãt: & facere experiri dulcedinem bonitatis Dei, quatenus pater eſt, attributum eſt bonitati Spiritus ſancti, qui dicitur ſuper mel dulcis. Alluditque Apoſtolus ad infantes, qui tunc grati eſſe incipiunt, & delicias ſibi fieri promerentur, cum mammas, & vbera cognoſcunt, & riſu cognoſcere matrem incipiunt: & vt alibi Poeta eleganter dixit:

Attributum Spiritus ſancti.

Virgil. in Eclo. Lib. 4. Æneid.

Si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.

Ita huiuſmodi infantes cum imperfectis Iudæis Deum habent patrem, quem vtcumque vel ob panem diligunt, vel ob vitulum ſaginatum: qui autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo, cognoſcunt enim pueruli affectu, & experientia: & ideo hic talis cognitus eſt à Deo quia ab eo recipit delicias, & oſcula, & alia ſymbola amoris. Hi etiam pueri patrem ſine diſtinctione cognoſcunt: qui ſanè non patiuntur. Adoleſcentes verò agnoſcunt Chriſtum paſſum. Senes verò atque perfecti Chriſtum verbum, ac per hoc primam perſonam Patris, ad quam non peruenitur niſi patiẽdo, & vincendo ſeipſum. Simus ergo infantes appetentes lac humanitatis Chriſti per eius latus nobis propinatum, & per Scripturas veteris, & noui Teſtamenti tanquam per duas mammillas exhibitum, fletu etiam extorquente omnia à Deo quæ volumus. Deinde ſimus adoleſcentes vincentes malignum aqua calida contritionis, & fumo orationis de quo: *Dirigatur*, inquit ſanctus Dauid, *oratio mea ſicut incenſum in cõſpectu tuo*: & antidoto Euchariſtiæ. Simus & patres affectu, & generatione Spiritus, parturientes filios in Chriſto. Infantes habent vnum talentum, adoleſcentes duo, patres quinque. Infantes faciunt fructum trigeſimum, adoleſcentes ſexageſimum, patres centeſimum.

Luc. 15.

Puerorum adoleſcentum, ſenumque diuerſa cognitio Chriſti.

Ioan. 19.

Pſalm 140.

Eorũdem trium ſtatuum in Chriſto dona, atq; officia diuerſa.

Matth. 25. *Supra 13.*

Adhæc cuiuis trium conuenit ſuum epithetum, patris, vel iuuenis, vel infantis per habitum, aliorum per actum: nam ſenex tempore quandoque deficit, vt incipiens: quandoque eget lucta, vt proficiens. Adoleſcens etiam quandoque deficit vt infans, & eadem quæ ſenex deguſtat. Infans quandoque certat, vt adoleſcens: quandoque guſtat vt ſenex. Sicut mercator quandoque cantat, quandoque cantor emit, & negotiatur. Sic vita actiua, & contemplatiua dicuntur ex habitu: licet quandoque contemplatiuus agat, & actiuus aliquando contempletur.

Poſt illa ergo iam dicta, mutat verbum illud, *Scribo*, de præſenti in præteritum, ſcripſi, dicendo: *Scripſi vobis Patres*, cum prius de præſenti quater dixerit, *Scribo*. Et ita infantes, & filioli non ſunt ijdem: ſicut nec habere remiſſionem, & cognoſcere Patrem, eſt idem.

Quæ cauſa huius repetitionis fuerit: Scribo vobis, &c.

Sed iam dices: Quorſum hæc repetitio ſit? quod ſuperius dubitatum fuit. Videtur enim vana, & ſuperflua iſta iteratio. Sed profecto, ſi ſapimus, nihil vanum, aut ſuperfluum dixit Spiritus ſanctus, nec etiam Apoſtoli, per quos idem Spiritus ſanctus loquebatur: quia nouerat hominis indigentiam, & ingenium: nec faſtidimus

quædam quotidie iterata, vt vinum, & panem. Quare Ioannes hæc non ſine cauſa putauit repetenda. Primò, vt res ipſa propoſita quaſi maximi momenti eſſe noteтur. Deinde vt oſtendat amoris affe-ctum, ac magis illorum cordibus imprimat quæ loquitur. Cum enim docemus pueros, bis, aut ter, ac pluries idem repetimus, vt melius capiant, & retineant. Tertio vt conſulatur memoriæ tardæ, & rimoſæ, quæ cum difficultate retinet vtilia; cum magna verò facilitate perincioſa, & noxia, vt plus ſatis experientia docet. Quarto repetit, vt reddat cauſam conſolationis per dicta epitheta, & aliquid declarationis cauſa addat. Ideò nos eadem cogimur repetere.

Humanæ memoriæ conditio.

Ait ergo: *Scribo vobis Patres* (ſcilicet in hac Epiſtola) *Quoniam cognouiſti eum qui ab initio eſt.* Dictio, *quoniam*, hoc loco pro cauſali accipiẽda eſt, ſiue pro eo, quod eſt, quia & non relatiuè, quod. Et eſt ſenſus: Ideò dixi vobis Patres, quia cognouiſtis eum qui eſt ab initio. Oecumenius legit, *Qui ab initio erat*: & ſic repetens declarat, denotans antiquitatem, non habet ſucceſſionem, ſed præſentialitatem, quia dixit: *Antequam Abraham fieret, ego ſum, Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſecula.* Vel ſi idem eſt, ſenes iſti non indigent declaratione, quia Vnctionem Spiritus habebant, ſed recordatione, ob memoriam. Et quia accedunt ad Dei immutabilitatem, in eiſdem ferè verſantur ſine faſtidio, & in maiori in dies lætitia, quia æterna ſemper ſunt noua, vt conſtat de Beatis, qui ſunt in cœlo.

Oecumen.

Ioan. 8.
Heb. 13.

1. Ioan. 2.
Æternitatis Dei, immutabilitatisq; natura, & effectus.

Quæret hic fortaſſe quiſpiam, quare de infantibus nihil repetiuit, ſicut de alijs duobus, patribus ſcilicet, & adoleſcẽtibus? Dicitur in primis, ex hoc, quod contemnuntur tanquam exiſtentes in ſtatu non amabili propter ſe ad perfectionem æmulando ferãtur. Deinde quia tales ſunt ſub ſpeciali Dei cura, & prouidentia, neq; copioſo cibo indigẽt, & ſub cura parentum ſunt, quorum eſt dare alimenta, ſicut eſſe deberent. Tertiò, ſecundum Oecumenium, quod ſequitur de non diligendo mundo, peculiariter ad eos pertinet. De adoleſcentibus verò ſubdit: *Scripſi vobis adoleſcentes, quoniam fortes eſtis.* Adoleſcentes quia in ſtatu augmenti ſunt; ideò egent doctrina, & quidem copioſa, qua cognoſcant vnde habeant virtutem vincendi: & ſenes; quia lippi, egent doctrina, ad cognoſcendum, vnde acceperint fœcunditatem. Dicuntur autem iuuenes, ſeu adoleſcentes, fortes, vt animentur, & corroborentur: & quia ſine conſolatione interiori tam imi, quam ſummi habent, ſæpè ſunt, & conſtanter agunt, dum in aggrediendo hoſtes tam charos, vt carnem, & propriam voluntatem, & mundum dilectum: tum in perferendo ictus aduerſæ fortunæ, & infirmitates corporum, & iudicium hominum de ſe falſa ſpargẽtium, & lædentium famam, tum denique ſiccitatem, & ariditatem internam à Deo non viſitante, cum anima noſtra, teſte Propheta, ſit ſicut terra ſine aqua deuotionis. *Et verbum Dei manet in vobis.* Explicat vnde ſit fortitudo. Verbum factum enim caro eſt, quod in pugna imitamini, vtinam, & in victoria, in meritum veſtrum. Sic Angelus iuuabat Iudam Macchabæum; vt perculeret, & non percuteretur. Sunt & verba quaſi ducis hortantis ad pugnam. *Confidite*, Chriſtus aiebat, *quia ego vici mũdum*: ac rurſus, *Nolite timere puſillus grex, quia cõplacuit Patri veſtro; dare vobis regnum: Nolite timere eos qui occidunt corpus: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neq; corpori veſtro quid induamini: Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini.* Defectus enim perfectæ ſapientiæ, & bonitatis metuere ſolemus. Et ita omnes timores excludit Dux noſter. Si conſiſtant, inquit Dauid, aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. *Manet in vobis* inquit; Vt ſcutum ad excipiendos ictus vel hæreſis, vel malę vitæ, vel iniuſtitiæ, exemplo Chriſti, qui verbo Dei excepit, ac valenter repulit tres Satanæ ictus. Primum, cum audiuit: *Dic vt lapides iſti panes fiant.* Secundum, *Mitte te deorſum.* Tertium, *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Debet etiam in nobis manere vt gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei, ad vſum in proſperis, & in aduerſis. Et manet, ait, in vobis, hoc eſt, in intimis intellectus per fidem, & in affectu per amorem, vt ita præſens vita pro Chriſti dilectione contemnatur. Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Stultum autem eſt, quandiu hic viuimus, & militamus Chriſto imperatori, abijcere arma ſpiritualia, hoc eſt verbum Dei vel non audire dum prædicatur, vel non meditari, vel in vitæ noſtræ Praxim non deducere. Nam ſicut Rex multis annis impenſum ſtipendium militi ſuo pro vno die conflictus pendit, in quo agitur de ſumma rei: ita Deus tibi gratiam confert vt vincas dum tentaris, vel dum imminet mors: ſed vult te interim exerceri in carnem,

Cur Ioannes ſecundo non dixerit, Scribo vobis infantes, vt de alijs dixit.

Oecumen.

Qua doctrina egeant adoleſcentes, qua ſenes.

Pſal. 142.

Vnde fortitudo adoleſcentum, & ſenum in Chriſto.
Ioan 1.
1. Macha 1.
Ioan. 16.
Luca 2.
Matth. 10.
Supra 6.
Infra 10.

Pſalm. 26.

Verbum Dei vt maneat in illis.

Matth. 4.

Epheſ. vlt.

Ioan 15.

nem, vt Iebuſeum,& in mundum, vt vicinas nationes,quia qui hos hoſtes vincit, diſcet etiam dæmones fortiores, & maiores ſuperare.

Hebraiſmus in Scripturis frequens.

Addit: *Et viciſtis malignum.* Et, more Hebræo accipiēdum eſt pro coniunctione cauſali, Quia: probaturq; ex effectu ſuo cauſa. Quæ quidem victoria Chriſti eſt,& ideò ei date coronas veſtras: ſicut exercitu vincente, triumphat dux exercitus: cuius ſapientia, & magnanimitate bellum confectum eſt. Ita etiam & nos Deo per nos operanti debemus dicere cum Propheta: *Omnia opera noſtra operatus es nobis:*

Eſai.26.

quemadmodum triumphus Ducis in vtilitatem, & honorem cedit militi. Ita victoria,& gloria Chriſti in decus noſtrum & vtilitatem eſt. Ac vtitur verbo præteriti temporis pro futuro, vincetis, vſus figura Henalages, id eſt, mutationis temporum.

Quomodo Parthi iam vicerant malignum.

Ac vt Lucullus Imperator pugnare incipiens aduerſus Mithridatis, & Tigranis copias, clamauit: Vicimus milites, non quod iam viciſſet, ſed quia vincendi occaſionem nactus erat: Ita & hi adoleſcentes dicuntur viciſſe, quia rationem vincendi habent Chriſtum, nempe carnis,& mundi, & maligni victorem. & triumphatorem.

Alter ſenſus.

Quòd ſi legamus. Viciſtis, ſine figura illa, tacita eſt adhortatio, vt non ſinant ſe amplius præ ſocordia,& negligentia vinci: quia nequam hic malignus aſſumit ſecum ſeptem alios Spiritus nequiores ſe.

Matth.12.

Et quemadmopum qui aliquando ludo vincit, non ita timet aduerſarium: ita vos nolite timere: imò ignominioſum eſſet vinci à iam victo à vobis ipſis & à Chriſto.

Quàm fortis puer, & adoleſcens fuerit Ioannes Domini præcurſor.

Ioannes Baptiſta primò fuit pater ſuorum diſcipulorum, & noſter, quia miſſus eſt in teſtimonium vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Deinde fuit adoleſcens fortis, quia per gratiam Spiritus ſancti, quo ab vtero repletus fuit, vicit peccatum, ita vt vinum mortiferè inebrians & ſiceram, quæ obdormiſcere facit, id eſt, veniale, nō biberit, fortis in ſeipſum, quia

Ioan.1. Luc.1. Ibidem.

Ibidem.

Antra deſerti teneris ſub annis,
Ciuium turmas fugiens petiuit,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſet.

Eſai.49.

Fuit in eo fortitudo gladij pro ſibi proximis, & vicinis, id eſt pro ſanctis.& Iudæis;& ſagitta electa (quæ eminus ſolet emitti) pro ijs, qui longè erant, id eſt, peccatoribus, & Gentibus.

Supra 40.

Secundo fuit in eo Verbum, quaſi in voce: Ego, inquit, vox clamantis in deſerto: formata à Verbo, & Verbum, & ſe præ verbo exinaniens: dixit enim, *Illum oportet creſcere, me autem minui.*

Ioan.1. Infra 3.

Erat etiam in illa voce ſumma depreſſio cum tanta ſui deiectione: tenor quoq; conſtantis vitæ, de qua Chriſtus Verbum: *Quid exiſtis, inquit, in deſertum videre? Arundinem vento agitatam?* Erat etiam altiſſima & ſuprema vox: Quia inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.

Matth.11. Ibidem.

DISPVTATIO XVI.

In verba Ioannis: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

V. Dubitationes diluendæ.

IN Propoſitis verbis dubitatur primò, quorſum hæc dicantur, & qua ratione cum ſuperius dictis hęreant. Deinde quid hic nomine mundi intelligit Apoſtolus, & quid nomine eorum, quæ in mundo continentur. Tertio, quæ rationes produci poſſunt vt mundus non diligatur, ſi tanta bona in ſe continet. Quarto, cur mundus in triplicem concupiſcentiam diſtinguitur: oculorum, carnis,& ſuperbię vitæ. Quinto, quomodo mundus dicitur tranſire, & concupiſcentia eius, cum videamus mundum in ſuo ſtatu permanere; & Sapiens dicat, *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat.* Sexto, quo nam pacto faciens Dei voluntatem, manet in æternum, cum perinde ſubiectus tentationibus, infirmitatibus, & ipſi morti ſint, ille, qui bene operatur, atque ille, qui impiè,& perditè viuit.

Eccl.1.

De ſcopo Apoſtolico.

Ad primum reſpondemus, Ioannem hortatum fuiſſe ad mandatum charitatis ſeruandum, & vitæ puritatem retinendā poſt digreſſionem de antiquitate doctrinæ dilectionis, & ſublatum de medio odium fratris dilectioni contrarium: nunc aliud impedimentum amoris Dei tollit, nimirum amorem mundi: quia in amore Dei & proximi non peccatur, niſi altero extremorum duorum, nimirum vel odio proſequendo proximum, vel impenſe,& pluſquam par eſt, illum amādo: qua in re

Vt peccetur in Dei, & proximi amore.

in re amatur mundus. Et hoc præcipuè in infantibus, & imperfectis locum habet, vt ait Oecumenius: quos non eſt allocutus in repetitione, vt Patres, & adoleſcentulos, licet omnibus profit ſpeciatim ob rationes altiores, quas reddit. Nõ incommodè etiam diceretur, Apoſtolum vbi dixit adoleſcentibus quod vicerint, vel vincant, malignum; nunc docere modum victoriæ maligni, nempe non diligendo mundum, quo ille aſtutus ſerpens, vt noua Eua, & Adam vtitur ad nos expugnandos: vt ita cũ mundo luctans, non habeat vnde illum comprehendat, aut deprimat. Chriſto etiam Satanas mundi dominium eſt pollicitus ad eum ſuperandum. Qui enim mundum non diligit, fortis eſt, & in eum non poteſt malignus.

Oecumen. c. 2. in hanc epiſt.

Gen. 3.

Matth. 4.

Sequitur ſecũdum, in quo dubitatum fuit: *Nolite diligere mundum.* Falſi in primis ſunt teſte Auguſtino, qui differentiam aſſignarunt inter amorem & dilectionem, quod ille turpis ſit, hæc honeſta & rationalis: quia in Scriptura promiſcuè inuenimus has voces vſurpari, & in bonum, & in malum. Legimus enim: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam: Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*: quibus in locis, vt in eo quoque Ioannis, quem produximus, & interpretamur, diligere ponitur in malam partem. Verbum quoq; Amãdi, è contrario, in bonum ſæpè accipitur: vt ibi, *Si quis non amat Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, ſit anathema Maranatha: Domine tu ſcis quia amo te. Pater amat vos, quia vos me amaſtis.* Tamen verum eſt, quod charitas ſemper accipitur in bonam partem. Et quia dilectio eſt primus actus appetitus rationalis, ſicut dilectio eſt prima paſſio concupiſcentis virtutis: ideo meritò de illa, tanquam de radice bonorum, vel malorum dicendum eſt. Sunt præcepta affirmatiua, & negatiua: & dilectio mala mali odij eſt cauſa, ſicut bona boni. Ideò curato amore in homine, totus homo curatus, & ſanatus dicitur.

B. Aug. lib. 14. de ciuitate Dei, c. 7. tom. 9.

Inter amorem, & dilectionem quorundam inepta diſtinctio.

Pſalm. 10.
Pſalm. 4.
Ioan. 3.

1. Cor vlt.

Ioan. 21.
Supra. 6.

Charitas ſemper in bonum accipitur.

Duplex genus præceptorum Dei.

Nolite ergo diligere mundum. Non accipitur hic mundus pro vniuerſitate creaturarum, quia nomine, & reipſa, mũdi veniunt bona: & ideò diligendus eſt hac ratione mundus, in quo ſunt Angeli, & homines, de quibus eſt præceptum vt diligantur. Deinde non capitur pro hominibus in bonam partem, quia amandi ſunt vt proximi: alioqui non liceret diligere nos ipſos, qui pars mundi ſumus. Multa etiam amanda ſunt in homine, vt humana natura, facultates animæ, actus, & habitus, & quæ ſunt huiuſmodi. Tertiò non accipitur mundus pro bonis fortunæ: quia non video cur Apoſtolus iungeret: *Neque ea, quæ in mundo ſunt*: illa etenim per ſe ſumpta, & conſiderata haud ſunt odio habenda, cum ſint bona, & Dei dona. Superſunt igitur duo mundi ſignificatus: Prior eſt, vt mundus capiatur pro loco præſentis habitationis, id eſt, pro terra, quæ vt cœlo ſubeſt, & à Deo, & ab elementis temporalia accipit beneficia, influxus lucis, & caloris quibus fœcundatur, & locupletatur, atque adeo exornatur. Iſto ergo modo diligens mundum, vult permanere in præſentia amici, eoque frui, de quo Eccleſiaſticus: *O mors,* inquit, *quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis.* De ſeculo quoq; futuro deſperat, quod non guſtat, vt ait Apoſtolus: nolletque hic agere vt peregrinus in deſerto: ſeruitque ſub elementis mundi huius, id eſt, quæ veniunt ab elementis, & cœlo: temporalia tantum & æterna timet, & amat.

Duobus primum reiectis mundi ſignificatis, duo alia traduntur accommodatiora.

1. Significatus.

Eccl. 41.

Heb. 9.
Gal. 4.

Ex hoc autem timore mundi inordinato ſequitur animi vilitas, & argentum cum plumbo permiſtum, auerſio à Deo vero, & inimicitia Dei. Quicunque, ait Frater Domini, voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur: Dolor etiam de illo amiſſo: hinc Scriptura & Chriſtus ſuo exemplo ad peregrinationem nos inuitat verſus mundum meliorem, & ſtabiliorem habentem ſubſtantiam, vt diuitias, honores, delicias. In hoc autem mundo ſunt bona omnia temporalia naturæ, fortunæ, artis: quæ bona non ſunt vt finis amãda, & tuenda quaſi patria, ſed vt bona, quę ſeruiũt ad tranſitũ peregrinis quia eſſet diligere gemmas, & anulos, quos mittit Sponſus Deus, pluſquam Sponſum ipſum. Amor igitur mundi, abnegatio eſt patriæ cœleſtis, viſcus hærere faciens carceri, & conſpiratio cum hoſtibus aqua, & igni interdictis, hoc eſt, mundo, & dæmone damnatis. Inferius autem declarabitur, quæ bona ſunt in mundo.

Iacob. 4.

Heb. 10.

Amor mundi odio habendus [illegible]

Alter ſenſus eſſet, accipere mundum pro homine in malam partem: vt ibi, Teſtimonium perhibeo de mundo, quia opera eius mala ſunt. Vos de mundo hoc eſtis ego non ſum de hoc mundo. Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit: Odio ſunt Deo, impius, & impietas eius. Et in priori mundo ſunt obiecta triplicis concupiſcentiæ, in poſteriori ſunt habitus inordinati, & actus, qui amandi non ſunt.

Alter ſignificatus mundi nec alienus Apoſtolo.

Ioan. 7.
Infra 8.
Supra 7.
Sap. 14.

Sequitur: *Si quis diligit mundum, non eſt*

Chari-

Dilectionis conditio.

charitas Patris in eo. Quia dilectiò libera eſt, ſuadet obedire dicto præcepto: nam dilectio mala eſt inobedientia. In quo Dei magna, & Ioannis charitas cernitur, & mira noſtra deſidia. Sat enim fuerat dixiſſe ſine vlla probatione, ſi olim Pythagoræ verbum, *Ipſe dixit*, ſatis erat. *Non eſt charitas*, inquit, *Patris in eo.* Charitas, tale ac tantum donum eſt, vt cum eo mundi amor ſtare non poſſit. Eſt enim charitas donum filios Dei faciens, & Deum Patrem oſtendens, & crebrius Patri, quam alijs perſonis tribuitur, vt earum principio. *Omne datum optimum*, inquit B. Iacobus, *deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*; & Paulus, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum*, & infra: *Commendat charitatem ſuam in nobis*, alibi quoque, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei* (Patris ſcilicet) *& cõmunicatio ſancti Spiritus*, &c. Patri ergo abſolute, id eſt ei, qui eſt Pater Verbi, & Pater Spirituum Heb. 12. Qui etiam Iob alloquens: *Vbi eras*, inquit, *cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Eſt etiam Pater pluuiæ, & ipſe genuit ſtillas roris, & hoc eſt omnium corpora, omniaque creata prouidentia ſua gubernat, & paſcit.

Quale ſit quantumque donum charitatis, & cur Patri frequentius, quã filio, Spirituiq; ſancto tribuatur.

Iacob. 1.

Rom. 5.

2. Cor. vlt.

Ibidem.

Quid eſt Deum genuiſſe pluuiam, & ſtillas roris.

Quare verò duo iſti amores nequeant ſimul conſiſtere, in cauſa eſt contrarietas vtriuſque dilectionis: tendunt enim ad oppoſita, id eſt ad eſſe & non eſſe; ad puritatem, & impuritatem, ad nobilitatem, & ignobilitatem. Deinde anguſtia ſtrati cordis noſtri in cauſa eſt, quia cor noſtrum ſimul non poteſt capere Deum, & mundum & peccatum eſt illi, relicto Deo, hærere mundo. Tertio, quia charitas Patris tantum amat Patrem, & quæ ex Patre ſunt: dilectio autem mundi, ad ea quæ non ſunt ex Patre tendit; ideò contraria ſunt Patri. Et vt Pater non amat talem, ſed vt iudex qui reum vt adigat ad ſuſpendium, cibat & potat: lanio quoq; ſaginat vitulum, quem mactare proponit. Adhæc contradicit patris charitati: nam ſi te pater tuus ſecundum carnem magno pretio ab infidelibus Turcis liberaret, vt venires ad Chriſtianos, & tu liberatus ſponte maneres apud Turcas delectatus illis terræ bonis, iniuriam faceres patri: ita liberatus de præſenti ſeculo nequam, Chriſti ſanguine, adhuc amas hoſtem Dei, & tuum, id eſt mundum, qui eſt Babel aut Ægyptus, cui in Baptiſmo renuntiaſti: & non decet filium Regis manere in ſtabulo, aut in carcere, ſoluto iam debito. Mundus etiam vanus eſt, & qui in eo ædificat, vtitur arena,

Amor Patris & amor mundi cur mutuo ſe ſe excludant, & perimant.

Gal. 1.

Geneſ. 11.

Mundi fallaciæ.

Infra 31.

&, vt alter Laban, mutat mercedem decem vicibus. Quare mendax eſt in promiſſis, dans pro Rachele Liam, pro pace bellum, pro diuitijs paupertatem: & omnes quotquot ante nos fuerunt, vt verus proditor decepit: & vis tibi ſoli ſeruari fidem ab eo, qui nulli vnquam ſeruauit.

Supra 19.

Addit autem quartam rationem Ioannes cum ait: *Omne enim quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt.* Iuxta duplicem mundi acceptionem, duplex ſenſus his verbis aſſignandus eſt. Primus ſit, capiendo mundum pro habitatione terrena. Omne, inquit, quod in mundo eſt. Id eſt, Quod bonum iudicatur ab amatoribus eius, eſt, &c. Eſtq; hyperbole. Vel ſine hyperbole, id quod regnat, & floret, & in pretio eſt apud mundi dilectores. Eſtque hic ſenſus à Pauli verbis deſumptus, qui in priori ad Corinthios ait: *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret.* Dicuntur ergo non eſſe, quæ obſcura, & contempta, & vilia; eſſe verò dicuntur pretioſa, alta, atque magnifica. Vel id, quod appetit concupiſcentia carnis vt edere, bibere, laſciuire; & mollia concupiſcere: atque ita capitur abſtractum pro concreto, vt circumciſio pro circumciſis; ita concupiſcentia pro concupiſcibili obiecto; aut vt eſt concupiſcibile obiectum oculorum, vt diuitiæ naturales, & artificiales, bona fortunæ, ac temporalia, ſpecula, habere domos amplas inſtructas marmoribus, ſtatuis, picturis, tapetibus, vel aulæis: habere hortos, ſeu ſupellectilem pulchram, ſplendidam, pretioſam; habere arcam argento auro, gemmis, veſtibus, & ſimilibus plenam. Hæc etiam paſcunt oculos, & exhilarant. Aut eſt obiectum ſuperbiæ: qualia ſunt bona fortunæ, ſpiritualia quoque, vt honores, magnum nomen, poteſtas, excellentia, imperium, præfectura, & eiuſmodi.

Huius ſententiæ, omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, duplex intelligentia.

1. Corint. 1.

Quæ dicantur nõ eſſe, more Scripturæ.

In ſecundo ſenſu, capiendo mundum pro homine in malam partem, ſcilicet pro peccatore per affectum immundum trãſformato, in eo eſt concupiſcentia carnis, id eſt facultas concupiſcens, ſiue actus inordinatus circa obiecta tactus, & guſtus. Ac dicitur concupiſcentia carnis, id eſt, animæ, vt affixæ organis, quæ ſibi tantum conſonant, amantis, & amplectentis; qualia ſunt cibus, & potus, mollia omnia, & venerea; contrarijs vero, quantum poteſt, repugnantis.

Peccator quam patiatur concupiſcentiam carnis.

Concupiſcẽtia oculorum, eſt rationalis po-

Quid ſit

concupiſcentia oculorum.

lis potentia, & inordinata, atque eius actus circa diuitias, ſpectacula, & omnia curioſa. Et oculus organum eſt viſus: vnde ipſe per ſe nō appetit, ſed quatenus per eum vt feneſtram intrat obiectum conueniens. Vocaturq; concupiſcentia oculorum, id eſt, ab oculis concupitum ſiue à potentia mota ad id per oculos, per quos etiam indicat ſua adulteria, & paſſiones, difficileque domantur oculi ſicut cor eos conuertit ad mala ſpectacula. Nam equi oculos ſuos vertunt contra frænum ad equas cum corde.

Equorum laſciuia.

Quid ſuperbia vitæ.

Superbia verò vitæ, eſt iraſcibilis facultas inordinata, & eius actus inordinate tendens ad excellentiam, non referendo illam ad Deum, ſed ad ſe. Eſt autem virtutis iraſcentis motus terribilis, in fonte vitæ, id eſt, corde, habens vitam: dici quoq; poteſt ſuperbia, id eſt, ſupra ſe iens ad ardua, quæ ſibi arrogat, & adſcribit: & cum faſtu, ac ſtrepitu ex vita, hoc eſt, ex diuitijs prodeunt. Hinc Græcè ἀλαζονεία variè transfertur, nempe ſuperbia, arrogantia, faſtus vitę, & ambitio ſeculi. Eſt autem admodum terribilis iſta radix, pro cuius obiecto obtinēdo nos vita ipſa, aut alios, qui nobis repugnant, non ſine ratione priuamus. Bonum (pro Melius, more Hebræo) eſt mihi mori, quam vt gloriam meam quis euacuet. Et quia virtus omnis gloriam, & honorem parit; pro illa iuſtè ſuſtinenda vitam impendimus. Pro eodem etiam ſuperbiæ obiecto ſine ratione multi ſe vita priuant: vt qui pro minimo honoris puncto, aut verbo ſtatim ad ſingulare certamen prouocant. Porrò ſuperbia, oratione, & humilibus exercitijs directè tollitur, oblique autem laborioſis, quatenus pœnæ, & labores digreſſionem materiæ faciunt.

Vis iraſcēdi quam fortis ac vehemens ſit in homine. 1. Cor. 9.

Triplex carnis cōcupiſcentia in Adam, eiusque in Chriſto victoria, & medicina. Gen. 3.

Atq; hoc quidem triplici mundi funiculo ligatus fuit Adam, primus ille parens generis humani. Vidit enim pomū quod erat pulchrum viſu, & aſpectu delectabile. Fuit etiam concupiſcentia carnis illud guſtans: fuit demum ſuperbia vitæ, quia dictum illi fuit à dæmone, atque Euæ vxori ſuæ; Eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum. Sed hunc triplicem ſoluit ſecundus Adam, tentanti enim dæmoni de gula reſpondit: *Non in ſolo pane viuit homo*, &c. Tentantem de concupiſcentia oculorum, repulit, dicendo: *Non tentabis Dominum Deum tuum*: rurſus cum illi offerret omnia regna mundi, ſi cadens ſe adoraret, eum à ſe propulſauit, dicendo: *Vade retro Satana*, &c. Prima concupiſcentia carnis, eſt in puritatem Spiritus ſancti: ſecunda oculorum, in ſapientiam Filij Dei: tertia eſt in potentiam Patris. Et à Ioanne ponitur eo ordine, quo & tentant, & vincenda ſunt: prima, ab infantibus; ſecunda, ab adoleſcentibus, & tertia à patribus, licet ab omnibus omnes debeant vinci.

Matth. 4. Deut. 8. Supra 6.

Mirum autem eſt, quod ait de ſuperbia vitæ: quæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt. Magis placet, quod Græcè legitur, & refertur ad illud: *Omne quod in mundo eſt*, & ſubdit: *Quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Poſſet etiam dici relationem eſſe ad triplicem concupiſcentiam, & non ad ſolam ſuperbiam: quod in idem recidit. Sed illud difficilius, quomodo dicat, ea quæ in mundo ſunt, id eſt obiecta dictarum cōcupiſcentiarum, non eſſe ex Patre, ſi omnia ab ipſo facta ſunt; & omnia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt, vt Apoſtolus docet. Rurſus dubium eſt, quomodo iſta triplex coucupiſcentia non ſit ex Deo, vel ex Patre; cum concupiſcentia ſit pœna, & omnis pœna ſit à Deo? Reſpondetur primæ obiectioni de triplici concupiſcentia, quod licet, quantum ad ſubſtantiam talia ex Deo ſint, non tamen quatenus à Patre, vel à Patris Spiritu, qui magna donat, & non eſt à Patre. Spiritus enim, quem largitur Pater & per quem geniti ſumus in fide, & profeſſione noſtra, qui renunciauimus diabolo, & omnibus pompis eius, ſi videat nos res illas, quibus repudiū miſimus, repetere, indignatus à nobis recedit, ac deſerit nos. Quatenus autem talia obiecta nos perturbant, non ex Patre veniunt, nec ex Deo, quia non iſta ad hoc cōdidit, ſed vt per ea cognitus, ametur, & glorificetur Deus. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoq; virtus eius, & diuinitas. Sed hoc prouenit à pedibus inſpicientibus, hoc eſt à prauis affectibus hominum ſtultè in eas incidētium. Quemadmodum cibus bonus eſt ex ſe, ſed conualeſcenti nocet ob infirmitatē ſuam. Nemo ergo cum tentatur, dicat, ait frater Domini, quoniam à Deo tentatur. Vnuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua, abſtractus (per auerſionem à Deo) & illectus, per cōuerſionem ad creata. Ideò ex mundo eſſe dicuntur, id eſt, ex veteri homine, quatenus perturbant Dei ordinem per occaſionē, vt diximus. Quātum ad ſubſtantiam verò ſunt ex mundo, hæc ſcilicet dona humilia, & terrena, quæ Deus immediate nō facit, ſed ad ea mundus, id eſt, cœlum, & elementa, attingit: & mūdus, hoc eſt terra cum ſuo influxu quē recepit. Inde enim diuitiæ, honores, ad

Rom. 11.

Qui verū ſit: omne quod eſt in mundo ex Patre non eſſe, omnium ſcilicet fonte, atq; autore bonorum. Ioan. 3.

Rom. 1.

Iacob. 1.

Quid ſit, triplicem concupiſcentiam eſſe ex mundo.

quos

Variæ hominum propenſiones, & ingenia, & vnde proueniant, eorumq; medicina.

quos exhibendos aſtra inclinant, & iuuāt. Nam aliqui ſunt ſuapte natura ſubiecti, & habiles, qui per alios regnantur, alij verò apti ad regendum alios, & illuminādum. Alij propenſi ad diuitias, alij verò ad carnis vitia. Etſi liberum arbitrium, & virtus, & gratia, corrigere valeant corruptæ naturæ prauos motus. Adhæc per facultates, etiam organicas ad illa tria homo cum Sole attingit; ſecus ad apicem rationis, quæ ex Patre eſt animam infundente, & alia infuſa dona conferente. Talium præterea virtutum organicarum actus cum mundo, id eſt, veteri homine, & cum eius principe & patre diabolo facimus, non autem cum parente cœleſti: ideò Deus intentator malorum eſt. *Iacob. 1.*

Vnde illa carnis triplex concupiſcentia oriatur.

Ac licet illa triplex concupiſcentia, & lex membrorum ſit ex Deo puniente hominem, non tamen ex Deo creante, ſed ex hominis culpa, & peccato id promerente in ſupplicium: quemadmodum dicitur Deus mortem non feciſſe. Deus etiam non ſtatim expulit Chananæos, ne Iudæi deuorarentur à beſtijs, vt legimus in Exodo: quia Deus non vult vitia tollere ſine nobis ipſis: & melius eſt pugnare cum ſtimulo carnis, quam cum ſtimulo elationis. Vnde abominandum eſt, quod nos tam imbecilli, & impotentes adhuc ſuperbiamus. *Rom. 7. Sap. 2. Exod. 23. 2. Cor. 12.*

Qualis quiſq; ſit.

Sequitur: *Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius.* Noua ratio additur, ne mundus diligatur, & talis eſt quiſq; quale eſt illud, quod amat. Deum amas? Deus eris. Æterna diligis? æternus eris. Terram, & carnem, & tranſeuntia diligis? terra eris, & caro, & aliquid tranſiens, nec permanens: Et ita Propheta dixit: *Facti ſunt abominabiles, ſicut & ea quæ dilexerunt.* *Oſe. 6.*

Si mundus tranſit, quomodo terra in æternum ſtat, iuxta Sapientem. *Eccleſ. 1.*

Obiectum fuit ſuperius; Quomodo tranſit terra, quæ in æternum ſtat, vt dicitur Eccleſ. 1. & quo modo tranſit concupiſcentia, quæ in damnatis permanet? Dicendum eſt, hanc habitationem cum omnibus in ea contentis, in perpetuo fluxu eſſe, quia conſtat ex elementis variè motis, ab influxu etiam, & motu cœli. Vnde Ver, Æſtas, Autumnus, & Hyems, & exinde generationes, & corruptiones. Hinc & debilitantur ſpecies, ac indiuidua eorum pu ntur. Ex quo fit, vt obiecta triplicis concupiſcentiæ nobis tranſeant, quia citò recedemus de mundo; ipſe quoque mundus in vniuerſum tranſiturus eſt igne cremandus, vt Petrus ex Dauide, & ex alijs Prophetis comprobauit: Dominus item; *cœlum, & terra tranſibunt.* *2. Pet. 3. Pſal. 101. Eſa. 65. Matth. 24.*

Vt tranſeat mundi concupiſcentia. *Pſal. 111.*

Dicitur & concupiſcentia mundi trāſire, id eſt, eius concupiſcibile, & pariter deſiderium peccatorum (id eſt, diligentium mundum) peribit teſte Propheta, vt perpetuò fruſtra deſiderent. Homo etiam vetus cum concupiſcentijs ſuis, & actibus de die in diem corrumpitur, quia eſt delicatiſſimæ temperaturæ, cuius harmonia facilè mutatur, ex ſano in ægrotum, ex læto in triſtem, ex iuuene in ſenem, ex viuente in mortuum. *2. Cor. 4.* Quomodo autem tranſeat mundus, rectè explicauit Salomon cap. 5. Sapientiæ, in perſona Damnatorum, cum inquit: *Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens: & tanquam auis quæ pertranſit fluctuantem aquam; cuius cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus: aut tanquam auis; quæ trāſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, &c. Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum: diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati continuo deſinimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus.* Hæc ibi Salomon ſapientiſſimus. *Sap. 5.*

De mundi tranſitu digna Salomone ſententia, eiuſque declaratio.

Quæ vt breui explicatione expediam, vmbra, ſunt bona temporalia, quia nec ſolida, nec ſatiant animum noſtrum: quemadmodum etiam vmbra panis & vini famem noſtram non aufert. Præterea nuntius præcurrens, ſiue per equos diſpoſitos feſtinans, literas defert ad infernum, vt præparent locum his, qui in mundo manent. Nauis varijs ventis affectuum agitata, amator mundi eſt, qui per falſæ ſeculi vndas, tandem in portu naufragium mortis facit. Auis verò, quæ tranſuolat, & non apparet, nec extat vllum veſtigium eius, ille eſt, qui nullam virtutem operatus eſt dum viueret, ſed totam vitam conſumpſit in vitijs conſummandis. Tanquā ſagitta verò emiſſa in locum deſtinatum opes ſunt, cum damno ſubditorum, aut proximorum partæ, quæ vt ſagittæ alios feriunt è lōginquo, quia malè parta, malè dilabuntur. Hæc illi dicebant in inferno; quia tantummodo ſola vexatio (ait Eſaias) dat intellectum. *Eſa. 28.* Qui enim rerum præſentium tranſitum, & inſtabilitatem non percipit, inde eſt, quia homo cum illis quæ diligit, & quibus vnitur, non aduertit ſe tranſire. Si autem velis ab eis corde diſcedere, tunc videbis fluxum. Sicut ſitula quandiu plena eſt aqua, & quandiu intra aquam manet, eius grauitas non ſen-

titur: ſi autem extra aquam educatur, tunc pondus, & grauitas facile percipitur. Tranſit ergo mundus cum ſuis omnibus, in eum ſenſum, quo dicimus, eum, qui moritur, facere tranſitum: quia omnia quæ hic ſunt, & eorum dilectores perpetuò tranſeunt, & moriuntur.

Qualis tranſitus mundi.

Subdit membrum oppoſitum Ioannes: *Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Non intelligit ipſam voluntatem, hoc eſt, potentiam, vel actum voluntatis diuinæ, quia illam nemo poteſt facere, ſed obiecta à Deo, verbo, vel opere indicata, & præcepta nobis. Eſt autem voluntas Dei, regula recta volens noſtram ſanctificationem, qua indies exuamus veterem hominem cum actibus, & concupiſcētijs eius. Vult etiam obediri legi ſuæ, atq; mandatis: atq; hic eſt qui manet in æternum, id eſt, qui non tranſit, nec morietur, ſed permanebit. Sic etiam dixit Dominus, *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, nō guſtabit mortem in æternum.* Quia diffidens ſibi, Deo vnitur, quemadmodum terra ſuper nihilo fixa, & appenſa fortiſſimè manet. Manet autem quantum ad interiorem hominem, qui renouatur de die in diem, & non tranſit, & ille maximè eſt homo, & expectat, vt euigilet à ſomno, qui ſummo mane iudicij expectabitur. Malus verò, quia rebus, quæ cum flumine tranſeunt, hæret, ad tempus ſine fide ducitur: bonus verò, qui in flumine mundi manet, hæret arbori Chriſto in ripa exiſtenti: & cum facit Dei voluntatem, & quærit id quod æternum eſt, ſeruatur ad ſtabilitatem æternitatis, quia plus amat ſponſum, quam anulum ſibi ab eo donatum, id eſt, bona mundana. Tales etiam fideles ſic tranſeunt, vt multa ſuarum virtutum veſtigia alijs imitanda relinquant. Et tempus fluens, non aliter quam bonis operibus à nobis ſiſtitur. Et de his hactenus.

Quis faciens voluntatem Dei, in æternum manet.

1. *Theſſ.* 4. *Epheſ.* 4.

Ioan. 8.

2 *Corin.* 4. Manet quomodo in æternū faciens Dei voluntatem.

DISPVTATIO XVII.

In illa Ioannis Apoſtoli verba: *Filioli, nouiſſima hora eſt. Et ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt. Vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum, ſed vt manifeſti fiant, quoniam non ſunt omnes ex nobis.*

PRIMVM Dubium hic eſt, quorſum hæc dicantur. Secundum, quomodò poſſit hora nouiſſima vocari tempus Ioannis Euangeliſtæ, quod plus quam per mille, & quingentos annos à nobis diſtat. Tertium, qui ſint iſti antichriſti, qui iam veniſſe dicuntur. Quartum, de quibus ait Ioannes: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis*: quia in his verbis primò ſpeculandum eſt, quò tendant; deinde ex multis ſenſibus, qui illis tribuuntur, quis eorum præſtantior videbitur, diſcutiendum. Quinto, & poſtremo loco quędam & docta, & tempori accommodata ſunt elicienda ad hæreticorum notas, & ſigna diſcernenda.

Prima dubitatio. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta.

Primam dubitationem diluendo, dicimus, ſuperius Ioannem hortatum fuiſſe ad tollendum odium fratris, & ad dilectionem mundanam fugiēdam, quæ duo maximè impediunt dilectionis Dei, & proximi præceptum, quo vno & iuſtitia perficimur, & ſeruamur: nunc magis intrinſecam radicem vt eruant, ſuos adhortatur, nimirum fidei errores, quam illibatam charitas ponit, exigitque: quia ſi iuſtus ex fide viuit, non eſt iuſtitia, vbi fides non eſt. Et vt teſtis eſt Auguſtinus contra Pelagianos diſputans, non eſt probanda ſanctitas vitæ in hæretico, quia ficta eſt: & præſtat, inquit coniugata Catholica, profeſſæ virgini hæreticæ. Tertullianus in lib. de Præſcript. hæreticorum, rectè ait contra eos, qui ex ſanctitate virorum colligebant fidei puritatem: *Ex perſonis*, inquit, *probamus fidem, an ex fide perſonas.* Fides enim probat, vitam ſanctam aliquem habere, non autem vita ſancta fidem: quia multi veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

Ad primū dubium. De continuatione horum verborum atque ſententiæ cū precedentibus. *Abac.* 2. *Rom.* 1. *Aug. libr.* 3. *contra* 2. *epiſto. Pelag. ep.* 5. 10 6. Notabile dictum Auguſtini. *Tertull. prope initium huius libri tomo* 1. *Matth.* 7

Ait ergo, *Filioli*, quos vt pullos infeſtatos à miluo Tartareo ſub alis fidei Chriſti quaſi bona mater commiſerando congrego, & quibus vt pater proſpicere debeo. Quo minores enim ſumus, & minus nouimus nos ipſos regere, & minus nobis ipſis fidimus, eo magis Deus noſtri curam, & cuſtodiam habet.

Ioannis in filios Parthos cura atq; prouidentia.

Secundum dubium de nouiſſima hora diſſoluimus, aſſerēdo, dupliciter hūc locū intelligi poſſe: vel vt per figurā hyperboles tēpus Ioānis dicatur nouiſſimū, id eſt, tam magnas habens tribulationes vt ſit ei ſimile: ſicut ſolet dici amicus alter ipſe, ob ſimilitudinē. Vel vt ait Oecumenius, nouiſſima & extrema hora eſt, hoc eſt, mala, & peccatis, & ſupplicijs plena, vt erit vltima. Nā aduentus hæretici turbātis fidē & aliquos ad ſe trahentis, culpā grauiſſimam habet: vt ſi abigeus abducat ouem, ſi dux faciat transfugam tuum militem, vel

Ad ſecundum dubium. De hora nouiſſima tempore videlicet Ioannis vſque ad tempus præſens.

plagia-

plagiarius hominem: habet etiam pœnam in bonis infirmis qui ſcandalizantur. Et ſæpè oppreſſi rationibus hæreticorum dubitare coguntur. Et perfectis, & robuſtis eſt crux, & martyrium. Vnde Tertullianus de Præſcr. hæretic. *Scripturas*, inquit, *obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent: in ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* Quod etiam hodie in congreſſu cum hæreticis contingere ſæpè vidimus.

Tertull. paulò remotius à princip. Hæreticorum mores ex Tertulliano.

Alter ſenſus eſſe poteſt, vt nouiſſima hora ſit vndecima, quæ Matth. 20. tempori Noui teſtamenti conuenit. Et ſubdit: *Et ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit.* Græcè eſt præſentis temporis ἔρχεται. Antichriſtus, inquit, venit, id eſt, is qui nouiſſimo tempore: & ita ponitur præſens pro futuro. *Nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Hæretici ſcilicet præcurſores Antichriſti. Hieronymus in prophetam Nahum: tot, inquit, ſunt Antichriſti, quot dogmata falſa. Auguſtinus quoque ſæpè teſtatur, Antichriſtos eſſe hæreticos: & idem prorſus eſt ſenſus cum priori B. Hieronymi: niſi quod ille in abſtracto loquitur, hic in concreto. Sunt itaque hæretici, antichriſti, quia eius præcurſores, & de illius ſpiritu participantes: maximè quia ſoluunt Ieſum, eius negantes Deitatem, vel humanitatem, vel quod ſit Meſſias promiſſus. Hinc Paulus ad Timoth. *Spiritus*, inquit, *manifeſte dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide.* Dominus quoque apud Matthæum: *Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ.*

Altera ſolutio de nouiſſima hora.

Antichriſti qui myſticè ſecundum Hieronymum.

B. Hier. in ca. 2. Nahū tomo. 6. Aug. li. 20. de Ciui. Dei c. 19. tom. 5. Idem lib. 2. Con. aduer. leg. & Prophe. cap. 12. tom. 6. 1. Ioan. 4. 1. Tim. 4. Matth. 24.

Nouiſſima verò hora Græcè dicitur ἐσχάτη, id eſt, extrema; & nouiſſima vocatur quaſi νέον, quod ſignificat, recens. Et quod nuper fit magnum, mirandum, & repentinum ſæpè nominamus: clarum etiam nouum dicitur, quemadmodum ij, quorum maiores nulli clari fuerunt, ſed illi ipſi per ſe clari eſſe inceperunt, & virtute ſua ſuis præluxere maioribus. Et nouiſſimum accipitur pro vltimo: quia quæ recenter fiunt, vltimum locum habent. Hora verò capitur pro tempore, vt ibi: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*; & alibi: *Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua*; rurſus illic: *Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua neſcit.*

Quid ſit hora nouiſſima.

Rom. 13. Ioan. 19. Luc. 12.

Verbum autem illud, *Filioli, nouiſſima hora eſt*, referri poteſt ad dicta ſuperius, vel ad ea quæ dicenda ſunt. Si ad præcedentia referatur, hoc verbum maxime nos ab amore mundi auocare deberet: quid enim quærimus diuitias, honores, voluptates? Vt quid diligimus vanitatem, & quærimus mendacium, & aggrauamus contra nos denſum lutum; cum ſciamus nouiſſimum tempus eſſe, nec ſolum mortem, ſed etiam finem appropinquare, nec ſupereſſe nobis niſi vnam horam, de qua: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*; & Paulus, *Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui vtuntur hoc mūdo, tanquam non vtantur.* Alluditque Apoſtolus ad illud quod dixerat: *Mundus tranſit, & concupiſcentia eius.* Item hoc verbo corripit pios, qui mundi bona cōtempſerunt, & reliquerunt: quos conſolatur, quia pulchrum, & vtile eſt ea re ad horam, & ad tempus carere, vt ea in perpetuum frui poſſis. Deinde redarguit pigros, & ſomnolentos, qui conuerſionem ſuam de die in diem proferunt, & procraſtinant, ſemperque aliquid excuſationis præferunt. Quid igitur tibi longam vitam polliceris, cum ſis iam in vltima hora? Monemur ergo, vt omnem horam velut nouiſſimam reputemus. Denique totum tempus non niſi vnam horam nominat, eamque nouiſſimam, & poſtremam.

Apoſtoli Ioannis ad mundi contemptum exhortatio.

Pſal. 4. Habac. 2. Luc. 12.

1. Cor. 7.

Quod ſi illa verba coniungantur cum ſequentibus, admonitio Apoſtolica eſt; quaſi dicat. Moneo vos filioli, vt diligenter obſeruetis, quæ hactenus audiſtis circa fidem, & ea quæ ſpectant ad vitæ puritatem, & charitatem, & contemptum mundi, quia nos ſumus, in quos fines ſeculorū deuenerunt. Nec nos in tempora illa periculoſa incidimus, de quibus Chriſtus Matth. 24. Paulus 1. Tim. 4. Petrus 2. Pet. 2. & Iudas in Canonica ſua; & ideò magis vigilandum eſt, ne ſeducamur. Atque hic ſenſus magis congruit, quia illi applaudit Apoſtolus ipſe dicendo: *Vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt.* Docet ergo cauere à pſeudoprophetis, ſiue pſeudapoſtolis, quia nullibi maius periculum eſt, quam à mala doctrina. Si enim doctrina corrupta eſt, nec fides prodeſt, nec ſpes, nec charitas, nec vita quantumcunque ſancta.

Eiuſdem Ioannis ad Antichriſtos, hæreticos ſcilicet, vitandos, & fugiendos cohortatio. *1. Cor. 10.*

Circa illam ſententiam: *Antichriſtus venit*, de quo Chriſtus dixit Ioan. 5. *Si alius veniet in nomine ſuo, illum accipietis*, & Paulus vocat hominem peccati, & filium perditionis; & quia Ioannes à ſingulari numero ſtatim ad pluralem tranſit putarunt nonnulli, Antichriſtum non eſſe aliquam certam, & vnicam perſonam inſigniter ſceleratam, & peſtiferam, ſed gregem, ſiue numerum eorum, qui non ſolum ab initio Eccleſiæ, ſed etiam mundi, verbum Dei oppugnarunt. Verumtamen textus ipſe hic, & duo loci iam producti cum il-

Antichriſti nomine non gregem impiorum hominum ſed ſceleratiſſimū quendam ſingularem hominem apud Ioannem deſignari. *Ioan. 5. 2. Theſſ. 2.*

lo Dan. 11. vnum tantum, & inſignem Antichriſtum ſub Chriſti iudicis aduentum adfuturum fide certa ab omnibus credendum proponunt: & ferè omnes Eccleſiæ Patres diſcrimẽ faciunt inter illum ſingularem, & plures hos Antichriſtos. Ita Irenæus Valentinianos, & Marcioniſtas, antichriſtos vocat, ſicut Hilarius Arrianos, & Cyprianus Nouatianos. Qui tamen Patres non ob id negarunt illum vnicum Antichriſtum in fine ſeculi vẽturum: ſicut Scriptura cum dicit de Ioanne: *Veniet in Spiritu, & virtute Eliæ*, non tollit verum Eliam in perſona vẽturum. Solemus etiam nos dicere de quibuſdam, qui tyranice regnant: Habemus Turcam nobiſcum: de peſſimis etiam hominibus dicimus, quod ſint filij diaboli, ſicut etiam Chriſtus dixit de Iuda: *Vnus ex vobis diabolus eſt*: non propterea tamen negamus, Turcam, aut regnare Conſtantinopoli, aut Angelos qui ceciderunt, eſſe veros diabolos. Ita cum ſermo eſt de Antichriſtis, non negatur vnus quidam certus, & inſignis.

S. Irenæ lib. aduerſ. hæreſ.

Luc. 1. Apoc. 11.

Ioan. 6.

Agit quis contra Chriſtum dupliciter.

Duobus autem modis agit quis contra Chriſtum; aut doctrina, aut vita. Ac tempore Apoſtolorum non ſolum erant, qui Chriſto contraria docerent, vt Ebion, & Cherinthus, verumetiam qui ſecus ac docuit Chriſtus, viuerent: vt Simon Magus emptor doni Spiritus ſancti; Nicolaus diaconus habens vxorem in communi, & illi, quos deflet Paulus ad Philippenſes, & vocat eos inimicos Crucis Chriſti: quorũ Deus, inquit, venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.

Act. 8. Philip. 3.

Quos vocet hic Antichriſtos Apoſtolus.

Non ergò loquitur hic Ioannes de Iudæis, aut Paganis, qui ſe Chriſti hoſtes publicè profitebantur, ſed de ijs, qui Chriſti nomen profitentes, cõtraria tamen Chriſto aut docent, aut agunt. Etſi verò Chriſtus vnus ſit tantũ, antichriſti tamen multi ſunt, qui diſſidẽt inter ſe, & vnus interdum à ſe ipſo. Vna tantum eſt veritas, falſitates multæ: ac varia mendacia. Tempore Ioannis poterant dici antichriſti omnes Gentiles idololatræ, & omnes Iudæi obſtinati, & hæretici, qui à fide diſceſſerant: mali etiam Chriſtiani, qui vitam Antichriſti ſectabantur: boni item Chriſtiani, qui peccatis, etſi leuibus, & venialibus, contrarij erant Domino. *Scandalum mihi es*, inquit Dominus Petro impedire eius paſſionem temerè volenti. Sed de his non loquitur hoc loco Ioannes, verum de ijs tantum, qui de Eccleſia exierunt per negationem articuli principalis continentis ſummam ſalutis, qualis erat, Chriſtum non eſſe Ieſum, ſeu Meſſiam. Idololatræ verò, quibus nondum prædicatus Chriſtus erat, non exierunt, nec etiam illi qui prædicatum eum noluerunt acceptare. Et quia aliquibus prędicatum non fuit, & indifferenter ſe habebant ad dictum articulum, etſi ore illum negabant, erat ex propria opinione, & aliorũ relatu: Iudæi verò, quibus prædicatum tempore Ioannis fuerat, & noluerunt credere, propriè dicuntur antichriſti, quia præciſi ab Eccleſia, quod nouũ articulum declaratũ noluerũt acceptare. Iudæi autem ſuccedentes illis, culpabiles ſunt in omiſſione recurrẽdi ad Deum, qui lumen porrigeret, & dictum articulum eis reuelaret: ſed non ſunt antichriſti, quia non exierunt ab Eccleſia, extra quam nati ſunt, etiamſi hæc ſecta neget illum eſſe Chriſtum, ſeu Meſſiam.

Matth. 16.

Summa ſalutis quæ.

Iudæi qui erant olim antichriſti, & cur eorum tamen filij non ſint, nec dicantur antichriſti.

In pſeudochriſtianos, & pſeudo-Iudæos.

Porrò nos noſtra vita tollimus illis Meſſiæ cognitionem, & paradiſum, & facimus, vt minus puniantur in inferno, & plus nos, quia illis Chriſtum nõ promulgamus, ſed operibus potius diſſuademus. Iudæi autem qui tempore Ioannis ſuſceperunt Chriſtum, & poſtea negarũt, propriſſimè antichriſti ſunt, de quibus hic loquitur: ſicut Gentiles, qui illo agnito, & ſuſcepto, iudaizarũt. Sed plures ex Iudæis, quam ex gentibus impingunt in hunc articulum, cum cõtra deberet eſſe, Chriſto ſuo ſecundum carnem, & miniſtro Verbi exiſtente. Noſtro autem tempore antichriſti multi ſunt, nempe Idololatræ, Mahumetani, Iudęi; qui omnes infideles ſunt: ſed inter priores ſunt Iudæi, hæretici verò, & falſi Chriſtiani adhuc peiores ſunt, quoad occultam hæreſim ſpectat, nolentes manifeſta vitia mundare, ſed volentes prius mundare quod deforis eſt, hoc eſt, hæreticos, ſeu Lutheranos pluſquam ſe ipſos, quos etiam à magna parte peccatorum excuſamus per noſtra vitia, & exorbitantia peccata, vt peiores quodammodò ſint falſi Chriſtiani, quam Idololatræ, & Iudæi.

Quos & antichriſtos ferat infelix tempeſtas noſtra Chriſtoq; opponat, atq; obiiciat ad pugnam.

Subdit: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, &c.* Declarat iam qui ſint illi antichriſti, qui exierunt, inquit, ex nobis: ideo excludit Paganos, & Iudæos, & conſolatur eos, ne idcirco conturbentur, ſed fortes, & conſtantes in fide ſemel ſuſcepta permaneant, Chriſtum ducem, & magiſtrum imitantes, qui fortis fuit in receſſione ſuorum: *Nunquid*, inquit, *& vos* (ſcilicet mei Apoſtoli) *vultis abire?* & Paulus ad Hebræos: *Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tanto magis, quanto videritis appropinquantem diem*; & alio

Vnde Antichriſti illi, quorum meminit Apoſtolus, prodierint: eodem autore.

Ioan. 6. Heb. 10.

2. Tim. 2.

alio loco, *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, Nouit Dominus qui ſunt eius.*

Cur ad illos vitandos, & fugiendos Ioannes adhortetur.

B. Aug. tract. 3. in hanc epiſto. Ioannis.

Soluit etiam obiectionem quorundam ſic argumentantium : Si Chriſtiani fuerunt, & ſacro loti Baptiſmo, quare nos ab illorúm doctrina abſterres ? Reſpondeo : *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* Græcè legimus, ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον. Putãt quidam Latinius dici potuiſſe : Ex nobis exierunt, vt legit beatus Auguſtinus : ſiquidem de quorundam ab Eccleſia defectione eſt ſermo, non de origine, ex qua orti ſunt. Quare quidam verterunt : *Ex nobis profecti ſunt.*

Apoſtolum Ioannem his verbis: Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nequaquam ſignificare non prædeſtinatos ſeu non electos.

Iam verò quod attinet ad ſenſum, non videtur Apoſtolus eos ſignificare voluiſſe non fuiſſe prædeſtinatos, propterea deceſſe. Primo, quia hoc eſſet dare occaſionem carnalibus reijciendi culpas in Deum. Dicere enim poſſent in die Iudicij: Domine, ego nunquam fui de prædeſtinatis; ac proinde non potui perſiſtere in Eccleſia non prædeſtinatus. Deinde quia ex hoc quod quis exeat extra Eccleſiam, non debemus temerè iudicare, non eſſe talem de prædeſtinatis; Quia Paulus, & Auguſtinus, Dauid, & Petrus, & alij permulti errarunt aliquando, & reſipuerunt, & in ouile Eccleſiæ reducti ſunt. Tertiò durum videtur, per verbum, Non erant ex nobis, Apoſtolum nouiſſe, omnes tales fuiſſe prædeſtinatos, quod eſt contra Scripturam, quæ habet, cognouit Dominus qui ſunt ſui. 2. Timoth. 2. quo indicatur nulli hominum fuiſſe communicatum. Quartò, quia non eſſet idonea conſolatio, cum potius eſſet dolendum de caſu non prædeſtinati, ſi Chriſtus mortuus eſt pro eis, & erant membra Chriſti, & fratres; ſicut etiam Paulus defletinimicos Crucis Chriſti ad Philippenſ. 3. eos qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & Impudicitia, quam geſſerunt : & Chriſtus videns ciuitatem (Ieruſalem) fleuit ſuper illam. Hic ſenſus primus eſt Auguſtini libr. de bono perſeuerantiæ, & lib. de Natura, & Gratia, & Gloſſæ Interlinearis. Durus ille quidem meo iudicio, qui inuoluit hoc dogma, exiſtentẽ in gratia, non eſſe de Eccleſia, eo quod non ſit prædeſtinatus. Continet etiam, diſcedentes per hæreſim eſſe reprobos, cum poſſint redire, vt multi redierunt. Implicat etiam aliud, remanentes omnes in Eccleſia, ſaluos fieri, cum quinque virgines fatuæ excludantur.

Philip. 3.

2. Cor. 12.

Luc. 19.

B. Aug. ca. 8. de Bono perſeuerantia, tom. 7.

Idem.

Gloſſa Interlin.

Huius ſententiæ varia incommoda & abſurditates.

Matth. 25.

II. Senſus eorum verborum

Quarè ſecundus horum verborum ſenſus eſſe poſſet ſatis cõformis, quod Ioannes conuerſis ex Iudaiſmo ad Chriſtum ſcribẽs (vt ſupra innuit, cum dixit: *Chariſſimi non mãdatum nouum ſcribo vobis, ſed mãdatum vetus quod habuiſtis ab initio*) de falſis Iudæis, & Antichriſtis factis loquatur, dicens, illos aſſerere ſe Iudæos, ſed non eſſe: nam ſi fuiſſent Iudæi, confitentes in gratia Deum regem Meſſiam, & Chriſto adhæſiſſent, non ſe à primitiua Eccleſia ſeparauiſſent, quod eſt exire : de quibus in Apocalypſi cap. 2. ait Dominus ad Angelum Smyrnæ Eccleſiæ; *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es, & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ.* Paulus quoq; Rom. 9. *Non enim omnes qui ex Circumciſione ſunt Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ. Neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij.* & c. 2. eiuſdem epiſtolæ, *Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt : neque quæ manifeſto in carne, eſt Circumciſio, &c.* ſcilicet mala vita, quæ duxit eos in incredulitatem, per quam, velut rami, fracti ſunt, & exierunt; vt fide intratur velut per portam. Idem quoque alibi ait : Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur. Potens eſt enim Deus iterum inſerere illos. Chriſtus etiam Ioan. 5. *Quomodo*, inquit, *vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Sicut ſimplices facile credunt. Vnde Nathanael dixit; *Rabi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſrael*; & Cæcus natus, *Quis es, Domine, vt credã in eum?* rurſus, *Si crederetis Moyſi*, ait Dominus, *crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit* & ſi Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me. Eſt ergò ſenſus de Iudæis ſua culpa Chriſtum non profitentibus. *Ex nobis prodierunt*, id eſt, A patribus venerunt. *Sed non erant ex nobis.* Quia non eodem animo, & affectu ducuntur, quo nobis patres ſecundum carnem ſunt, ſed non ſecundum religionem, & pietatem.

Ioannis non ineptus, nec incongruus.

Apoc. 2.

Rom. 9.

Supra 2.

Cauſa incredulitatis Iudæorum.

Infra 11.

Ibidem 23.

Ioan. 5.

Supra 1.

Infra 10.

Supra 5.

Supra 8.

Tertius ſenſus germanior, ac plenior, quia ſecũdum comprehendit, eſt, vt accipiamus tam de Chriſtianis, quam de Iudæis Chriſtum profeſſis, & baptiſmo tinctis, poſtea verò vel ad Iudaiſmum, vel ad hæreſes retrocedẽtibus. Quo in ſenſu Cyprianus accipit in lib. de ſimplicitate Prælatorum, & libr. 1. epiſtolarum, epiſt. 8. ad Magnum. Ait enim, hæreticos, priuſquã apertè ſe prodant, vt parricidale Eccleſiæ, & exitiale bellum inferant, iam ab Eccleſiæ fide, & moribus Chriſtianorum diſceſſiſſe, & Hieronymus in vltimis verbis libr. 1. in Ieremiam, de hæreticis loquens, *Foras*, ait, *prodeunt, vt publice colant, quod*

Tertius ſenſus qui maximè probatur autori.

B. Cyprian

Hier. tom. 5.

Aug. to. 9. *intus prius venerabantur.* Auguſtinus quoq; tracta. 1. in hanc epiſtolam, interpretatur neminem ab Eccleſia poſſe diſcedere, quin prius animo ſe ab ea diuulſerit. Ergo ex nobis exierunt, id eſt, De Eccleſia viſibili, quaſi de caſtris Domini, in caſtra hoſtium transfugerunt, & quaſi de ouili Chriſti ad ouile hoſtium à lupis ſeducti vt deuorentur, & quaſi prodigus de domo patris in regionem longinquam, vbi, neceſſitate compulſi, paſcant porcos, & fame pereant; & quaſi piſcis malus de reti, & coruus de arca, quaſi paleæ de area ventilabro excuſſæ, atque diſſipatæ. Atque hoc quidem quantum ad dogmata, & externum altare, & ritus. *Sed non erant ex nobis.* Quantum ad internam fidem, & charitatem tempore quo exierunt, licet in ea eſſe potuiſſent. Sicut his verbis Domini inſinuatur in Apocalypſi cap. 2. *Habeo aduerſum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquiſti*: & redire ad Eccleſiam, de qua exierant. quia ſubdit: *Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

Vnde diſcedat quis ab Eccleſia, teſte Auguſtino. Ioan. 10. Luc. 15. Matth. 13. Gene. 8. Matt. 3. Infra 13. Expenditur: Sed non erant ex nobis. Apoc. 2.

Redierunt ergo ad vomitũ, tanquam ſeminati in terra petroſa. Quidam etiam ab initio increduli, & ficti ſunt, ſe non intelligentes, nec intellecti, ſed à Chriſto tamen bene noti, quia ſe eis non credidit: & hoc eſt, quia Deus non permiſiſſet tam miſerè foras exire, niſi interno exitu iram eius prouocaſſent: quin potius intus credentes manſiſſent tempore tentationis per falſum prophetam immiſſæ. Et idem eſt de quauis apoſtaſia à quauis hominum congregatione religioſa, quorum aures hæretici perfricãt: qui interdum audiuntur, ſed non ab ouibus, vt Dominus dixit, ſed à quærentibus eos.

Antichriſtorum exitus infelix. Matth. 13. Ioan. 2. Luc. 8. Ioan. 10.

Sequitur: *Nam ſi fuiſſent ex nobis.* Quando exierũt ſcilicet, quia nemo, vt dicitur, repẽtè fit ſummus. Et magna punitio eſt, vt relinquant externa, per quæ homo reduci poteſt, id eſt, Sacramenta, homines ſanctos, miniſtros ſanctos, ceremonias Eccleſiæ. Ideo non ſtatim excommunicationis infligitur ſententia. *Sed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.* Eclipticus eſt hic ſermo; ideò ſubde: Ideo permiſſi ſunt, qua permiſſione facta, quia Deus potentior eſt paratus, certè exeunt, quia ab eo ob culpam derelicti: quo ſtante, ita faciunt peccata, Deo non impellente, ac ſi impelleret: quemadmodum me permittente ſtupam cadere in ignem, ita comburetur, ac ſi ego eſſem ignis comburens. Sed vt manifeſti ſint, inquit, quoniã non ſunt omnes ex nobis. Ita dixit Paulus

Eccleſiæ ritus & ceremoniæ quid boni afferan: Chriſti fidelibus. Cur exeuntanti-chriſti Eccleſia.

Corinthijs: *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Ex quo in primis Eccleſia purgatur zizania, paleis piſcibus malis, vaſis contemptibilibus, & præciſis inutilibus ſarmentis, & ramis. Ideò clarificatus fuit Chriſtus exeunte Iuda à ſuo, & Apoſtolorum conſortio, vt eum traderet. Secundo habemus cauſam timẽdi: quia non omnes qui in gloria, vel pecunijs, vel alio affectu detinẽtur in Eccleſia, ſunt ex nobis. Eſt enim facile labi in hæreſim quemadmodum deſcendere ſecundo flumine: eſſe verò Catholicum, eſt ire contra impetum fluminis. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, vt rectè Paulus argumẽtatur; fortè nec tibi parcat. Tertiò corroboramur; ſi Deus permittit Eccleſiam cribrari: quia expedit frumento, vt exeãt paleæ, & Chriſtus vel palmum ſolũ terræ poſſideat. Ne demus ergo occaſionem exeundi, ne mala noſtra vita illorum peccata alleuiemus, & pœnas inferni nobis augeamus. Per negligentes enim paſtores, & alios magnos Prælatos ſtat, quo minus Clerus bonus ſit & reformatus: per Clerum, quo minus populus ſit Catholicus. & plus: per populum, quo minus infideles conſpecta noſtra praua vita ad Chriſtum conuertantur.

1. Corin. 11. Matth. 13. Supra 3. Infra 13. 2. Timot. 2. Ioan. 15. Supra 13. Cui timẽdum ſibi omni Chriſtiano, ac fideli. Rom. 11. Exitum antichriſtorum ab Eccleſia nobis ſalutem eſſe. Luc. 22.

Quartò expende; ſi illi ex nobis exierunt, conſtat quod illi à nobis defecerunt, nos autem ab illis nõ defecimus: illi enim nouitij, & poſteriores, nos verò priores, & anteriores. Nam ante quadraginta annos idem nobiſcũ erant noſtri ſeculi hæretici, idem ſapiebant, idem docebant, & prædicabant. Et ſicut prior eſt veritas, poſterius mendaciũ; ita prior fides hæreſi. ſicut in parabola zizaniorũ prius ſeminatum eſt triticũ, deinde inimicus homo ſuper ſeminauit zizania: prius Prophetæ, & Chriſtus. & Apoſtoli, poſtea pſeudoprophetæ, Pſeudochriſti, & pſeudapoſtoli. Præterea iſti hæretici à nobis catechizati ſunt, non autẽ nos ab illis, qui quia iunior eſt Germania in fide, quã Italia, vel Gallia, vel Hiſpania: ac ita poſſumus voce Apoſtolica illos interrogare: An à vobis verbum Dei proceſſit? aut in vos ſolos peruenit?

Fidei Catholicæ antiquitas, hæreſis autem, atque perfidiæ nouitas, a q[...] pueritia. Matth. 13. 1. Cor. 14.

Quinto ex his elicimus, quæ ſit vera Eccleſia, illa ſcilicet, quæ continuata eſt Patribus, & Apoſtolis, & Chriſto ac Deo, nempè illa, quæ poteſt docere omnes articulos ſibi datos ad credendum, à Chriſto profectos. Deinde quæ manifeſta eſt vt candelabrum cum lucernis, & ciuitas ſupra montem poſita, & in qua fuit ſemper aperta confeſſio fidei, & Sacramentorum legitimus vſus: etiamſi apertiſ-

Quæ ſit vera Eccleſia. Ibidem 14.

Eccleſiæ hæreticorum, ſcil. malignātium defectus intolerabiles.

ſima confeſſio, apertiſſimæ necis eſſet cauſa. Quomodo etiam Eccleſia Lutherana, vel Caluiniſtica tāto tempore ſiluit, ante nimirum ſexcentos annos? Non habet etiam continuationem vllam, aut ſucceſſionem, quia ipſi ſe iactant inuentores eorum, quæ credunt, nec manifeſtationē, quia fingunt illam occultam, & inuiſibilem. Falſa ergò erat Eccleſia, quia in ea non erat confeſſio fidei ad ſalutem, nec in ea erant Sacramenta, nec Doctores, qui aperte docerent: nec erant ſigna, nec obedientia, nec ordo ſuperiorum, & inferiorum, vbi omnes ſunt pares poteſtate, & autoritate, fide, ſapientia, & charitate. Quid quæſo hoc corpore mōſtroſius eſſe poteſt? Si decem, aut duodecim ciues Mediolanenſes coniuncti, & vniti in ſe inuicem ſecederent in montem aliquem non longe à Mediolano, & ibi ſibi tribuerent nomenclaturam, & autoritatem veræ ciuitatis Mediolanenſis, ac clamoribus dicerent: Nos ſumus verum Mediolanum, nos eius Reipub. veri miniſtri: noſtrum eſt leges ferre, & reliquos accuſare ignorantiæ, quod non agnoſcant ſe ipſos veros dominos eius ciuitatis: quis, quæſo, ſi ſaperet eiuſmodi blateronibus fidem haberet? aut quis nō potius crederet, eos omni mente, & ratione carere?

Rom. 10.

Qualis ea Eccleſia meritò videri poſſit.

Climac. Act. 1. Infra 2.

Refert Climacus non ignobilis autor, ex centum viginti viris, qui erant congregati, cum in eos cecidit Spiritus ſanctus, quatuordecim hęreſiarchas, qui noua dogmata ferrerent contra Chriſti doctrinam prodijſſe. Quod veriſimile reddit Pauli verbum Act. 20. ad Epheſios viros perfectos habens ſermonem: *Ex vobis ipſis*, inquit, *exurgent viri loquētes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Hæc ille, poſtquam in genere dixerat: *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Et aduerte ſignanter Ioannem tantum in genere, & non de vllo in particulari loqui de antichriſtis; vt omnes in timore Dei ſtent, iuxta illud: *Tu fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time*, & alio loco, *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*, & vt accuſati lenius reſipiſcant, & ad Eccleſiam matrem ſuam amantiſſimam reuertantur. Atque hæc dicta ſufficiant.

Act. 20.

Cur in genere Ioannes dixerit, cauendum eſſe ab antichriſtis. *Rom. 11. Philipp. 2.*

DISPVTATIO XVIII.

In verba illa Ioannis: *Sed vos vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam, & quoniam omne mendacium ex veritate non eſt. Quis eſt mēdax, niſi is qui negat quoniam Ieſus non eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & filiū*, & reliqua vſque ad: *Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos.*

DIFFICILIVS Eſt ſatisfacere delicatis, & infirmis ſtomachis, quam ſanis, & fortibus, qui quouis cibo cōtenti ſunt: ita ſane eſt operoſius perſuadere doctis, quam rudibus, & ignorantibus. Et tamen Apoſtoli vtriſque debitores erant. Vnde Paulus: *Græcis, ac Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum.* Cum ergò paulò ante dixiſſet de Antichriſtis ſeductoribus; Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; oſtendit nunc eorū fraudes, ac deceptiones non poſſe quicquam contra eos, qui muniti eſſent Spiritu ſancto, vt vncti eſſent eius donis, & diuinis chariſmatibus: ſicut etiam Angelus exterminator non tetigit domos filiorum Iſrael, quorum poſtes, & ſuperliminaria vncta eſſent ſanguine agni: neque Spiritus erroris tangit vnctos DEI, ſiue chriſtos.

Rom. 1. In quibus antichriſti fraudum ſuarum, ac deceptionum oleū, & operam perdant, teſte Ioanne.

Exod. 12.

Vnde ſubdit: *Sed vos vnctionem habetis à ſancto.* Vbi primo dubitatur, quid metaphora vnctionis hīc ſignificet. Deinde quo modo ait, Habentes vnctionem, omnia ſcire; cum conſtet, Apoſtolos, qui tamen magiſtri, & doctores orbis erant, & pleni Spiritu ſancto, multis ſciētijs humanis caruiſſe. Tertiò, qui verū eſt quod ait; Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem? Si enim ſciebant illam, ſuperfluum videbatur ſcribere. Quartò videtur obſcurum quod ait: *Omne mendacium ex veritate non eſſe.* Quintò, quale eſt dogma dicentium, quod Ieſus non eſt Chriſtus, & quomodo hic ſit Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium? Sextò circa illud: *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat, quia ſi in vobis permanſerit, vos in Patre, & Filio permanebitis.* Videtur enim, non ex eo quempiam ſaluū fieri, quod prima principia fidei acceperit, cum ſuperſint adhuc ædificia ſpei, charitatis, & reliquarum virtutum. Septimò maiori dubitatione dignum videtur, cur dicat Apoſtolus: *Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos*; cum etiā iuſti, & ſancti indigeant magiſtris, & pręceptoribus, qui aſſidua prædicatione doceant, & Chriſtianos à peccatis reuocent, & ad virtutum ſtudia accendant.

Septem dubitationes diluendæ.

Ad primum reſpondemus in id: *Et vos vnctio-*

Ad primū dubium.

Quid vnctionis voce nobis Apoſtolus inſinuet.

vnctionem habetis à Sancto. Vos, inquit, qui eſtis ex nobis, & ſenſu fidei eiuſdem, & charitatis, fulcimini. Vocat autem, Vnctionem, Spiritum ſanctum, & eius dona quæ metaphoricè, & figuratè in Scripturis dicuntur Vnctio: quibus donis infuſis Spiritus ſanctus creaturæ rationali vniri ſolet. Hinc Petrus ad Cornelium Centurionem: *Ieſum*, inquit, *à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute*; & Eſaias: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me*; & declarans ad quid vnxerit, ſubiungit: *Vt mederer contritis corde*, & quæ ſequuntur. Paulus quoque ad Corinth. *Qui vnxit nos, Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*; ad Hebr. verò, *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Apoſtoli quoque cum reliquis dixerunt, *Conuenerunt verè in ciuitate iſta, aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, &c.* Ex quibus locis patere poteſt vſus huius metaphoræ in Scripturis.

Act. 10. *Eſa.* 61. *Luc.* 4. 2.*Cor.*1. *Heb.*1. *Pſal.*44. *Actor.*4. *Pſal.*2.

Quæ vulnera curet Spiritus ſanctus. *Exod.* 29.

Cauſa autem translationis eſt, quia Spiritus ſanctus vt vnctio curat vulnera voluntatis, & affectus, vt quis acceptus ſit Deo. Quare Pontifex in veteri lege vngebatur ad orandum, ſacrificandum. Vulnera quoque intellectus noſtri ſanat, vt Diuina intelligamus: vnde & Prophetæ docentes vngebantur, & Chriſti, hoc eſt vncti, dicebantur. Vulnera quoque & imbecillitatem virium noſtrarum ad operandum, & regendum populum DEI curat, & medicatur: vnde & in veteri lege Reges vngebantur, & quiuis homo prædictorum aliqua ex tribus vnctionibus indigebat. Rex quidem virtute, ad ſubiiciendum; ſapiētia, & iuſtitia ad iudicandum, iuxta illud de Meſſia: *Regnabit Rex, & Sapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiā in terra.* Pontifex autem non tantum bonitate, & virtute vngi habebat, vt exemplo cæteris præiret, ſed & ſapientia, quam docere iubebat: nam labia ſacerdotis, ait propheta Malachias, cuſtodiunt ſcientiā, & legem requirent de ore eius; & autoritate ad paſcendum oues ſibi creditas. Propheta quoque bonitate indigebat, vt exaudiretur pro populo; vt enim cæcus natus ille dixit; *Scimus quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit hunc exaudit*; Ad populum etiam à cultu Dei declinantem, coercendum. Et his tribus indiget quiuis bonus Chriſtianus, quiſque enim vnctus eſt, & particeps vnctionis Chriſti, vt ait Propheta Dauid. Vnde & in Sacramento Baptiſmi vngimur, & in Chriſmate: & Chriſtus ait

Olim vngebantur qui, lege diuina, & cur. *Iere.* 23. *Malach.* 2. *Ioan.* 9.

Triplex vnctio cuinis Chriſtiano neceſſaria. *Pſal.*44. *Heb.* 1. *Matt.* 6.

Vngere propriè quid ſecundum Priſcianū.

ad ieiunitatem. Vnge caput tuum, & faciem tuā laua. Vngit etiam ad luctam, ob vires augendas. Idcirco vngere, apud Priſcianum eſt, quaſi in vnū agere; eo quod vncta vniantur. Oleum etiam clarum, & diaphanum facit ad intelligentiam quam acuit, & accendit. Et hæc præſtat medendo vulneribus, & duritiei naturæ corruptæ, & malitiæ eius. ¶ Eſt prætereà vnctio ad ſuauitatem, quam anima ſentit iuncta magneti DEO, ſi Angelus ſecundum Guilielmum Pariſienſem, ob eius ſimilitudinem, animam ad ſe trahit vſque ad extaſim, vt magnes ferrum ad ſe trahit, è contrario verò dæmon exaſperat animā, & eam à ſe fugat, ſi non ſe transfigurat in Angelum lucis, bonitatem ſuæ naturæ obijciens, non horribilitatem malitiæ à ſe inductam. Vnctio etiam olei penetrat vſque ad intimum hominis, & aſpergitur vſque ad exteriorem vultum, nedum ad opera, iuxta illud; Oleum effuſum, nomen tuum.

Effectus vnctionis diuinæ in anima iuſti. Angeli mira vis. 2. *Cor.* 11. *Cant.* 1.

Et ait: *Et vos vnctionem habetis.* Vt theſaurum pretioſum, ſi Chriſtiani eſtis, & habetis ſpiritum cognoſcendi omnia quæ data ſunt vobis. *A Sancto.* Hoc eſt, à Chriſto Domino Sancto Sanctorum ſecundum Danielem: & vncto præ participibus ſuis, vt ait Dauid: *Propterea vnxit te*, ô Meſſias, *Deus* (ſcilicet Pater) *Deus tuus* (hoc eſt, verbum vngens humanitatem) *oleo lætitiæ*, nempe Spiritus ſancti gratia, de cuius plenitudine omnes accepimus. Subdit: *Et noſtis omnia.* Vnctio ſiquidem ad propoſitum cognoſcendi ſpectat, quia vnctio corporea oculos ad videndum diſponere ſolet. Collyrio, inquit, inunge oculos tuos, vt videas. Corroborat etiam cerebrum, vt ſeruiat facultas imaginatiua, & phantaſia actui intelligendi. Mediū quoque diſponit, vt chartam papyraceam, quam oleum penetrans ac ſubtiliorem reddens, & caliditas peruiam lumini facit. Ita vnctio Spiritus diſponit facultates ad diuina videnda, & animam ad lumen capiendum, diaphanam facit, & transparentem, ad quam ſimplex oculus amans bonum iuuat, quem tamē vnctio videre verum facit: corroboratque mentem, & boni odoris eam facit.

Vnctio Chriſti quanti facienda. 1.*Cor.* 2. *Dan.* 9. *Pſalm.* 44. *Heb.* 1. *Ioan.* 1

Finis diuinæ Vnctionis. *Apoc.* 1.

Ad II dub. Qua ratione Parthi fideles omnia nouerant per diuinam Vnctionē. *Ioann.* 16. 2.*Tim.* 2.

Circa hæc verba dubitatum fuit, quo modo vera ſint, cum manifeſtū ſit, ipſos etiam Apoſtolos non omnia nouiſſe. Sed intelligit per ſynecdochen, illos ſcire, & noſſe omnia, ſcilicet ſaluti neceſſaria, & vtilia: ſicut Dominus dixit: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: & Apoſtolus Timotheo: *Dabit tibi Dominus de omni-*

bus intel-

bus intellectum: Et Ioannes paulo inferius: *Vnctio eius docet vos de omnibus.* & hic præceptor in quouis genere omnia nouit: & ideò ſpiritualis iudicat omnia. Literalis autem, & qui nouit ſtudio, & labore, ab homine tantum quæ legit, & audiuit didicit: Spiritus autem tranſeunter illuminans infinitus eſt: hinc eſt, quod omnes per ſua, & ſibi conſueta docet, vt agricolas per campos, per fructus, per herbas, & terræ culturam: paſtorem verò, per armenta, per oues, agnos, ac lupos: piſcatorem per naues, retia, hamos, & piſces: militem per arma, hoſtes, conflictus, & prædas: mercatores per varias merces, & diuerſos modos negotiandi, denique omnia in omnibus oſtendit, ac docet. Et ſatis oſtendit ſcire Dei prouidentiam, quare permittat foras exire hæreticos; & cognoſcere, quia qui intus eſſe videtur, non eſt tamen ex nobis.

1\. Cor. 2.

Multiplex Spiritus ſancti doctrina.

Sequitur tertium dubium reſoluendum in id: *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem.* Mollit ſua dicta his verbis Apoſtolus, & beneuolentiam captat. *Non*, inquit, *ſcribo, quaſi ignorantibus veritatem*, quę ignoratio mors eſt, & infernus animæ intellectiuæ. *Sed quaſi ſcientibus eam.* Ideò exhortando, & quaſi ad memoriam reuocando, & breui nutu res indicando ſcribo. Ideò altus eſt hic Ioannes. *Et quoniam omne mendacium ex veritate non eſt.* Supplendum: Et ſciendum eſt, quid? quoniam omne mendacium, &c. Regula porrò eſt Dialectica: Ex vero nonniſi verum conſequitur. Sicut ergo ignis frigus non producit, nec Sol tenebras, nec bonitas malitiam; ita nec Deus veritas mendacij eorum, qui ſunt Antichriſti, non eſt cauſa: ideò qui nouit veritatem, ſcit etiam, quod illi Antichriſti non ſint in Spiritu veritatis, ſed mendacij, quia ſimile ſibi ſimile generat. Ideò mendacium à non eſſe creaturæ procedit, ſicut & omnis malitia, & peccatum. Ad hoc verò, vt doctrina pietatis ſuſtentetur, non opus eſt mendacijs, vt Lutherus docuit expedire technis Euangelium promouere. Poſſet deinde hoc loco mendacij nomine intelligi Antichriſtus mendax per Metonymiam, qui non eſt ex veritate, id eſt, ex parte veritatis ea inductus, atque per eam viuens. Da ſapienti, ait Salomon, occaſionem, & addetur ei ſapientia.

Ad III. dub. Quare ſcientibus veritatem, illam Parthis tamē ſcribit Apoſtolus.

Ad IV. dub. Quęnam veritas illa Parthis nō ignota.

Vnde mēdacium ſit.

Lutheri tanto digna doctore falſitate opinio.

Prouer. 9.

Subdit: *Quis eſt mendax, niſi is qui docet quoniam Ieſus nō eſt Chriſtus?* Omnis homo proferens ex intentione mendaciū, mendax eſt; ſed qui magnam veritatem negat, is eſt præcipue, & potiſſimum mendax, qui ſcil. negat Ieſum eſſe Chriſtum. Nam ſi hic mendax non eſt, nullus erit: & ſi ille maxime mendax eſt, nō eſt ex Deo, qui veritas eſt, nec fide dignus. Ex hoc etiam loco patet, quod hæc epiſtola ſcripta ſit etiam ad Hebræos, qui ſoli negabant Ieſum eſſe Meſſiam: hoc etiam conſtat ex epiſtolis B. Ignatij.

Negans Ieſum eſſe Chriſtum, quam mēdax ille ſit.

B. Ignatius.

Ex hoc igitur articulo pendet omnium ſalus: quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius; ſine mediatore enim non poſſumus vel reconciliari, vel ſaluari. Deum etiam ſuo honore maxime ſpoliamus, priuando eius vnigenitum Filium tanta dignitate: fruſtramur etiam omni opera Angelorum, & Sanctorum, qui ante illum, & poſt illum fuerunt, qui nobis verba ſacra adminiſtrarunt: dæmones verò hoſtes noſtros capitaliſſimos lætificamus: noſq; ſumma vtilitate, & ingenti honore, atque delectatione ſponte priuamus: noſque demū in ſumme contraria præcipitamus. Eſt enim Chriſtus vnctus nō in parte, vt Pontifex, Propheta, & Rex, ſed toto Deo: nos verò ex parte vncti, qui eum verum Meſſiam fatemur.

Hic articulus quanti momenti ſit.

Rom. 5.

Vnctionis Chriſti plenitudo, ac perfectio.

Pſalm. 44.

Hebr. 1.

Scholia Græca hoc loco ſcribunt: Hoc autem impius Simon delirans nugabatur alium eſſe Ieſum, alium Chriſtum. Ieſum quidē eum, qui erat à ſancta Maria, Chriſtum verò eum, qui in Iordanem à cœlo deſcenderat. Qui igitur huic applaudit mendacio, inquit, is eſt Antichriſtus. Irenæus aſſerit, Cherinthum dixiſſe, Ieſum poſt baptiſmum cepiſſe in ſe Dei Filium in ſpecie columbæ, cuius virtute miracula fecit: ipſo verò recedēte, Ieſus paſſus eſt. Hęc ille. Vbi vides, iſtum nebulonem diſtinxiſſe inter Ieſum, & Chriſtum Filium Dei. Hinc Ioan. cap. 20. ſui Euangelij ſubtiliter, ac ſolide dixit: Hæc ſcripta ſunt vt credatis, quoniam Ieſus eſt Filius Dei.

Oecum. c. 3.

Simonis Magi & Cherinthi de Chriſto blaſphemia.

Matth. 3.

B. Irenæus.

Ioan. 20.

Et hic eſt Antichriſtus. Qui hoc loco negat Ieſum eſſe Chriſtum. Et inferius cap. 5 huius epiſtolæ: Omnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et ſi Ieſus, non eſt Chriſtus, nec vnctus, nec ſanctificatus erit: ergo neque Pater erit, neque Filius, neque Spiritus ſanctus: nam hi tres ea voce Chriſti neceſſariò cōprehenduntur. Vnde & Ambroſius validum eſſe baptiſmum in nomine Chriſti aſſeruit, quia Vnctum, Vngentem, & Vnctionem ipſam inuoluit.

Ad V. dub. Quid aſſerere cum Antichriſto, & ſequacibus, Ieſum nō eſſe Chriſtum.

Baptiſmus in nomine Chriſti cur ſufficit ad ſalutem ſecūdum Ambroſium.

Ac ſubdit de iſto dogmatizante: *Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.* Intellige poſt ſufficientem promulgationem: nam is, cui nō eſt facta promulgatio,

B. Ambroſ.

Ieſum eſſe Chriſtum negans quis ſit.

vel

Antichriſtus, tantûmodo.

vel indifferens, & non negans, vel ex zelo, non ſecundum ſcientiam, ne DEVM offendat, negat, is proprie Antichriſtus non eſt. Hic eſt, inquit, Antichriſtus, quia recta opponitur Vnctioni Chriſti, vt faciunt Iudaizantes: etſi, quia Vnctio ſparſa eſt ad alias veritates fidei capiendas, omnis hæreſis ex ſe lædit Vnctionem, & Antichriſtum indirecte facit: & omne mortiferum delictum magis adhuc indirecte facit.

Negantes Chriſtum, & Eccleſiam, cos vt dæmon improbus cõſoletur. *Ioan.* 8.

Omnis qui negat filium, nec Patrem habet. Solet dæmon negantes Chriſtum conſolari, quod Patrem habeant; ſicut modo negantes Eccleſiam conſolatur, dicendo illis quod habeant Chriſtum. Vnde Iudæi in Euangelio dicebant: *Nos ex fornicatione non ſumus nati: Vnum Patrẽ habemus Deum.* Quibus reſpondit Dominus, *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo proceſſi & veni: neq; enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit.*

Quæ ratio ſit, cur Filium negans, neget & Patrem.

Eſt ergo euidens argumẽtum, quod ſi quis Chriſtum ſibi prædicatum, & promulgatum negat, non eſt in gratia Patris, nec eum verè cognoſcit, quia ille nunquam ad negandum Chriſtum inducit: licet ante promulgationem, non valentes portare, ſinat in ſua indifferentia: non inducens tamen vel ad leuiter negandũ, licet infirmitas ex leuitate ſumens occaſionem ex zelo neget. Sed non agitur à Deo etiam ante promulgationem in illa promulgatione, tametſi non ita illã Deus imputet, ſicut poſt promulgationem.

Ioan. 7. Vnde Iudæi noſſe poterant Ieſum eſſe Chriſtum, atq; Meſſiam.

Vnde Chriſtus dixit Iudæis: *Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis* (id eſt, ſcire poteſtis, & ex parte mea ſcitis) *& à me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.* Malitia enim neſciebant, quem euidentia veritatis ſciebant, dum eius opera detrectabant: quia fortiſſima eſt veritas, & gladio penetrabilior.

3. *Eſd.* 3. & in 4. *Hebr.* 4. Quid ſit Filius Patri in diuinis.

Et negato Chriſto, tota ſimul Trinitas negatur, id eſt, Vngens, Vnctus, & Vnctio, & Pater ornatur Filio vt veſte. Ait ergo: *Omnis qui negat Filium, nec Patrẽ habet.* Declarat quomodo Antichriſtus negat Patrem: non enim omnes Antichriſti ore negant, vt Iudæi, qui dicebant, *Nos patrem habemus Deum*: ideò Patrem nõ habent, ſed dæmonem.

Ioan. 8. Iudæorũ Chriſtum negantiũ filiũ Dei, pater quis. *Philippen.* 2.

Neque dicit: Omnis qui non confitetur; ſed, *Qui negat*: quia donec per promulgationẽ detur illi actu nomen, quod eſt ſuper omne nomen, non omnis lingua confitebitur, qui videlicet confitentur credendo, exterius loquendo, & operando.

Huius dicti: Omnis qui negat Filiũ, nec Patrem habet, inepta quædam ſententia refellitur.

Aduerte, cum ait: *Nec Patrem habet*: non eſſe eius verbi ſenſum: dum hæres eſt, Patremque imitatur; qui cum idem ſit cum Filio, quantũ ad ſubſtantiam, & quantum ad perſonam illi eſt correlatiuus: vno negato, alterum quoque negatur: non inquam videtur hic ſenſus Apoſtoli: ſed, quod etiam Deum, qui vnus eſt, habere patrem deſinat, qui poſt promulgationẽ negat Ieſum eſſe filium Dei, quod eſt idem quod eſſe Chriſtum, ſecundum illud Oleum effuſum, nomen tuum.

Cant. 1.

Ad VI. dub. De fidei ad ſalutem ſufficientia, quæ tamẽ ſpem etiã, & amorẽ expoſcit.

Ad illud quod ſexto loco propoſuimus: *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat*: reſpondendo, in primis dicimus ſermonem eſſe eclipticum, & ſupplendũ eſſe hîc aliquid, quo res fiat apertior, nimirum: Vos facite, & ſeruate ſequentia, quæ dicam: Quod audiſtis ab initio, quod ſcilicet Deus Pater veritatis antiquior eſt dæmone patre mendacij: antiquius eſt bonum ſemen quod homo ſeminauit in agro ſuo, zizanijs, quas inimicus homo, dormientibus hominibus ſuperſeminauit.

Ioan 13. *Matt.* 13.

Eccleſiæ doctrinæ de Chriſto primordia, ac velut rurſus fidei incunabula.

Imò doctrina omnis, quæ initio Eccleſiæ promulgata eſt in lege Naturæ, & Moſis, & Chriſti, qui docuit eccleſiam primitiuam, veriſſima eſt, & ſolidiſſima, & in ea, quæ ab initio eſt, ſalus tantum poteſt eſſe. Hinc perinde eſt dicere, doctrinam illam non eſſe ſeruatam in Eccleſia, quæ erat ante hæreticos, atq; negare Eccleſiam veram, & prouidentiã Dei erga illam.

Romanæ Eccleſiæ prærogatiua.

Quo fit, vt Romana Eccleſia verum abſque dubio Euangelium ſeruet, & veram ab Apoſtolis doctrinam traditam: etſi malos mores, & malam vitam admiſcuerit contra illud quod ſeruauit.

Hęreticorum fides id eſt, perfidiæ nouitas.

Eſtque inexpugnabile & irrefragabile veritatis argumentum, Traditio Eccleſiaſtica contra omnes hæreticos omnium temporum, maxime vero contra illos noſtri ſeculi: quia ipſi ſunt, qui relinquunt, ac deſerunt Eccleſiam, qui veluti ſuperbi rami ab ea ſeipſos præciderunt.

Vnctio diuina in nobis quomodo permaneat, atq; conſeruetur. *Gal.* 4.

Hortatur ergo eos permanere in ſuſcepta fide ab Apoſtolis; ideo ait, *In vobis permaneat.* Chriſto videlicet per fidem viuam manente in vobis, quos ego parturio, donec formetur in vobis: dæmon autem, caro, & mundus, infinitis modis id nituntur à vobis tollere: ſed perſtandum eſt vſque ad mortem.

In Filio, & Patre quomodo ab eis Vncti permaneant. *Ioan.* 14. *Supra* 8. *Supra* 7.

Et vos in filio, & Patre manebitis. In Filio quidem ducente ad Patrem, quia *Nemo* (ait) *venit ad Patrem, niſi per me*; & quia filius à ſe non venit, vt dæmon; ideò qui in dæmone eſt, ibi ſiſtit; contra Chriſtus qui dixit, *Ego ex Deo proceſſi, & veni, neque enim à me ipſo veni, ſed ille me miſit*; ac rurſus: *Qui quærit gloriam eius, qui miſit eum; hic verax eſt, & iniuſtitia in illo non eſt*: in Patre vero

tanquam

tanquam in mari, in quod per Ieſum tanquam per portum intramus. Manebitis autem in cognitione, & amore. Ideò non perdimus vnum Deum, vt Iudæi mentiuntur, eo quod Chriſtum amplectamur.

Vita æterna cur nobis repromiſſio nominetur.

Et hæc eſt repromiſſio quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam. Hæc, inquit, quæ ſequitur id eſt, vita æterna, quam pollicitus eſt: vel, ſocietas cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto, in qua eſt vita. *Vt ſint*, inquit, *vnum ſicut & nos vnum ſumus.* Quæ repromiſſio vocatur, quia ſecundò poſt peccatum Adæ facta, id eſt, res promiſſa, & quam ſæpe repromiſit. Quia verò natura mutabilis eſt, & religio ab ſpiritu ad temporalia deflecti ſolet: ſalutiferum eſt reuerti ad feruorem illum primæuum: nam initia, reliqua bona parturire ſolent. Ideo rectè dixerat: Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat.

1. Ioan. 2.

Ioan. 17.

Quid vita æterna nobis repromiſſa. Ioan. 16.

Et dura videtur conſtructio, niſi vita ſuppleatur, vel vitam appoſitiue legamus æternam, quæ Deus eſt, qui tota eſt merces, & vita eſt, & æterna. Et hanc debemus participare, quia *Qui manducat meam carnem*, ait Dominus, *& bibit meum ſanguinẽ, habet vitam æternã.* Ad quod opus eſt præmori præſentibus rebus, & ſenſui, & peccatis noſtris: nam æterna ſunt immutabilia, immutabilia vero ſunt fortiſſima, fortiſſima autem ſunt pura: vitæ ergo puritas præſtat hanc æternitatem. Nam ſi quis ſe dedat impuris, & vitioſis, nititur creaturis inſtar amnis fluentibus, & vt vmbra tranſeuntibus.

Ad VII. dub. De eo quod Chriſtianos ait Parthos Apoſtolus nulla egere doctrina atque diſciplina, quomodo id verum ſit.

Sequitur vltimo loco propoſitum: *Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos. Et Vnctio quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos.* Reddit cauſam Ioannes digreſſionis in hæreticos, & Antichriſtos factæ. Et ait, *Hæc*: qui ſcilicet ſint ſeductores & qui ſint Antichriſti magni illius præcurſores, & ſectatores, & diſcipuli. Deinde quare exierũt; ne ob perſonas, q̃ exierunt, aliquis ſcandalizetur: quia ob peccata interna permiſſi ſunt exire ab Eccleſia. Tertiò docet, eos mendacij ſpiritu ductos; ideò certo falſa quæ dicunt ſunt reijcienda: dubia verò, & incerta debent eſſe ſuſpecta de falſitate, quia ab eodem fonte profecta, ex quo manifeſte falſa promanant: clare verò bona dicenda ſunt, non quia ipſi docent, ſed quia Deus, & Catholici Patres illa tradunt: & in his vitanda intentio, & aperienda, qua dęmon ea per illos dicit, vt ſcilicet laudes Chriſti gratiæ. & fidei per hæreticos non adiungantur ad obſcurandam doctrinam Eccleſiæ vel ſanctorum

De hæreticorum quid nobis doctrina ſentiendum.

Patrum: alias periret fides. In his autem, quæ clara ſunt, quę quibuſdam tamẽ ſunt obſcura, quia Patres orthodoxos non legerunt, accidit mereri Catholicos ea ob zelum vitantes, nõ ſecundum ſcientiam: ſed ſane expediret illis habere ſe vt ignorantes, quam aſſerere quæ homo neſcit prætextu faciendæ fidei, quæ non eget mẽdacio. Quartò docuit, quid falſum docerent, nimirum Ieſum non eſſe Chriſtũ. Quintò, quo modo eſſent falſa argumenta, & in eos retorquenda, quem ne perderent, negare ſe ſimulabant. Sextò, remedium ſimplicibus, præſertim illis, qui non capiunt prędicta, ne ſeducantur, eſſet pręſentaneum retinere illa, quæ acceperunt ab initio.

Salubris admonitio Catholicorum. Roman. 10. Iob. 13.

Hæc, inquit, *ſcripſi.* Quia hæc memoria retinenda ſunt, & ſæpe hiſce armis agendum aduerſus illos vobis repugnãtes. Sæpè, inquit, expugnauerunt me à iuuentute mea. Addit, *Vobis*: hoc eſt, filijs, & in acie adhuc exiſtentibus. *De his qui ſeducunt vos.* Quos charitatis gratia non nominat, ne irritẽtur magis: ex amore etiam erga nos, ne irritati eos lædant. Ideo ſæpe verbis occultis, & generalibus agendum, iuxta illud, *Videte* (id eſt, Cauete) *canes, videte malos operarios, videte conciſionem.*

Pſalm. 128. Apoſtoli charitas.

Philippen. 3

Qui ſeducunt vos, inquit. Id eſt, ſeducere volunt. Et ex parte ſua id agunt, vt ſeducant, hoc eſt, ſeorſum extra Ouile, & omnia bona, ad omnia mala deſerti ducunt: ſicut qui è naui educere in mare, è via in errores, è domo lucis in infernũ tenebrarum è iucunditate fratrum in angulos dęmonum. Et cauſa ſancti zeli, & ſtomachi piorum eſt, videre ſeduci ſanguine Chriſti emptos: *Mali*, inquit B. Paulus, *homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.* Quare idem Apoſtolus nonniſi cum fletu loquebatur, cum dicebat; *Inimicos crucis Chriſti, &c.* Atque id eſt in cauſa, cur Apoſtolus tales depingat, & eorum malam vitam, etiam nominatim. *Omnis plantatio*, Chriſtus inquit, *quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Seductio autem fit verbis, aut præmio, aut pœna, propoſitis, aut malo aliquo exemplo. Quare Dominus Apoſtolos præmonuit; *Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt* (ſcilicet Chriſtus) *nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere.* ¶ *Hæc*, inquit, *ſcripſi vobis.* Alias enim populum non ſollicitatum ad hæreſes, verba, & argumenta hæreticorum docere non iuuat; quia carnalia ſunt, & in ſenſu fundamentum habent, contra verò reſponſiones ſpiritales ſunt nixæ Spiritui

Iuſta piorum cordium indignatio, & zelus. 2. Tim. 3. Philippen. 3

Matth. 13.

Seductio quibus rebus fiat. Infra 24.

B. Auguſt. *2. Tim. 2.*

Chriſti, & facilius vulgus illa capit, vt ait Auguſtinus, quam ſolutiones, & vt ait Paulus: Sermo eorum vt cancer ſerpit.

Vnde ſubiungit: *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Quod ait, & vos, eclipſis eſt, & ſupplendum: Illud quod dixi, aut quid ſimile. Illud porrò in accuſandi caſu poſitũ, Grçcè eſt in nominandi caſu, Vnctio: niſi dicamus eſſe figuratam locutionem Antiptoſis: vt ibi: Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus: & alibi, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Tale eſt illud Comici:

Ioan. 14. *Pſalm. 117.* *Matt. 21.* *Terent. in Prolog. Andria.* *Virg. 1. Aeneid.*

Populo vt placerent quas feciſſet fabulas;

Et illud Virgilianum.

Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt.

Duplex Vnctio Spiritus: vnde deſcendat: quomodo in nobis permaneat.

Eſtque Vnctio, charitas increata cũ creata, id eſt, Spiritus ſanctus cum gratia eius, & Spiritus ſapientiæ, & intellectus, qui datur per ſacram Vnctionẽ in Sacramento Confirmationis. *Quam accepiſtis ab eo.* Per fidem cum dolore, vbi perſonale peccatum præceſſit: vel ſine dolore, & cum ſpe, & amore acquiſito, vbi peccatum non præceſſit, iuxta illud Apoſtoli: Vt pollicitationem Spiritus per fidem, id eſt, charitatem promiſſam. Accepiſtis, inquit, ab eo: Vncto ſcilicet, & Sancto ſanctorum Chriſto. Subdit: *Maneat in vobis.* Intus ſcilicet, & non in labijs: intellige, præſeruando eam à calore cupiditatis, & à dæmonio meridiano, vel à ſiccitate venti Aquilonaris ſuperbiæ, à terſione per infidelitatem in totum Vnctionem radentem: vel à luto carnalis infectionis. Quod fiet orãdo, vt perflet Auſter Spiritus, quo fluant aromata ad vngendum, mãſione ſub vmbra Chriſti in Eccleſia, & bonis operibus: vt dici poſſit: *Sub vmbra eius quem deſiderabam ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Et per hoc declaratur quomodo capiendum illud: *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat*: quia non ſat eſt vera habere, ſed opus eſt oculis vnctis videre, & brachijs amore vnctis amplecti: quia tunc oues nõ audiunt lupos, nec ſeducunt niſi à ſeipſis ſeductos. Græce autem legitur, manet, de præſenti: quia ſcilicet manet per præſeruationem vitę. Et in hac permanſione, ſiue permanentia eſt differentia legis diuinæ, & gratiæ, ad poſitiuam diuinam, vel humanam: quia hæc decreta ſunt, id eſt, placita ad tempus durantia, & vt ad tempus durarent, data: illa autem priora durant quandiu natura durat rationalis, hoc eſt, in æternum.

Gal. 3. *Dan. 9.* *Pſalm. 90.* *Cantic. 4.* *Supra 2.*

Euangelicæ legis & Moſaicæ legis diſcrimen.

Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos. Hoc ſignificat; Vos, qui primitias habetis Vnctionis, & noſtis omnia, & vobis ſimiles Deo familiares. Magnum porrò eſt non egere homine docente, qui ignorans eſt, & moroſus, & cupidus, inuidus, atque elatus, aliena vt ſua vendens, vt quidam de huius farinæ hominibus dixit:

Vnctio diuina eos qui vncti ſunt magiſtros efficit.

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.

Virgil.

Et quantum ad hoc attinet, ſimiles ſunt in hoc Beatis, qui poſſunt dici Dei docibiles, ſeu Θεοδίδακτοι. Cuiuis autẽ in gratia exiſtenti, quantum ad neceſſaria ſaluti, ſi gratia Dei vtitur, ea à Deo inſpirantur, & verè habet veritatem. Quamuis ob mutuam conſolationem, vel mutuam fidem, & vt ſupereroget, Deus permittit, vt ipſi putent ſe habere neceſſitatem, vt conferant. Si autem non ſint qui doceãt, etiamſi altiſſima fidei myſteria clariſſima ſciat, etiam quiuis ruſticus infideles confundet: ſi tamen cum fide ad Deum recurrat, dantem ſibi in illa quid loquatur.

Ioan. 6. *Eſai. 54.*

Vncti à Deo cur non indigeant humano magiſterio.

Vt aliquis doceat vos. Iudæus quia non erat vnctus oculis, vel auribus, nec videre, nec audire poterat Deum loquentem; ideò Moſe indigebat: ſecus eſt de Sponſa, quæ ad Vnctionem verſa ceruice aurem ſuam Sponſo gratioſam in labijs inclinauit. Et talis, etſi non deſpiciat exterius loquentem: ſed præfert tamen ab Sponſo audire, & dicere cum Apoſtolis: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Ille etiam ſingulariter docet, etiam alio docente, nec neceſſe habet, vt alius doceat: quia rarò habet neceſſe: nã ſi dubitet ſcit quod non debet facere. Recte Auguſtinus lib. de Doctr. Chriſt. *Homo,* inquit, *fide, ſpe, & charitate ſubnixus, non eget Scripturis niſi ad alios inſtruendos.* Idem quoque alio loco: *Qui didicerunt à Domino Ieſu, mites eſſe, & humiles corde, plus orando, & meditando proficiunt, quam legendo, & audiendo.* Imò ad alios erudiendos ſat eſſet, ſi eſſent diſpoſiti audientes, allegare verba in mente ſcripta, licet nunquam in Scripturis legiſſent: imò efficaciora eſſent intus ſcripta, quam lecta in Scripturis, vt patet in B. Antonio, & Apoſtolis. Mirum ergo eſſe nõ debet, ſi aliqui ſpirituales minus temporis in audiendo exterius expenderent: tales enim initium viæ Domini faciebãt, quia plus guſtabant intus loquentem Deum. Bernard. habuit ſyluas, fagos, & ſaxa pro magiſtris, vt ipſe ſcribit in epiſtola ad Rupertum.

Pſalm. 44. *Ioan. 6.* *B. Aug. [illegible]* *Idem [illegible] 112.* Aurea Auguſtini ſententia. *Matt. 11.*

Magiſtri B. Bernardi qui, eodem autore.

Sed ſicut vnctio eius docet vos de omnibus. In prima clauſula, Sed, ſupplendum eſt aliquid, nempe, creditis, vel tenetis; vel, ſentite, & credite. In particula, Sicut, nota, neminem nouiſſe modum, niſi ſolum accipientem: & aperiendi ſunt oculi, vt

Quis nouerit modum, quo Vnctio diuina doceat vnctos de omnibus.

videa-

videmus quid loquatur Vnctio: nos tamen, & dæmon falſa ſupponimus quaſi oua adulterina, vt inde alieni pulli pſeudoprophetarum naſcantur. *Vnctio docet vos de omnibus*, neceſſariis ſcilicet ſaluti, & de multis aliis, quæ non ſunt neceſſaria, ex priuilegio. *Et verum eſt.* Quid? Id, quod docet. Vel, verax eſt Vnctio, quia verus eſt qui vngit. *Et non eſt mendacium*, ſcilicet admiſtum. Vel vehementius affirmatur eiuſdem ſententiæ explicatio. *Et ſicut docuit vos, manete in eo.* Sicut docuit, inquit, nempe Chriſtus, dicens: Manete in me, Vel: ſicut ipſa Vnctio docet, *Manete in eo.* Omnia ſiquidem, quæ ſingulariter docet Vnctio, ſunt, in Chriſto manere, & indies purgare ſe, vt fructificet, ac non ſinere ſe ſcindi à dæmone, hæretico, vel bono fideli, nec ab aliqua creatura. Per charitatem autem manemus in eo per affectum, fide, per intellectum, intellectum autem, & affectum omnia ſequuntur: porrò faciendo quæ iuſta ſunt, in Deo quoque manemus, vt infrà ait.

Ioan. 15.

Vnctio diuina quid doceat nos.

Ibidem 3.

Quod ad Vnctionem attinet, vt ex parte videamus, quomodò excludat, vel admittat neceſſitatem doctrinæ externæ per vocē, vel ſcripturam exhibitæ, ſciendum, quòd ſi ſermo ſit de neceſſitate abſoluta, nullo externo adminiculo eget homo, quia facilè Deus poteſt Vnctione interna docere eum, etiam humana, vt fecit cum Salomone. Si autem loquamur de ordinaria neceſſitate, quiſquis vnctus eſt, etiam in humanis, naturali indiget adminiculo, vel ſui intellectus agentis ſe per ipſum, & ſe ad aliquas veritates per ſeipſum deducentis, quod tamen eſt rariſſimum; ſicut etiam pauciſſimi fuerunt rerum inuentores: vel etiam indiget adminiculo alterius, qui cū exterius adiuuet, & obiecta reddat magis intelligibilia. In merè etiam poſitiuis, etſi ad mores pertineant, vt ſunt irregularitates, excommunicationes, ſuſpenſiones, interdicta, & ſimilia, communiter quiſque eget Doctore: quia vt intellectus in his, & huiuſmodi, non ſe poteſt per ſeipſum illuminare, quia ex facto, & voluntate aliorum pendet: ita etiam Dei gratia naturæ ſimilis non ſolet per ſeipſam illuminare hominem, ne videatur res prodigioſa, & ſuperflua; & quia hæc non ſunt tam neceſſaria, ſed ſimilia humanis doctrinis, quas non ſolet reuelare; & quia proſpexit de hominibus extra illa tuentibus, ac docentibus; ac vt quantumuis vnctus in his humilietur, & charitatem exerceat, non ſcrupuloſe (quia nec ob ſcrupulos condita eſt) diſcens & ſeruans iuxta rationem ſui ſtatus.

Vnctio diuina ſi docet de omnibus, quid opus eſt externo magiſterio, vel Angeli, vel hominis.

3. *Reg.* 3.

At in myſteriis fidei, & pure moralibus, perfectè vnctus non indiget externa vnctione, vel Scripturæ lectione de neceſſitate ordinaria, quia hæc oculis claris, & amantibus cernit, & his nutritur, & viuit. Et ante perfectam Vnctionem, per quam eſt Verbi, & Angelorum diſcipulus, iam ab homine communiter loquendo didicit neceſſaria. Et licet non omnes, ad quos ſcribit Ioannes, perfecti eſſent, tamen ad hos in iſta clauſula loquitur: vt cum vocat patres, & cognoſcentes: & ſic in alia clauſula ad alios. Ideò dixit non eſſe eis neceſſariam pro ſeipſis doctrinam externam quia iam in eorum cordibus eſt Lucifer, & aurora præcedens diem gloriæ. Hinc fit, vt altius in Deo, & in creaturis contemplentur, quàm in Scripturis, Deo ſcilicet per ſe illuminante ad cognitionem. *Inde*, inquit, *præcipiā, & loquar ad te ſupra propitiatorium, &c.* Etſi autem pro ſe non ſit eis neceſſaria, eſt tamen pro aliis neceſſaria externa doctrina, quia exigunt intime intellecta confirmari per externa verba Scripturæ. Vnde vult Apoſtolus eligi Epiſcopum, qui potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere: & Apollo laudatur quòd eſſet vir eloquens, & potens in Scripturis, licet nihil ſibi ſubiungat B. Lucas de modo, quo habuit potentiā illam. Ideò non concluditur neceſſitas ordinaria ex hoc. Etſi autē huiuſmodi doctrina non ſit per ſe neceſſaria, eſt tamen valde vtilis: Ideo Ioannes eos docet: & Paulus Timotheo: *Omnis*, inquit, *Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, &c. Vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Idem ad eundem: *Dum venio, attēde lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Piū mihi certè eſt credere, Timotheum, & Auguſtinū, & communiter omnes Doctores, in lectione Scripturarum, fuiſſe vnctos à Deo, quia ad id vocati ſunt, & væ illis fuerat, ſi Scripturis non vacaſſent: quia malè diſpoſiti, vt hæretici, non ſunt contenti ſententia Scripturæ, quæ eſt quantum ad neceſſaria in eo, qui eſt perfectè vnctus. Ideò in hac communiter ſaltem egebāt externo auditu, vel ſaltem lectione. Nam Auguſtinus, & Ambroſius, & Bernardus vix ſacra ab aliis audierunt, ſed ſeipſos illuminarunt, & ad multas veritates diuino intermedio lumine perduxerunt. Legebat tamen ad minus Scripturas Petrus; Ioannes Baptiſta fortaſſe nō legebat, & Chriſtus,

Vnde quis fiat verbi, & Angelorū diſcipulus.

Exod. 25.

Habenti ex interna Spiritus Vnctione idoneam de fide doctrinam, cur tamen ſit etiam neceſſaria externa doctrina.

Tit. 3.

Act. 18.

1. *Tim.* 3.

Tim. 4.

Quos credibile ſit in lectione ſtudioque ſcripturarum a Deo vnctos fuiſſe.

Luc. 4.

Ioan. 7.

ſtus, qui Luc. 4. ex libro Eſaiæ populo legit; de quo dicebant. *Quomodò hic literas ſcit, cum non didicerit?*

Etſi ergo Deus perfectè vnctos intus doceat ſine externo doctore, quantū ad ſibi neceſſaria vt plurimum: in his quandoque tamen, vt humiliemur, etſi minimis, Deo non dante, qui dat maxima, opus habet alium hominē homo cōſulere. Sed ſermo moralis eſt vt plurimum. Hinc apud Ieremiā legim*: *Non docebit vir vltra proximum ſuum, & vir fratrem ſuum*: quia ferè in hoc, ꝙ eſt cognoſcere Dominum, doctore externo non indiget, ſed adhuc magis ſcriptura: Ideò Ioannes hîc non eā excludit, ſed docentem. Imperfectus etiā, quod ad moralia attinet, vt Chriſtum ingrediatur, cōmuniter eget doctore, quia vt plurimum fides eſt ex auditu; & quia Doctores ideò dati ſunt, ne paruuli fluctuent, & circūferantur omni vento doctrinæ: & vt eis frangant panem doctrinæ: & ne lupus rapiat oues cōmunes non ita cuſtoditas à Chriſto paſtore, vt perfecti, ad quorum vnum ait Dominus de oue perdita: *Sanguinem eius de manu tua requiram.* Et Propheta Malachias, *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*: ſed hoc magis tunc, quàm modò fuit neceſſarium. Ab his ergo quando ſunt, neceſſe eſt audire verbum Dei, quouſq; neceſſaria diſcantur, ne eis dicatur: *Propterea vos non auditis; quia ex Deo non eſtis*: licet non præcipiat, vt idcircò veniant ad templa, quia poſſunt diſcere domi.

Ierem. 3.
Qui ferè vltra internam, etiam indigeant externa doctrina.
Rom. 10.
Thren. 4.
Ioan. 10.
Ezech. 33.
Malach. 2.
Ioan. 8.

Si autem non ſint doctores, modò non deſint ſibi, Deus eos docet, tam idoneè etiam, vt confundat infideles: quod quidem in Martyribus, & virginibus incluſis per tyrannos videmus: & in eis impletur illud Principis Apoſtolorum: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe, & fide. ¶ Altus ſanè modus cognoſcendi Deum, eſt Deum per ſeipſum, & per eundem creaturas omnes (qui modus proprius eſt Dei, & Beatorum) ſine Scripturis, ſine creaturis, & aliis modis, imò per cū omnia iſta cognoſcere. Ioannes tamen hîc de perfectis, & fortè Doctoribus loquitur, & paſtoribus, de quibus Dominus dixit: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: quos quidem Ioannes hîc promittit ad literam cognoſcendos.

Martyrū, Virginumq; Dei peculiaris doctrina.
Luc. 21.
1. Pet. 2.
Sublimis Deum cognoſcēdi modus.
Matth. 7.

Non ergò hîc vult Ioannes, vt expectemus Spiritum ſanctū, qui per ſeipſum ſine mediis miniſtris nos doceat, ſolaque interna inſpiratione, id quod Anabaptiſtæ ſibi falsò perſuadent. Qui dupliciter in hoc verbo errāt. Primo, quidem, quòd per Spiritum, & Vnctionem non intelligunt Spiritum Sanctum, ſed proprium ſuum ſpiritum, propriasq; cogitationes, & rationes, vel inſanam capitis ſui melancholicam. Deinde, quòd externam verbi prædicationem vel omnino tollunt, vel minus neceſſariam docent, à ſolo Spiritu citra vllum modum, vel vllum intermedium doceri volentes arrogantiſſimi. Et ſic Spiritum ſanctum ab Scripturis, & externa verbi Dei prædicatione ſeparant: cùm tamen hoc ſit illud medium, quod Spiritus Sanctus nos docet, nempe per Scripturam, & externam prædicationem. Vnde loquente Petro, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum: & Apoſtoli profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Refelluntur Anabaptiſtæ nullam præter internæ inſpirationis doctrinā agnoſcentes, & amplectentes.
Act. 10.
Marc. vlt.

DISPVTATIO XIX.

In verba illa Ioannis: *Et nunc filioli manete in eo, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius. Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt*: quæ ſunt finis Capitis. 2.

Bonæ cauſæ in iudicio co[illegible] victoria eſt

PLVRIMVM expedit vocato ad iudicium, & ad reddendam rationem, fouere iuſtam cauſam, & agnoſcere conſcientiæ ſuæ puritatem: non enim poteſt non bene ſperare de ſententia in fauorem ſuum accipienda à iuſto iudice. Hinc Ioannes ſolicitos nos reddit ad ſtudium bonorum operū, vt fiduciam concipiamus de ſententia pro nobis habenda, cùm ait: *Et nunc filioli manete in eo; vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.*

Propoſitū Apoſtoli.

Vt ſcopum Apoſtoli ſciamus, aduertendum. Cùm Ioannes hortatus ſit ad nō exeundum ab Eccleſia, & à gratia Dei: atq; hoc laborioſum ſit, dæmone, carne, & mundo contra nos decertantibus: proponit præmia manentium in Eccleſia, & ſupplicia eorum, qui ab ea ſua ſponte ſe ſeparant, affectū obnixè, & penè importunè rogātis, induere videtur; ideò toties replicauit, *Manete*, addunt, *nunc*, hoc eſt, in hoc momento vitæ, quod momentaneum & leue eſt tribulationis noſtræ, &c. &, *Vita noſtra vapor eſt ad modicum pa-*

2. Cor. 4.

Iacob. 4.
1. Pet. 1.

rens, & deinceps exterminabitur. Ita dixit etiam Petrus: *Modicum nunc ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus.* Vel tempus tentationum, & multorum ſcandalizatorum, & tempus patiendi ſeruos Dei ab aliis diſſipata, lege iuxta illud: *Tempus faciendi Domino, diſſipauerunt legem tuam.* Sic enim legendum in dandi caſu, non vocandi Domine: vti Hebræa & Græca oſtendunt. Ac dicitur ſibi Dominus facere, quando punit aduerſarios legis Dei: ſicut natura etiam nos docet, per antiperiſtaſin ſe corroborare aquam in igne, & è conuerſo. Quando etiam corrupti à Chriſto diſcedunt, boni magis de Chriſti eis oppoſiti bonitate debent ſibi perſuadere, quodq; etiam magis remunerabit amicos ſuos. Cùm vos, inquit, oderint homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Tempore etiam, quo Deus eſt abſconditus, vel vilipenſus, debemus mundo mori, neq; curare vilipenſiones, & voculas mundi: quia vita noſtra, ait Apoſtolus, abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: bonumq; eſſe putemus, ſi Deus pro clypeo nobis vtatur. *Filioli*, inquit, quos tenerrimè diligo, & nolo à miluo ſpirituali, vel à lupo rapaci, & carnali deuorari, ſed ſub mammillis matris veſtræ, nimirum ſanctæ Eccleſiæ, & ſub alis gallinæ Chriſti manere. *Manete in eo.* Non permittentes vos ſeparari à charitate Chriſti, à quo hauritur vita. Ideo dæmon, & omnia in nos pugnant, vt ſeparent nos à Chriſto, ac vt quieſcamus in Babylonia: contra verò Dei gratia, & ſui omnes dicunt: *Recedite de medio Babylonis: de terra Chaldæorum egredimini*, & : *Quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Et Manere in eo, id eſt, Chriſto manere in Eccleſia, non exeundo ab ea, quæ ſponſa eius eſt, pro qua ſanguinẽ ſuũ fudit. Vel, manete in eo, id eſt, Vncto, & vnctione; Manere autẽ nos in Chriſto, vel Chriſtũ in nobis, vel in fide Chriſti, vel in operibus bonis. pro eôdem hîc videtur accipere Ioannes. Licet autẽ multi Chriſtiani exeant, in eo tamen, Eccleſia nimirũ, nobis manendũ eſt. Et quia in ea ſunt omnes diuitiæ; ideò tam diues eſt Eccleſia cum paucis, atq; cum multis. Nam rogatus Petrus & reliqui Apoſtoli, Nunquid & vos (cùm Capharnaitis videlicet retrocedentibus) vultis abire? reſpondit ille; Domine, ad quẽ ibimus? verba vitæ æternæ habes. Ad confirmationem ergo Eccleſiæ, non ad multitudinem, vel paucitatem eius reſpiciendũ eſt.

Pſal. 118.
Quid illud: Tempus faciẽdi Domino, &c. non Hebræo.

Matth. 5.

Coloſſ. 3.

Ioannis charitas.

Matth. 23.
Cur manendum in Chriſto.
Rom. 8.

Ierem. 50.
2. Cor. 6.
Epheſ. 5.

Ioan. 6.

Vt cùm apparuit. Deſiderandum ſanè præmium, quod vt deſideretur, à Deo nobis pro ſua benignitate proponitur, quò illud magni pendamus, ne de nobis dicatur; Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, quæ idẽ eſt cùm ipſo Deo. Nec poteſt eſſe pura mens, quin id deſideret, quia ibi eſt mentis perfectio in vera deitate. Contra verò impurus non expetit paradiſum niſi à ſe confictum, vt Mahumetani. *Cum apparuit*, inquit. Ex quo certi ſumus, quòd iudicabit nos, ſicut & creauit, & gubernat: quia quod cœpit in nobis bonum opus, ipſe perficiet vſque in finem. Et verè nunc Deus eſt abſconditus, & ſua omnia eo magis occulta ſunt, quò plus ad Deum accedunt. quia eò plus ab oculis noſtris recedunt, velut ſepulta in ſpelunca duplici. Dei ergò eſſe nobis abſconditum, manifeſtat noſtrum eſſe corruptibile. inſtabile, miſerum, breue, quod etiam ignoramus, & de eius ſimilitudine vncta eſt noſtra cognitio. Ideò ſimilia de Deo fingimus, cum tamen ſit ſupra omne eſſe, ſupra intellectũ, ſupra vitã. Noſtro quoq; eſſe, quod ab eo accipimus, abutendo, oſtendimus occultum nobis diuinum eſſe, in cuius abyſſo ipſi etiam demerguntur Angeli. Dei quoque potentiam in nobis abſconditam oſtendimus, dum ita eã deſpicimus, & blaſphemamus, & dum eius mandata tranſgredimur, & in noſtra potentia impotentiſſima & arundinea confidimus, & in vmbra creaturarũ, ac ſi Deus non eſſet, ſicuti non eſt ante oculos noſtros: ac noſtra tyrannicè vtimur potentia. Dei quoque ſapientiam nobis abſconditam atq; abditã profitemur, cum iudicamus illam factiones fouere, nec de ea vt par eſt, cogitamus. Deſpicimus eius doctrinam, & conſilia, & noſtram ſapientiam quaſi veram, ſuæ quaſi ſtultæ opponimus. Bonitatẽ eius abſconditam non agnoſcimus, quando quaſi iunctam arguimus, & ficta bonitate, vel patenti malitia volumus cõtra ea præualere. Diſſimulat ergo, vel vt Beatus ait Paulus, Deſpicit verè tempora ignorantiæ, vt Infideles, & falſi, & veri Chriſtiani oſtendunt: & tunc omnino apparebunt eius excellẽtiæ, ac noſtra indignitas hic ſe falſo æſtimans apparebit. Et apparitio ſubitaneum aduentũ ſignificat, & patentem toti mundo, cum hoc tempore totũ orbem lateat: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet, &: *Sicut, fulgur venit ab Oriente, & paret vſq; in Occidentem, ita erit & aduentus Filij hominis.*

Aduentus Domini iuſtis deſiderabilis.

Pſal. 115.

Eius aduentus certitudo.
Philip. 1.
Eſa. 45.

Quomodò in nobis, & à nobis abſconditur Deus.

Act. 17.

Quid notet apparitio.

Luc. 12.
Matth. 24.

Ioannis Apoſtolorumq; omnium fiducia in aduentu Domini quæ ſit.

Subdit: *Habeamus fiduciam.* Vel ad Apoſtolos,& Doctores poteſt hoc referri, quorum gloria, & ſpes in die Domini ſunt illi omnes,quos verbo ſuo lucrifecerunt: in quibus lucrifaciendis ſi fuerint ſegnes,& imperfecti,habent timerè confuſionem,quia ignis omnia probabit. Et ſic eſſet ſenſus, Hortor vos, quantum in me eſt,ad manendum in Chriſto,ne confundar, ſi fuero negligens in exhortando, cùm cuipiam dictum ſit: Sanguinem eius (ouis ſcilicet perditæ)de manu tua requiram. Adhibita etiam negligentia, licet nullum malũ præceptoribus immineat, quia ſat eſt ſpeculatori admonuiſſe impium: dici tamen poteſt ad bonum ſenſum,quòd duces noſtri, etiam ſaluandi, imò & iudices futuri confundentur, id eſt,in modum erubeſcentium ſe habebunt: ſicut Chriſtus ait: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua,& Patris, & Sanctorum Angelorum*: ſicut præceptor erubeſcit, quando diſcipulus examinatus in corona, inuenitur ignorans,& rudis. Vel, quia charitas venit, Habeamus, pro, Habeatis, dicit: Et ne ita eis videamur malum ominari: ſic enim ſolemus nos ipſos in reprehenſione ponere, vt mollior, dulcior, & acceptabilior ſit reprehenſio.

Ezech. 33

Luc. 9.

Effectus fiduciæ ante Chriſtum iudicem.

Et non confundamur ab eo in aduentu eius. Quoniam confuſio timor eſt opprobrij, fiducia confuſionem tollit: *Et non confundamur ab eo.* Hoc eſt, à Chriſto abſcondito ob eius occultationem,& humiliationem,deſpectum,& nouiſſimũ in iudicio, ab eius porrò altitudine confundemur, videntes quid ſumus nos, & quis ſit ille in quem transfiximus; & dum ipſe ſuos contemptores dedignabitur,& beneficia contempta palã exprobrabit. Et minus Chriſti eſt vſq; ad iudicum confuſionem nobis inductam à dæmone tollere,& dare veſtes pelliceas (vt olim primis parentibus noſtris)quibus tegamur: quibus ſi nolumus operiri, non mirum eſt, ſi vna die pudefacturus nos ſit. *In aduentu eius.* Vnico ſcilicet,& viſibili:alias res tam præcipua omnibus eſſet celata. Et cũ aduentus celebratus ſit ille, de quo nemo neſcit: tantùm primus eſſet celebratus, & de ſecundo,quem omnes intellexerunt, nulla eſſet mentio. Tollebat ergò Ieſus dum viueret, aliorum peccatorum confuſionem,vt adulteræ,prodigi,peccatricis,Paralytici,Publicani, & Magdalenæ, quam culpare auſi ſunt apoſtoli ob effuſum vnguentum in Caput Chriſti recumbentis,

Apoc. 1.
Gen. 3.
Luc. 9.
Chriſtus iudex cur omnibus apparebit.
Matth. 24.
Ioan. 5.
Luc. 15.
Supr. 7.
Infra & ſequentib.
Infra 18.
Matth. 26.

ſed Dominus defendit,dicens: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me*:& Apoſtolorum de quibus Scribæ, & Phariſæi querebantur apud Dominum: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorũ?* & rurſus, *Quare nos,& Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Omnium deniq;, qui ad ipſum confugiebant, Chriſtus peccata tollebat. Confundebat tamen Phariſæos, ſtultam faciens eorum ſapientiam, & iuſtitiam propriam,quam quærebant ſtatuere: iuſtitiæ nimirum Dei nolentes eſſe ſubiecti. Confuſiones autem hodiernæ ferè in opinione ſitæ ſunt,quemadmodum & honores. Et certè non tollunt vtilitatem aut delectationem propriam, ſicut ille,de quo Poëta quidam dixit:

Supra. 15.
Supr. 9.
1. Cor. 1.
Rom. 10.

Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Horat. Satyra 1

At diei iudicii confuſio veriſſima erit, ac intolerabilis: de rebus enim verè malis obmuteſcent, & ſilebunt,& omnibus diuitiis ſpoliabuntur: ſuperbi,& inuidi aliorum gloria cruciabuntur: *Stabunt*, inquit Sapientia, iuſti, *in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinẽ improperij*, & reliqua quæ ſequuntur. Dicent quoque iuſti: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua.* Eſt autem hoc ſuppliciũ homini proprium, quia dedecus, ignominiã,& confuſionẽ cætera animãtia nõ ſentiunt:ſolus homo eius eſt capax. Et ideò ſæuior erit igne, qui eos comburet. Primus Chriſti aduentus fuit in confuſione ſua,de qua Apoſtolus: *Qui propoſito*, inquit, *ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta*; ad tollendam videlicet abiectorum,& humilium hominum cõfuſionem, & ad confundendum pomposos,& vanos mundi homines: ſecundus verò aduentus erit in gloria ad eundem finem. Vna pars confuſionis malorum erit erubeſcentia. Et per illud, quod ait: *Non confundamur*, intelligit ſummam gloriam, honorificentiam, & confuſionem, quam daturus eſt nobis Chriſtus coram Angelis Dei. Et quia honor, eſt in honorante, & confuſio in confundente, vel inhonorante, quo illi plures, & maiores ſunt, & quo inhonoratus ſenſus, magis eſt capax,& honorificatus maiori intelligentia præſtat, eò maior eſt honor, vel cõfuſio, Et vtraq; ſumma erit in iudicio.

Reproborum confuſio in iudicio quãta ſit futura.
Sap. 5.
Pſal. 51.
Proprium hominis ſuppliciũ pudor & verecundia.
Heb. 2.
Ex Ariſtot.

Cir-

id ſit nomi fiducia, & omodo acpiatur in ſa litteris.

Circa propoſitam dictionem fiduciæ, vt melius intelligatur præſens locus Apoſtoli, dicendum erit in primis nonnihil de vocibus confidentiæ, & fiduciæ: deinde de reipſa, quæ his vocibus exprimitur. Tertiò, an, & quomodò iſta diſtinguitur à fide. Quartò, an, & quomodo diſtinguatur ab ſpe. Quod ad primum attinet, intelligimus fiduciam animi noſtri motum tendentis in bona ardua, ac difficilia. Et quãtum quidem ad Grammaticam, fiducia ferè ſemper in bonam partem capitur, raro in malam; vt ibi:

rg. lib. 1. eneid.

Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?

Et alibi:

Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum?

em.

Confidentia verò ferè ſemper in malam partem accipitur, vt teſtatur Donatus: Confidentia eſt, inquit, audacia cum improbitate. Vnde Comicus in Andria:

rent.

O ingentem, inquit, *confidentiam:*

Et in Phormione: *Homo confidens*;

rgil.

Et Poëta:

Nam qui te iuuenum ô confidentiſsime noſtrûm:

In Scripturis tamen ſacris hæc differentia non obſeruatur. Propheta enim ait:

al 124.

Qui confidunt in Domino, & quæ ſequuntur: Salomon, *Iuſtus, ſicut leo, confidens, abſque terrore erit*: & Dominus, *Confidite, ego vici mundum*: Fiduciæ etiam vox non ſemper in bonum capitur in ſacris literis: quod poſſet multis locis comprobari, ſi opus eſſet: vnum tantum illum proferam: Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, Fiducia mea es. His vocibus Latinis Græcè reſpondent, παῤῥησία, quæ eſt libertas loquendi, & agendi, πεποίθησις, θάῤῥος, & τόλμη. De prima habes 2. Corinth. 3. ſecunda, tertia, & quarta vox ſignificant audaciam, de quibus Matthæ. 6. θάρσει τέκνον: quæ ſimiliter voces promiſcuæ ſunt ad ſtudioſam, & vitioſam confidentiam. Hebræis autem reſpondent duæ voces: prima חשה quæ ſimpliciter ſperare ſignificat: altera בשח quæ pluſquam ſperare, nempe confiderare. Pſalm. 117. Hebræa lectio ad literam habet: *Bonum eſt ſperare in Domino, quàm confidere in homine*: vt ſignificet plus valere ſimplicem ſpem in Deo, quàm magnam confidentiam in homine. Sed hanc differentiam verborum neglexerunt 70. & Hieronymus, & hæc omnia ſignificant audaciam, vel non longè ſunt ab ea.

rouerb. 28. an. 16.

b 31.

ſalm. 117.

uid ſit re, fiducia, confidentia, vel audacia.

Veniamus ad ſecundum quod propoſuimus. Nomen fiduciæ, vel confidentiæ, vel audaciæ, æquiuocum eſt, quia in primis accipitur pro paſſione, ſiue motu iraſcibilis facultatis aggredientis ardua: ac ideò ſequitur apprehenſionem ſenſus, temperaturam corporis, cordis organum, ac demum vitalium ſpirituum copiam: Eſtque in brutis perinde atque in homine, pro vario eorum temperamento. Et ſic non loquitur Scriptura de audacia, vel confidentia, vel fiducia, quia nec bona eſt, nec mala in ſe.

Horat. lib. 1. Carmin. Ode. 3.

Audax (ait Horatius) *Iapeti genus*
Ignem fraude mala gentibus intulit,

II. ſignificatus

Secundò perpende, Fiduciam, & audaciam nomen eſſe vitij hominis contra rationem apprehendentis pericula, cùm nititur ſcilicet homo naturæ viribus plus quam decet, & propriæ prudentiæ. Vnde dominationem contemnunt audaces: *Maledictus*, ait Propheta, *homo qui confidit in homine*: & Pſaltes, *Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur*, & Chriſtus dixit parabolam ad quoſdam qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros. Aſa etiam Rex, relicto Deo, confiſus eſt in arte medicorum: Ezechiel quoque: *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo.*

Ierem. 17. Pſalm. 48. Luc. 18. 2. Paral. 16. Ezech. 16.

III ſignificatus.

Tertiò, iſtæ tres voces interdum nomen ſunt virtutis. Vnde Paulus: *Audemus, & bonam voluntatem habemus*: &, *In quo quis audet, audeo & ego*: Ioſeph quoque Arimatheus audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu: Dominus etiam, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; Item Salomon, *Iuſtus, ſicut leo confidens, abſque terrore erit*: Daniel quoque de Suſanna: *Erat enim*, inquit, *cor eius fiduciam habens in Domino*. Et hoc tertio modo vel virtus humana eſt, qua quis magna pericula humana, fugienda eſſe cenſet, vel in ardua bona adipiſcenda vim iraſcibilem intendit, etſi ratione moderata nomen extremi habere videtur: ſicut audacia, ſecuritas, fidentia, & confidentia, in bonam partem etiam ab Ethnicis accipiuntur. In Scripturis tamen quia tali audaciæ, & fiduciæ, & confidentiæ, ſeu ſpei, diuini effectus tribuuntur, qualis eſt remiſſio peccati, vt ibi: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, qui habet ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt: adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Tribuitur etiam illi victoria tentationum: *Confidite*, inquit, *ego vici mundum*: item exauditio, quia ſpes non confundit: eadem gloriam obtinet: *Nolite*, ait idem Apoſtolus, *amittere confidentiam veſtram, quæ magnam*

2. Cor 3. Infra 11. Marc. 15. Matth. 9. Prouerb. 28. Daniel 13.

Effectus fiduciæ in Deo.

Matth. 9. 1. Ioan. 3. Hebr. 4.

Ioan. 16. Rom. 5.

Hebr.10. Eſai 40. Supra 12. Epheſ.3. Heb.10.

habet remunerationem. Demum fuga malorum, & adeptio bonorum. Vnde Eſaias, *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*; &, *Fiducialiter agam, & non timebo*; Paulus, *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia*: rurſus, *Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti.* Quoniam ergò hæc omnia illi tribuuntur, neceſſariò pro dono infuſo eſt accipienda, & quandoque quidem pro gratia gratis data, vt eſt fides, fiducia, ſeu audacia, qua quis obtinet, & facit ſigna, & Scripturas cum fiducia interpretatur, & explicat, & diſputat pro fide ſiue prophetia, iuxta rationem fidei gratis datæ; hinc Apoſtolus, Alteri, inquit, (datur) fides in eodem Spiritu, id eſt, gratia gratis data, quę fiducia eſt. Frequentiùs autem accipitur pro dono, quod quiſque præſtare debet, quia maledictus eſt homo, qui non confidit in Deo: quod non eſt de gratuitis habendum, quia non omnibus datur.

Rom.12. 1 Cor.12. Quid illud: Alteri datur fides in eodem Spiritu. Ierem.17.

De potentia, & obiecto fiduciæ ſeu confidentiæ duplex opinio refellitur.

Hoc ergò modo difficile videtur diſcernere peculiariter cuius potentiæ, & obiecti ſit, & quomodò ad quædam alia dona ſeſe habeat. Dicendum tamen in primis non videtur, quòd, vt in Scripturis accipitur, ſit pars, aut modus humanæ fortitudinis, ſeu ſpei: quia tali humanæ virtuti tribuuntur prædicta, & conſequenter non eſt virtus humana reducenda ad fortitudinem ob eandem cauſam: licèt, vt bene vidit beatus Thomas in Secunda ſecundæ, loquens de fiducia in peculiari articulo, pro parte fortitudinis, vel ſpei, vel pro virtute humana, quatenus ad eam reducitur, à Cicerone, & alijs bonis autoribus accipiatur: ſed Scriptura de diuina loquitur audacia, ſiue fiducia. Deinde non videtur accipi poſſe pro dono habente ſe per modum paſſionis ſupernaturalis, ſicuti eſt ſupernaturalis conſolatio: quia eius actus præcipitur: ait enim Dominus: *Confidete: ego vici mundum*: & apud Ieremiam, *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Paſſio autem ſub præceptum per ſe non cadit. Et ſic præſtat, vt nomen actus ſit ſolùm; quod quia rarum, non videtur dicendum vel nomen actus, & habitus, vt fides, ſpes, dilectio, & alia; & ſic videtur eſſe virtus Dei infuſa, qua animus Deo, vt primæ cauſæ, & fini vltimo innixus, eius promiſſionibus credit, quaſi pollicens vitaturum ſe mala, & adepturum ſe bona aliqua, certò eſt perſuaſus. Quare confidere, non eſt niſi, ponere rei, in qua confidimus, brachium; id eſt, robur noſtrum, ſeu vmbraculum: nam in brachio oſſa, & nerui ſunt, ideò illi fortitudo tribuitur. Vnde illud Sapientis, *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ*; & ſanctus Ieremias, *Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: & erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas; & non timebit, cùm venerit æſtus.* Ex humore enim præcipuè nutritur arbor. Ideò terra in montibus, vbi magna lignorum eſt copia, ſeu ſyluæ ingentes, non decreſcit, quia ligna præcipuè aqua aluntur. Deus ergò, vt terra eſt, fiducia, & radix, qua non timemus mala, & bona ſperamus. Hinc Dauid; *Dicam Domino, Suſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, ſperabo in eum.*

B.Thom.2.2. q.12. M.Tull. 2. de inuent. & in 4. Tuſculana. Ioan.16. Ierem.12. Confidere quid.

Prouerb 3. Ierem.17. Pſal.1. Pſalm 90

Fiduciæ primarium obiectum. Epheſ.1. Heb. 4. Ierem.17. Pſalm.10. Philem. Pſalm.61. Prou.vlt. Theſſ.3. Tob 4.

Quod ad obiectum eius attinet, ſpei, & charitatis, & fruitionis, primarium obiectum eſt vltimus finis, & prima cauſa Deus, iuxta illud, *In quo habemus fiduciam*, & alibi: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*; rurſus, *erit Dominus fiducia eius*; item, *In Domino confido, &c.* Secundariò autem ſecundùm Thomam, ſpes eſt de ſecundario fine ad cauſam, vt ſunt primæ cauſæ inſtrumenta, Vnde dictum eſt: *Ego te fruar in Domino: Spes mea in Deo eſt. Confidit in ea cor viri ſui, &, Confidimus de vobis in Domino. Fiducia magna erit coram Domino eleemoſyna omnibus facientibus eam.* Sed non videtur Deus, vel creatura modo dicto abſolutè obiectum fiduciæ, niſi quatenus per eum bonum arduum, vel mali ardui liberationem adipiſcimur. Ac propriè ſpes eſt de Deo, media autem in ſe, vel de ſe fidere faciunt, quia Deus nulli medio eſt alligatus, quin ſine vllo, vel per aliud, quod vult præſtare poſſit. Et licèt ignoremus nos eſſe in Dei gratia, excitat tamen ſub conditione fiduciæ, qua nouimus dari vitam ſeruanti mandata. Mea autem peculiaria opera ſi reuera bona ſunt, maiorem fiduciam in Deum excitant, quatenus animam purgant, vt Deo ipſi magis innitatur mens iuſti, iuxta illud Salomonis, Iuſtus ſicut leo confidens, abſque terrore erit: & Dominus: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.

Effectus bonorum operum. Matth.19. Prouerb 28. Ioan.3.

Bona opera in ſe, & in genere fiduciam non præbere abſque Dei priuilegio. Philip.3. Luc.17.

In ſe autem, & in vniuerſum non videtur quomodò opera dent fiduciam citra priuilegium, quia vniuerſalis eſt regula, Obliuiſci quæ retrò ſunt, & ad anteriora ſe conuertere: peccata noſtra videre, & lugere, & dicere illud, Serui inutiles ſumus, & orare cum Eccleſia. *Vt qui ex nulla noſtra actione confidimus, &c.* Neque ſe

1.Cor.4. ipſum iudicare, vt ait Paulus; ſicut nec alium iudicare debemus. Et ſimilis eſſe ſolet phraſis ſeruorum Dei: quia cùm malum ſit fidere rei quam non nouimus, & ipſos prorſus ignoremus in charitate eſſe, ac proinde nec habere opera bona: peculiariter non poſſumus niſi Phariſaicè illis fidere, in communi loquendo: etſi ex priuilegio poſſit fieri, vt Deus det fiduciam interpretandi, vel exemplum rectè currendi, vel vt ſerui Dei conſolentur afflictum, oſtendantque illi fidem, & bona opera ſua quę fecerunt; & quæ confidentiam in Deum qui promiſit, excitabunt: vt in illo cernere eſt, qui dicebat, *Obſecro Domine, memento quæſo quo modo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis, fecerim*: & in altero qui dixit: *Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi*, ſubditque: *Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo*, idola ſcilicet colendo; licet obſeruare me debeam ab iniquitate mea, homicidii videlicet, & adulterii. Vel fieri etiam poteſt, vt quis ſit imperfectus, & reſpiciat ad ſubſtantiam operum, & ignoranter confidat, ac pueriliter, & Deus eum nihilominus exaudiat: vt fecit cum Ezechia. Imò Dauid de ſe dixit: *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei*, & poſteà ſubiungit: *Ego ſine cauſa iuſtificaui cor meum*, & reliq. Eſt enim tentatio Dauidis, vel perſonæ alterius, in cuius nomine loquitur; cui medetur Deus, ſicut dicentibus: Quod emolumentum, quia cuſtodimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes, &c. & dicentibus: *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti.* Et commune erat in Veteri Teſtamento reſpicere ad ſubſtantiam operum, cum tamen ex cauſa nobis ignota dependeat, cauſa confidentiæ in operibus. Ideò in vniuerſum diſſuadendum eſt: quia priuilegia peculiaria quorundam, ad paucos, & non ad omnes ſpectant.

Matth.7. Luc.18. Iacob.2. Eſa.38. Pſalm.17. Pſalm.72. Malach.3. Eſa.58.

Proprium Veteris Teſtamenti.

De ſubiecto fiduciæ, quodnam illud ſit.

Subiectum autem fiduciç inueſtigandum eſt. Et in primis non eſt intellectus, quia fiducia non eſt fides, & ab ea diſtinguitur Epheſ.3. & 1.Corint.4. vbi præter fidem exprimitur fiducia: Item non tendit fiducia in verum, ſed in bonum per ſe ſumpta: imò quia in affectu non eſt mendacium, & perficitur bonis deſideriis, Deus vult vt fiduciam habeamus impetrandi quod non dat, licet nolit nos credere, omninò ſe daturum, vbi dare non vult: quia error imperfectior eſt intellectus, quam Deus non amat. In affectum autem non cadit error, vel leuitas, ſed boni deſiderium, quod bonum eſt etiam bono non volenti. Deinde ſubiectum fiduciæ non eſt appetitus ſenſitiuus, quia non tenderet in Deum ſenſui (quem ille appetitus ſequitur) penitus incognitum: reſtat ergò, vt ſit in voluntate rationali, non quatenus concupiſcibilis eſt rationalis obiecti, ſed quatenus iraſcibilis, id eſt in arduum tendens; quale eſt magnum malum vitare, vel bonum altum adipiſci, vel quid occultum adeptum eſſe, vt remiſſionem peccatorum: quod quia occultum eſt, quaſi futurum eſt. Ex quo vehemens opinio occurrit, quòd fiducia tertio modo accepta idem ſit re ipſa cum ſpe, licet ratione fortaſſe ab ea differat: quod his rationibus oſtendo. Prima, quia cum tres tantum ſint virtutes Theologicæ, & fiducia ſecundum omnes non ſit vel charitas, vel fides, quam tamen præexigit, & per quam actum ſuum exercet, ſicut humana fiducia rationem humanam ponit, vel opinionem, & animalis fiducia ſenſum: ſupereſt, vt fiducia ſit ſpes, quia Deum habet pro obiecto & bonum arduum, vt illa, & eiuſdem eſt potentiæ, & facultatis, id eſt, voluntatis: & ſecundariò vtraque eſt de mediis, quæ conducunt ad finem, vt ait Thomas, licet primariò ſit de Deo. Probatur ſecundariò etiam ex Scripturis ſanctis, & earum interpretibus confundentibus vocabula ſpei, & fiduciç, & cõfidentię; & verba ſperandi, & fidendi, & confidendi. Vt cum dicitur: *Bonum eſt ſperare in Domino, quam confidere in homine: Bonum eſt ſperare in Domino, quam confidere in Principibus*: quæ verba Septuaginta pro eodem vſurpant. Paulus etiam in eundem ſenſum accipere videtur, cum ait in poſteriori ad Corinthios. Habentes igitur talem ſpem, multa fiducia vtimur; ſicut etiam ad Heb. 3. Quæ domus, ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem, firmam retinemus. Tertiò Thomas fiduciã dicto prius articulo ait eſſe fidei robur: robur autẽ ſpei non eſt aliud quam ſpes aucta, & roborata: magis autem, & minus, ſecundum doctrinam Philoſophi, non variãt ſpeciẽ. Quartò Scriptura proprietates fiduciæ ſpei tribuit: vt conſolari præſentes, & dilatione contriſtare: Spes, inquit, quæ differtur, affligit animam. Dare item ſecuritatem ablato timore: ſpes etiam anchora eſt firmans, & ſanctificans: extenduntur item ad paſſiones, vitia, & virtutes humanas, & diuinas: vtraque inſuper eſt de præſentibus, modò occulta ſit, præ-

Fiduciam & ſpem re ipſa nequaquam differre.

B. Tho. 2 2.

Pſalm. 117. & 9. iuxta Hebræam literam.

2.Cor.3.

B.Thomas.

Ariſtot.

Fiduciæ proprietates ſpei in Scripturis aſſignari.

Prouer.13.

cipuè tamen de futura gloria, ſecundariò de ijs, quæ ad eam conducunt. Adde, quod vtraque, tam fiducia, quàm ſpes, informis eſt in peccatoribus, imperfecta in incipiẽtibus, at verò perfecta in in viris perfectis. Prætereà impropriè dici poteſt fiducia in cœlo, ſicut ſpes in Chriſto impropriè erat. Sedebit, inquit, populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiduciæ. Vbi de regno Chriſti videtur loqui Eſaias; & Munſterus vertit, In manſionibus ſecuris: quod in Hebræo habetur מבטח. Vt ergo in gloria non ſunt obiecta fiduciæ, ita nec illæ virtutes erunt, ſed ſupplens omnia charitas. Ideò non erit tibi patientia, non fides, non ſpes, ſeu fiducia. Peccatoris fiducia nititur Dei miſericordia, & amore Dei, etiam in malos, & experta fiducia quantum ad temporalia. Ideò nullus adultus ſine fiducia nunquam iuſtificatus eſt. Spes verò iuſti eiſdem nititur, etiam expertis rebus in ſpiritualibus, & viæ clariori, quanto homo eſt perfectior. Ratione autem fiducia differt ab ſpe: nam ſpes magis actum dicit, ſiue (vt ſic loquar) tendentiam in bonum; fiducia verò frequentius à malo auertit, & ſecuritatem à malo, & timore ſignificat. Licet etiam in bonum tendat fiducia, communius tamen eſt de mediis, quàm ſpes, licet vtraque principaliter ſit de Deo. Ioannes ergo ait, nos habere fiduciam, & ſpem in iudicio ante gloriam oſtenſam, quæ ſpem excludit, licet non effectum fiduciæ, id eſt, ſecuritatem, & libertatem, ſicut nec omnem effectum patientiæ, & fidei firmitatem.

Eſai. 32.

Quę virtutes à cœlitibus abeant.

1 Cor. 13.

Fiduciæ neceſſitas in adulto.

Fiducia quomodo diſtinguitur ab ſpe.

Iam ſi quis me interroget, an liceat confidere in bonis operibus, reſpondeo per quatuor aſſertiones. Prima ſit: Licet confidere in bonis operibus, ſi illa habeat in genere, vt ſuo exemplo oſtendit Ezechias, & ad hoc ſe extendit ſpes Theologica.

An liceat confidere in bonis operibus nec ne.

Prima aſſertio.

Eſa 38.

Secunda ſit: Licet confidere bonis operibus, quando Deus agit nos ad illa intuenda, & ad animum noſtrum dirigendum, & confirmandum: & tunc ſpes Theologica extendit ſe ad illum actum.

Secunda.

Tertia: Licet confidere in Sacramentis, vt ſubſidiis Dei ab eo inſtitutis ad noſtram ſanctificationem, & conſolationem.

Tertia.

Quarta: Licet probabiliter confidere in bonis operibus, quatenus probabiliter ſcire poſſumus illa nos habere.

Quarta.

Quod verò fiducia non ſit fides, vel è contrario fides fiducia, ex Scripturis, & Patribus, & rationibus apertum eſt. In primis igitur Matth. 14. habetur: *Habete fiduciam; ego ſum, nolite timere.* Ergo fiducia opponitur timori, fides autem hæſitationi. Vnde Petro Chriſtus dixit ibidem: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Diſcipuli quoque conturbati ob perſecutionem, orabant; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia, contra timorem videlicet conceptum ex perſecutione. Eſaias quoque: Fiducialiter, inquit, agam, & non timebo. Paulus etiam cum veniſſet Romam, & fratres accurriſſent ad Tres tabernas, & Appij forum, dicitur egiſſe gratias Deo, & concepiſſe fiduciam, vbi fiducia pro fide nequit accipi. Idem de Suſanna morti deſtinata, à Daniele ſcribitur: *Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino*, nimirum contra mortis timorem. Ait etiam Salomon, *Iuſtus ſicut leo, confidens abſque terrore erit.*

Fiduciam non eſſe fidem, vel è conuerſo fidem fiduciam, oſtenditur.

Act. 4.

Eſa. 12.

Act. vlt.

Dan. 13.

Prouer. 28.

Idem docent Sapientes, qui rerum naturas indagarunt. Nam Cicero lib. 2. de Inuent. fidentiam, ſiue fiduciam inter virtutes voluntatis collocat; qui tamen vim vocis, & ſignificatum exactè nouerat. Fidentiam namque voluit eſſe partem fortitudinis, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum minus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Idem quarta Tuſcul. fiduciam ſub ſpe collocat, & metum ait eſſe diffidentiam ſpectati, & impendentis mali. Macrobius verò in Somnium Scipionis, ex ſententia Photini Philoſophi fiduciam inter fortitudinis partes refert, ſicut Ariſtoteles lib. 2. & 3. Ethic. aſſerit, fortitudinem ſeruari circa hos duos affectus contrarios moderandos, fiduciam ſcilicet. & timorem. Idem lib. 2. Rhetor. ad Theodectẽ, fiduciam opponit timori.

Cicero.

Idem.

Macrob.

Philoſoph.

His ita expeditis, redeundum eſt ad textum. Supereſt enim clauſula illa: *Si ſcitis quoniam iuſtus eſt; ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt.* Qua ſententia videtur Ioannes præparare auditores adhoc, vt poſſint concipere fiduciam in diem iudicii. *Si ſcitis*, inquit, *quoniam iuſtus eſt.* Scilicet Chriſtus. Hic ergò, quod ad Diuinitatem attinet, totus eſſentialiter iuſtus eſt: quod ad Humanitatem verò eius ſpectat, non niſi per participationem: ſed ita, vt totus in ſe iuſtus ſit, & natura iuſtus, & iuſtitia noſtra, accipiendo pro legali Iuſtitia, id eſt omni virtute, & perfectione. Et Deus, omnis, & infinita perfectio, & ſummè iuſtus, accipiendo pro ea, quæ reddit vnicuique quod ſuum eſt, adhuc eſt iuſtitia, quia ipſe increatus reddit ſibi ius ſuum, & dat Verbo, & Spiritui ſancto totam ſubſtantiam per debi-

Quomodo Chriſtus iuſtus ſit, & iuſtitia noſtra.

Ioan 23.

Dei Patris iuſtitia quænam ſit.

debitum modum naturæ, & voluntatis, ſed eius voluntatis, quæ eius neceſſitatem non excludit. Porro creaturis omnibus libere reddit per creationem actiuam cuiuis naturam ſuam, quam in idea habebat, & conſeruationem, & perfectionem donorum. Quamobrem iuſtus eſt, & peccatum odit: & fucata eſt virtus quæuis, vt vana fiducia, & ſpes extra Eccleſiam, vel cum animo peccandi, quia non perficit animum, ſed inficit.

Quid ſit humana iuſtitia.

Scitote, inquit, *quoniam omnis qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt.* Patet, quod humana iuſtitia non vocatur iuſtitia abſolute, ſed iuſtitia coram hominibus. Et quia qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt; occultos Chriſtianos, & filios habet Deus, quos plus multis viſibilibus diligit.

Quorſum id, Factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.

Illud vero dictum, factor operis, hic beatus in facto ſuo erit, dictis non repugnat, ſed ſenſus eſt: Reputabitur, ſiue habebitur iuſtus ob opera. Et licet actus non ſint formæ permanentes, vt denominent iuſtum (vt conſtat, cum homo dormit) quia non eſſet iuſtus, ſi opera ſola eſſent iuſtum denominantia: tamen quia, etſi tranſeant, manent in habitu gratiæ illo medio quem augent, iuſtum denominãt.

Quomodo Deus ſit iuſtus & iuſti habeant iuſtitiam à Deo.

Si ſcitis quoniam iuſtus eſt. Diuino modo ſcilicet per eſſentiam & infinitè. Tunc enim ſcimus quod habens iuſtitiam participatã ab illo habet. Et ſic ſuã iuſtitiã ab illa Dei eſſentiali habet, quaſi filius partem ſubſtantiæ patris, & matris, quibus eſt ſimilis in naturalibus. Non eſt tamen cogitandum, noſtram iuſtitiam re ipſa partem eſſe diuinæ iuſtitiæ: quia eſt accidens noſtra, illa vero Dei ſubſtantia eſt: Bene tamen eſt veſtigium, & ſimilitudo eius, & ab illa diuina participata: ſicut cera à ſigillo non amittente ſubſtantiam, accipit impreſſionem, & figuram, quæ filia nata eſt ei ex ſigillo, non quantum ad ſubſtantiam, ſed quantum ad figuram, ſiue imaginem. Vel altius loquendo, ſicut quæuis res ex ſua forma præſertim conſtat, & per eam, quæ dat eſſe rei, eſt: ita exiſtens in gratia, vel gloria, ex veritate, ſeu ex Deo eſt, id eſt, habet diuinitatem, & veritatem æternam, & filiationem naturalem participat: & Spiritum Sanctum habet pro anima animæ ſuæ, ex qua eſt, quaſi ex materia; ex Deo, & veritate quaſi ex forma. Non enim Deus dat partem ſuæ filiationis, vel naturæ, illi, quem adoptat, quia impartibilis eſt, & donans eſt infinite liberalis, ſed totam quam habet, quæ tamẽ accipitur iuxta captum accipientis per ſupernaturalia dona creata, quæ tanquam diſpoſitio ſunt: vt Deitas ſit forma noſtra, abſolutiſſima, ac omnimoda. Ac ita iuſtus, quatenus talis eſt, ex Deo eſt, & ex veritate, & habens ſpiritum fidei: de qua natiuitate & filiatione alibi Ioannes, *Qui non ex ſanguinibus*, inquit, *& voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Sanguines vocat Ioannes menſtruũ, & virile ſemen: quæ materia ſunt fœtus. Voluntas autem carnis, & viri, ſignificat concurſum fœminæ, & viri in generatione. Sed ex Deo naſcuntur Chriſto, qui quatenus homo, vt fœmina, paſſiue concurrit in generatione ſpirituali, nimirum per ſanguinem, & mortem; quatenus autem & vir actiue ſubſtantiam, & Spiritum communicans non vt homo ſui partem, ſed totum, vt dictum eſt eo modo, quo capitur ex Deo, & tanquam ex ſanguinibus, id eſt, Deo, & homine: quia Chriſtus Deus & homo fide conceptus, vim habet formatiuam, qua animam, quaſi nutrimẽtum, ſibi vendicat, & in ſe transformat eã, & eius actiones, & partes quibus vitam, & motum diuinum tribuit.

Alter ſẽſus

2. *Cor.* 4. *Ioan.* 1.

Quid natũ eſſe ex ſanguinibus, & ex volũtate carnis & viri ſecũdum Ioannem.

Quid facere iuſtitiã.

Scitote, ait (id eſt Cognoſcite) quoniã & omnis qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt. Omnis, inquit, ſine acceptione perſonarum, ſiue ſit prædeſtinatus, ſiue non. *Qui facit iuſtitiam.* Id eſt, Opera bona: habitus enim nõ fit, ſed ex actibus augetur. Et iuſtitiam, non ſolum dat iuſtitiæ denominationem, quę mendax eſſet, niſi ſimul re ipſa daret; ſed re ipſa iuſtificat, id eſt, iuſtiorem facit; & quia meretur ſibi augeri iuſtitiam viæ, & patriæ. Et Iacobus de Abraham loquens. *Vides*, inquit, *quoniam fides cooperabatur operibus illius?* videlicet in iuſtificando: ergo opera cooperando iuſtificant, & non ſolum denominante. Cum dolore autem parturit filios Sponſa, Chriſtus vero in gaudio gignit.

Contra imputatiuam hæreticorum iuſtitiam. *Iacob.* 2. *Gen.* 22.

Cur Phariſæi oratio non fuit audita.

Quia ergo qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt eum non ſit ex natura ſua iuſtus, oportet ex eo, qui ſit natura ſua talis, aſſumat ſuam iuſtitiã. Et hoc dixit; ne quis temere glorietur de iuſtitia, ſed cuncta tribuat Deo, & gratiæ ipſius, Chriſtumque glorificet largitorem omnium, ne ſimilis ſit Phariſæo, qui gratias agebat, ſed gratiæ originem, vt par erat non cognoſcebat. Nam vel à ſemetipſo habere ſe exiſtimabat quod habebat; vel datam cœlitus credebat pro meritis ſuis; vel iactabat habere quod non habebat; vel quando deſpectis cæteris, ſingulariter gloriam appetebat. Ac de his iam dicta ſufficiant.

Luc. 18.

DIS-

DISPVTATIO XX.

In verba Ioannis cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.*

Primum dubium. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum. *Sap.5.* Sextum. *Tim. vlt.* Septimum.

IN His verbis merito dubitamus quo tendat Apoſtolus, & quid hoc capite docere intendat. Secundo dubitatur, quare tradat huiuſmodi præceptum, vt videamus qualitatem charitatis Dei, non autem quantitatem, aut ſubſtantiam. Tertio, quanta ſit dignitas filium Dei appellari; & cur hanc filiationis dignitatem mundus nō agnoſcat. Quarto circa illud, *Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus*: quibus verbis indicat, illos, ad quos ſcribit, eſſe in Dei gratia; quod non videbatur illis fuiſſe reuelandum, ne ſuperbirent. Quinto, qua ratione nondum apparuit quod futuri ſumus, cum ex Scripturis noſcere poſſimus, quāto in honore futuri ſint filij Dei, *Ecce*, inquit Salomon, *quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Sexto quemadmodum videre poterimus Deum ſicuti eſt; cum multi id impoſſibile eſſe clament, quia lucem habitat inacceſſam. Poſtremo, quomodo omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt; cum ſanctitas Dei ſit per eſſentiam, ad quam nequit pertingere creatura.

Ad primū dubium. Quid ſit Apoſtolo propoſitū.

Quantum ad primum dicimus, Ioannem in primo, & ſecundo capitibus tractaſſe de iuſtificatione, qua homo iuſtus fit coram Deo per Baptiſmum: deinde de ſecunda iuſtificatione, qua per alterum Sacramentum, in quo habemus Chriſtum aduocatum, & pro clientulis ſuis deprecantem quaſi per alterum Baptiſmum laborioſum purificamur: iam præſenti capite agit de præmio huius iuſtitiæ adeptæ: ad quod in primis oſtendit, peccata, omnia eſſe vitanda, & propulſanda: deinde charitatem ipſam ſerio amplectendam; denique mundum omnino eſſe reiiciendum, & contemnendum, ne tantam remunerationem amittamus.

Dei in nos beneficia quā ſedulo nobis cogitanda ſint & conſiderāda. Donorum Dei maximum. 1. *Cor.* 8. *Epheſ.* 4. *Iacob.* 2.

Proponit ergo in primis præceptum graue, & ſalutiferum, vt ad dona Dei collata cordis oculos coniiciamus: propterea ait: *Videte*, id eſt, ſerio cogitate, & conſiderate dona Dei, quæ, & quanta ſint, & quanto labore, ac ſudore nobis acquiſita; & quia illorum donorum ſummum eſt, charitas, per quod nominamur, & vere ſumus filij Dei; non natura quidem, quia vnus eſt talis tantummodo, ſed adoptione: quod etiam multum confert ad excitandum nos, ne ſimus tanto beneficio ingrati, & de quo nullus vnquam poſſet dignas gratias agere, ſi perpetuo eſſet de illo incertus.

De inexiſtentis gratiæ in nobis experimentali fide hic eſſe ſermonem.

Nec ad rem eſt, ſi quis dicat, ſatis eſſe in genere noſſe, Eccleſiam in aliquibus membris habere charitatem. Nam quia ſubdit: Et nondum apparuit quid erimus nobis etiam fide notus eſſe videtur; ergo de notitia, quę per experientiam habetur, eſt ſermo, qua quis noſſe poteſt charitatem præſentem; eam tamen quam expectamus gloriam, nondum videmus. Bene ait, Videte: quia res eget oculis Dei, id eſt, fide ruminando frequenter hoc ipſum: nā inde fides, ſpes, charitas, & omnis virtus, & fuga peccati oritur. Vtinam, Moſes inquit, ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Ait quoque, *Videte*, ſcilicet non in ſe, ſed in ſuis effectibus, quos nulla virtus acquiſita edere poteſt, quod verbis ipſis Domini repugnat. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Derogat ergo Chriſtianæ gratiæ, & religioni, eoſdem omnino actus poſſe producere virtutem humanam, atque diuinam gratia Dei fultam; alias ſatis eſſe poterat natura noſtra ad ſalutem æternam comparandam, vt Pelagiani contendebant.

Deut. 31. *Matth.* 5. Contra Pelagianos, libero hominis arbitrio quod Dei eſt, tribuentes.

Hebraiſmus in voce, qualis, ſeu qualitas. *Luc.* 1. *Matth.* 8.

Addit *Qualem*, Qualitatem, & externa tanti boni videre hîc poſſumus, non quātitatem, vel quidditatem; ſicut hominis accidentia tantum cernimus, non autem eſſentiam, vel ſubſtātiam, quę ſub ſenſum cadit. Græca tamen litera habet, ποταπὴν id eſt, quantam; nam frequenter interpres ſolet eiuſmodi vocem ad qualitatem referre, vt ibi: cogitabat (B. ſcilicet Virgo) qualis eſſet ſalutatio, vbi Græce legimus, ποταπὸς, id eſt, quanta, & quam magnifica. Alibi quoque: Qualis eſt hic, quia venti, & mare obediunt ei? vbi idem verbum Græcum habetur, nempe, Quatenus. Significantior certe videtur vox illa. Quanta, hoc eſt, Quanta, & quam excellens, & ſublimis charitas. *Charitatem*

dedit.

Dei erga nos charitas quãta.

dedit. Id eſt, Qualiter nos amauerit, nam etſi Deus omnia amet; non tamen hac æqualitate, ſeu hoc modo, quo nos amat, dando nobis ipſam charitatem æternam, qua nos amat, non ſolum vt conſeruet quæ dedit, quomodo eam dat omni creaturæ, ſed dando in obiectum amoris, vt filios Dei nos faciat, & alat.

Quid item ſignificet: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, &c.

Alter ſenſus eſſe poſſet: Qualem charitatem, id eſt, amoris noſtri materiam, fomentum, ſtimulum, & argumentum: quia vt ignis ignem, ita amor amorem excitat, & parit. Quia enim homo ſe amat, & amor alterius teſtatur in ſe excellentiam, redamat amantem; etſi purius conueniat Deum, & propter eum noſtram excellentiam, & ſui amoris de ea teſtimonium. Et quia non ſolum amat nos, & dat obiectũ amoris; ſed etiam formam, qua amemus; de ea quaſi de præſtanti, & mirifico dono ſenſus tertius eſſe poſſet: Dedit, ſcilicet dono, & tanquam primum donum: non enim æternam charitatem, vel creantem, vel adoptantem, vel eius tale obiectũ meremur: *Nobis*, ait, inimicis videlicet, iuxta illud Apoſtoli: *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius*, & reliqua. Nec dedit actu omnibus, ſed virtute; ideo grati eſſe obligamur.

Tertius ſenſus. *Rom. 5.*

Hebraiſmus in voce Patris. *Matth. 6.*

Et Patrem vocat ipſam Trinitatem, cui dicimus, Pater noſter, qui es in cœlis: quæ dum filios, & hæredes facit, vt ſibi ſimiles, Pater dicitur. At licet Deus Iudæos filios vocaret, & diceret: *Filius meus primogenitus, Iſrael*: raro tamen id dicebat, & rarius ipſi Patrem vocabant, & ratione creationis. Nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te? Chriſtianos tamen frequenter filios vocat, & frequentius nos dicimus Patrem Deum, & ratione creationis, & redemptionis, quę etiam creationem ponit, & in ſuo genere altiori, vt creatio in ſuo. Vnde Apoſtolus: *Non accepimus ſpiritum huius mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.*

Exod. 4. Noui Teſtamenti dignitas & cellentia. *Deut. 32.* *1. Cor. 2.*

Quid eſſe filios Dei.

Sequitur: *Filij Dei.* Nimirum habentes ab eo ſimile eſſe Diuinum per gratiam Deo vt formam vnientem, & per Spiritũ eius: Quicunque enim Spiritu Dei aguntur; ij ſunt filij Dei; & alibi Paulus, *Quoniã autem eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater:* ſimileſque Deificatas facultates, & operationes reddentem, iuxta illud, *Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos; vt ſitis filij Patris veſtri: imitatores etiam, vt filij, ambulãdo in dilectione:* & ſicut ille animam ſuam pro nobis poſuit & nos debemus pro fratribus animas ponere. Item transſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Vt ergo eſſemus filij Dei, fecit Deus efficienter, Charitas vero vt forma creata, & vt proxima, & immediata diſpoſitio. Eſſe etiam filios, materia eſt Charitatis noſtræ: poſtquam autem in filio eſt ſimilitudo parentis dicta, in actu primo, & in ſecundo eſt ius ad hæreditatem, & dominium ſuper omnia, & puritas à peccatis: ideo ineffabile donum eſt. & eo mirabilius, quo nos indigniores eo ſumus: & quia homines infimi ſumus inter omnes creaturas intellectuales, ac proinde magis diſtantes à tali eleuatione, & peccatores, & ſanguine Chriſti egentes exiſtimus. Quare ſumma gloria medici eſt, tales tali modo curaſſe, & eleuaſſe.

Rom. 8. *Galat. 4.* *Rom. 8.*

Matth. 5. *Epheſ. 5.*

1. Ioan. 3. *Ibidem. 14*

Diuinæ filiationis beneficiũ quale ſit, & quantum.

Vocat autem filios Dei, id eſt, videntis oculo miſericordiæ, ſiquidem aſpicere illius, miſereri eſt, iuxta illud Pſalmi, Reſpice in me, & miſerere mei. Et tanta res eſt hæc, vt nõ videatur facta à Vicẽte: vnde dęmon ſcandalum paſſus eſt: ſed vere vidit ſuam exinde maximam gloriam orituram, & gloriam filiorum ſuorum, qui nunc ad fide ſpectãdũ, poſtea lumine gloriæ cernendum conditi ſunt.

Pſalm 24

Subdit: *Nominemur, & ſimus.* Poſterior clauſula in Græco non eſt, & ſuperfluere videtur: ſed ſenſum certe non vitiat, quia infra ait, Nunc filij Dei ſumus. Et fortaſſis ita legit in codice ſuo interpres noſter. Et per illam clauſulam declarat præcedẽs verbum nominemur, quod in Scripturis pro nudo nomine accipitur; vt ibi, Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: & iterum, Si is, qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, & reliqua rurſus: Et ſi ſunt qui dicantur dij ſiue in cœlo, ſiue in terra: Quandoque tamen dicuntur nominari, aut vocari, aut dici pro ſola exiſtentia ſine nomine. Exempla ſunt: *Vocabitur nomẽ eius Emmanuel*, Et Angelus ad Mariam de Chriſto, *Filius Altiſſimi vocabitur*; Eſaias, *Vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis*, & quæ ſequuntur, hoc eſt, erit. Angelus item ad Iacob, *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* Id eſt, Non eris in inferiori ſtatu luctantium, ſed in ſuperiori videntium Deum, & qui recti ſunt cum Deo. Nam quod attinet ad vocem Iacob, pluries dictus fuit Iacob, & Simoni Dominus dixit, *Tu vocaberis Cephas*, qui tamen act. 5 & 1. Pet. 1. dicitur Simon.

VerbũNominãdi in Scripturis tripliciter ſumi conſueuit.

Tit. 1. *1 Cor 5.* *Infra 8.*

Matth. 1. *Eſai. 7.* *Luca 1.* *Eſai. 9.*

Gen 32. Quid ſit illud; Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum ſed Iſrael. *Ioan. 1.*

Quandoque tamen Vocari, & Nomi-

nari

nari accipitur pro vtroque, id eſt, eſſe, & dici. Ita enim Angelus dixit Ioſeph: *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Et hoc loco accipitur: *Vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Primo enim eſt exiſtentia, quia filij Dei ſumus, vt actus ſecundus de primo teſtatur, id eſt, diuina opera de diuino eſſe. Vnde Paulus dixit Philippenſibus; *Inter quos* (ſcilicet filios Dei) *lucetis ſicut luminaria in mundo, Verbum vitæ continentes.* Apte etiam dixit: *Nominemur & ſimus*; vt iugularet Hæreticorum ſententiam, qui aſſerunt nos per iuſtificationem dici, & haberi, & pronunciari, at nos eſſe reuera niſi per hoc, quod imputatur nobis Chriſti iuſtitia. Sed falluntur iſti pernicioſe, quia cuiuſcunq; habitus, & formæ proprium eſt dare eſſe, & denominationem, etiam in naturalibus, ac diuinis. Ineſt ergo iuſtificatis & filijs Dei vera iuſtitia.

Matth. 1.

Quomodo accipitur hoc loco: Vt filij Dei nominemur, & ſimus.

Philip. 2.

Contra imputatiuæ iuſtitiæ aſſertores.

Notandum præterea illud verbum Moyſi: Filij eſtote Domini Dei veſtri. Iudæus autem vt talis, filius Dei erat in figura, Chriſtianus autem re ipſa: ideo ille quædam opera, & hæreditatem quandam in typo diuinam habebat, Corpus autem eſt Chriſti, vt ait Apoſtolus; id eſt: Veritas ſpectat ad eos, qui Chriſti ſunt. Idcirco cum dicuntur futuri filij Dei in Prophetis: id de Chriſtianis ſumendum eſt: vt apud Oſeam, *Dicetur eis, Filij Dei viuentis.* Ita etiam illud teſtimonium Deuteronomij ſuperius allatum, eſt ſumptum, quod apte Euangeliũ repræſentat nomine ſuo, eſt enim Euangelium ſecunda lex, vt Patres annotarunt.

Deut. 14.

Aliter Iudæus olim fuit, aliter modo eſt Chriſtian⁹ filius Dei.

Coloſſ. 2.

Oſea 1.
Rom. 9.

Secundo dicimus, Ioannem ſignificare voluiſſe, id, quod eſt, eſſe etiam notum, & nominatum: poterat enim Deus hoc, vt rem ſibi vilem & ignominioſam, tacere, ſcilicet quod eſſemus eius filij, quemadmodum quidam diſſimulant, & celant filios vel vxores ſe habere, & nomine ſeruorum eos appellant, vel vxorem nomine ancillæ. Deus autem, de quo inauditum erat, quod non confunderetur vocari Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob; cum tamen eſſet Deus Angelorum. Mirum autem eſſet, ſi infinitas habens oues & pretioſas, ac pingues, dignaretur vocari Dominus trium tantum ouium, ſterilium, ſcabioſarum, & macilentarum. Certe longe eſt mirabilius, quod Verbi Pater, & Angelorum Dominus, non confundatur Deus noſter vocari, quodq; nos nominemur filij Dei, & hoc etiam à nobis ipſis, vnde per Prophetam dixit: *Factus ſum Iſraeli pater, & Ephraim*

Alter ſenſus horum verborum: vt filij Dei nominemur, & ſimus.

Exod. 3.
Matth. 22.

Mira dignatio Dei.

Ierem. 31.

primogenitus meus eſt. Qui enim ſanctificat (id eſt, Chriſtus) & qui ſanctificantur, ex vno omnes: id eſt, ex Deo, & Adam. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, Dicens, *Nunciabo nomen tuum fratribus meis, &c.* Et iterum, *Ego ero fidens in eum.* Rurſus: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem.* Hæc Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos. Et hactenus de prima ſententia.

Heb. 2.
Pſal. 21.
Pſal. 17.
Heb. 11.

Subdit Apoſtolus: *Propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit eum.* Propter hoc ait, id eſt, quia ſumus filij Dei, & dicimur. Mundus, hoc eſt, Vetus homo, ſiue omnes, qui adhuc ſunt in Adam. *Nõ nouit vos.* Id eſt, Non nouit quanti pretij ſitis, & quam chari Deo: neque approbando, neque amore vos proſequendo, quia contẽnit, & odio habet vos. Neque nouit quam benemeriti ſitis de ipſo mundo, licet hoſtis ſit capitalis, & inimicus ſeruorum Dei. *Quia non nouit eum,* ſcilicet Deum, qui pater veſter eſt Nã vt Chriſtus dixit, *Si Deus pater veſter eſſet, diligeretis vtique me.* Diſcipulis idem quoque dixit; *Et ſi ibi* (in domo ſcilicet, quam intrauerint) *fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra:* quia cum nouerunt patrem. Et certe qui audet Filiũ offendere, non nouit Patrem paratiſſimum ad faciendam vindictam filij, qui dixit. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Et ob corporeas perſecutiones tempore Ioannis valde neceſſarium erat habere mundum tanquam inſanum, & furioſum: nec ideo mirandum, ſi ſine ratione ſæuiret in eos. Nunc etiam neceſſariũ eſt ob perſecutiones ſpirituales bene noſſe mundum, quia mali bonos contemnunt. Monet etiam Ioannes, vt ignoſcamus neſcientibus quid faciant, exemplo Chriſti; id eſt non cognoſcentibus charitate formata Deum vt patrem, etſi Deum vt ſocium habeat: & ſi tantus theſaurus eos latet, & contemnitur, non debet vermis mirari, ſi ipſe contemnatur. Cauſa autem, quare Deum, & eius filium non cognoſcit mundus, eſt altitudo veritatis, & charitatis Dei, ac ob id abſconſio ipſius; infima etiam cognitio, & affectus hominis animalis. Vnde illud Sapientis: *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit.* Hinc Chriſtus, *Si me perſecuti ſunt,* inquit, *& vos perſequentur.* Quod ſi mundus vt talis eſt, amat ſeruos Dei: nõ amat eos vt tales, ſed ob id, quod aliquid mundanum eſt in eis, & ſibi ipſis vt ſeruis Dei diſplicens.

Expenditur hæc ſententia Ioannis: Propter hoc mundus non nouit vos, quia non nouit Deum.

Ioan. 8.
Luc. 10.
Matth. 10

Quis non nouerit Deum Patrem.

Zachar. 2.

Luc. 23.

Cur mundus non cognoſcit Deum.

Eccleſ. 21.

Ioan. 15.

Et mirabilis ſcientia eſt in cognitione

ſerui-

ſerui Dei; quia mirabilis Deus in ſanctis ſuis,& ſua incarnatione, & paſſione. *Non nouit vos,quia non nouit eum.* Senſus eſt: Cũ vos ſitis imago, & ſimilitudo Dei, non poſſunt vos cognoſcere, ignorato exemplari Deo, & Chriſto, cuius eſt ſimilitudo: nam prędeſtinauit nos conformes fieri imaginis Filij ſui. Ac vt filius hominis eſt, qui ſpiritum humanum pro forma, & actu habet, & cooperatur quantum ad actus ſecundos: ad eum modum Filius Dei Diuinum Spiritum inhabitantem animam,& corpus vt templum Spiritus ſancti, cooperatur quantum ad actus ſecundos: nam quicunque Spiritu Dei aguntur: ij ſunt filij Dei.

Rom.8.

Ibidem.

Sequitur: *Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus.* Chariſſimos, vocat confratres ex tali Patre, quos docet Ioannes non eſſe de mundo non cognoſcente ſilios Dei. *Nunc*, inquit, id eſt, in via,& peregrinatione hac; & in nouo Teſtamento cognito Deo quaſi exemplari cognoſcetur eius imago, id eſt, Filius, diuine eum imitans faciendo iuſtitiam. Filij ergo Dei ſumus, qui eleuamur ad cogitationes Dei, deſideria Dei, opera Dei, & vires Dei, Filij ergo Dei ſumus.

Ioannis charitas in Parthos.

Opera filiorum Dei.

Aſſerit hoc Ioannes de ſe, & de alijs, quia ad hoc ſine peccato aſſerendum, cum humilitate ſufficit credulitas, & ſynceritas conſcientiæ: præſertim qu.a non intendit de hoc, vel illo quicquam abſolute ſtatuere, ſed de omnibus; eo poſito, quod filij ſunt: Adde etiam, quod Apoſtoli eccleſiæ columnæ, vel ex dono diſcretionis ſpirituum nouerant ſe in gratia eſſe.

Vnde nouerit Ioannes quod ipſe, & Parthi eſſent filij Dei.

1. Cor. 12.

Et nondum apparuit quod erimus. Eſt quidem clarum quod erimus. quia non poſſumus eſſe pluſquam filij: ſed quid erimus, nondum apparuit: ſicut nec arbor in ſemine, aut in plantula parua nata. Vt enim gratia veteris Teſtamenti velata erat, & reuelata eſt in nouo per mirabiles eius effect⁹: ita gratia Noui teſtamẽti reuelata eſt reſpectu reuelationis gloriæ filiorum Dei per myſticos fructus, & effectus eius. Et nondum, ait, apparuit: quaſi dicat, Cito apparebit. Apparuit etiam nobis, qui habemus qualecunque teſtimonium ſpiritus quod ſumus filij Dei: quanto ergo magis non apparebit alijs, etiam ſi boni ſint: ac ſine comparatione multo magis non apparebit malis. Apparentia vero ſunt exteriora ſigna interni ſeminis, ac filiationis, quæ maxime in via per crucem & mundi contemptum exiſtit. Habens enim oculos fidei videt quod alia videt qui viſibilia non videt: ſed modo hæc non ſunt apparentia, ſeu ſigna interni ſeminis, ſed potius ſtultitia: ideo ei ſeruantur apparentia ſigna æternæ gloriæ, à quibus horribiliter turbabuntur, ſtantibus iuſtis in magna cõſtantia. Boni autem tam clare experientur in terra, vt non egeant externis ſignis, vt illa ſunt complementa internorum, ſeu ab internis refluentia: per quæ etiam externa alij boni conſolabuntur.

Quomodo nondũ apparuit qui ſumus nunc filij Dei, quid erimus.

Rom. 8.
Gal. 4.

Sap. 5.

Ibidem 2.
Ibidem 1.

Addit: *Quid erimus.* Per totam ſcilicet æternitatem. Nondum enim apparente exemplari, nec imago quantum ad viuũ cognoſcitur. ¶ *Scimus* (nempe fide) *quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* Id eſt, cum ipſa gratia, quæ nunc latet vt ſemen. Cum ergo apparuerit arbor, quod non erit, donec appareat Chriſtus ſpeciei, ſeu phantaſmatis, vt arbori ſimilis. *Tunc ſimiles ei erimus.* Vt enim quia intellectus eſt ſemen ſpecierum, eo apparente, fit ei, & obiecto ſimilis, & ſi ſemen intelligeret, apparente ei nata arbore, fieret ei ſimilis: ita, quia nos ſumus filij, hoc eſt ſemen, à ſemine verbi Dei in ſe per gratiam transformati (Semen, inquit Euangelium, ſunt filij regni) fiemus ſimiles Chriſto apparẽti. Vnde ad Coloſſ. legimus: *mortui eſtis* (ſcilicet peccato) *& vita veſtra* (qua ſcilicet viuitis Deo) *abſcondita eſt cum Chriſto in Deo* (Patre ſcilicet. Ideo qui non approbat Patrem, nec Chriſtum nouit) cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Ideo verbum, Apparuit, ad Chriſtum, vel Deum referri poteſt. De quo etiam poſſumus interpretari, quod ſit ipſum quod erimus nos, id eſt, quidditas noſtræ quidditatis, vita vitæ noſtræ, anima animæ, cor cordis, ſpiritus ſpiritus noſtri, in confuſis tamen naturis, ſua erit noſtra. Qui enim adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt, cum eo ſcilicet. Semen enim, arbor, vnus eſt Chriſtus, Et nunc ſumus vnus Chriſtus paruus, & ſemen; tunc autem Chriſtus magnus, & arbor. Similes ergo erimus in actu primo, & ſecundo, non iam quaſi pueri, ſed quaſi viri adulti, & maturi; non tamen æquales, vel eiuſdem ſubſtantiæ, cum ſubſtantia Dei ſit infinita, & noſtra finita.

Semen tritici quid myſtice.
Matth.13.
Coloſſ. 3.

Expenditur locus ille ad Coloſſ. Mortui enim eſtis, &c.

Chriſtus quid erit in electis.

1. Cor. 6.

Quoniam videbimus: Viſionem videtur præcedere naturaliter ſimilitudo proueniens à lumine gloriæ eleuante, & corroborante naturam ad videndum. Nam ſicut ſi ſol ſe ipſum videret, exigeretur ſimilitudo Solis in eum viſuro: viſio enim

Lumen gloriæ præuium eſſe Dei viſioni.

non præcedit ſimilitudinem, quæ prouenit ex hoc quod intellectus fit vnum cum intelligibili, & amoris cum amato Deo. Plato vero definit beatum eum, qui pro viribus Deo ſimilis fieri ſtudet per quatuor illas virtutes. ¶ Illa vero coniunctio, *quoniam*, rationem à priori, vel à poſteriori ſignificare poteſt. *Et videbimus* (inquit) *eum*, Innominabilem. Et deſignat Deum: itaq; non intercedit Deum inter, & intellectum ſpecies, in qua quaſi in ſpeculo videatur potius ſimilitudo, quam res ipſa, & per medium infinite deficiens à Deo: ideo non ſicuti eſt, hoc eſt, in ſpecie, ſed ſicuti eſt vere, quia ipſe erit obiectū, quod, & quo; id eſt, obiectum, & ſpecies, licet non notitia quæ creata erat, atque ita non comprehendens totum, ſed totum videns: quemadmodum puer totum magnum poteſt immediate tangere, ſed non portare. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte; tunc autē cognoſcam ſicut & cognitus ſum, aiebat Apoſtolus; & Moyſes Deo dixit: *Oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* & infra, *Oſtende mihi gloriā tuam.* Angeli quoque vident faciem Patris qui in cœlis eſt, pro menſura luminis gloriæ. Hoc autem lumen gloriæ pro menſura charitatis, & meritorum ex gratia, ita vt non tantum gloria viſionis, ſed certus gradus viſionis par ſit in illis, qui paria merita gratiæ habent. Nec, ſi vnus ex illis eminentiori polleat ingenio, & clariori lumine naturali, propterea glorioſior erit beatitudo, aut maior quam in altero æquali ſibi in gratiæ meritis: quia Pelagianum eſſet dogma, illum gradum maioris gloriæ adſcribere naturæ ſui intellectus: & præſtat, quod habeat ex gratia, quam ex natura: etſi aliter diffinierit Caietanus in prima parte, agens de lumine gloriæ.

Platoni quis beatus.

Deum ſine ſpecie vlla, ſed per ſe immediate videri. 1. *Cor.* 13.

Exod. 33. *Matth.* 18.

Non erit æqualis viſio beatifica vti nec lumen gloriæ

Contra Pelagianos.

Caiet.

Hæc autem viſio ſtatim poſt mortem adeſt homini purgato: Cupio, ait Paulus, diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & iterum, Audemus & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Licet Scriptura ſæpe mentionem faciat de gloria danda in die iudicij, quæ eſt communis omnium, & corporum, & animarum. Et quia in vniuerſali dicitur quantum ad omnes, & totos homines, in particulari de animabus eſt intelligendum, quantum ad gloriam, & vitam æternam, licet hic illæ animæ purgentur.

Philip. 1. 2. *Cor.* 1.

Subiungit: *Sicuti eſt.* Non ſicut facit, quia modo videmus per effectus Deum, non per eſſentiam. Item videbimus non quod eſt, quia hoc ſcitur modo, ſed ſicuti eſt, quod modum eſſendi eius denotat. Nullibi autem videbimus, nec comprehendemus hic nec in cœlo, quid eſt. Non poſſumus autem capere, quantum ſit videre Deum ſicuti eſt; coniectare tamen poſſumus ex quibuſdam. Primo ex vnione Dei cum creaturis naturalibus, & gratuitis, quæ ſibi placent; ex fuga diſplicentium, & hoc vel per momentum. Item ex vnione cum Deo per fidem cognito, & ex pretio, quo eſt empta hæc viſio, & ex medijs adhibitis, vt applicetur, ex animæ quoque ipſius ingenti capacitate; ex ſiti impendenda, quæ infinita eſſe ſolet; atque ex infinita Dei bonitate.

Quid: Videbimus eum ſicuti eſt.

Diuinæ viſionis excellentia vnde poſſit deprehendi.

Sequitur: *Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſeipſum.* Propoſito igitur tanto præmio videndi Deum ſicuti eſt, viam illud conſequendi proponit. Omnis, inquit; ſine vlla diſtinctione, *Qui habet*, Id eſt, qui bene vtitur habitis, iuxta illud, *Omni habenti dabitur, & abundabit*; ¶ *Hanc ſpem.* Scilicet ſimilitudinis, & viſionis in gloria. Pondera & illud, *In eo*: quia illud quod eſt in potentia; non poteſt reduci in actum niſi per id, quod eſt in actu. Et omnis creatura rationalis tantum eſt in potentia ad viſionem: ideo terræ, & corpori, & inſtrumento comparatur. Solus Deus, eſt qui per eſſentiam, & actum ſe ipſum videt, & eſt ſibi perfecte ſcibilis, quia ſibi eſt obiectum, & vltimus finis nobis ſperandus, & prima cauſa nos ad id perducens eligendo, vocando, iuſtificando, conſeruando, augendo, & glorificando: idcirco in eo ſolo proprie ponenda fiducia, ſeu ſpes, quæ eſt virtus, vel habitus voluntatis, quo vis iraſcibilis tendit in bonum arduum ſupernaturale per idemmet bonum, cui nititur, adipiſcendum, medijs autem ſubſidijs ſub eodem bono volitis (vt ita loquamur) adhibitis, hoc eſt, fidei, & bonorum operum, iuxta leges morales, & poſitiuas, diuinas & Eccleſiaſticas, ſiue Pontificias ab Eccleſia propoſitas. Ideo ſecundario ſpes, ſeu fiducia eſt de medijs ſubordinatis ad finem: ſed ea lege, vt quouis medio peculiari deficiente, figamus in Deo anchoram ſpei, qui dabit aliud commodius. Alias anima noſtra ad nos ipſos attendens conturbaretur, & deſperaret, quia paſſim deficimus.

Via videndi Deum.

Matth. 25. Deo cui ſoli confidendum.

Iraſcentis virtutis officium.

Hebr. 6. *Pſalm.* 41.

Sanctificat ſeipſum: Interpres legit, ἁγιάζει, id eſt, ſanctificat. Clemens vero lib. 3. Strom. legit, ἁγνίζει, id eſt, mundum, caſtumque

Sanctificet ſeipſum quis.

ſtumque

Clemens Alex.

ſtumque facit. Eſtque ſenſus, quod per actum ſpei dictæ iuſtificamur. Vt enim ad iuſtitiam, id eſt, charitatem recipiendam, requiritur fides Chriſti, qui poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; ita fiducia, & ſpes, quod id ex ſe volet pro ſua bonitate, & efficiet. Vt enim per fidem bene diſponitur intellectus recte ſentiens de Chriſto, ita per fiduciam voluntas ei innitens quæ quia non confunditur, obtinet charitatem. Et certe omnis habens dictam ſpem, ea quaſi mortua vteus, ſanctificat ſe ipſum, & ad vitam reducit & ad iuſtitiam. Non inepte etiam interpretaretur quis, dicendo hic ſermonem eſſe de iam ſanctificato, qui habens dictam ſpem viuam, ſe ſanctificat, id eſt ſe præparat, vt parati ſimus ſimiles, cumque videamus: quod non eſt niſi mũditia, & purgatio. Atque hæc non eſt corporis munditia, ſed vt ſe quis immaculatum ab hoc ſeculo cuſtodiat. Nec poteſt ſe cuſtodire, niſi firmitate in coniunctione cum Deo: quia ſimilia vt plura ſibi fortiter adhærent, & omnis imbecillitas eſt ex impuritate, & vt ita dicam potentialitate: ſicut fortitudo ex puritate, vt in cœlo, & metallis igne purgatis videmus. Firmitas autem ſine feſtinatione venire non poteſt. Ideo Hebraice קדש ſanctificare eſt, & præparare, mundare, conſecrare, firmare, definire. Et puritas videtur referenda ad munditiam caſtitatis cum vxore propria per quam metaphorice ſignificatur munditia animæ ſponſæ verbi Dei fugientis coinquinationem. & oſtium clauſum omni alieno, & extraneo habentis. Et per Antiphraſim ingredi ad ſcortum, eſt ſanctificare: vnde & ſcortum קדשה dicitur: ſicut per verbum Benedicendi, eadem antiphraſi intelligunt Hebræi maledicere vel blaſphemare. Qui ergo ſperat ſe obtenturum eandem vitam, ad eam ſe iam accingit ambulans digne vocatione ſua, & vocante tam ſanctis. Vnde fit, vt fides, vel fiducia, vel ſpes, vel iuſtitia, quas virtutes Hæretici deſcribunt, & præter modum magnifaciunt, & exaltant, tantum nomen obtineant, quia non monẽt ad ſanctificationem, ſed ad laſciuiam & impuritatem: tolluntq: omnia ſubſidia, & inſtrumenta nos ſanctificantia: vt paupertatem, qua ſanctificamur à concupiſcentia oculorum; caſtitatem, qua à cõcupiſcentia carnis, & obedientiam, qua permundamur à ſuperbia vitæ. Tollunt etiã Eccleſiæ orationes, vota, Sacramenta, Scripturas, & Dei prouidentiam. Et in medijs, quæ adhibet prouidentia, quæ sũt

Iob 14.

Fidei, & fiduciç effectus.

Alter ſenſus de eo quod dicitur, ſanctificat ſe ipſum.

Iaco.1.

Modus cuſtodiendi ſe immaculatũ, ab hoc ſeculo.

Hebraiſmus in verbo ſanctificandi & benedicendi non infrequẽs.

Epheſ.5.

Contra inanem Hæreticorum fidem, ſpẽ atque fiduciam.

1. Ioan. 2.

incarnatio, & paſſio, grauiter hallucinantur. Quibus nullo modo derogat Ioannes, dicens: Sanctificat ſe ipſum: quia Chriſtus facit vt faciamus.

Mira hæreticorum obcæcatio, atque peruerſitas.

Sanctificatur autem intellectus humane quidem prudentia, diuine vero fide, & donis Spiritus ſancti, nimirum fortitudine, pietate, timore: Iraſcibilis facultas fortitudine mundatur, concupiſcibilis temperantia. Præterea etiam externa, quantum opus eſt ſanctificantur modeſtia, taciturnitate, & fuga omnis ſcandali.

Facultatũ animæ & corporis ſanctificatio.

Spes autem, de qua Ioannes ait quod ſanctificat, id eſt, præparat purganda, & vt in terra anchora ſpei firmanda, ſobrie, & pie, & iuſte viuere facit, & expectare beatam ſpem, & aduẽtum gloriæ magni Dei; Hæc etiam ſpes gaudere facit: Vnde Paulus; *Si in hac vita tantum*, inquit, *in Chriſto ſperantes ſumus; miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, Ideo ſpes à pœna etiam triſtitię mundat. Et licet Chriſtus ſit qui ſanctificat, tamen per opportuna ſubſidia, & adiumenta.

Hebr. 6.

Tit. 2.

1. Cor. 15.

Subdit Ioannes: *Sicut & ille ſanctus eſt.* Scilicet Chriſtus, vel Deus. Ille enim vt Deus eſt, per eſſentiam purus eſt, & firmus, & præparatus, & ab omni profana pollutione ſequeſtratus. Ideo ſe proprie quatenus Deus eſt, non ſanctificat niſi ſanctum oſtendendo. Sicut etiam ait Dauid: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*; & per prophetam Ezechielem ait Dominus: *Sãctificabo nomen meum magnum, quod polluiſtis in Gentibus*; & infra: *Cum ſanctificatus fuero in vobis coram eis*, nam ita oſtenditur iuſtus, & ſanctus.

Dei ſanctitas vel ſanctificatio qualis.

Pſalm. 50.
Rom. 3.
Ezech. 36.

Pater tamen Chriſtum hominem ex non ſancto ſanctum fecit, cum in mundum miſit. Idem ait: *Ego pro eis ſanctifico me ipſum* (id eſt, Spiritum ſanctum conſecrabo me in cruce) *Vt ſint & ipſi ſanctificati* (id eſt conſecrati) in veritate ſenſus eſt: In me tuli ſordes eorum, & ita me ſanctificaui; & ſic ipſi quoque ſancti erunt. Et quia in gloria ſancto Chriſto debemus vniri, vt ſperamus: hic, ſicut ille, ſanctificari debemus, quia ſoli puri, & mundi corde Deum videbunt, quia qui illam vitam ſperat, huius mundi illecebris non contaminatur, ſed recta pergit per bonorum operum perſeuerantiam vſque in finem: ſicut Chriſtum Pater, & Chriſtus ſeipſum ſanctificauit, vt diximus, non ab vllo peccato (quod non habuit) ſed à debito ſatisfaciendi pro noſtris ex charitate per obedientiam crucis. Eſtque ſermo de ſpe futuri boni, quæ habet ſermo expe-

Deus Pater quomodo Chriſtum ſanctificauit.

Ioan 10.
Infra 12
Leuit. 19.

Rom. 8.
Matth. 5.

Infra 24.

Eſa. 53.
1. Pet. 2.
Philip. 2.

ſtationem, & patientiam in præmium.

DISPVTATIO XXI.

In verba illa: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas. Et ſcitis quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt. Omnis qui in eo manet, non peccat. Et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Filioli nemo vos ſeducat:* Et reliqua vſque ad illud: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.*

Quo tendat Apoſtolus.

CIRCA hæc verba occurrit in primis dubitare de ſcopo, & quo tendant hæc verba. Et facile eſt reſpondere: declarat enim Ioannes, de qua ſanctificatione fuerit ſibi ſermo. Duplex eſt enim ſanctificatio, altera à culpa, quę animæ immunditia eſt à Deo omnis puritatis fonte verſus nihil; & non eſſe, & ad viliora recedentis. Altera vero eſt ſanctificatio à pœna, quæ immunditia quædam eſt: ideo ſordidas veſtes habuit Chriſtus, vt de Ieſu Ioſedech in typo dixit Zacharias, & ſponſa eius, maxime Maria mater, & Virgo, quæ in perſona Sponſæ in Canticis canticorum ait: *Nolite mirari quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* Pura enim natura, qualis eſt cœleſtis, impuritatem non patitur: at vero elementaris impura eſt, quia non integre poſſidetur à forma: ideo non eſt extra peccatum: explicat ergo ſe de ſanctificatione à culpa per virtutes locutum, poſt quas ſancti erimus à pœna, Chriſto ſimiles.

Duplex ſanctificatio.

Eſa. 63.
Zacha. 3.

Cant. 1.

Naturæ cœleſtis & corporeæ diſcrimé.

Qualis ſit hæc Apoſtoli argumentatio: Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit.

Triplex peccatum.

OEcum.

Secundo dubitatur circa ſequentem clauſulam: *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.* Videtur enim argumentari à genere ad ſpeciem quæ ratio argumentandi nihil efficaciter cõcludit. Cum enim peccatum ſit triplex, in Deum, in proximum, & in ſe ipſum: nõ recte colligitur, Peccat quis; ergo peccat in Proximum; quia potuit peccare in Deum, vel in ſe ipſum. Sicut non valet: Si animal eſt, ergo homo eſt. Reſpondeo, OEcumenium hoc loco dicere. Peccatum eſſe, ab ſcopo Deo deficere. Ideo duplex eſt, quoddam quidem, quo deficimus contrarium faciendo: & tunc nos priuamus Deo; qui vita eſt. Quoddam vero peccatum eſt, quo in via ad ipſum tendentes retardamur, licet proprie contra eum non tendamus: & hoc improprie eſt peccatum: quomodo legimus: *Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet;* &, *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato?* item, *In multis offendimus omnes.* Sed de primo genere peccati eſt ſermo apud Ioannem. Græca vox reſpondens iniquitati eſt *ἀνομία*, quæ proprie legis tranſgreſſionem ſignificat, non minus in Deum, & in ſe ipſum, quam in proximum. Lex autem nihil aliud præcipit, niſi vt ad ſcopum noſtrum tendamus. Veniale autem improprie peccatum eſt, ac ita improprie eſt tranſgreſſio. Et legiſlator vetat quidem, & punit veniale non tamen punitione principali legis, quæ eſt vitæ Diuinæ priuatio. Vt enim paterfamilias quædam peccata punit verberibus, & expulſione de domo ſua, quæ præſertim lege domeſtica ſuis interdixit, quædam vero tantum verbo leuiter reprehendit, quæ non ſunt deducta ad domeſticas leges; ita ſe habet Deus circa lethale, & veniale delicta. Veniale tamen ſuo modo eſt iniquitas hoc eſt inæqualitas vitæ ad Deum, quia vita deprimitur plus æquo amando corpora noſtra, vel erigitur aſcendendo venialiter ad altiora ſe. Lethalia autem peccata vel foſſæ dici poſſunt, vel montes, in via Dei, id eſt, carnalia, vel ſpiritualia, intellige defectus, vel exceſſus: ideo eam inæqualem reddunt. Virtus vero, ſiue legis obſeruatio, æqualis eſt, & in medio ſita eſt.

Eccleſ. 7
Prouer. 20
Iob. 25
Iaco. 3

Legis officium.

Aliter peccatum veniale, aliter mortiferum ſunt iniquitas.

Et peccatum, inquit, *eſt iniquitas.* Coniunctio, &, more Hebræo accipienda eſt hoc loco pro quia: & verbo huic Hebræo פשע reſpondet in Græco *ἀνομία*, cuius conceptum habens Ioannes per *ἁμαρτίαν* expreſſit: quæ tamen vox *ἀνομία* ab interprete noſtro tranſlata eſt, iniquitas. Et merito: quia quanto maior eſt legiſlator, & lex iuſta, & à perfectioribus, iuſtis, & beatis omnibus cuſtodita & à creaturis ratione carentibus ſuo modo obſeruata, & quo magis puniti ſunt qui poterant illam ſeruare, & tamen tranſgreſſi ſunt, & quo magis remunerati, & amplioribus præmiis cumulati qui illam obſeruarunt, & ad perfectionem deducti ſine legis vtilitate; eo maior eſt, & grauior iniquitas eius tranſgreſſio, & præuaricatio.

Quomodo Chriſtus dicitur apparuiſſe, vt peccata

In verbis ſequentibus: *Et ſcitis quia ille apparuit vt peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt:* dubium eſt, quomodo

appa-

noſtra tolleret, cum adhuc illa dominentur, & regnent.

Ioan. 1.

apparuit, vt peccata noſtra tolleret; & quo pacto tulit lethalia, in quæ interdum incidimus, in venialia vero plerunque prolabimur: fomitem vero, ſeu concupiſcentiam adhuc dominantem habemus: Vt ergo ſuſtulit Chriſtus ille Agnus Dei peccata noſtra? Deinde cum addit: Et peccatum in eo non eſt: quorſum hoc? Reſpondeo ad primam difficultatem: *Scitis*, inquit, (nempe ex fide) *quia ille* (ſcilicet filius Dei) *apparuit*. Deus enim vbique eſt, & nullibi clauditur, quia totus apparet in effectibus: & tamen vbique apparet volentibus videre id, quod eſt per eſſentiam viſis participatis, & effectis. Verum inter effecta plus homo, & eius verba, & opera, & paſſiones fuere, in quibus Deus in Chriſto mundo apparendo, eoque recōciliando ſibi magis enituit. Apparuit autē, non veniendo de cœlo ad terram, ſed apparendo per humilitatem, vt appareret per gratiam, & gloriam in animis, in quibus per naturam exiſtens latebat. *Vt peccata*. Quæ ſine numero ſunt, & noſtra, quia tota, & ſola ex nobis prodeunt: bona autem, & naturalia, & ſupernaturalia ex nobis quaſi ex Deo vt cauſa naturali, & ſupernaturali prodeunt. ¶ *Tolleret*. Hoc eſt, habuit ſe per modum tollentis peccata, & in humeris ſuis reponentis, & occidentis, quatenus moriens, & viuens impetrauit ac meruit: vt credentibus peccata condonarentur, nec imputarentur, nec punirētur gloriæ priuatione, & æterna pœna ſenſus, quod attinet ad peccata perſonalia, & voluntaria. Vltra ablationem etiam, & remiſſionem peccatorum, peccatori datum eſt quo impetraret adoptionis gratiam hic, & in gloria, in qua Deus, & omnia bona continentur.

Vnde peccata.

Eſai. 53.
1. Pet. 2.

Qua ratione Chriſtus peccata non ſuſtulit nec tollere quidem potuit.

Reuera tamen, & proprie loquendo non tulit à nobis peccata, nec in ſe poſuit, quia formale peccati, quod eſt merum nihil, transferri non poteſt à loco in locum; nec in corpore Chriſti habere locum potuit: materiale etiam peccati actio eſt quæ tranſit, & annihilatur, & ſubiectum non mutat: ergo tantum manebat decretum Dei puniturі, & reatus in peccatore, niſi Chriſtus ſuccurreret, qui Patrem placauit patiendo: non ita tamen, vt Pater facto ipſo debitum omnibus dimiſerit, quia dānatis, & pueris detentis in limbo non dimiſit nec omnibus, qui tunc nondū peccauerant, quia nec erant: & volentibus in peccato permanere, non parceret: ſed quod omni volenti acceptare Chriſtum fide, & charitate, condonare diſpoſuit cum id homo faceret. Et diſpoſuit in gratiam Chriſti ſe daturum, & omnes futuri facere id poſſint, & præteritos etiam adiuuit in gratiam venturi nobis Chriſti, ſibique præſentis, qui nobis apparuit, ſicut aries hærens inter vepres paſſionis, & amore hærens nobis quaſi ſpinis pungentibus, Domino prouidente ſibi de hoſtia à Ioanne demonſtrata, dicente: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: vt deſignatum fuit in ariete, qui apparuit Abrahæ volenti immolare filium ſuum Iſaac.

Ioan. 1.

Gen. 22.

Et (pro, Quia, vt ait OEcumenius) *peccatum in eo non eſt*. Id eſt, Quia innocens erat, diligens iuſtitiam & odio habens iniquitatem: venitque vt peccatum deſtrueret, & ſolus deſtruere poteſt, nam peccans id non poteſt, ſed ſubditus eſt Deo vt iudici, dæmoni vero vt tortori ſuperanti. Ideo ſolus inter mortuos liber ſolutis doloribus inferni ſe ſuſcitauit. Et quia Chriſtus peccatum non fecit, & peccata non mutāt ſubiectum, figurate accipiendum eſt illud Petri; *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis. Eodem modo intelligendum eſt illud Eſaiæ: *Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum*. Accipiunt enim peccata quaſi plagas corporeas in Chriſti plagas, quæ transferri queant; quibus curatis, per reſurrectionem Chriſti Domini noſtri ſanamur.

OEcum.
Pſalm. 5.
Proprium Dei.

Hebr. 16.
Actor. 2.

1. Pet. 2.
Eſai. 53.

Tulit autem Chriſtus peccatum morte ſua emendo, vt non imputetur, & lumen conferatur, quo ab eo reſurgamus, exemplo, & doctrina, vt lumine vtamur empto. Et ita ſoluuntur quæ prius produxi: nam peccata mortifera abſtulit dando gratiā vt illa remittantur, & in futurum ab illis præſeruemur: & fomitem non abſtulit, niſi quatenus nobis non imputantur ad mortem: nam concupiſcentia vtilis eſt ad exercitium, & meritum.

Quo pacto Chriſtus ſuſtulit peccatum.

Quod vero ſequitur: *Et peccatum in eo non eſt*: ad rem maxime fecit, vt intelligamus, eum, qui mundus erat ab omni peccato, ab illo nos mundari potuiſſe. Vnde recte ſubdit: *Omnis qui in eo manet, non peccat. Et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum*. Quæ quidem poſtrema verba ſcrupulo non carent, quomodo ſcilicet is qui peccat, Deum non viderit, aut eum non cognouerit; cum conſtat, multos ſanctos poſt acceptum lumen fidei, & cognitionem Dei, in priora peccata, aut etiam deteriora fuiſſe relapſos. Similiter dubium eſt, quomodo manens in Deo, non peccet; cum ſciamus Petrum in

Cur ſolus Chriſtus poterat ab omni nos peccato mundare.

Matth. 26.

in Chriſto manentem, Chriſtum abiuraſſe.

Omnem in Chriſto manentē, vt ait Apoſtolus, nō peccare, & cur.

Ioan. 4.

Dicendum tamen eſt, omnem, ſiue ſaluandum, ſiue non ſaluandum, qui manet in eo vt fonte iuſtitiæ continue manante, ſecundum illud, Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam ęternam: Manentem quoque in eo, per charitatem eo vtendo, non peccare: habentes enim hi habitum charitatis, quandiu illum habent, non peccant mortaliter. Vtens autem charitate, venialiter non peccat, quia charitas ad illud non monet. Sed hic de mortifero delicto eſt ſermo, & in eos agit Apoſtolus, qui in mortifero peccato degentes, ſuadebant ſibi in gratia Dei eſſe, eo quod fidem mortuam haberent. ſicut etiam Hæretici noſtri ſeculi faciunt, atque illi, de quibus Apoſtolus: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Petrus etiam fleuit: qui non ſtudioſe peccauit.

1. Cor. 6.

Matth. 26.

¶ Non peccat ergo voluntarie, aut ſtudioſe: nam prius dixerat: Sed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum.

1. Ioan. 2.

Quid, in Chriſto, vel in Deo manentē non cognoſcere Deum.

Quod ait: *Non vidit, nec cognouit eum*: Hoc eſt; gradu cognitionis firmatæ, & confirmatæ, ne homo poſſet lethaliter peccare; vel ne vnquam peccet, licet poſſit vel actu, cum intrat peccatum nō cognoſcere, & gratiam perdere. Poteſt autem fieri, vt cognoſcens (qualis fuit Dauid, Petrus, Terra petroſa in Euangelio, & canes reuerſi ad vomitum, & Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem; ſemel quoque illuminati, qui guſtauerunt donum cœleſte, &c. & qui charitatem primam reliquerunt) in peccata relabatur.

2. Reg. 12. Luc. 22. Matth. 13. 2. Pet. 2. Hebr. 6. Ibidem. Apoc. 2.

Quibus non credit ſemetipſum Chriſtus in ſe credentibus.

Sunt tamen quidam, qui nunquam vere formate cognouere; Quibus Chriſtus non credidit ſemetipſum; Quibus & dicet, *Quia nunquam noui vos.* Illis etiam, qui crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur (Ieſum ſcilicet eſſe Chriſtum, & Meſſiam, in quem crediderant) vt è ſynagoga non eijcerentur. Vt enim in carne manens, vel dæmone, vel mundo, peccat, quia peccatum manens in eo eſt: ita qui in Chriſto manet, non peccat, ſed bene facit, quia fons boni, & non mali eſt in eo.

Ioan. 2. Luc. 13. Ioan. 12.

Alter ſenſus eius dicti: Omnis qui in Deo manet, nō peccat.

Vel: Non peccat, id eſt, Facit profeſſionem non peccandi. Quædam enim conceduntur, vel negantur in Scripturis ex modo loquendi, etiam communi, non reſpiciendo ad factum ipſum, ſed ad profeſſionem. Vt Chriſtianus condonat iniurias, contemnit mundum, non edit carnes in Quadrageſima: Franciſcanus non tangit pecuniam: Carthuſianus nunquā veſcitur carnibus: Iudæus non edit ſuillam, vel Sabbatum cuſtodit: Mahometanus non bibit vinum, licet ex facto aliter contingat: dicitur tamen eſſe, quod profitetur legem illam præcipientem, vel vetantem talia. Ideo contra ex ſecta tenentes quod ſimul ſtare poſſit, eſſe in gratia Dei, & peccare ait Apoſtolus: non peccat, ſcilicet ex profeſſione, & ex natura gratiæ.

Ioannes dicens Filium Dei apparuiſſe vt peccata tolleret, quorum dogma cōtodiat, ac iuguler.

Quia ergo Chriſtus apparuit, vt peccata tolleret; venenum eſt doctrina docens, apparitionem eius feciſſe, vt peccati occaſionē daret. Vnde Apoſtolus; Quid ergo dicemus? ait. Manebimus in peccato vt gratia abundet? Abſit. Et nihil certe magis mouet ad fugam peccati, quam Chriſti apparitio: nam eſt Agnus Dei tollens peccata mundi: Paulus etiam ait *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Idem, poſt Chriſtum peccare, ait eſſe rurſum crucifigere ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habere. Aſſerit quoque, iterum peccare, eſſe, Filium Dei conculcare, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducere, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam facere. ¶ Tulit ergo peccata noſtra in potentia: actu vero in nobis tollit, quando per gratiam iuſtificat. Hinc Hæretici volunt granum frumenti mortuum vt non ferat fructum, dicentes omnia feciſſe Chriſtum, & pro nobis ad plenum ſatisfeciſſe; quod falſum eſt: quia tūc non condonauit peccatum meum, cum nondum eſſet patratum: ſed tollit, quando ſibi Chriſto vnior, fide, Sacramentis, & operibus: & Chriſtus, qui ſolus ipſe manſiſſet viuus; ſed iam mortuus, in nobis fructificat, quando bene loquimur, aut cogitamus, aut operamur. Nam & peccati Adæ pœna eſt carere gratuitis: non imputatio peccati illa includit; ideo Beatus dicitur, cui nō imputat Dominus peccatum, & ſecluſo pacto Dei, fuiſſet tantum non punire hominem relictum ſuæ naturæ: quare nunc remiſſio includit gratiam; & ob id mortiferum peccatum excludit.

Rom. 6. Ioan. 1. Rom. 3. Hebr. 6.

Infra 10.

Hæretici qualem ſibi ſomnient, atque confingant Chriſti ſatisfactionem.

Ioan. 12. Chriſtus granum frumenti quando fructificet.

Pſal. 31.

Hortatur deinde Apoſtolus ad fugam peccatorum, & declarat cauſam exhortationis eſſe, vt caueant à falſis doctoribus, qui alios ſeducebant. Idcirco ſubdit. *Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabo-*

A quibus ſeductoribus Parthi vt caueret ſibi, eos hortabatur Ioannes.

lus

lus peccat. In quibus dubitatur, qui fuerint illi ſeductores, contra quos ait: Nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt: & quomodò qui facit peccatum, eſt ex diabolo: quî etiam verum ſit, vt ab initio diabol' peccet. Reſpondem', dicendo in primis, eos Ioannem filiolos appellare, paruos nimirum, & ſeducibiles, amabiles etiam: ac venenum ſeductorum vt caueant, monet, & explicat: non ſecus ac Paulus cum Corinthijs fecit, dicens, *Timeo ne ſicut ſerpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

1.Cor.11.

Qualem hic liceat Ioannem doctorem & magiſtrum veritatis agnoſcere.

Eſt autem illud ſingulariter annotandum, Apoſtolum more magnorum quorundam ſcriptorum nihil aliud docere, ac tradere, quam regulas Fidei vniuerſalis: ac veluti Hippocrates conſcripſit Aphoriſmos, id eſt, certos canones, & regulas ſeruandas à medicæ artis peritis; ita, ſi rectè expendas, inuenies totam hanc Epiſtolam contextam eſſe ex pluribus canonibus, & ſententijs Chriſtianis vtiliſſimis ſanctiſſimiſq;.

Cur fugiendi ſeductores.

Ait ergò: *Filioli, nemo vos ſeducat.* Quia nullius amori, aut odio, aut autoritati cedendum eſt contra veritatem, & contra Dei doctrinam docentis. Ac multi ſunt, qui hoc modo ſeducere volunt: vt omnis hæreticus, & omnis homo vet', & dæmō, & peccatum. Ita enim dixit Heua, *Serpens decepit me*, Iacobus verò frater Domini ait: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænās linguam ſuā, ſed ſeducēs cor ſuū, huius vana eſt religio.* ¶ *Vos ſeducat.* Aliā doctrinam & inſtitutionem aſſerendo. Et omne peccatum mortiferum, & omnis hæreſis à Deo vt à bono abducit in ſolitarium, id eſt, in ſeipſum ſolum amantem, & nulli amore vnitum dęmonem: ſed quando ſolum eſt mortiferum peccatum, manet fides, qua intellectus Deo vnitur: quando autem eſt error tantùm circa ſpeculationem abſq; voluntate, poteſt cor vnitum Deo per zelum manere. Hæreſes autem circa mores, & praxim vitæ Chriſtianæ verè ſeducunt intellectū, & cor ſeorſum à Deo & bono arcēt, iuxta illud; *Hoc enim ſcitote intelligētes, quod omnis fornicator, aut auarus.* Et reliq. *non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* ¶ *Nemo vos ſeducat*: Inanibus verbis. Verba inania ſunt, q̄ carent fructu bonorum operum. Sic etiam ait Coloſſen. Paulus: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam.* Maximè verò egemus diligenter cauere eiuſmodi ſeductionem. Primò, quia multi ſeductores hoc modo fuere, & ſpeciales

Gen. 3. Iacob. 1.

Duplex ſeductio hęreſis ſcilicet, & peccati.

Epheſ. 5.

Coloſſ. 2.

Cauendi, fugiendiq; ſeductoris cauſę tres.

Hęretici fuerunt tempore Apoſtolorum vt nunc ſunt. Deinde quia ob amorem propriæ quietis, proni ſumus ad hoc acceptandum. Vnde monemur Scripturis fugere ſeducentes, *Aut ne fictio*, inquit Sapiens, *deciperet animam illius.* Et Propheta, *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant*, id eſt, morum, vt cadas; rurſus, *Et erunt qui beatificant populum iſtum, ſeducentes; & qui beatificantur, præcipitati.* Tertiò, quia à tempore Noui Teſtamenti, in quo gratia, & miſericordia abundant, & laudatur fides vt Chriſtianæ religionis ianua: & habet occaſiones ex Scripturis, quibus commendatur.

1 Sap. 4. Eſa. 3.

Infra 9.

Noui excellentia teſtamēti.

Ac ſubdit: *Qui facit iuſtitiam.* Non ſolū qui credit, & non ſolum cui imputatur Chriſti iuſtitia; ſed Qui, facit, inquit, iuſtitiam, id eſt, exercet charitatem, & opera dilectionis præſtat, quæ coram Deo deificant, & coram hominibus, exemplum dando per opera, iuſtum faciunt. Hic talis iuſtus eſt ad id cooperante iuſtitia, hoc eſt, actione recta ſecundùm Hieronymum: ſicut æquitas ſecundùm eum, eſt mentis apud eum rectitudo. Ob actus enim meremur, & propter fructus placet arbor: licet habitus ad denominandum plus faciant: ſed ad reſiſtendum, magis facit actus, ſicut plus ſunt in actu, habitus verò in potentia.

Quis faciat iuſtitiā.

Hieronym.

Sicut & ille iuſtus eſt, Chriſtus ſcilicet Deus, eſſentia, & in omnibus operibus iuſtitiam exercens. Vnde ab eo eſſentialiter, & per ſe iuſto, ſunt omnes alij iuſti. Clarum, natum eſſe eſt ex Deo, vel filium Dei, non eſſe aliud, quàm Dei ſimilem imitatorem in iuſtitia eius. Vel: ſicut & ille iuſtus eſt, id eſt Chriſtus, qui obediendo Patri iuſtitiam impleuit: Non eſt autem diſcipulus, inquit, ſuper magiſtrum.

Chriſtus quomodo iuſtus ſit.

Philip. 2. Matt. 2. Infra 10.

Subdit Ioannes: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Significat; Qui actu in lethali peccato inuenitur, non, Qui fuit, vel erit. Et vel vnum lethale delictum ſufficit, vt quis filius diaboli ſit atque nominetur, atque id nos ſine Deo facimus; bonum autem nonniſi cum eo. *Ex diabolo eſt*, inquit. Nam ſicut, eſſe ex Deo, & ex veritate, & Dei filium, & filium lucis, idem re ipſa ſunt; ita eſſe ex patre diabolo, vel ex mendacio, vel ex contētione, vel ex parte dæmonis, & eſſe eius membrū, eius filiū, & ſeruū, re ipſa idē ſūt. Vulg' etiā vſurpat hāc phraſim, cū videlicet quēquā eſſe filiū alterius dicit, cuius mores imitatur: Et quia ꝓpriè nec filij Dei, nec filij dęmonis

Quis faciens peccatum, ex diabolo ſit.

Qualis filiatio ſit Dei, vel dæmonis eorum mores imitantiũ.

ſumus, cùm non ſimus ſimiles in ſpecie, vt tales dant nobis ſubſtantiam, ſi Deus per creationem illam poneret, dæmon verò nullo modo: ſupereſt vt figuratè filij dicamur ob analogiam, & reſpectum, qui eſt inter filios carnales, & ſuos parentes. Et ſimilitudo quantum ad effectum, ob quem ita vocantur, videtur in ſola ſimilitudine imitatrice conſiſtere. Nam primò videmus in natura filios ſæpè in moribus ſimiles eſſe parentibus, atq; ob hanc ſimilitudinem filij dicuntur. Vnde filij iuſtorum. Ob id etiam dicitur: *Semen Chanaan, & non Iuda*, id eſt fili⁹. Item: *Pater tuus, Amorrhæus; & mater tua, Chetæa*; &, *Iuſtificaſti Sodomã ſororem tuã*. Quia etiam inter fratres ſolet eſſe naturæ, & morum ſimilitudo, filij ſumus. Ideò & Ioannes ait: *Similes ei erimus*. Dominus etiam: *Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Et infra, *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*: *Filius non poteſt à ſe facere quicquam niſi viderit Patrem facientem*: *Si non facio opera Patris mei: nolite credere mihi*, dicenti me Filium, & imitatorẽ Patris, rurſus, *Benefacite ijs qui oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri*: *Vt filij lucis ambulate, in bonitate, & iuſtitia, & veritate*.

Dan. 13. Ezech. 16. Ibidem. Ioan. 8. Supra 5. Infra 10. Mat. 5. Epheſ. 5.

Ad filiationem ergo hanc ſimilitudinariam requiritur ſimilitudo in morib⁹, vt dictum eſt; ſicut ad naturalem ſimilitudo ſubſtantiæ, & quam mores conſequi ſolent: ſufficit ſimilitudo, niſi filius ſit ſimilis etiam imitando: ita vt pater prius habeat rem, in qua eſt filio ſimilis. Nam ſi ſimiles eſſent in moribus bonis vel malis, poſſent vocari fratres, vel ſorores. Hinc Dominus alloquens Iudæam: *Iuſtificaſti*, inquit, *ſorores tuas* (Sodomam videlicèt, & alias ciuitates finitimas) *in omnibus abominationibus quas operata es*: quia Iudæa non didicit à Sodoma iam euerſa, ſed ambę à communi patre dæmone. Eodem modo ait Dominus Apoſtolis: *Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus eſt enim magiſter veſter*: omnes autẽ vos fratres eſtis, in Chriſto videlicet. Nos etiam filioli ſumus Apoſtolorum, quia imitatores eorum. Eſſe ergo filium Dei, vel dæmonis, non eſt niſi eos imitari, & proxime eis ſimiles reddi, vt ſolent filij parentibus: & ita quantum ad effectum, eſt ſimilitudo inter hanc, & naturalem filiationem: vltra ſimilitudinem in hæreditate, in radice eſt etiam ſimilitudo. Vt enim pater per ſemen tradit dictam ſimilitudinem ſubſtantiæ, & per conuerſationem ſimilitudinem morum in natura datorum quantum ad initia, hoc eſt, quantum ad inclinationes, & propenſiones: ita Deus per ſemen Verbi ſui, ęterni, & Spiritus ſancti, & per ſemen gratiæ creatum, & ſeminarium verbi prolati fide ſuſceptum, dat eſſe diuinum, licet accidentale naturæ noſtræ, quod quidem eſſe, diuinæ operationes, & mores puri, & ſancti conſequuntur. Dæmon etiam, ſe, & alios inferiores ſatellites ſuos quaſi primarium ſemen malitiæ, menti, quam tentat, applicando, & per ſecundarium ſemen, id eſt, mendacium, quia mendax eſt, & pater eius, hoc eſt mendacij quaſi ſeminis: lumen etiam malum accidentale donando, puta, maculam, deformitatem, Dei diſſimilitudinem, & dæmonis ſimilitudinem, dat eſſe diabolicum filijs ſuis: tale autem eſſe diaboli etiam mores abſurdi, & actiones teterrimæ ſequuntur: licèt dæmones in bona ſint natura à Deo conditi; ſed non ea ratione qua Pater adoptans eſt, quia eatenus etiam Deus dat eſſe ſolum accidentale, & extrinſecum.

Vt homo filius Dei ſit, quid præſtare debeat.

Ezech. 16. Gen. 19. Mat. 23.

Duplex ſimilitudo filiationis naturalis inter ſe, & ſupernaturalis filiationis.

Duplex ſemen diaboli. Ioan. 8.

Qui ergo peccatum facit, ex diabolo eſt, id eſt, eius filius, eſſe malum accidentale, & peſſimos mores ſuos ſuſcipiens, in quibus eum imitatur, imitaturus cũ etiã in hæreditate, id eſt, in ſupplicijs, & pœnis ob quas, & quia talis eſt pater, & quia tale eſt ſemen, & res, in qua eſt ſimilitudo, miſerrimum eſt eſſe filium diaboli, qui ſuos filios ſeruos facit; & quia ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ: ſicut De⁹ è contrario liberos facit. Benè autem Satanę conuenit, quaten⁹ filios facit, nomẽ Accuſatoris: nam quia amicus eſt criminandi nos, & nemo in natura, vel gratia eſt accuſabilis ſua ſeminat in filijs ſuis, vt eos accuſabiles reddat. Maledictus pater (vt Saturnus primus deorum, ſiue dęmoniorum) filios ſuos occidens, & deuorans, Faciens etiam peccatum odit, & accuſat animam ſuam: idcirco ex accuſatore eſt, ſe odio proſequente, & odibili quia in veritate non ſtetit, & mentitus eſt in caput ſuum.

Peccans vt ſit filius dæmonis.

Iob. 41. Ioan. 8.

Diabolus rectè accuſator nominatur in ſacris ſcripturis. Apoc. 12. P. 19 1. Sap. 16. Ioan. 8.

Subdit Apoſtolus: *Quoniã ab initio diabolus peccat*. Quia ad filiationem non ſufficit ſimilitudo, ſed imitatio etiam requiritur ſecundùm iſtam rationem, excellentioris, & pręſtantioris alicuius: nam filius perfectione, & tempore patre ſuo poſterior eſſe ſolet, quòd natura indies debilitatur; oſtendit dæmonem patrem eſſe omnium peccatorum, vt tali proli vacantem. Ab initio autem temporis, ſecundũ quoſdam, peccat, id eſt, obſtinatus eſt in peccato, quia cum diuiſit Deus lucem corpoream à tenebris, quod contigit

Diabolus quemadmodum ab initio peccet, varia interpretatio.

initio

initio primæ d ei ſecundum ſententiam Auguſtini, dęmones de cœlo ceciderunt; ac per hoc obſtinati in peccato redditi ſunt. Ante hoc etiam fuere per viæ ſuæ partem peccatores, licet initio viæ perfecti fuerint, & poſtea iniquitas inuēta fuerit in eis: ſi in Angelis reperit prauitatem. Initio etiam homicida fuit, id eſt, obſtinatus in Chriſto nece inferenda. Initium autem ſui peccati fuit, vulnerare Gentes, & accuſare fratres Chriſti, & Angelorum in Chriſto contentos; quibus inuidit, quia cū eſſet natura inferior, erat tamen ſuper illos omnes in gloriam euehendus. Peccat ergo ex ſe, licet ex obſtinatione non imputētur ei peccata ad nouam pœnam, ſed ſint pœnę pars. In ſuis etiā membris peccat, quos ad peccatum actu ſollicitat, vel poſternendo in primo homine, eos ſibi ſeruos venundatos ad faciendum malum: ſibi, inquam, id eſt, ad honorem ſuum: Ideo dixit: *Ab initio peccat*, & non, Ab initio peccatum eſt, quia dæmon non eſt natura malus, quemadmodum Deus natura ſua eſt iuſtitia, & bonitas, ſed per accidens aduenit ei malum, cuius nulla eſt natura, quia priuatio tantum eſt.

B. Aug. lib. de Geneſi ad lit.

Ioan. 8.

Eſa. 14.
Apoc. 12.

Gen. 3.

Peccatum quid.

Circa ſequentem ſententiam: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli*, dubia non deſunt, & primum quidē eſt, quomodò diſſoluit opera diaboli, cùm multa eius opera perſiſtant, nempe peccata, lethalia, & venalia, quæ adhuc viuūt, & regnant. Sed conſideremus priùs verba Textus, & ponderemus: deinde propoſita dubia reſoluemus. ¶ *In hoc*, inquit, id eſt, ad hoc, ſiue, ad hunc effectum. Filius enim Dei non habet finem extra ſe, quia eſt Alpha; & Omega, principium, & finis. Incarnationis etiam effectus tam alt⁹ eſt, vt ſolum Deum pro fine habeat, cui maxime complacuit. Alia autem omnia ad eum ordinantur, & in genere cauſæ finalis ſunt eius effectus, quia Dominus eſt finis hominis, etiam Sabbati, & omnium.

Deus nullum finem extra ſe habet.

Eſa. 41.
Apoc. 1.
Infra 22.

Mar. 2.

Addit: *Filius Dei*. Naturalis ſcilicet: abſolutè enim de adoptiuo filio non dicitur filius in ſingulari. Et verbi, quod eſt veritas offenſa, cauſa fuit prodeundi ad ſingulare certamen contra mendacij patrē, vt inde, qui in viſione olim apparens, fuit illi materia ſcādali, occaſio malè operandi fuerit, quia nimium eleuatus, & ſuper omnia conſtitutus eſt eis Chriſtus viſus, veniens ad nos ferè nimis humilis: & re ipſa apparens iam diſſoluerat opera dæmonis, ſui occaſione olim cœpta. Et verbum diſſoluendi, oſtendit omne mortiferum peccatum colligationem eſſe impietatis, & nodum, cum morte, & dæmone, & inferno ligans, iuxta illud Eſaiæ: Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: Ligans etiam cum pœna, & cum creatura, ad quam conuertit. Eſtq; talis, ac tantus nodus, vt ſolo digito Dei, id eſt, Spiritu ſancto per Chriſtum eijcientem dæmonia, ſolui poſſit, ac vt fumus ſubitò euaneſcat, & vt ſal in aqua ſoluatur: quia infuſio gratiæ, & gloriæ, & reſurrectio, opera ſunt, q̄ Theologi ſcholaſtici vocant, inſtantanea, id eſt, quæ in momento fiunt. Chriſtus autem per Spiritum ſanctum ſe obtulit immaculatum Deo & captiuā duxit captiuitatem, ſolutis dolorib⁹ inferni.

Chriſtus qualis Dei Filius.

Ioan 8.

Mat. 4.

Quid peccatum omne mortiferum ſit.

Eſa. 28.

Luc. 11.

Opera Dei inſtantanea quæ Theologis.

Heb. 9.
Pſ. 67.
Eph. 4.
Act. 2.

Opera diaboli vocat, peruertere vias Domini rectas, & accuſabiles Deo reddere homines. Ita enim Paulus cuidam filio diaboli dixit. Rectam enim naturam Angelicam condidit Dominus Deus, & concentum in cœlo facientem: ſed hunc ordinem ſoluit diabolus, & ſedes vacuas reliquit, dum perfectiſſimum Dei op⁹ ex ſe peruertere primus tentauit id eſt, Incarnationem Verbi, ſed Filio Dei nondum apparente, & creante hominem, in quo appareret, peruertit illum, vt & ipſe homo viam Domini rectam peruerteret, diuinosq́ue honores dæmoni per tot ſecula exhiberet, & hominem in ignorantiam, & peccata, & ſupplicia deijceret.

Opera diaboli Chriſtus quæ diſſoluit aduentu ſuo.

Act. 13.
Apoc. 12.
Pſ. 109.

Gen. 3.

Sed licet Chriſtus non apparens potuerit opera ſua diſſoluere, hominem iterum condendo, & veterem hominem deſtruendo, nouum verò augendo, & glorificando: apparere tamen voluit, quia per nos ipſos ea diſſoluere ad ſuam maiorem gloriam voluit: vt ludimagiſter, quē certantem videremus: & homine ordinato, cœlum, & omnia quæ in eo ſunt, ad ordinem reduceret, & peccata puniendo corrigeret: In quo peccato manente, opera dæmonis, hoc eſt, culpa, & pœna, diſſoluerentur, & ita ex ſe omnia miſericorditer peccata diſſolueret. Sed ſi nolumus, iuſta pœna inflicta, quam poſt iudicium Dei dæmon non infligit, ne vel in hoc lętetur impius, ac ſuperbus, nodo incarnationis, & diſſolutione animæ à corpore per triduum, & membrorum eius in cruce, opera diaboli diſſoluta ſunt potentia, actu verò indies per applicationem mortis Chriſti diſſoluuntur in nobis. Et ſic propoſitas difficultates, ſatis, vt nobis videtur, euacuauimus.

Quare Chriſtus cum inuiſibilis poſſet, viſibilis tamen opera diaboli diſſoluit.

DISPV-

DISPVTATIO XXII.

Super verba illa *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit: quoniã ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare quoniam ex Deo natus eſt, in hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli. Omnis qui nõ eſt iuſtus, non eſt ex Deo: & qui non diligit fratrem ſuum. Quoniam eſt annuntiatio quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrum. Non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum,* & reliqua.

I. dubitat.

Secunda.

HORVM verborum aperiendus eſt ſcopus, & connexio cum præcedentibus. Deinde quomodò aſſerit omnem natum ex Deo, peccatum non facere; nõ enim ſolum negat actum, ſed etiam potentiam peccandi, quod maius eſt; cùm tamen ſuperius dixer t: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*; & infra, *Sed etſi peccauerimus, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* [1. Ioan. 1. Infra 2.] Hæc enim videntur manifeſtè contradicere. Quomodò etiam in hoc ſigno manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli? hoc enim non videtur verum, quia qui hodie ſunt filij Dei, cras erunt filij diaboli, & è contrario qui hodie filij diaboli, cras erunt filij Dei: vt in multis docuit experientia. Soluenda ſunt hæc duo dubia, deinde alia proponentur.

Scopus Apoſtoli.

Ad primum reſpondendo dicimus: Cùm paulò antè dixiſſet Filium Dei apparuiſſe, vt ſoluat opera diaboli; declarat modò hoc, vt glorioſius faciat, cum per nos ipſos in parte facere. Nam ꝓ donum renaſcentiæ ſuæ fit, vt peccatum, in quo concepti, nati, & nutriti ſumus ex natura noſtra, oderimus, & vitemus nos ipſi, & cauſa etiam ſimus vt alij vitent, & refugiant: etſi caſu aliquo in peccata reciderẽt, cauſa ſumus vt per pœnitentiam illa euomant vt venenum mortiferum.

Quam verum ſit eũ qui ex Deo natus eſt, non poſſe peccare.

Expediamus ſecundum dubium. Ait Apoſtolus: *Omnis qui natus eſt ex Deo.* Recipiens eſſe nouũ diuinum in intellectu per fidem, & in voluntate per charitatem, & in facultatibus cæteris vires diuinas per gratiam Dei, *Semen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare.* Duo de renato in Chriſto teſtatur: alterum eſt, ꝙ peccatum non facit: alterum eſt, ꝙ non poteſt peccare: quod vtrumq; magnas patitur difficultates. Nam Eccleſia orat pro fidelibus peccatoribus, & pro filijs ſuis à carne, & mundo deuict s: Paulus quoque luget multos de ijs Chriſtianis, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt. [2. Cor. 12.] Et in Apocalypſi ait Dominus ad Angelum, id eſt, Epiſcopum Epheſi: Habeo aduerſum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. [Apoc. 2.] Deinde ſi non poteſt renatus peccare, quorſum Paulus timet ne reprobus efficiatur? [1. Cor. 9.] Cur etiam timet, ne, ſicut ſerpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus noſtri. & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu; [2. Cor. 11. Gene. 3.] & alibi monet; *Si quis ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*; [1. Cor. 10.] Petrus quoque Apoſtolorum princeps hortatur: *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*: [1. Pet. 5.] cuique in fide ſuadet eſſe reſiſtendum.

Contra Pelagium, & Iouinianum.

Reſpondemus, olim extitiſſe Pelagianos, & Iouinianum, qui hoc loco abutebantur ad ſua ſtulta dogmata confirmanda. Illa quidem ſic, vt dicerent ſuapte natura poſſe non peccare. Sed falſitas reuera reuincitur ſenſus illius: quia Ioannes non refert vel ad naturam, vel ad libertatem arbitrij non peccare, vel non poſſe peccare, ſed tantum ad generationem, vel natiuitatem diuinam, quæ eos tuetur, & conſeruat, & præſeruat. Et ſanè ſi natura peccare non poſſemus, vbi eſſet meritum noſtrum? vbi etiam vſus liberi arbitrij? ¶ Contra Iouinianum verò dogmatizantem, iuſtum peccare non poſſe, ſunt illa argumenta, quæ ſuperius produximus. Addendum verò & illud nam alioqui Ioannes ſibi ipſi contrarius eſſet, qui ſuperius dixerat: *Si cõfiteamur peccata noſtra*, &, *Sed etſi quis peccauerit: aduocatum habemus*, & reliq. [1. Ioan. 1. Infra 2.]

De propoſito loco Ioannis variæ patrum & ſanctorũ ſententiæ, & autoritates. Prima, quæ eſt, B. Bernardi.

His autem ſenſibus, vt hæreticis, excluſis, producemus alios Patrum Catholicorum ſenſus. Primus igitur eſt B. Bernardi ſerm. 1. in Septuageſima: Non peccat, inquit, qui nat⁹ eſt ex Deo; id eſt, Nõ permanet in peccato, quia Deus præſeruat eum vt perire non poſſit ea, quæ falli non poteſt, generatio cœleſtis, id eſt, prædeſtinatio Dei. Vel, Non peccat, id eſt, tantundem eſt ac ſi non peccaret, quia peccata non imputantur. Verùm hic ſenſus, vt verum fatear, durior eſſe videtur. Nam prædeſtinatio non tollit peccata in prædeſtinatis, quin ſimul imputentur: Nam Petr⁹ cum ter abiuraſſet Dominũ, poſteà

fleuit

Matth. 26. fleuit amare, nequaquam facturus, ſi nouiſſet ſe prædeſtinatum, & peccata ſibi non imputari. Paulus quoq; electus dolet quòd blaſphemus extiterit, & perſecutor, & contumelioſus: *1. Tim. 1.* Dauid quoque prædeſtinato diſplicuit ſermo Vriæ, id eſt peccatum adulterij cum vxore Vriæ: *2. Reg. 12.* diſplicuit etiam numeratio populi ex ambitione.

Secunda ſententia, quæ eſt Auguſtini. *Tract. 5. in hanc Epiſtolã Ioan.*

Secundò Auguſtinus interpretatur hunc locum de eo, qui filius eſt Dei, & non poteſt peccare, vt intelligatur de illo peccato, quo & charitas læditur Chriſtiana, & quo myſticum Chriſti corpus, quod eſt Eccleſia, ſcinditur: *Coloſſ. 1.* quod peccatum incredulitatis eſt, de quo Dominus dixit; *Ioan. 15.* *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Sed ſanè non rarò contingit, baptizatos, & prędeſtinatos filios Dei charitatem fraternam violare, & poſteà per pœnitentiam ablui, & redintegrari. Nam ecce ipſemet Auguſtinus *Aug. lib. 1. Confeſſ.* ab hæreſi Manichæorum recedens, ad Eccleſiam, cui reconciliatꝰ eſt per B. Ambroſium redijt, ac deinde Manichęorum extitit acerrimus perſecutor: quod idem multis alijs exemplis confirmari poſſet.

Tertia aliorum. *1. Ioan. 5.*

Tertiò alij interpretantur de peccato ad mortem, quod eſt diffidentia Dei, aut deſperatio: quod quidem etiam durum videtur. Tum quia aliud eſt fortè peccatũ ad mortem, vt ſuo loco dicetur. Ita Iudas fuit ex Deo, & in gratia: & tamen in nefandum ſcelus Dominicę proditionis incidit, *Mat. 26. Infra 27.* ac tandem in deſperationem, ac ſui ipſius ſuſpenſionem.

Quarta, quam autor probat atq; confirmat.

Dicendum quarto loco nobis eſt, verum ſenſum huius loci capiendum eſſe à formali ratione loquendi. Nam natus ex Deo, in quantum talis eſt, non peccat: & homo quãdiu eſt in iuſtitia, & gratia adoptionis, ex qua eſt hæc natiuitas ex Deo, non peccat: Vbi perpende hominẽ in Chriſto renatum, etiam ſecundũ mentem, in qua ſemen gratiæ, & verbum Dei, & lex iuſtitiæ, & charitatis, non tanta perfectione pollet, vt non reſideat in eo aliquid vetuſtatis propter amorem carnis, & ſui ipſius. Ita vt in hominis parte ſuperiori duplex affectus, & amor inſit, ſecundùm quem etſi ſit filius Dei, ex parte tamen quoque ſit filius ſeculi.

Quid eſt quod homo habẽs ſemen Dei, tamen etiã peccat.

Nam illud ſemen, quod dicitur fermentum, non perfectè totum hominem fermentat, ſed in eo adhuc viget aliqua affectio, vt ſit vnus & idem quaſi duo homines. Qui ergo peccat, alius eſt, id eſt, ille idem, alio tamen ſemine naturali concretus: idcircò tanquam & alius cogitatur. Ille autem homo interior, qui Dei filius, & lumen ſuperinfuſum, nec peccat, ne peccare poteſt, quandiu eſt in illo, quia non inclinat vel ad malum veniale. Non poſſunt ergo ſimul ſtare natiuitas diuina, & peccatum lethale, de quo hic loquitur Ioannes: nam de veniali non diceret: Omnis, qui peccat, ex diabolo eſt; & omnis qui peccat non vidit Deum, nec cognouit eum.

Quæ ſententiæ Euangelicæ, & Apoſtolicæ hinc lumẽ interpretationis accipiant.

Et ſic veniunt intelligendę quam plurimæ ſententiæ Scripturæ: vt illa, *Non poteſt arbor bona* (quandiu talis eſt) *malos fructus facere: neq; arbor mala* (vt mala eſt ſcilicet) *bonos fructus facere:* *Mat. 7.* Illa etiam: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.* *1. Cor. 2.* poteſt enim ab animali tranſire ad ſpiritualem, & intelligere. Item illa: *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire,* ſimul ſcilicet, & compoſitè. *Mat. 7.* Ita Auguſtinus Tract. 5. in Io. *B. Aug. to. 9.* & Hieronymus lib. 1. aduer. Pelagianum & 2. in Iouin. *Hier. tom 2.* & OEcumenius hoc loco. *OEcum.*

Ac ſubdit rationem Apoſtolꝰ: *Quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Id eſt, Quandiu ſemen Dei in illo manet. Oliua enim terræ ſatu non edit fructum vitis, nec ſemen humanum in vtero matris fœtum bouis, eſſet enim monſtrum: ſecus eſſet, ſi inimicus homo noctu te dormiente interſerat zizania, *Mat. 13.* quorum fructus poſtea edas: & aqua calida, dum calet, non poteſt refrigerare; bene tamen poteſt redire ad frigiditatem naturalem.

Duplex ſemen Dei. *1. Pet. 1.*

Duplex eſt autem ſemen Dei, alterum internum, de quo Petrus: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbũ Dei, & permanentis in æternum:* Vt enim ſemen attrahit terram ad ſe, & conuertit illam in ſe: ita verbũ Dei trahit cor hominis, & immutat, vt illud ſapiat, & intelligat.

Vt ſimus naturæ diuinæ conſortes. *2. Pet. 1.*

Alterũ eſt internũ ſemen gratiæ Dei, vel Spiritus, ꝙ potentius eſt ſemine externo, & quo quaſi principio diuino efficimur participes naturę diuinæ: nempe vt diuina cogitemꝰ, loquamur, operemur, & faciamus. Eſtq; cuiuſuis ſeminis ꝓprium tale facere, quale eſt ipſum: vt ſemen frumenti frumentũ, plantæ plantã animalis animal, & hominis hominẽ, ita quoq; ſemen Dei deos facit. *Pſ. 81.* *Ego, inquit, dixi, Dei eſtis, & filij excelſi oẽs.* Et cũ debuiſſet dicere *Ioan. 10.* Ioannes: Natura ipſius in eo manet, maluit tamen dicere, ſemen, ad inſinuandũ, in nobis viatoribus natis ex Deo, naturã diuinam participatam habere potius rationem, ac vim ſeminis diuini, quàm naturæ diuinæ, quia communicat nobis potius virtutem, qua poſſimus viuere vita diuina, quod futuræ felicitatis ſtatui propriè conuenit. Et vt per ſemen aliquid

Ratio huiꝰ metaphoræ: Semen Dei in eo (ſcilicet in non peccante) manet.

fit ta-

fit tale, quod ante adhuc tale non erat: ita per ſemen gratiæ Dei potius conceditur vt fiamus diuini modo, & conſortes diuinæ naturæ, pòſt iam facti & exiſtentes diuini operabimur diuina. Et reuera ita eſt: quia gratia adoptionis indies augeri & creſcere poteſt, vt ita quotidiè magis filij Dei fieri ſtudeamus. ¶ Notat OEcumenius, non dixiſſe Ioannem, Natum ex Deo non peccare; ſed peccatum non facere; ne videlicet comprehendat infantes, qui ab vtero habent vt non peccent. Siquidē negationi ſimiliter congruit non peccare: non facere autem peccatum, ſignificat ex effectu non contingere. *Et nō poteſt peccare.* Quædam ſunt, quæ peccare nequeunt, quia expertia peccati, cùm careant libero arbitrio: & propterea illa ſicùt ex natura non habent libertatem, qua ſolùm peccatur, ita non habent peccatū. Deinde quia Deus non poteſt declinare à ſuæ voluntatis regula; ideò ſuapte natura impeccabilis eſt, etiamſi ſit ſumma libertate præditus. Tertiò Angeli, & Beati, qui omninò fermentati ſunt per gratiā conſummantem, peccare non poſſunt, etiam venialiter, quæ eadem eſt, ſed ex gratia conſummata id habent, quæ eadem eſt cum gloria, & præmio vitæ æternæ. Quartò confirmati in gratia Dei, vt Deipara Virgo, Ioannnes Baptiſta, & Apoſtoli, & ſiqui alij ſunt, habuerunt impeccabilitatem, quantum ad lethalia attinet; ſola autem Deipara etiam quantùm ad venialia, & leuiſſima delicta: ſed hoc ex mero & ſingulari priuilegio, & ante præmij tempus.

Cur Ioannes non dixerit natum ex Deo non peccare: ſed, peccatum non facere, ſecundum OEcum.

Quæ ſint quæ peccare nequeunt.

Quintò omnes nati ex Deo per gratiam eius habent impeccantiam dupliciter: tum quia poſſunt non peccare; & ideò eſt illis peccatum prohibitum: ergo illud vitare poſſunt. Tum quia ſemen ipſius in corde eius ſeminatum, ſiue ſit Verbum Dei Luc. 8. ſiue gratia Dei, ſiue ſpiritus, ſiue charitas, ad peccatum non inclinat, vel veniale: nec ex eo poteſt prodire peccatum magis quàm ex vite ſpina, vel ex ficu tribulus, vt Chriſtus declarauit: quia peccatum non eſt ex bono diuino gratiæ nec poteſt eſſe, ſed bene ex non eſſe, ipſius renati: & ex vetuſtate Adæ relicta in homine renato, vt dictum eſt.

Nati ex Deo ſunt impeccabiles dupliciter.

Matth. 7.

Neque propterea homo qui non poteſt peccare, minus eſt liber: nam Deus Angelus, & in cœlo Beati, & in terra Apoſtoli, ſiue alij confirmati in gratia peccare non valentes, priuarentur maxima, & glorioſa dignitate libertatis. Et quia poſſe cadere, vel errare, non eſt poteſtas ſed impotētia potiùs; hinc ſequitur quod peccabilitas noſtra non ſit libertas, nec pars libertatis, vt Bernardus, & Anſelmus egregiè docent. Eſt tamen peccabilitas cognitio hominis in hoc ſtatu infantiæ ſuæ, & fragilitatis, confirmatio autem Dei vel ratione copioſi amoris ſui voluntati infuſi cum communi lumine, vel cum communi, & mediocri charitate, modò Deus aſſiſtat per ſe, vel per Angelum repręſentans malum ſub ratione mali, quoties inclinatur, vel tentatur ad peccandū: quia nemo intendens ad malum operatur. Et confirmatio in cœlo tollit malam inclinationem, & tentationem; in via verò neutrum tollit.

Qua ratione humani arbitrij libertas ſtare poſſit cum potentia non peccandi.

B. Bern. Anſelm.

Docet autem Ioannes hæc aduerſus Hæreticos ſui temporis, qui ex eo quod à Deo libertatem ſe habere prædicabant, perniciosè docebant quòd peccabant, & poterant peccare. Cuius contrarium tradit Ioannes nempe id, quod gratiæ habemus ex Deo, & quo ſimus, & ſumus filij Dei, nec ſecum ferre peccare, nec poſſe peccare, lícèt aliunde homo ex ſua fragilitate, & conditione poſſit peccare.

Quorum hoc loco Ioannes errorem, & dogma confutet.

Ideò ſubdit: *In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli*: Ex quo loco diſcerne Hęreticos, & Hypocritas; qui enim dicunt, filios Dei ferre ſecum peccare, & poſſe peccare, filij ſunt diaboli, quia filij Dei conſtant ex eo, quod nec dat peccare, nec poſſe peccare. Secunda nota, non dixiſſe: *Qui fuerunt filij Dei, & filij diaboli*; ſed, Qui ſunt de præſenti: quia peccatum præſens, non poteſt diſcernere qui fuerint filij Dei, & filij diaboli, nam peccare poſſunt qui fuerunt filij Dei, & nunquam filij diaboli: & bene facere poſſunt qui fuerunt filij diaboli, & nunquam filij Dei. Bene autem peccatum diſtinguit eos, qui actu ſunt filij Dei, & qui ſunt filij diaboli: docet enim nos tam diu manere in generatione Dei, quandiu nos peccamus, quod ſcire, noſtra intererat: diſcernit autem hæc diuina generatio peccatum, quod nunquam eſt niſi in filijs diaboli, deſinimus enim eſſe filij Dei, & incipimus eſſe filij diaboli. Omnis enim qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Tertiò aduerte, quòd ex fructibus diuerſorum ſeminum colligimus qui filij Dei, & qui filij diaboli ſint. Falſum eſt ergò quòd omnes effectus poſſit facere natura, quos ipſa charitas facit: quod Pelagiani docebant: nam aliàs non poſſent vnquam diſcerni filij Dei, à filijs diaboli.

Filiorum Dei & filiorum diaboli notæ.

Error Pelagianorum.

In ſententiam ſequentē: *Omnis qui non*

eſt iu-

eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. Dubitatur in primis de Græca lectione, quæ pro illis verbis: Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, habet: Omnis qui nõ facit iuſtitiã, non eſt ex Deo. Dubitatur etiam de exemplo allato de Cain, qui occidit fratrem ſuum Abel, an apte,& ad literam ſit productum.

Gene.4.

Ad primum reſpondeamus: Etſi vtraque lectio bona ſit,& bonum ſenſum habere poſſit: nam omnis qui non eſt iuſtus, & omnis qui non diligit fratrem, ex Deo adhuc non eſt: præſtare tamen videtur lectio Græca.

Duplex pars iuſtitiæ Chriſtianæ,& Euangelicæ. *Pſalm.33. 1.Pet.3.*

Nam cum iuſtitia conſtet duabus partibus, nempe declinatione à malo, & operatione boni iuſtitiæ, iuxta illud Prophetæ, *Declina à malo, & fac bonum*: cum dixiſſet, facientem peccatum non ſolum non eſſe ex Deo, ſed ex diabolo eſſe; ita modo Ioannes loquitur de ſecunda parte iuſtitiæ, dicens: *Omnis qui non præſtat, quæ debet proximo præſtare, ille iniuſtus eſt,* ſiue ex Deo non eſt, quia peccat in illam legem naturæ à Domino expreſſam atque declaratam:

Matth.7.

Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, (Et primo quidem loco omnis homo vellet rationabiliter ſibi à cęteris impendi amorem) *& vos facite illis,* Et ita hic incipit Apoſtolus aggredi tractatum de dilectione, coniungendo iuſtitiam cum charitate,& non iuſtitiam cũ non dilectione.

Effectus charitatis, ſecundum Auguſtinum. *B. Auguſti. lib. de Natura & gratia.*

Teſte enim Auguſtino: *Charitas eſt, qua vna iuſtus eſt, quicunq; iuſtus eſt,*& alibi, *Charitas incipiẽs, iuſtitia incipiẽs, charitas proficiens, iuſtitia proficiens, charitas perfecta, iuſtitia perfecta.* Denique per charitatem, reddimus Deo, & nobis ipſis, & proximis quod debemus. Ideo alte & docte ſaltat à iuſtitia ad charitatem, & ab omiſſione iuſtitiæ ad omiſſionem charitatis:& poſt puritatem vitæ per abſtinentiam à peccatis, trãſit ad charitatem, quam præcipue intendit in hac Epiſtola commendare,& celebrare.

Quid, non facere iuſtitiam.

Omnis ergo, inquit, *qui non facit iuſtitiam,* ſcilicet debitam iure naturæ, & diuino præcepto, vel cauſa neceſſitatis extrema, vel nimium vrgentis, eleemoſynæ, nimirum corporeæ, vel ſpiritualis correptionis, vel doctrinæ, vel orationis, vel conſolationis, *Non eſt ex Deo.* Quia ſemen, hoc eſt, charitas appareret in fructibus, quia nunquam amor Dei eſt otioſus; ergo aliud ſemen, quod eſt ex diabolo; habet. ¶ *Et qui non diligit fratrem ſuum.* Ad quod verbum ſupplendum eſt (ex Deo non eſt) vt dixit de non faciente iuſtitiam: quia omnis iuſtitia eſt charitas fratris; ſignificatq;, filium Dei non eſſe, cui alterum horum defuerit: tãtum abeſt vt filij Dei eſſe poſſint, qui neutram curant, hoc eſt, neque vitæ puritatem, neque charitatem, ſola ſibi ipſis fide placentes.

Filij Dei, à filiis diaboli duplici diſtinguuntur nota.

Ergo filij Dei ſecernuntur à filiis diaboli duabus his notis: puritate ſcilicet vitæ, & charitate: quæ duo ſi præeunte fide tibi adſint, potes tibi perſuadere te eſſe filium Dei: quod ſi hæc duo deſint, fruſtra gloriaris de fide, & de Baptiſmo, & de prædeſtinatione, & de Chriſtiano nomine, vt plurimi modo faciunt.

Hebraiſmus in voce annunciationis. *Act.1. Hebr.10.*

Sequitur: *Quoniam hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrũ* Annunciatio hoc loco pro re annunciata ſumitur more Hebræo: ſicut apud Lucam promiſſio pro re promiſſa, & apud Paulum oblatio pro re oblata.

Antiquitas præcepti dilectionis.

¶ *Quam audiſtis ab initio.* Præceptum charitatis commendat Ioannes ab autoritate,& ab exemplo: ab autoritate quidem, quia ab initio fidei ſuſceperunt hoc præceptum, cum dixit Dominus, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos:*& iterum, *Mãdatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem.*

Ioan.15. Supra 13.

Et infra: *In hoc cognoſcẽt omnes quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Et recte ait: *alterutrum*; & non dixit, *fratres veſtros*: ne quis ſibi ſufficere exiſtimet, ſi fratres, cognatos, & amicos diligat.

Quam late pateat hoc præceptum dilectionis. *Matth.5.*

Si enim diligitis, inquit Dominus, eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis: nonne & publicani hoc faciunt: charitas enim Chriſtiana ad omnes ſe extendit, etiam inimicos. Ac dicendo, alterutrum, vult charitatem Chriſtianam eſſe mutuam, ac reciprocam vnius ad alterum dilectionem: quia in negotio charitatis quod ego debeo tibi, tu debes mihi.

Cain,& Abelis morum diſparitas. vnde. *Gen.4.*

Deinde idem oſtendit exemplo duorum fratrum, Cain,& Abel. ¶ *Non ſicut Cain qui ex Maligno erat, & occidit fratrem ſuũ. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erãt, fratris autem iuſta.* Tradit enim differentiam inter filios Dei, & filios diaboli. Cain enim & Abel fratres erant eiuſdem naturæ,& generis; morum tamen diſſimilitudine longe inter ſe diſtantes, quia alter diabolus, alter filius Dei factus eſt:& quia primi ex hominibus nati, omnibus hominibus in exemplum ponuntur. Et tam Cain, quam Abel fidẽ habebant, quia vterque Deo obtulit; ſed Abel ex corde bono, & charitate Dei, & proximi ſui pleno obtulit, alter vero ex malo corde,& inuidia, & animi acerbitate, eo quod videret, bona fratris ſui opera, & ſacrificia Deo accepta fuiſſe. Ideo

Gene.4.

Deus illa reſpexit per ignem quaſi edens, & probans: ad Cain vero, & ad opera eius, & ſacrificia non reſpexit Dominus.

1. *Ioan.* 5.

Erat ergo ex maligno Cain, ſiue Græce, ἐξ τοῦ πονηροῦ, eſtque maſculini generis, & ſignificat dæmonem, in quo maligno totus mundus poſitus eſt. Erat ergo ex dæmone Cain, quaſi ex ſemine filius, & imitator eius in interna inuidia, & homicidio inteſtino ab initio facto. Vt enim dæmon in cælo inuidit Filio Dei æqualitatem cum Deo: & in terra, inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: ita Cain inuidus fratri ſuo propter opera ſua excellentia, tandem Abelem interfecit. Ita populus Iudæorum in Cain figuratus inuidit Christo, & mortem tandem illi intulit. Inuidia autem pa it indignationem, odium, iram: ira vero omnem iniuriam, vindictam, & necem.

Sap. 2.

Cain quorum typũ geſſerit. Inuidiæ filiæ.

Subiungit: *Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iuſta.* Non allegat Ioannes mentẽ eius malignam, & Abelis bonam, ſed Cain opera mala, Abelis vero iuſta, & bona; ac per hoc opera ſua excedebantur ab illis fratris ſui Abelis. Inuidia enim oritur ex bono potentiæ, bonitatis, & iuſtitiæ in altero dum comparatur proprio. Peccatum vero Cain ſecundum 70. Interpretes Gen. 4. his verbis exprimitur: *Nonne ſi recte offeras, non recte autem diuidas, peccaſti?* Quod interpretans B. Auguſtinus lib. 15. de Ciuitat. Dei. c. 7. *Quia ſua*, inquit, *dedit Deo, ſeipſum autem dæmoni. Nam animalia externa offerimus in ſignum, quod nos ipſos Deo damus, & offerimus.*

Vnde oritur inuidia.

B. Auguſt. tom. 5.

DISPVTATIO XXIII.

Circa illa verba Ioannis: *Nolite mirari fratres, ſi odit vos mundus. Nos ſcimus quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt. Et ſcimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrẽ ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua, &c.*

Tres dubitationes diluendæ

HÆc Præclara verba ſuas peculiares habent difficultates. Ac prima quidem illa eſt, qua ratione hæc cum præcedentibus cohæreant. Deinde cur tantopere inſectetur Apoſtolus vitium odij: vt etiam odio habens fratrem, homicida ſit: Difficile quoque videtur exemplum charitatis, vt exemplo Chriſti ponamus animas noſtras pro fratribus.

Ad Primã de connexione & continuatione verborum.

Soluamus primum dubium. Dicimus Chriſtiani munus eſſe, bona facere, & mala pati, vt princeps Apoſtolorum docuit. Chriſtus etiam dixit: *Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos*, at Chriſtiani eſt imitari Chriſtum, qui homo factus, dum Deus non poſſet mala pati, in his quoque ſe ad imitandum propoſuit. Et hoc agit hic Ioannes ad propoſitum materiæ cœptę de charitate, de qua cœperat loqui.

1. *Pet.* 3. *Matth.* 5.

Ad II dubium de odij fraterni grauitate.

Diluamus ſecundum. Loqui cœperat de odio, quo Abel interfectus fuit à Cain. ¶ *Nolite*, inquit, *mirari ſi odit vos mundus.* In voluntate eſt peccatum, non in motu admirationis: miramur autem de re ignota, & noua: quia ab initio hoc contigit, vt oſtendit exemplo duorum fratrum Apoſtolus. Eſt enim admiratio turbatio mentis ab ignota cauſa ſuperatæ, & in diuinis, ſi eſt cũ ſuperbia, murmurationes parit, & iudicia temeraria, & imperitos ſermones, vt patet in Iob c. 3. & Ieremia c. 20. vbi duo illi ſancti, magni Dei ſerui maledicũt diei natiuitatis ſuę. At inſtructis, cauſa admirandi eſt, quia bene ſibi conſcij ſunt, & mundanos non ſolum non lædunt, ſed amore, & beneficiis proſequũtur, ꝗ interdum propter decẽ iuſtos parcit Deus ciuitati. Vt Iacob profuit Laban, qui eum perſequebatur, & Ioſeph profuit Domui Pharaonis, Dauid vero fidelem ſeruitutẽ præſtitit Sauli Regi, qui eum tamen toties ad mortem quæſiuit. Mirantur etiã quod videant perditionem eorum qui ſe oderunt, ita ab eis neglectam. Sed nõ eſſe mirandum, declarat Ioannes, cum ait: *Nolite mirari, ſi odit vos mundus.* Nam ex parte eorum, qui ſanctos odio habent prima cauſa eſt diſſimilitudo: vt enim Chriſtus dixit: *Si de mũdo fuiſſetis: mũdus quod ſuũ erat, diligeret*, quia vero de mundo nõ eſtis, ſed ego elegi vos de mũdo propterea odit vos mundus. Eſt enim mũdus mortuus, frater vero quem odit, viuus: ideo actus mortuę vitæ eſt, odiſſe vos. Dilexerunt, inquit alio loco Ioannes, magis tenebras, quàm lucẽ.

Quid ſit Admiratio, eius effectus.

Gen 18. *Infra* 30.

Quatuor cauſæ, cur Dei cultores mirari non debeant odium mundi. *Ioan.* 15.

Supra 12.

Secunda cauſa eſt: quia verbo, & opere iuſtus teſtat r contra mundum, & idola eius perdit, amorem proprium, &

opera

opera propria, quæ propter ſe adorat mũdus. Vnde Chriſtus: *Ego teſtimonium perhibeo de mundo, quod opera eius mala ſunt.* Ideo mundus ex ſe ipſo iudicans non credit te hęc deſpicere. Ita Chriſtum loquentem de eleemoſyna deridebant Phariſæi, quia auari erant; & Feſtus ad Paulum dixit: Inſanis Paule, inſanis. Tertia cauſa eſt ſuperbia, quæ vellet ad ſe trahere. Exemplum huius rei ſunt fratres Domini, cui dixerũt: Tranſi hinc: & vade in Iudæam, vt & diſcipuli tui videant opera quæ tu facis: videlicet vt diſcipuli qui ſunt pars, appareant, & hæreãt tibi. Quarta cauſa ſit, dæmõ incitans, atque impellens; vt Saulem in Dauidem, quod in beneficiis patet: dæmon enim vtitur hominibus ad malum, ſicut Deus ad bonum, quaſi perdicibus quę cõgregant oua non ſua, quibus tandem ſpoliantur. Ex parte autem ſua Deus, qui permittit has occaſiones valere, hoc facit primo ob iuſtitiam punientẽ, *Hæc eſt*, inquit, *hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*: ita tamẽ, vt ad externa non ſinat prodire, niſi quatenus eſt opus. Vnde illud: *Peccator videbit, & iraſcetur: dentibus fremet, & tabeſcet.* Exẽplo ſit Saul, qui nihil potuit in Dauidem. Permittit etiam erga odio habentem, vt conuerſi plus humilientur erga eum, quẽ odio habent: at vero erga iuſtum odio habitum vt mortificetur vetus homo, Dei inſtar, qui vult ad ſe omnia conuertere. Deinde ne ſuperbiat. Poſtremo vt ſit prudens, ac diligens, & charitatem exerceat; imitetur etiam Chriſtum Deum hominem ſummo odio à mundo habitum, cum tamen totus eſſet deſiderabilis, atque amabilis.

Si odit, inquit, *vos mundus* libere, & contingenter. Et mundi nomine intellige veterem hominem, in omnibus concupiſcentiæ carnis, & concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiæ vitæ deditis: ſiue in omnibus, qui non ſunt de regno Chriſti, vt infideles. Hinc Dominus dixit ad Patrẽ: *Ego pro eis* (ſcilicet Apoſtolis) *rogo, non pro mundo rogo.* Hinc etiam Ioannes: Omne, inquit, quod eſt in mũdo: id eſt, quod regnat in mundo: quemadmodum dicũtur non eſſe, quæ vilia ſunt, & obſcura. Non enim mundus, eſt vniuerſus orbis, qui nõ cognoſcit, nec odit: nec bona fortunæ ob idem; verum homines dicti non habentes datum optimum deſcendens à Patre luminum, ſed relicti naturæ vili, & carnali: ac dæmoni. Et mundus odit opera bona, & lucida iuſtorum: vt Cain odio habuit illa Abelis.

Nos ſcimus quoniã translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Scimus, inquit, nimirum fide, vel vehementibus ac probabilibus rationib. Et fratres ſuos vocat, à ſe conſolandos, erudiendoſque. *Quoniam translati ſumus de morte ad vitam.* Nempe à regione mortis quaſi humeris, Chriſti portati, vt reſurgens morte ocioſa veheret ad vitam. Idem ca. 5. dicit: *Sed tranſiet de morte ad vitã.* Et loquitur de morte animæ, quę peccatum eſt à Deo diuidens, ac ſeparans. *Anima*, inquit, *quæ peccauerit, ipſa morietur.* Cuius vita, amor eſt Deo vniens, & fratri amato propter Deũ. Idcirco hæc vita ſufficit, licet odio habeamur à dæmone, & mundo. Sed attendenda eſt vtilitas & veritas, non ea quæ extra apparent.

Ezech.18.

¶ Et cum ait: *Scimus quoniã tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres*, videtur oſtendere ſignum, quo præceptum dilectionis noſſe poſſumus nos implere, à poſteriori, ſicut alibi dicitur: Remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum, id eſt multa, vel plura, quam tu Phariſæe, mihi ſigna dilectionis oſtendit, quę ponunt, peccata prius fuiſſe remiſſa. Quemadmodum cũ dicimus: Hic eſt clemens & placabilis, quia parcit ſuis inimicis: argumentum eſt ab effectu, & ſigno certo, quod edit. Cuius quidem argumentationis plura extant in Scripturis teſtimonia.

Quo ſigno nouerint fideles præceptũ ſe dilectionis implere. Luc.7.

Tranſlati ergo ſumus de morte ad vitam gloriæ æternæ, ob certitudinem verbi Dei promittentis: & ob ſpem viuam datam, quia ſpe ſalui facti ſumus: ob gratiam etiam acceptam, in qua vt in ſemine eſt gloria, vt fructus tanquam in cauſa ſua, eſt in radice arboris in hyeme. Si igitur in vita ſumus, non eſt, quod vitæ perſecutiones timeamus, dummodo diligamus. Facile eſt quidem credere: ſed oſtende mihi, inquit Frater Domini, fidem tuam ex operibus.

De morte ad quam vitã tranſlati ſint diligentes fratres. Rom 8. Supra 6. Iaco. 2.

Sequitur in textu: *Qui non diligit, manet in morte.* Idem comprobat ex oppoſito quod dixerat: Si enim affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatio negationis. Diligere, eſt ſcire quoniam translati ſumus de morte ad vitam: ergo non diligere, eſt ſignum quod ſumus in morte. Eſt enim vita noſtra poſita in obedientia diuinæ legis, quæ habet: *Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te.* Manet ergo in morte corruptæ naturæ, & peccati Adæ, à quo nondum reſurrexit: & ſicut anima vita eſt corporis, ita Deus vita animæ. At vbi nulla eſt fides, illic nec Deus eſt: fides autem viua eſſe non poteſt, niſi charitatem ſecum habeat. Ideo bene colligit Apoſtolus, quod qui non diligit, manet in morte.

In qua morte maneant qui non diligunt fratres. Eccl.15. Iaco. 2.

chatitas, & modeſtia.

morte. Vt fruſtra quidam hodie de ſola fide glorientur. Ac ne poſſet quis ſuſpicari, quod omnia in ſola charitate conſiſtāt ſicut plerique ex Ioannis Euangelio, & quibuſdam Pauli Epiſtolis decepti, omnia in ſola, & nuda fide conſtituerunt. Hinc Ioannes eis quibus ſcripſit Euangelium, ſcribit & hanc Epiſtolam, vt conſtet eum commendare charitatem, quæ ex fide eſt, quemadmodum Euangelium non aliam fidem commendat, quam illam, quæ per charitatem operatur: & Epiſtolam Euangelio ſubſtituit, vt vtrinque intelligas qualem fidem, qualemque charitatem fidelibus eſſe vellet. Ideo non mireris hic datam dilectioni fratris translationem à morte ad vitam, quam Chriſtus in Euangelio adſcripſit fidei, cum dixit: *Qui credit in me tranſiet à morte ad vitam*; &, *Qui non credit, iam iudicatus eſt.*

Hæreticorum vana fides & inanis.

Gal. 5.

Ioan. 5.
Supra 3.

Odiſſe fratrem quid.

Subdit Ioannes: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Eandem ſententiam affirmatiue, & negatiue profert. Si diligimus fratres, inquit, ſcimus nos translatos de morte ad vitam: ſi non diligimus, manebimus in morte: nunc per contrarium eandem exprimit ſententiam, hoc eſt, per odium. Eſt autem odium plus, quam, nō diligere: ſignificat enim voluntatem non ſolum non benefaciendi, ſed etiam malefaciendi, & nocendi, non tantum in fama, honore, & facultatibus, ſed etiam in perſona, in vxore & filijs. ¶ *Homicida eſt.* Animæ quidem ſuæ re ipſa, de qua videtur loqui, cum ſubdit: Et ſcimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem; & corporis proximi ſui, mente, & animo. Sicut enim Dominus dixit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*: ita nos dicere poſſumus: Qui iraſcitur fratri ſuo, concepto odio in eum, homicida eſt. Et mens, & animus, quo occidimus, plus eſt quā manus: imo manus nihil eſt, vt patet in eo qui caſu alterum occidit, dans operam rei licitæ, vel vt miniſter legis, ac Principis, vt lictor, aut Dei miniſter, vt Abraham volens occidere filium manu ſua ex præcepto Domini. Et odium, gladius eſt penetrās cor ipſius odium habentis, cum veſtem tantum tangat eius qui odio habetur. Quod autem ait: *Non habet* (ſcilicet homicida) *vitam æternā in ſe manentem*: ſignificat: Non habet charitatem, quæ eſt vita ſpiritualis, & æterna, quia vt magnus dixit Apoſtolus Paulus, charitas nunquam excidit, ſed permanet in ſeculum ſeculi.

Odio habens fratrem, duplex homicidium committit.

Matth. 5.

Ibidem 22. Qui iraſcitur fratri ſuo.

Rom. 13.
Gen. 22.

Homicida fratris ſui quomodo non habet vitam æternam in ſe manentē. 1. *Cor.* 13.

In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quemadmodum in præcedentibus, & ſubſequentibus Apoſtolus peccatum odij turpiſſimum, & perniciosum eſſe oſtendit, quia hominem conſtituit homicidam: ita hoc loco dilectionis præceptum, & modum eius ad quem ſe extendit, ab exemplo Chriſti, vt fortius perſuadeat, pertractat. Vnde ait: *In hoc cognouimus charitatem Dei.* Id eſt, debitum charitatis noſtræ ad proximum, in Chriſto eſt, & in eo recte conſpicitur. Omnis effectus minor eſt ſua cauſa: ſed iuuat conſiderare effectum ob conſiderandam cauſam quæ maior eſt, quam extra oſtendi poſſit. Ac proponendo Dei charitatem in exemplum, oſtendit, ſe de non naturali aliquo, vel ſociali, vel etiam carnali amoris affectu loqui, ſed de diuina, & plane Chriſtiana charitate, ſecundum exemplum Chriſti qui dicit in Euangelio: *Ego ſum paſtor bonus, & animam meam pono pro ouibus meis.* Et iterum: *Ego pro eis ſanctifico* (id eſt in ſacrificium offero) *me ipſum; vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* ¶ *Quoniam* (ſcilicet Chriſtus) *animam ſuam pro nobis poſuit.* Pater etiam Filium, qui eſt anima ſua, poſuit multipliciter in meritum, & in ſatisfactionem, & in ſacrificium, & in exemplum, & poſuit etiam pro omnibus neceſſitatibus, & euētibus qui ab Incarnatione ad iudicium vſque occurrere poſſent, vt oraret, & ageret noſtra negocia, & in Euchariſtia; nam ita dicitur nobis datus, nobis natus, nobis mortuus, & ſuſcitatus, & nobis in cœlum conſcendit: ita vt pene ſui ipſius (ſi ſic loqui liceat) oblitus eſſe videatur, noſtro honori, & vtilitati, & conſolationi intentus.

Præcepti dilectionis dignitas, & vtilitas.

Ioan. 10.

Infra 17. Chriſti charitas: ad quid eum poſuerit per incarnationem Deus Pater.

Eſai. 9.

An vero hic amor fuerit rationi conſentaneus, in dubium venire poteſt. Reſpondeo, diuina omnia opera eſſe regulæ rationis coniunctiſſima, & conuenientiſſima, etiamſi rationem omnem noſtram excedere videantur. Et ſumma rationum omnium eſt, quod Deus ipſe fecit, etiamſi hunc amoris exceſſum homo capere non poſſit. Nam etſi oculus veſpertilionis lucem Solis capere non poſſit, non propterea neganda venit magnitudo lucis Solaris. Hæc eſt autem forma charitatis Chriſtianæ, & gradus eius ſummus, quod maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. A ſummo autem charitatis gradu incipit, oſtendere volens, quod chari-

[illegible] ex [illegible] natus, & mortuus ſit Filius Dei.

Ioan. 15.

Summus gradus Chriſtianæ charitatis.
Matth.16.

charitas Chriſtiana omnem aliam dilectionem excedere debet: adeo, vt parata ſit pro eo quem diligit, animam ponere, qua nihil dulcius, & pretioſius prędicatur. Quam enim commutationem dabit homo pro anima ſua? Deinde ab eodem ſummo gradu charitatis incipit: quia quātumcunque fidem, vel charitatem vrgeat Scriptura, vix tamen infimum gradum attingimus, vt experientia docet: vt vel ſic imperfectionem noſtram cognoſcamus. Non tamen ob id deſperandum, ſi non ſtatim ſummam fidem, vel charitatem attingimus: quia vt recte quidam dixit, in magnis voluiſſe ſat eſt.

Chriſti exemplū ponentis animam ſuam pro nobis quā potens & efficax ſit ad idem à nobis pro fratribus obtinendum & impetrandū.
Ioan.6.

Vnde ſubiungit: *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Ne quis audiēs hoc verbum, forte reſiliret, dicens, *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* præmiſit exēplum Chriſti, vt agnoſcentes quis ille ſit, & qui nos ſumus, illi acquieſcamus. Potuiſſet quidem Apoſtolus aliqua Gentilium exempla proponere, qui aliquando pro aliis morti ſe obtulerunt: ſed certe parum vrgerent: nam Chriſti exemplum magis nos incendit, non ſolum quod omnium rerum dominus ſit, ſed etiā Deus; nos autem homines peccatores ſumus, & ſerui. Etſi ergo ſeruos inuenias, qui aliquando pro dominis ſuis certæ ſe morti offerant: nullus tamen hactenus dominus inuentus, qui pro ſeruo ſuo mortem oppetierit. Ita etſi inueniantur, qui ſe pro amicis periculis mortis objiciant, nemo tamen pro hoſte ſuo hoc fecit, iuxta Pauli verbum: *Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis audeat mori.* At Chriſtus pro ſeruis, pro iniuſtis, pro inimicis animam ſuam tradidit.

Rom.5.

Præcepti dilectionis de moriendo pro proximis noſtris tres conditiones.

Eſt ergo hoc præceptum: eſt & affirmatiuum: eſt denique iuſtum. Præceptū quidem, quia ait: Et nos debemus pro fratribus animas ponere. Etſi enim Deus ad omnia opera Chriſti præſtanda nos arctare noluerit, ad hoc tamen, in quo illi ſimiles, & glorioſi efficiebamur, omnino nos obligauit, & conſequenter promiſit, ſe daturum Spiritum vincendi mortem, quæ eſt vltimum terribilium, non ſolum in ſe ipſo, ſed etiam in nobis. Affirmatiuum vero, quod etſi per ſe, & ex natura ſua non obliget ad tempus, non tamen pro omni tempore, vt negatiua præcepta faciūt. Quoties ergo res, ac tempus poſtulet, vt vel negare Chriſtum neceſſe ſit, & Euangelium eius, vel pro Chriſto occumbere, libenter eſt vita noſtra pro Chriſto impendenda. Deinde quoties vel moriendum eſt, vel fratres noſtri ſcandalizandi; vitæ propriæ præferenda eſt ſalus ſpiritualis proximorum. Poſtremo, vbi cauſa ſe obtulerit vel illuſtrandæ Chriſti gloriæ, & doctrinæ, vel animas plurimas Chriſto lucrifaciendi, etiam ſi certa inde mors oritura expectetur, non debemus moriendi laborem detrectare. Et quanquam omnes obliget hoc præceptū, quia omnibus interdum occurrere poſſunt ſimiles cauſæ: pręcipue tamen Prælatorum, & Paſtorum proprium eſt munus ponere animam pro ouibus: vt Chriſtus ſuo exemplo docuit, & Paulus: *Omnia*, inquit, *ſuſtineo propter electos*: & alibi: *Ego libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris*, quod & ipſum Apoſtoli omnes, & omnes primitiui Epiſcopi, & trigintatres primi Eccleſiæ Romanæ Pontifices martyrio coronati amplè nobis oſtenderunt. Etſi vero omnes, & ſinguli aliquando animam ponere pro fratribus, & amicis lege teneantur: interdum tamen Antiſtes opponere ſe debet in perſecutione fidei contra lupos, etiamſi mors inſtet: & quando alij minus ad id obligantur, niſi in cauſa Fidei: quæuis minima charitas ſufficit reſiſtere cuicunque tentationi, ſi diuinam opem imploremus. Tempore etiam peſtis ſæuientis debet adeſſe Paſtor ouibus ſuis, nec eas ſua præſentia deſtituere, ad Sacramenta, & alia remedia ſpiritualia præſtanda.

Ad quos potiſſimū ponendi animam pro fratribus ſpectet præceptū.
2.Tim.2.
2.Cor.12.

Romani Pontifices quot pro Domini grege dederint animam ſuā.

Vis charitatis quāta.

Denique hoc præceptum, moriendi ſcilicet pro fratribus, iuſtum eſt, ſi iuſtum eſt pro recuperando regno, ponere pilum capitis noſtri, aut vilem ligulam, aut ſi quicquam minus eſt. At vita noſtra corporea pro ſalute alterius ſpirituali recuperanda oblata, minus quid eſſe videtur, quam pro regno alterius, pilum capitis, aut barbæ ponere.

Hoc præceptum quam ſit iuſtitiæ conſentaneum.

Secundo, quia gloria ſerui eſt ſequi dominum ſuum: at Chriſtus vitā ſuam, quæ ſuo modo diuina erat, obtulit pro ſalute noſtra ſpirituali. Tertio quia ſi iuſtum eſt expendere drachmam, vel denarium pro margarita redimenda, & pro qua vir ſapientiſſimus numerauit pluſquam decem millia talentorum: ſi tanti ergo vita hominis ſpiritualis æſtimata eſt à Chriſto, vt pro ea vitam ſuam diuinam dederit in pretium: quidni nos demus humanam, quam tot animalcula, vt aranei, cantarides, ſcorpionesque, adimere nobis poſsūt? Quarto, quia mori pro ſalute fratris, nihil aliud, quam mori pro Chriſto, qui dicturus eſt; *Quandiu feciſtis vni de his fratribus* meis

Quid pro fratribus animam ponere.
Matth.25.

meis minimis, mihi feciſtis. Eſt enim Chriſtus in omnibus nobis per Spiritum, & dilectionem ſuam. *Qui vos recipit*, inquit, *me recipit, qui autem me recipit, recipit eum, qui me miſit.* Et qui ex charitate pro fratre moritur, pro Chriſto, imo pro Deo moritur. Et cum talia, ac tam aperta, & tam glorioſa huiuſmodi opera ſint; nos tamen adeo noſtra ſocordia degenerauimus, vt noſtris tepidis affectibus, & gloſſis frigidis (etiamſi nonnunquam nobis tempus ſe offerat, quo debeamus pro fratribus animas ponere) nunquam ponamus; cum quotidie inueniamus occaſiones ſpoliandi fratres noſtros aut in carcerem illos conijciendi, aut ſpiritu, & corpore occidendi pro noſtris cupiditatibus exſaturandis, & adimplendis.

Supra 10.

Quam lõge ſimus ab hoc more, & charitate fraterna. A quo vt ſummo gradu Chriſtianæ charitatis nemo excuſetur, ſecundum Apoſtolũ.

Adiungit: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* A ſummo dilectionis externæ gradu ad infimum deſcendit, quaſi dicat: Si ſummum gradum attingere non potes, ſaltẽ illum apprehẽde: imo ſi ſummum attingere cupis, incipe ab infimo. Vel eſt ac ſi diceret; Summum gradum docui pro perfectis Chriſtianis: pro imperfectis trado gradum inferiorẽ, in quo ſi exerceantur, peruenient ad ſummum. Hinc Stephanus ex eleemoſynarum in viduas diſtributione promeruit martyrium: & Laurentius poſtquam facultates Eccleſiæ in pauperes diſtribuit, martyr effectus eſt.

Actor. 6.

Infra 7.

Illud: *Subſtantiam huius mundi.* Græce legimus, βίον τῦ κόσμυ; non autem οὐσίαν Latine dicimus, facultates, & bona, ex quibus quiſque viuit. Latine vero proprie ſubſtãtia non ſignificat facultates, nec eſt vſus huius verbi apud probatos autores: licet Quintilianus dixerit quodam loco *Quo plus ſubſtantiæ filio relinqueret.* In Scripturis tamen ſæpe hæc vox in hoc ſenſu accipitur. Nã in primis in Parabola duorum filiorum dicitur pater diuiſiſſe ſubſtantiam inter illos: & de iuniori ſubdit: *Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe*: deinde de Abraham, & Lot dicitur: Erat quippe ſubſtantia eorum multa; Salomon quoque, Honora, inquit, Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus: de Hæmorrhoyſſa legimus quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam.

Quid ſubſtantiam huius mũdi negare fratri indigenti.

Quintil. in Declamat.

Luc. 15.

Geneſ. 3.

Prouer. 3.

Luc. 1.

Vox vero βίος, non tam ſignificat vitam ipſam, quæ dicitur ζωή: quam quæ tuentur, ac ſuſtinent: vnde Paulus ea, quæ ad vitæ vſum ſpectant, βιωτικὰ appellauit, vbi nos habemus: Secularia igitur iudicia ſi habueritis. Cicero vero in Officijs vocat, Quæ ad victum, cultumque pertinẽt. Et eodem modo Ariſtoteles libro octauo Ethicor. accipit τὸν βίον. Idem eſt ergo dicere: *Si quis habuerit ſubſtantiam huius mundi*; ac ſi dixerit, Si cui facultates, ac diuitiæ ſuppetent. ¶ Eſt autem ſubſtantia huius mundi corruptibilis, ſicut & ipſe homo corrumpitur. Dei quidem & ſeruorum eius accidens eſt mundi ipſa ſubſtantia, quia ei innititur; & de qua ait Paulus Timotheo: *Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo*: cum iuſtus nixus Deo vt ſubſtantiæ, reliqua omnia præ illo contemnat, vt faciebat ille, qui dicebat: *Subſtantia mea apud te eſt.*

1. Cor. 6.
Tullius.
Philoſ. 10.

Qualis huius mũdi ſubſtantia.

Tim. vlt.

Pſalm 38.

Sequitur: *Et viderit fratrem ſuum neceſſe habere.* Quia ad ignotam inopiam ſupplẽdam, non adſtringitur, niſi fuerit Prælatus, vel paſtor Eccleſiaſticus, qui non ſolum neceſſitates quas videt, ſed etiam illas quas non videt, diligenter explorare debet, vt ſatisfaciat muneri ſuo: & ſi non habet de ſuo vnde ſuppeditet, debet mẽdicare ab illis qui habent, vt proſpicere poſſit egentibus: quia beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. Eadem ratione debet inquirere miſerias ſpirituales aliorum, etiam ſibi non cognitas, vt eas per fraternam correptionem tollat. Secus eſt de homine priuato, qui nonniſi ijs neceſſitatibus quas viderit, ſi ſibi occurrerent, ex lege ſuccurrere tenetur.

Aliter priuati, aliter Prælati & paſtores Eccleſiaſtici debẽt pauperibus ſubuenire.

Pſalm. 40.

Ac bene fratrem, inquit, non hominem, vt magis vrgeat: vt etiam eo quod frater eſt, moueat ad charitatem exhibendam. Recte etiam dixit: *Neceſſitatem habere*, ſiue Græce χρείαν ἔχοντα, id eſt, alicuius rei indigentem, de quo Iacobus c. 2. *Si autem frater, aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano; Dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini; non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori; quid proderit?* Non eſt ergo opus ad articulum extremæ neceſſitatis reſpicere in exhibenda eleemoſyna, nec tunc danda, quando iam iuuare non potes, & proximus eſt ſpiritus vt exhaletur. Obligat ergo non tantum in extremis, ſed etiam in arcta, & graui neceſſitate, obligat etiam, vt magis indigenti plus tribuamus, etiamſi infidelis ſit, vel hæreticus, Catholico non ita egente: cæteris tamen paribus præferendus eſt fidelis: *Nam qui ſuorum*, ait Beatus Paulus, *maxime* dome-

Cui neceſſitati fratris indigentis quis poteſt debeat ſubuenire, dicunt vt legi ſatisfaciat.

Ordo in eleemoſyna ſeruandus.
1. Tim. 5.

domeſticorũ, curam nõ habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior, Et ſi quis talis ſit, vt nõ poſſit reddere, dandum eſt gratis; ei verò qui poteſt reſtituere, mutuandum: is verò, à quo petitur eleemoſyna, etſi ſint alij ditiores, qui id dare negligant: ex lege tamen dabit, quia obligatio deuoluitur ad ipſum, in eius lucrum. Debet etiam dare petenti pauperi Chriſti, tanquam qui reddat ei ſuum; & in ſignum quod exhibet cor, & animam ſuam Chriſto.

Quę viſcera claudi non debeant indigenti.

Clauſerit viſcera ſua ab eo. Viſcera ſunt propriè iecur, cor, & reliqua interiora membra, quæ ſedes ſunt affectuum, quæ conſpecta fratris miſeria, teneriora redduntur, & pulſant vt aperiãtur ſibi in verbo dulci & facto conſolando: de quibus Ieremias dixit: *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, & conturbata ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terra iecur meũ ſuper contritione filiæ populi mei* (& explicans ſubdit) *cũ deficeret paruulus, & lactẽs in plateis oppidi.* Dicitur iecur effuſum, id eſt, ſanguis qui eſt in iecore tanq̃ in officina, in qua eſt ſanguis. Qui autẽ claudit viſcera ſua pauperi, vt diues epulo clauſit ad Lazari mendici plagas, occidit in primis ſeipſum per miſericordiã, deinde paupẽm, iuxta illud Baſilij: *Si non paueris, occidiſti*; tertiò Chriſtum in illo; qui pro te mortuꝰ eſt, & ita triplex perpetrat homicidium. Apertis verò viſceribus ponitur ſubſtantiam confeſtim dandam eſſe, ſi ſit. Et culpabiliores ſunt, ſi omittatur ea, ad quæ non ſolùm lex Dei, ſed etiam ipſe ſenſus inuitat (vt philoſophatur egregie Gregorius Nyſſenus) ſicut ad eum, qui ſupra nos aſcendit, proſpectum eſt homini de affectu inuidiæ, quò cum deprimamus: ita ad eum, qui nimis deprimitur, & humiliatur, proſpexit de altero affectu miſericordiæ, de qua dixit Iob; Ab infantia mea creuit mecum miſeratio.

Thren. 2.

Ieremiæ charitas & commiſeratio.

Luc. 16.

Triplex homicidium hominis immiſericordis, nec ſuccurrẽtis indigenti.

Greg. Nyſſ.

Iob. 31.

Quomodo charitas DEI manet in eo? Si per, Deum, intelligamus Patrem, vrget Pater iubens fratri benefacere: & ſi erat frater, non dando, recedit charitas ab illis, qui eam erga Chriſtum viſum, & egentem non exercent. Qui non habet charitatem, longius fit à Dei Patris miſericordia: quia qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis; *& Iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam.* Ac ſicut in cauſa neceſſitatis, qua frater eget ſubſidio temporali, debet qui poteſt, & nouit, cõferre aliquam eleemoſynam: ita in articulo neceſſitatis ſpiritualis, quo frater eſt in periculo mortis animæ, debet, qui ſcire poteſt, etiam exponendo vitam ſuam neci, ſubuenire ad eius liberationem.

Non benefaciens fratri indigenti, cur ſit ſine Dei charitate.

Matth. 7.

Iacob. 2.

Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate. Admonet ex paterno affectu eos, ne fortè ſeducantur ab impoſtoribus. Et natura charitatis hæc eſt vt habita occaſione nunquam otietur, aut perperam agat: quemadmodum ignis inuenta ligna ſemper comburit, ita charitas ſi adeſt, operatur ſemper magna in beneficium proximi. Et alludit Ioannes ad verbum Domini: *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine; intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Et conſonat cum ſententia Pauli, *Non enim*, inquit, *in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.*

Proprium charitatis.

1. Cor. 12.

Matth. 7.

1. Cor. 4.

Non eſt autem idem diligere lingua, quod verbo: nec idem, diligere opere, ac diligere veritate: ſed diſtinguuntur inter ſe. Verbo diligit, qui ſermone commendat dilectionis opera, & eleemoſynas, at non opere, vt ſunt prædicatores, qui ſi poſſunt benefacere, & non faciunt, ſeipſos condemnant. Sunt qui diligunt lingua, proferentes dulcia verba, vt qui dicunt: Deus ſit tibi adiutor, ille tibi faueat, cum tamen Deus mittat pauperem ad eum, tanquam ad OEconomum ſuum; ille verò ad ſe miſſum remittat ad eum. Alij verò promittentes aiunt, Reuertere, cùm ſtatim poſſint dare. Alij verò pollicentur ſine animo dandi: vt illi, de quibus Iacobus, *Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini.* Qui reuera mentiuntur, & fallunt. Contra verò diligunt opere, qui eleemoſynam præſtant, ſed non ex animo, ſed reuera ob importunitatem euadendam, vel ad vexationem redimendam, vel ob malam mentem, pudicitiæ ſcilicet, vel facultatis ſpoliandæ, vel propter inanem gloriam, & non propter Deum. Tales quidem receperunt mercedem ſuam, & eorum eleemoſynæ non aſcendunt in cœlum ad Deum, vt illæ Cornelij Centurionis. Vult ergo operi externo iungi veritatem cordis, & charitatem: quia ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeat, charitatem autem non habuero; nihil mihi prodeſt; & alibi, *Opus ſuum probet vnuſquiſque* (an ſcilicet ex vera radice charitatis prodeat) *& ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero.* Opere ergò, poſuit contra ſermonem dili-

Quid diligere verbo, & lingua, quid opere, & charitate.

Iacob. 2.

Matth. 6.

Act. 10.

1. Cor. 13.

Gal. vlt.

gendi fratres: & veritate, contra linguam mendacem, & malam admixtam mentem.

Qui diligant lingua, & ſermone, & cum merito quidem & laude.

Dices; Nonne poſſumus diligere lingua, & ſermone? Poſſumus & verbo conſolari pauperem ex caritate, & ad patientiam adhortari, & alios qui poſſunt facere eleemoſynam, pro eis rogando, & ab impoſitis calumn js eum vendicando, & excuſando. Sic enim non minus meritum ſibi comparabit, quàm ſi ipſemet daret eleemoſynam.

DISPVTATIO XXIV.

In illa Apoſtoli verba: *In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus*, & reliqua quæ ſequuntur in finem capitis.

Verbum Dei aptè ſpeculo comparatum.

PVLCHRA Equidem ſunt hæc verba, & attenta meditatione digna: nã quia difficile eſt, imò impoſſibile, videre faciem noſtram, niſi adhibeamus ſpeculũ mundum, ſed tamẽ illo adhuc hab to, nõ poſſumus cernere interiora membra noſtra, quia non poſſunt in ſpeculo repræſentari: difficilius tamen multo eſt faciem animi noſtri cernere, vel interiora ei⁹ penetrare. Hoc tamen ſingulariter præſtare videtur verbi Dei ſpeculum ab illo artifice, nempè Spiritu. compoſitum, qui non ſolum penetrat intima cordis noſtri, ſed etiã profunda ipſius Dei: vt Apoſtol⁹ auſit dicere; *In hoc cognoſcimus quoniã ex veritate ſumus.* Scopus ergo in primis eſt deſcribere vtilitates quæ ſequuntur, ex præcepti charitatis obſeruatione, vt ita nos alliciat, trahatque ad commiſerationem proximi, & miſericordiam illi præſtandam, ſumens argumenta ab honeſto, & vtili. Nihil enim nob:s maiorem vtilitatem, & fructum adferre poteſt, quam ſi charitatem proximo impendamus.

1. Cor. 2.

Præcepta charitatis bona.

Primum dubium.

Sed dubitatur qui ſint illi, qui dicuntur eſſe ex veritate; videtur enim obſcurè dictum: & multo obſcuriùs ꝙ ſequitur, quòd in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. Non enim exprimit illud, quod ſuadendum eſt cordibus noſtris. Vnde videtur ſermo eclipticus. Tertiò quomodo ait: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos: fiduciam habemus ad Deum.* Quis enim eſt, qui dicere valeat cũ ſancto Iob: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea*; &, *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Cum Dau:d dicat: *Ab occultis meis mũda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Quartò, quomodò accipiem⁹ à Deo quod petimus, ſi mandata ei⁹ cuſtodimus; cùm hanc impletionem mandatorum nemo noſſe valeat? Quintò, quare repetit mandatũ de credendo in nomine Chriſti, & dilectione proximi; cum toties hoc iam repetierit, & inculcauerit ad ſatietatem vſque? ſicut etiam repetit: & qui ſeruat mãdata, in illo manet, & ipſe in eo. Poſtremò, dubium non vulgare eſt circa illa verba: *Et in hoc ſcimus quoniã manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis*: nã vtrunque perinde nobis ignotum eſt, & ſcire nos accepiſſe Spiritum eius, & ſcire quoniam in Deo manemus, niſi aſſeram⁹ poſſe nos ſcire gratiam nobis inhærentem. Quæ quidem difficultates in ipſa textus explanatione euacuabuntur.

Secũdum. Tertium. Iob. 27. Prou. 20. Pſ. 18. Quartum. Quintum Sextum.

Qua notitia cognoſcamus nos eſſe ex veritate.

Ait igitur beatus Ioannes: *In hoc ſcimus quoniã ex veritate ſumus.* In hoc, inquit, ſiue per hoc, ex eo quòd videlicet non verbo & lingua, ſed opere, & veritate, & ex intimis præcordijs diligamus. *Cognoſcimus*, vel, poſſumus cognoſcere non quidem notitia euidenti, quæ non habetur, ſed notitia probabili, humana, & morali, ſeu experimentali, quę ex conſideratione certitudinis promiſſionum Dei roboratur.

Ad Primũ dubium.

Quid ſit eſſe ex veritate. Ad ſecundũ dubiũ. Ioan. 14. Infra 18.

Eſſe autem ex veritate, nihil aliud eſt quàm eſſe ex Chriſto, qui dixit: *Ego ſum via, & veritas; & vita*; &, *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Tales enim cognoſcunt, & amant, & operantur veritatem, tam vitæ, quam doctrinæ, & iuſtitiæ, & veritati acquieſcunt, & pro ea tuenda parati ſunt extrema perpeti. Oecumenius in hunc locum interpretans, ait: *Quomodò quis eſt ex veritate? Siquidem verò qui aliud dicit, & aliud facit, non habens conſentaneam ſermoni actionem, mendax eſt, & non verax.* Hæc ille. Et videtur hæc ſententia Ioannis illi Chriſti ſimilis; *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.*

Ioan. 13.

Quid in conſpectu Dei

Addit: *In conſpectu eius.* Hoc eſt: Deo teſte, & inſpectore. *Suadebimus corda noſtra.*

ſuadeamus cordibus noſtris: duplex ſcientia.

Vel meli⁹ iuxta Græcam literam in Dandi caſu, cordibus noſtris. Et quid aliud, quæſo ſuadebimus, niſi quòd ſumus ex veritate? Beda autem interpretatur. Tales cogitationes habere corda noſtra, ſuadebimus, quæ diuinis ſint digna conſpectibus.

Poſſumus & illud, *In conſpectu Dei*, aliter intelligere, nimirùm cùm ille apparuerit, & ante eius tribunal ſteterimus, pacata, & tranquilla erit noſtra conſcientia, & nullius mali ſibi conſcia, & ea ducemur fiducia, qua in conſpectu eius non reddamur confuſi. Tum quia examinandi ſumus in iudicio de operibus charitatis. Tū quia ſpes filiorum Dei non ſolet confundere, vt habes ad Rom. 5. nullum autem maius bonum ſub cœlo, quàm animus quietus, & ſecura, & pacata conſciētia, iuxta dictum Salomonis: *ſecura mens, quaſi iuge conuiuium*. Ex quo loco facile eſt deducere certitudinem ex fidei Diuinæ conſideratione promanantem, de gratia inexiſtente. Primò ex teſtimonio conſcientiæ, de quo hîc eſt ſermo: deinde teſtimonio Spiritus, quod teſte Apoſtolo ad Romanos 8. teſtatur nos eſſe filios Dei, cum ſenſu ei⁹ loci tradito à Beato Ambroſio, tomo 5. Dionyſio Carthuſiano, & alijs Patribus: quod eſt idem, atq; cognoſcere gratiam ex ſignis, & coniecturis, vt alij loquuntur.

Math. 25. Summum bonum ſub cœlo eſt quies & tranquilitas conſcientiæ. *Prou.* 15. Duplex argumentū, & coniectura gratiæ Dei nobis inexiſtentis. *Rom.* 8. *B. Ambroſ. Dionyſ. Carthuſ.* Ad Tertiū dubium. De corde noſtro nō reprehendente nos: vnde fiducia in Deū in nobis proficiſcitur.

Et rediens ad primum teſtimonium, ait: *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrū, maior eſt Deus corde noſtro.* Conſcientia ſolet dici, Mille teſtes, & vbicunque fuerimus, reclamat conſcientiæ peccatum, & peccato conſcientia, & contra nos ipſos quocunque nos vertamus, extimulat ad pœnitentiam. Quod quidem teſtimonium ſi quis veluti exiguum contemnat, credatque conſcientiæ morſus poſſe ſupprimi, ac diſſimulari, intelligat talis, quòd Deus eſt maior corde noſtro. Si ergò peccatum non poteſt te ipſum latere, minus latebit Deum cordis tui inſpectorem, ſcrutatorem, & iudicem, qui vt verè καρδιογνώστης, abdita, & profunda ipſius cordis rimatur, vt nihil ſecretorum poſſit illum latere. Atq; ita conſcientiæ teſtimonium non eſt ſpernendum, quia per illud ratio, ac Deus nobis loquuntur.

Pſ. 7.

Conſcientiæ teſtimonium cur minimè ſpernendum.

Si verò quis tam deprauatæ, ac flagitioſę ſit conſcientię, vt motus eius negligat; nō propterea remanet ſecurus, quia Deus maior eſt noſtro corde deprauato, & inſenſibili reddito à peccato, & nouit omnia noſtra peccata, & ſecreta, licet lingua, ſermo, & exteriora noſtra non accuſent nos. Nulla ergò proderit excuſatio, aut ſimulatio apud Deum, apud quem omnia ſunt nuda, & aperta oculis eius. Atq; hoc contra hypocritas, & ſimulatores, qui ſpeciem quidem pietatis habent, virtutem autem eius abnegant. Ideò, Nolite, inquit Paulus, errare, Deus non irridetur. Vnde Scholia Græca ita hunc locum interpretantur: *Filioli mei ne mentiamur inter nos inuicem ſola lingua diligentes, ſed opere quoque oſtendamus dilectionem*: per hoc enim cognoſcemur, quòd ex veritate, hoc eſt, ex Deo ſimus, & quod dicim⁹, tanquam Deo inſpectore dicamus, ſiquidem nemo, etiam ſi dæmonibus eſſet impudentior, ferre poſſet, vt Deo præſente & teſte mentiretur. Niſi enim ita faciamus, ſed dicendo quod diligamus, cor noſtrum arguat nos mendacij, erramus. Quomodo? Putantes id latere Deum, qui vbique præſens eſt: neque id ſcientes, quod ſi fieri non poteſt vt cor noſtrum, cùm puſillum ſit, lateat, multo minus eum latebit, qui nuſquam deeſt. Hæc illa.

Hebr. 4. Qui negligant teſtimoniū conſcientiæ, aſpernenturq;. 2. *Tim.* 3. *Gal. vlt. Oecu. cap.* 4

Summa quænam impudentia.

Alij verò ſunt, qui hæc verba aliter explicant, videlicet hoc modo: Quod ſi conſcientia noſtra nos accuſet, ac condēnet, Dominus qui omnia nouit, & quem nihil latet, fortior eſt, vt liberet, & ſaluos faciat: miſericordiaque DEI maior eſt, quàm omnia noſtra peccata, & Chriſti meritum maius, quàm omnis noſtra præuaricatio. *Chariſſimi, ſi cor noſtrū non reprehenderit* (vel, non condemnat) *nos, fiduciā habemus ad Deum. Et quicquid petierimus, accipiemus ab eo.* Hæc ſanè clauſula oppoſita priori, videtur indicare, priorem præcedentis clauſulæ ſenſum veriorem eſſe, & magis germanum. Si ergò mutua charitatis officia pręſtiterim⁹ non accuſabit nos conſcientia, & liberè agemus cum eo. Quod opponit ijs, qui putabant, vel aſſerebant, Deum aliqua conſcientiæ arcana ignorare: propter quod liberè cum Deo agere non poterant reclamante illorum conſcientia. Erit autem fiducia in Deum tanta, vt de ea dici poſſit, *Iuſtus quaſi leo cōfidens, abſque terrore erit*, & *Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt; & qui abſtulerunt labores eorum.* Et vt aliquid ex Ethnicis afferam:

Alter ſenſus illorū verborum Si reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro.

Prou. 28. *Sap.* 5. Vis conſcientiæ bene ſibi conſciæ quanta. *Horat. lib.* 3. *Carm.*

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Et quicquid petierimus, inquit, *accipiemus ab eo*. Hoc eſt: Quicquid in fide, & inſtanter & perſeueranter petierimus, non denegabit: ſicut nec amicus amico noctu tres panes petenti, vel pater filio ſuo po-

Quod petimus a Deo, quādo impetramus.

ſtulanti

ſtulanti, cui non dabit lapidem pro pane aut pro piſce ſerpētem, aut pro ouo ſcorpionem. Ac dicit in plurium numero, Petierimus, & accipiemus: quia oratio fratrum in communi effuſa magis impetrat ob multiplicatos interceſſores, vt multi trahentes nauem, quocunque voluerint, tandem pertrahent.

Luc. 11.

Quæ mādata Dei cuſtodire debeamus. *Luc.* 6. *Matth.* 7. *Supra* 5. *Prou.* 21.

Subdit cauſam: *Quoniam mandata eius cuſtodimus.* Quæ ſint autem hæc mandata, dubitabis. Reſpondeo, illa: *Dimitte, & dimittemini: Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur: Qui obturat aurē ſuam ad clamorem pauperis, clamabit & ipſe, & non exaudietur.* Nemo ergò putet, talem fructum exauditionis, & impetrationis donorum ſoli fidei eſſe tribuendum, verùm charitati ipſi quàm maximè, vel fidei viuæ per charitatem operanti.

Interni, & veri iudicii fundamēta quæ ſint.

Nota deinde, fundamenta interni, & veri iudicij eſſe bona opera: quarè vanum eſt teſtimonium, quod operibus non nititur tum præcepti, tum ſupererogationis, & perfectionis, quæ grata Deo exiſtunt, & accepta, etſi præcepta non ſint. Propter quod ſubiungit: *Et ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Placet igitur fides placet & charitas, placent & fidei, & charitatis fructus, placet & noſtra diuinorum pręceptorum obedientia quę non ſolum remuneratur futuro alterius vitæ præmio, ſed etiam orationum exauditione in præſenti; vt intelligamus, preces iuſtorum gratas Deo eſſe, & vt peccatores ad eorum orationes, & interceſſiones confugiant op' eſſe: quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces corū: & ſancta Iudith, *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Imò Deus propter hos iuſtos ſuſtentat mundū, & mundanos omnes. Hinc Samuel dixit ad populum: Abſit à me hoc peccatum in Domino, vt ceſſem orare pro vobis, & de Ieremia teſtatur 2. liber Machabæorum in fine: *Hic eſt fratrum amator: & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.* Vt enim, vrgente neceſſitate, coram rege aut coram Pontifice verba facturi confugimus ad eorum Principum amicos, & familiares, quò facilius per illorum fauorem exaudiamur: ita, vt à Deo impetremus quæ volumus, optimum eſt, & ſalutare conſilium, vt non niſi ſanctorum patrocinio ornati, ac fulti ad Deum accedamus.

Bonæ cōſcientiæ fructus.

Pſ. 13.

Iudith 9.

Iuſtorum apud Deū preces quantum valeant. 1. *Reg.* 12. 1. *Mach.* 16

Exemplū.

Chriſtianæ legis

Sequitur: *Et hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.* Occupatio eſt Apoſtoli. Si enim rogaret quis, de quo mandato intelligat, cū dixit: Quoniam mandata eius cuſtodim'? reſpondet Ioannes, totius Chriſtianæ legis ſummam in duo capita colligens, in præceptum ſcilicet fidei, qua agimus cum Deo; & in charitatem, qua inſeruimus proximo noſtro. Et in ſingulari ait, mandatū, cū dixiſſet ſuperiùs, mādata: quia fides non eſt à caritate ſeiūgēda, nec charitas à fide. Eſt enim pręceptum de fide per charitatē operante, & de dilectione, quæ ex fide oritur. Nā oſtendit Deū quant' ſit quanto amore dign': oſtēdit etiā ꝓximū conditum ad imaginem Dei, & Chriſti ſanguine redemptum, vt amorem noſtrum promereatur. Et cùm loquitur Ioannes de fide in nomine filij eius, pungit Iudæos, qui gloriabantur in operibus, & mandatorum obſeruatione ſine fide in Chriſtum Meſſiam, & Filium Dei naturalem. Et ita hoc præceptum complectitur Myſteria Trinitatis, & incarnationis. Dicendo etiam: Vt diligamus alterutrum, tangit omnes pſeudochriſtianos, qui dum gloriantur in fide, in dilectione tamen proximi, & in officijs miſericordię deficiunt.

totius capit, & ſumma

Geneſ. 1.

Inanis Iudæorum fides, atq; fiducia, & pſeudochriſtianorum.

Ac ſubdit: *Sicut dedit mandatum nobis.* Nam Ioannis capit. 13. dixit Dominus: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et cap. 15. *Hoc eſt Præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Vel (ſecundū Oecumenium) tunc mandauit, quando dixit: *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et verbum hoc: *Sicut dedit mandatum vobis*, intelligitur de forma, & modo diligendi, *Sicut dilexi vos*, qui ſanè eſt eminentiſſimus, & non tantum verbo, ſed etiam exemplo ſuo confirmatus.

Vbi Chriſtus mandauerit dilectionem fraternam. *Ioan.* 13. *Infra* 4. *Oecum.* *Matt.* 7.

Et qui ſeruat mādata eius, in illo manet, & ipſe in eo. Oſtendit fruct' fidei, & dilectionis Dei quantus ſit. Qui enim ſeruat legem veterem, & mandata eius, bonorum temporalium promiſſiones habebit. Vnde Paulus ad Romanos 10. ait: Moyſes ſcripſit, quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Hic autem promittit bona, maximè ſpiritualia, nimirum ſocietatem cum Deo. Seruians enim præcepta, manet in Deo, tanquam credens, & confidens, & amans in eo, cui credit, & confidit, & quem amat, & propter quem purè ſunt ſeruanda mādata: & ita habet Deum debitorem, ſpōſorem, fideiuſſorem, & amicum, quod ſumma gloria eſt, & honor. Deus autem

Fructus fidei, & dilectionis.

Chriſtiani vere Dei

manet

amantis, eiuſq; mādata ſeruātis, quantū decus, & gloria.

manet in eo vt chariſſimus pater in filio dilecto, & vt protector vigilantiſſimus, cuſtodiens ab omnibus periculis, q̄ non deſunt filijs Dei, & ſeruantibus mandata, eos, quos protegit. Vt de illis dici poſſit, quod de filio Æneæ quidam eleganter pronunciauit:

Virg. lib. 1. Æneid.

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis. Et ſi parentes carnales in omnib⁹ eorum neceſſitatibus adſunt ſuis filiolis, ne in pericula incidant: quanto magis Deus infinitæ charitatis, filios ſuos à ſe vnicè dilectos, ab omnib⁹ malis liberabit, & de omnib⁹ bonis, ꝓuidebit ad ſalutē neceſſarijs.

Concludit: *Et ita hoc ſcimus, quoniā manet in nobis, de Spiritu, quē dedit nobis.* Rurſus Apoſtolus Chriſtianos omnes conſolatur, & doctrinam tradit, qua agnoſcant ſe Dei filios. Et expendenda ſunt illa verba, ſciendi, & cognoſcendi: nam vtroque vſus eſt Ioannes: quæ quidem licet propriè nunquam ſignificant opinionem, aut moralem probabilitatem, vel fallacem cognitionem cum formidine, ſed talem, ac tantam cognitionem, quæ tranquillam, & quietam reddat conſcientiam: hic tamen illam moralem notitiam, & experimentalem cognitionem notat, quæ ex fidei conſideratione capit certitudinem, non quidem omnimodam, ſed pro Spiritus ſancti munere.

Scire, & cognoſcere, apud Ioannem qualem ſcientiam, cognitionemq; ſignificent.

Quod ſit teſtimonium ſancti Spirit⁹ reddens manentibus in Deo. *Rom.* 8. *Gal.* 4.

Secundò perpende, vnde colligat nos in eo manere, & habitare per gratiam, nimirum, *De Spiritu ſuo quem dedit nobis.* Quia ille teſtatur in cordibus noſtris, ꝙ ſumus filij Dei: & dum opera Spiritus ſancti videmus à Deo prodire ſuper nos, coniectemus, in nobis eſſe Spiritum Dei: quemadmodum cum videmus fumum, certò nouimus adeſſe ignem: & Spiritum eſſe in nobis, firmat ipſe Spiritus ſanctus, qui teſtatur ſe eſſe in nobis, vt non erremus.

DISPVTATIO XXV.

In verba illa, Cap. 4. *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint: quoniā multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus: de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt.*

IN his verbis primo loco conſiderandus venit ſcopus. Deinde dubitatur quid nomine Spiritus intelligat. Videtur enim nefas eſſe, Spiritum conciliorum, aut ſanctorum Patrum non probare, quando in vnam ſententiam concordes veniunt. Deinde qui ſunt iſti pſeudoprophetæ, qui venerunt in mundum, & multos deceperunt. Tertiò dubium eſt quomodo omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: quia multi hęretici id confitentur, vt Ariani, & Lutherani, & Zuingliani: Omnes igitur iſti nebulones eſſent ex Deo. Quartò circa illud, Omnis Spiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, dubium magnum eſt inter Patres, an legendum ſit: Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, an verò: Omnis ſpiritus, qui non confitetur Chriſtum in carne veniſſe: quæ lectio habetur in Græco: & quid ſit propriè ſoluere Ieſum. Poſtremo loco circa illud: *Et hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt*, dubitatur, an verè tunc veniſſet Antichriſtus: quòd ſi iam venerat, quid eſt, ꝙ tota Eccleſia Antichriſtum expectat?

I. Dubitat. Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Ad I. dub. de ſcopo.

De ſcopo reſpondemus, hactenus Apoſtolum in duobus primis capitulis de iuſtificatione, prima, & ſecunda à peccato diſſeruiſſe: in tertio vero capite præmium excellentiſſimum eius iuſtificationis propoſuiſſe. Iam in hoc quarto capite tradit cautelas de erroribus circa fidem, & dilectionem proximi, de quibus paulò ante agere cœperat, & maximè quod docuiſſet Spiritum Dei in his, qui beneficentiam diligenter excoluerint, & officia charitatis in proximos exercuerint, permanere: ideo iam differit de ſpirituum probatione, ne cuiuis ſpiritui credentes facilè ſeducantur. Aperuimus mentem Apoſtoli.

Vtile documentū Apoſtoli, ad Parthos Chriſti fideles.

Ait ergo in primis: *Chariſsimi*, Deo pro quibus Chriſti ſanguis eſt fuſus: & mihi. Deinde chariſſimi: & proptereà æquum eſt vos diligenter inſtrui à nobis Apoſtolis, ne occaſione præcepti dilectionis proximi, incidamus in falſos fratres, vel in pſeudapoſtolos, vel in pſeudoprophetas: quia quos diligimus, imitamur, & cauendum, ne propter bonam vitam, amplectamur falſam doctrinam, vel propter falſam doctrinam, non diligamus eos, quos lege Dei tenemur diligere, hoc eſt, proximos.

Hæreſim eſſe voluntariam & liberam, non autem inuo-

Nolite, inquit, *omni ſpiritui credere.* Docet in primis in voluntate noſtra eſſe radicem hęreſis, ſicut etiam fidei: non enim

eſt fides,

luntariam & coactā. *B. Auguſt.*

eſt fides ſine pia affectione: quia cætera, ait Auguſtinus, poteſt homo nolens; credere autem, nonniſi volens. Hæreſis etiā in electione propriæ voluntatis conſiſtit, vt vox ipſa Græca hæretici oſtendit. Nā ideò quiſque eligit hoc eſſe credendum, alius aliud, pro arbitrio, & libidine ſua.

Quid, Spiritus probare an ex Deo ſint. *B. Cyril. Alex. Procop.*

¶ Per ſpiritum verò intelligit aut doctrinam, aut reuelationem, aut interpretationem Scripturæ, aut ſimilia. Ita enim Cyrillus in caput. 26. Eſaiæ interpretatur illud: *Peperimus ſpiritum ſalutis*, & Procopi' in eadem verba ait: *Eſt enim in ſcripturis vſitatum, vt quorundam aliquādo ſcriptà ſpiritus appellatione dignentur: quale eſt illud, Probate ſpiritus an ex Deo ſint*. Hæc ille declarans quamcunque doctrinam vel verbo, vel ſcripto traditam. Cauſa autem huius appellationis eſt, quia per Metonymiam effectus nomen cauſæ induit, & quia autores iactabant ſe eiuſmodi doctrinas à Spiritu ſancto accepiſſe.

Doctrinæ huius Apoſtolicæ probationis ſpirituum vtilitas. *Eccleſ. 16. Epheſ. 4. Ierem. 23. Ezech. 13. Deut. 13. Matth. 7. 1. Theſſa. 5. 2. Theſſ. 2.*

Eſt autem hoc ſanctum, & vtile præceptum, quia qui credit citò, leuis corde eſt: & quia dæmones impoſtores transfigurant ſe in Angelos lucis, & quia hac techna Spiritui Sancto aſſuuntur commenta, & mendacia hominū: & quia credere omni ſpiritui, eſt circumferri omni vento doctrinę, & eſſe ceram mollem ad recipiendam cuiuſuis ſigilli impreſſionem. Et id olim cautum fuit propter Prophetas, qui currebant, & dicebant, *Hæc dicit Dominus*, cùm Dominus non ſit locut'. & Deu. 13. Deus p̄monuit Iudęos, ne Prophetæ etiam vera dicenti, ſi poſteà dicat, Eamus, & ſequamur deos alienos (quos ignoras) & ſeruiamus dijs alienis, fidem habeant. Chriſtus magiſter noſter ſimili nos præcepto imbuit, cùm dixit: *Attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autē ſunt lupi rapaces*. Paulus etiam in priori ad Theſſalonicen. Omnia, inquit, probate: quod bonum eſt, tenete: prophetias nolite ſpernere. Et in poſteriori ad eoſdem: *Rogamus vos fratres, &c. vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neq; terreamini, neq; per ſpiritum, neq; per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam; quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat vllo modo*. Ideò docet Ioannes hoc loco de probandis ſpiritibus ne ſeducantur. Nolite ergo credere omni profitenti ſe habere Spiritum Dei, & Spiritum veritatis, ſed probate illos. *Si* (pro, an ponitur, vt alibi, Domine, *ſi percutimus in gladio*, ita hic) *ex Deo ſint*. Vult dicere, Facite periculum, an eiuſmodi doctrina ſit ex Deo promanans, an à capite om-

Luc. 22.

A pſeudo prophetis qui minimè decipiantur, & ſeducātur.

nium hæreſcôn inuentore dęmone. Promittit enim Dominus, ſi, quod noſtrum eſt, præſtiterimus, ſe affuturum, neque permiſſurum, vt ab huiuſmodi impoſtoribus decipiamur, verùm probatos illos cognoſcamus, caueamusq;: dixit enim: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, id eſt, poteritis agnoſcere, ſi attendatis. Sed quia hoc eſt difficillimum ſimplicibus agnoſcere, ſatis eſt in Eccleſia eſſe paſtores, & doctores, qui id poſſint agnoſcere prò ſe, & pro alijs. Non enim credibile eſt, Apoſtolum hoc dixiſſe ad ruſticos, & mulierculas, qui vix ſummam digitorum ſuorum quos in manibus habent, nouerunt comprehendere. Sed prius probare iubemur: ſunt enim quidam minimè à nobis probandi.

Matth. 7.

Quorum ſit probare ſpiritus an ex Deo ſint.

Quem ſpiritum Ioannes probari à nobis non velit.

Non ergo præcipit Apoſtolus hoc loco, vt ſpiritum ſacrę ſcripturæ probem', quia cùm tota illa ſit prophetica, & ab Spiritu ſancto profecta, iniquum eſt, ac irreligioſum, vt rem certiſſimam, & exploratiſſimam in dubium reuocemus; in quo vehementer peccarunt quidam ex antiquis, & plures ex recentioribus ſcriptoribus, qui propria autoritate numerum canonicorum librorum detruncarunt, & quoſdam, in quibus eorum errores damnantur, autoritate hæretica ex albo Catholicorum voluminum ſuſtulerunt: vt Lutherus epiſtolam B. Iacobi reiecit, & libros Machabæorum, & ita alij alios temerè repudiarunt.

II. ſenſus.

Secundo loco non ſunt probandi ſpiritus eccleſiæ Catholicæ vel in ſeipſa, vel in generalibus Concilijs repræſentatæ: quia cum eis præfuerit Spiritus ſanctus, ac dicere potuerint, *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, eſſet velle iudicare ipſum ſpiritum ſanctum, quia Deus eſt, & Dominus. Hinc Lutherus cùm premeretur autoritate Scholaſticorum, & veterum Patrum, appellauit ad Conciliū Generale: cuius autoritate cùm videretur damnari, conſilia Oecumenica contempſit, & cōciliū p̄ſertim Conſtantienſe, magnum in Eccleſia Dei concilium quod à ſceleratiſſimis (ſic aiebat impudens ille, & perfrictæ frontis homo, & diaboli organum) celebratum deriſit, & ſoli voluit Scripturæ ſubiici, intellectæ tamen, & interpretatæ à ſe, & ſuo arbitrio.

Act. 15.

Lutheri incredibilis ſuperbia, & arrogantia.

III. ſenſus.

Tertiò eadem ratione non veniunt probanda veterum Patrum dicta, & teſtimonia, quando omnes, vel ferè omnes in vnam ſententiam conueniunt, vel in vno aliquo Scripturæ loco interpretando concordant: quia tunc Patres certiſſimū,

&in-

& inuitabile reddunt argumentum veritatis Catholicæ, & certæ, ac legitimæ interpretationis. Nam vt dixit Dominus: *Vbicunque fuerit corpus* (ſcilicet veritatis) *illuc congregabuntur & aquilæ.* Doctorum nempe, qui inſtar aquilarum perſpicaci, & acutiſſimo viſu ſolem veritatis intuentur: quia illud, quod ipſi teſtati ſunt, idipſum per eos Spiritus ſanctus teſtatus eſt, & Eccleſiæ omnes idem ipſum fide Catholica profitebantur cum Patribus. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. ſcripſit: *Et ipſe dedit* (Chriſtus ſcilicet) *quoſdã quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti,* & quę ſequuntur. Quod ſi quandoque ex Patribus vnus aut alter, aut quam pauci vnum aliquid aſſerant contra ſenſum aliorum: aut benigne ſunt interpretandi, aut deferendi: ſeruata tamen honorificentia, quæ illis, propter multa alia, quæ bene dixerũt, debetur. Si autem multi ſint pro vna ſentẽtia, aut totidem, vel plures pro oppoſita; liberum eſt nobis, ſi Eccleſia, rem, de qua eſt controuerſia, minime definiuit, alterutram ſententiam ſequi, modo quis bonis rationibus, & probabilibus cauſis moueatur magis ad vnam, quam ad alteram: dummodo ſententiæ Eccleſiæ ſtare paratus ſit, quando deciderit.

Matth. 24. Quid illud: Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Epheſ. 4.

Vtile documentũ autoris circa Doctorum inter ſe opinionum diuerſitatem à fidelibus obſeruandũ.

Si igitur Scripturarum, vel Conciliorum generalium, vel Eccleſiæ Romanæ, & Catholicæ ex cathedra aliquid decernentis, vel ſanctorum Patrum, & Doctorum in vnum conſentientium, ſpiritus non ſunt à nobis probandi, ſi ex Deo ſint, id eſt excutiendi, & examinandi an veri ſint, necne, cum plenam, ac omnimodam veritatem contineant: ſed cum omni veneratione amplectendi: ſupereſt quod hic dicitur: Probate Spiritus ſi ex Deo ſint, intelligendum eſſe de Spiritu cuiuſuis hominis particularis, etiamſi magna autoritate, aut ſanctitate, aut virginitate præfulgeãt: etiamſi doctrina, & miraculis ſplendeant: quorum quidem ſpiritus probandi ſunt diligenter, & examinandi, ne nobis quouis modo imponatur.

Qui ſpiritus an à Deo ſint necne, à nobis probandi ſint.

Cauendum igitur in primis eſt à nouis reuelationibus, & ſomnijs, ab inſpirationibus, à viſionibus, & apparitionibus, ac demum à ſuperſtitionibus omnibus, quæ per vnum aliquem priuatum hominem inuehuntur. Et quantum attinet ad reuelationes, perpendenda eſt perſona, quæ eas recipit, ſi boni ſit iudicij naturalis, vel fatua: an humilis, & parui intellectus: illi etiam, cum quibus eſt conuerſata, & erudita. Attendendaque eſt ſententia Tertull. in libr. de Præſcript. hæretic. dicentis: *Ex perſonis probamus fidem, an ex fide perſonas?* Probandi etiam ſunt fontes, vnde illam hauſit doctrinam. Nam ſi dæmon transformatur in Angelum lucis, detegendus eſt, & ex fructibus arbor dignoſcenda. Si autem apertus ſit pater mendacij: dicendum eſt illi, *Obmuteſce, & exi ab eo ſpiritus immunde.* Ita Lutherus in libr. de Miſſa clancularia confitetur, doctrinam de ſacrificio Miſſæ, & ſacerdotio Euangelico ſe à dæmone ſecum diſputante, & verbum Dei allegante accepiſſe, & ab eo tandem diſputatione victum fuiſſe. Probanda etiam eſt perſona, ſi fœmina ſit, an maſculus. Nam ſi fœmina eſt, cautius agendum, quia dæmon per illam decepit primum hominem: vt per Priſcillam & Maximillam, Montanum, & Nouatianos: & in vniuerſum præcepit Paulus mulieres in Eccleſiis vt taceant. Videndum etiam, ſi perſona ſit ſancta, vel contaminata; ſi cum ſignis, aut ſine ſignis: quia non eſt veriſimile, Deum nos docere veritatem voluiſſe contra tot, & tantos doctrina, & ſanctitate vitæ illuſtres, & prophetiæ ſpiritu præditos, qui oppoſitum docuerunt: cum ſcriptum ſit: *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis:* & Chriſtus dixit: *Si quis voluerit voluntatem Patris mei facere, cognoſcet de doctrina mea vtrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* ¶ Expedit autem, vt is cui deteguntur hæ reuelationes, deprimat, & arguat illas recipientes, & exemplo recuſantium viſiones ex humilitate, & illuſorum hominum documento illos arguere: cum & Auguſt. lib. 10. de Confeſſ. miſericorditer liberatum ſe eſſe aſſerat à curioſitate viſionum, & ſignorum, & B. Bonauentura ſcribat toto conatu repellendam viſionem, vel reuelationem orationibus, & corporis macerationibus, & increpatione ſui ipſius acri, ac vehementi.

Reuelationes fidelium quomodo probandæ, ſi ex Deo ſint necne.

Pulchra ſententia Tertulliani.

2. Cor. 11.

Matth. 7. *Ioan. 8.*

Doctrinã de ſacrificio Miſſæ, & ſacerdotio Euangelico, vnde hauſerit Lutherus, eodẽ autore.

Geneſ. 3. *1. Tim. 2.* *1. Cor. 14.* *1. Tim. 2.*

Sap. 1.

Ioan. 7.

B. Auguſt. De viſionibus, reuelationibus, & ſignis quid ſenſerint, & ſcripſerint Aug. & Bonauentura.

Videndum etiam, an quid falſi contineat talis reuelatio contra Eccleſiam, & eius praxim, & an aliquid non excedens communem modum intelligendi, an aliquid inutile, vel curioſum: quia ex his facile diſcerni poteſt. Denique agnoſcendus finis quare fiat illa reuelatio, & quorſum propaletur, & debet hic talis, cui facta reuelatio, eſſe paratus ad recipiendum conſilium in contrarium, quia Deus non eſt ſibi contrarius, qui iam per alios communiter receptos reuelauit. Habens igi-

Reuelationis bonæ conditiones.

Qualis eſ-

ſe debeat is, qui reuelationem accipit.

tur reuelationem, debet eſſe vt aurea moneta, quæ debet habere pondus humilitatis, obedientiæ flexibilitatem, patientiæ durabilitatem, & inſcriptionem legitimam, id eſt, veritatem. Et hæc quidem de reuelationibus. Proponam in verbis Tertulliani exemplum Priſcillæ comitis Mõtani deluſæ, & alios ſuis reuelationibus illudentis: ita enim ille in lib. de Anima c. 9.

Priſcillæ comitis Marcionis quædam reuelatio riſu, reiectuque digniſſima.

Eſt hodie, inquit, *ſoror apud nos reuelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſolennia per extaſin in ſpiritu patitur: conuerſatur cum Angelis, aliquando etiam cũ Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoſcit, & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Iam vero prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut ad locutiones proferuntur, aut petitiones delegãtur, ita inde materia viſionibus ſubminiſtrantur. Forte neſcio quid de anima diſſerueramus cum ea ſoror in ſpiritu eſſet poſt tranſacta ſollennia dimiſſa plebe, quo vſus ſolet nobis renunciare quæ viderit (nam & diligentiſſime digeruntur, vt etiam probentur) inter cætera, inquit, oſtenſa eſt mihi anima corporaliter: & ſpiritus videbatur non inanis, & vacuæ qualitatis: imo quæ etiam teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aerei coloris, & forma per omnia humana. Hæc viſio eſt Deus teſtis, & Apoſtolus chariſmatum in Eccleſia futurorum, idoneus ſponſor.* Hæc ille, ex cuius reuelatione probare volebat animam eſſe corpoream. Porro ex hoc exemplo, prudens lector alias mulierculas, quæ noſtro ſeculo extaſim patiuntur, & mirabilia quæ viderunt annuntiant, agnoſcere poteris.

Somnia quatenus probanda. *Gen. 41.*

Quod ad ſomnia attinet, nec omnia repellenda ſunt, quia per illa plerunque futura Deus loquitur: vt per Ioſeph Pharaoni locutus eſt ventura in ſeptem bobus pinguibus, & macilentis, & in ſeptem ſpicis: per Danielem etiam docuit Deus Nabuchodonoſorem Regem quæ futura erant de magnis orbis regibus, & monarchis. Ioſephus quoque Patriarcha patrem, & matrem, & fratres in manipulis adorantibus ſuum manipulum, & in duodecim ſtellis, Sole, & Luna ſe adorantibus explicuit, in quam altum gradum imperij foret ipſe promouendus. Interdum etiam homo corrigitur de peccato ſuo, vt caueat, vel de accepto beneficio, vt gratus exiſtat: & ſponſus Virginis Ioſeph in ſomnis non ſemel monetur ab Angelo, ne dimittat Mariam coniugem ſuam, quoque ſit recedendum: quo redeundum. Denique multi inuitati ſunt ad baptiſmum per inſomnia à Deo facta, vt teſtatur Aug. lib. de Catechiz. rudib.

Dan. 2.

Matth. 1. Infra 2. Ibid. B. Aug.

Inſpirationes quæ probandæ.

Porro inſpirationes cognoſcuntur prouenire à ſpiritu bono, quando ad aliquem ſtatum probatum in Eccleſia inducunt, vt ad matrimonium, ſacerdotium, religionem, agriculturam, vel artificium, vnde quis viuat. Cognoſcitur autem ex his Dei voluntas, & eius præcepta, vel conſilia: quia tunc haud dubium quin quod ipſe vel præcipit, vel conſulit bonum ſit. Deinde ſe res, ad quam inſpirat, habet promiſſionem remiſſionis peccati, vt habent fides, & pœnitentia; vel promiſſionem donorum Dei, vel implendæ eius legis, quæ eſt charitas: vel habent promiſſionem gloriæ quæ eſt propria ſpei, & bonorum operum. Tertio incumbendum eſt precibus, vt petentes accipiamus; quærentes, inueniamus; & pulſantibus aperiatur: maxime ſi ſalus certa inde ſperetur, & conſolatio Spiritus ſancti, quaſi ignis conſummans noſtrũ ſacrificium, quẽadmodum inflammauit ſacrificium Eliæ, & Abel, & matris Sampſonis. ¶ Neque obſtat, interdum hominem retrocedere à via acquirendæ perfectionis, quam ingreſſus erat. Nam & filij Iſrael vocati à Deo in deſertum, vt ingrederentur in terram promiſſam, ſine cauſa murmurabant contra Deum: quendam etiam in religionem ingreſſum legimus, ſed malo animo, nimirum vt commodius ſacrarium expilare poſſet, in magnum, & ſanctum religioſum euaſiſſe. Accedit etiam conſultatio apud viros ſapientes, & ſanctos, qui nobis poſſunt Dei voluntatem magis aperire: quanquam in articulo religionis, ſi B. Thomæ Aquinati credendum eſt, non magnopere expedit tale cõſilium petere, quia res eſt per ſe bona, & ſancta religio, & à Deo, & Eccleſia approbata. Et viri tales religioſi plerunque habent donum diſcretionis ſpirituum, quo poſſint diiudicare eiuſmodi vocationes, ſiue ſtatus, & electiones vitæ. Et quia ſæpe iuxta iniquitatem interrogantis erit & reſponſio Prophetæ, vt teſtatur Scriptura: ideo opus eſt interrogãtem eſſe bene diſpoſitũ, vt ſalubre conſilium audire mereatur. Qui autẽ cõſilium petit ab altero, illud debet præferre, ꝙ ipſe interrogatus ſimili euentu cõſultus reſponderet: nec in huiuſmodi ad vocationem ſpectantibus debemus multum vel viribus noſtris niti, vel aliorum caſus, & præcipitia, qui in ſua vocatione, non perſeuerarunt, conſiderare, ſed eos, qui permanſerunt, & in fidem vſque cum Dei gratia perſeuerarunt.

Matth. 7.

3. Reg. 8. Gen. 4. Iudic. 13.

Num. 21. Monachi cuiuſdam mira conuerſio.

De ingreſſu religionis [illegible] ſibem p[illegible] ti debeat. *B. Thomas*

Ezech. 41. Qui conſilium ab aliquo de ſtatu religionis petit, qualis eſſe debeat.

Circa apparitiones & viſiones Angelorum magna cautela eſt adhibenda, quia inter-

In viſionibus ſiue apparitionibus [illegible]

gelicis quid obſeruandū. 2.Cor. 11.

interdum Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis iuſto Dei iudicio, vt ſeducat curioſos, & viſionum eiuſmodi, & ſignorum appetentiſſimos: & eadem cautela obſeruanda in apparitionibus mortuorum, quorum animæ poſt vitam deducuntur in ſua loca à Deo deſignata. Ex quibus in genere dicendum eſt, illas ad nos poſtea minime reuerti ſolitas. Hinc Salomon in perſona impiorum loquens:

Sap 2.

Non eſt qui agnitus, inquit, *ſit reuerſus ab inferis.* Et infra: *Vmbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri; quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur.* Propheta quoque ait: *Spiritus vadens & non rediens:* & rurſus, *Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum:* & mulier illa Thecuitis ad Regem Dauidem, *Omnes morimur*, inquit, *& quaſi aqua delabimur in terram, quæ nō reuertuntur.* Intellige propria & naturali virtute: ex Dei tamen nutu, & voluntate interdum reuerſæ ſunt aquæ, vt illæ Iordanis, qui conuerſus eſt retrorſum. Ita etiam illæ animæ, quæ poſt mortem cognitione maiori ſuper alias præſtant, quia cognitas, & compertas habent res noſtras Dei reuelatione, & ſpeciali diſpenſatione viuis interdum apparent, vt teſtantur Patres veteres ſanctitate, & doctrina conſpicui, vt Athanaſius lib. Quæſtionum ad Antiochum Principem, q.9. aut quiſquis autor eius libri fuit, Gregorius Rom. lib.12. Moral. ca.13. B. Thomas 1.p.q.89. artic. 8. Etſi perdifficile ſit, teſte B. Auguſtino libr. de Cura pro mortuis gerenda capit.14. & 16. definire, an ipſæ animæ per ſeipſas ad nos veniant, & appareant nobis, an vero non per ſeipſas, ſed per Angelos Dei miniſtros. Veritati tamen magis conſona videtur ſententia, quæ illas viſiones, apparitioneſue fieri miniſterio Angelorum aſſerit. Ita B. Ambroſius Miſſam celebrando, raptus in ſpiritu interfuit exequiis B. Martini Turonen. epiſcopi. Ita etiam ipſe Deus ſe per Angelos manifeſtauit Abrahæ, Moyſi, & Dauidi, & illis locutus eſt. Vnde Paulus vocat ſermonem Dei, illum, qui per Angelos dictus eſt: Stephanus quoque Iudæos in diſpoſitione Angelorum legem accepiſſe teſtatur. Eadem ratione Sanctos apparere, & loqui dicimus, ac ita illorum perſonā induere Angelos, & omnia operari. Et ratio eſt in promptu: quia imagines rerum eiſdem nominibus veniunt, quibus res ipſæ vocantur. Ita Angelus in perſona Domini dicebat: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Aegypti*, & Cherubini dicuntur imagines eorum: & Pharao in ſomnis vidit ſpicas, & boues; cum eſſent tantum ſimilitudines earum rerum, & ita reſcripſit Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum, q.3. ita dicendum de Sanctorum apparitionibus, in quibus admonent de multis neceſſariis ad ſalutem, nempe animam hominis cum corpore non ſimul interire, ſed permanere immortalem: Deum viuis, & mortuis opitulari, & dominari, & ſuorum curam habere, & prouidentiam: Sanctos capiti Chriſto ſeſe conformes reddere: multiplici erga nos charitate præditos eſſe, & noſtra ſolicitos curare. Nam alioqui ſi animæ perirent, non fieret eorum commemoratio ad altare Domini, vt recte Auguſt. lib.21. de Ciuit. Dei, c.3. ratiocinatur.

Pſalm.77. Pſal.102. 2 Reg.14. Pſal.113. Ioſue.5. S. Athanaſ. Greg. tom.1. S. Thomas. Aug to.4.

Viſiones apparitioneſque fidelibus quæ fiunt, ab animis per ſe, an per angelos fieri conſueuerint.

Actor. 7. Exod 20. Gen. 41.

Aug to. 4. Sancti cur viuis appareant.

B. Aug. to.5

Sed cauendi ſunt Cathuſiaſtæ, & Fanatici inter Anabaptiſtas: ac Welfendiani, qui negligentes Scripturas, vehementer apparitiones & reuelationes expetunt: cum rarum ſit, & perpaucorum hominū donum diſcernendi, vel dijudicandi ſpiritus: quo B. Martinus, & B. Antonius præcelluēre. Hinc venit, vt multi illo carentes hallucinati ſint, & in pudendos errores prolapſi, vt Vincentius, qui cum iuuenis eſſet, ac eloquēs, apparitione cuiuſdam viri ſancti, vt ſibi videbatur, reuera tamen hæretici, eo impellente, in fidem calamum ſtrinxit: talis & Theodotus quidam Montaniſta, mirabiles viſiones iactabat, & mundum breui collapſurum vaticinatus eſt, teſte Euſebio libr.5. hiſtoriæ Eccleſ. cap.15. Simili ratione Machometus perſuaſit vxori primum, deinde alijs, ſe in cœlum vſque raptum didiciſſe myſteria, & per Angelum Gabrielem accepiſſe (inſanam, & putidam) Alcorani doctrinam. Cauendum ergo eſt vtrumque extremum, ne omnibus facile fidem noſtram adiungamus: quia qui credit cito, ait Spiritus ſanctus, leuis corde eſt: & ne viciſſim in bonis iudicium præcipitemus: *Prophetias*, inquit Apoſtolus, *nolite ſpernere: Omnia probate: quod bonum eſt, tenete.* Hinc & merito damnandi Centuriatores, qui temere in 1. Centuria, c.4. ex eo quod mortui dormire dicuntur in Scripturis, colligunt, animas illorum nunquam hominibus apparere. Et ex his, quæ de Lazaro, & epulone ſcribuntur à B. Luca, colligunt, neminem à mortuis redire ad nos, quia id ſit lege ordinaria obſeruatum. Ex ſpeciali tamen priuilegio vel in ſomno, vel in vigilia hominibus apparēt, & vera quædam nunciant; vt anima Samuelis. 1. Reg.28. & Eccl.46. Onias etiam

Aduerſus hæreticos noſtræ fermè tempeſtatis, reiectis Scripturis qui diuinis apparitionibus & reuelationibus aucupandis tātum intendunt.

Eccl 19. 1. Theſſ 5.

Variæ apparitiones mortuorum, cum ex diuina, tum ex Eccleſiaſtica hiſtoria memorātur.

ſacerdos, & Ieremias Propheta longe poſt mortem Iudæ Machabæo ſeſe obtulerũt, & ad debellandos hoſtes confirmarunt 2. Macha.vlt. Moſes, & Elias in Transfiguratione, mortui quoque cum Chriſto ſuſcitati, etiam cum corporibus venerunt in ſanctam ciuitatem Ieruſalem, & apparuerunt multis. Apoſtoli Petrus, & Paulus apparuerunt Conſtantino; & Apoſtoli Ioannes, & Philippus Theodoſio, vt Procopius docet lib.5.hiſtoriæ cap.25. de Templo, quod Iuſtinianus Cęſar Apoſtolos honorans erexit, ait Apoſtoli beneficiorum memores, ad Regis honorem hominibus apparuerunt. Regis, inquam pij, & religioſi. Ambroſius ſerm.22. B. Agnetem modo Conſtantiæ Conſtantini Imp. filiæ, modo parentibus apparuiſſe ſcribit, eoſque conſolatam fuiſſe. Auguſt. libr. de Cura pro mortuis cap. 16. laudat Felicem (qui à Nolanis maxime celebratur) vrbi Nolanæ à Barbaris oppugnatæ adfuiſſe, adeo vt ipſis hominum aſpectibus appa ruerit. Gregorius vero libr. 4. Dialog. capit. 11. in vn uerſum pronunciat, plerunq; iuſtis accidere, & in morte ſua Sanctorum viſiones aſpiciant, & eorum ſocietate apparentium in ſupremo agone confirmentur.

Luc.9. *Matth.* 17. — *Procopius.* — *Ambroſius.* — *Aug.to.4.* — *Greg.to.2.*

Superſtitiões quomodo dignoſcendæ.

Ad ſuperſtitiones autem dignoſcendas, & probandas, opus eſt docto, & intelligenti cenſore: quia quodcunque eſt expreſſe in Sacram Scripturam, aut contra Patrum definitiones, vel contra Eccleſiæ cultum, & praxim, vel pietatem, vel contineat apertam inuocationem dæmonũ, vel implicitam, vt quando aliquid vanum fieri præcipitur, & inefficax ex ſe, & natura ſua: vel exigantur characteres ignoti, ſiue noti, certa tempora, loca, nodi, certus numerus cereorum, vel nomina ignota, & nihil certi ſignificãtia, etiamſi alias ſint plena deuotione, & religioſa à probis viris habeantur, & etiamſi interdum effectus intentus, & ſperatus ſuccedat vel ſanitatis, vel impetrationis rei in oratione, vel cognitionis vxoris, quam ante ligatus cognoſcere non poterat: omnia, inquam, hæc, & ſimilia, ſunt vt mere ſuperſtitioſa, & vt cultũ dæmonis explicitũ, vel implicitum continentia, reprobanda, quia tũc res illę, aut verba illa, aut illi modi operandi ex Scripturis non probantur, vel ex Eccleſia: (quæ tamen Sacramenta, & ceremonias Eccleſiaſticas habet) nec ex natura ſua operari tam altos effectus valẽt: ſupereſt igitur vt ſint aut à bonis, aut à prauis Angelis excogitata. Cum autem à bonis proficiſci non queant, qui tantum ad vera, bona, & ſolida, & non ad ſuperſtitioſa inſpirant: certo aſſerendum eſt, tantum eſſe à dæmonibus, vel eorum adminiſtris, & organis introducta, & per illos aucta, & probata, & interdum per ignorantes quoſdam publice affirmata, & propugnata: qua ratione totus mũdus plenus eſt ſuperſtitionibus, & quocunque te vertas, velis nolis, illas cogaris inſpicere. Talia ſunt: ipſa in primis matrimoniorũ conciliatio, ipſa vxoris impręgnatio, & amor, quæ philtris conciliantur; ſanitas, cognito futurorum, temporis præſcriptio ad egreſſum domus, vel ad inchoãdum iter, vel ad tractandum aliquod negotium, eorum etiam obſeruatio tormentorum, & quæſtionum, quibus à iudice interrogantur rei: celebratio Miſſarum pro defunctis, pro alicuius viuentis morte procuranda: Miſſæ etiam tot candelis illuminatis, non pluribus, nec paucioribus, celebrandæ: & in fabricis pars aliqua imperfecta relinquenda: & denique infinitus eſſem, ſi in his vanitatibus recenſendis plura adderem.

Superſtitioſæ vanitates quædam, atque ridiculæ.

Ad aliud etiam, quod ſuperius propoſuimus dicendum eſt, non omnium eſſe hoc munus, dijudicandi ſpiritus, & probandi. Nam Apoſtolus quibuſdam tantũ hoc tribuit: *Si quis, inquit, videtur Propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat, quæ ſcribo vobis, quia Domini ſunt mandata.* Idem quoq; antedixerat: Alij datur operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Non ergo omnibus hoc datum eſt, vt poſſint diſcernere ſomnia, & reuelationes, & inſpirationes. Ita Chriſtus cum dixit: Attendite à falſis prophetis, præcipue ad Apoſtolos loquebatur, quorum eſt pro ſe, & pro aliis attendere, & præcipere, à quibus ſibi debet populus ſubditus cauere, ne fidem Chriſti dedecorent. Primus ergo diſcretor ſpirituum, ſiue probator, eſt qui ſedet in cathedra Petri, & clauũ Eccleſiæ tenet ſummus Eccleſiæ Paſtor. Secundus, Concilium OEcumenicum. Tertius, Epiſcopus quiſque in ſua diœceſi. Quartus, doctus, & ſanctus Paſtor. Quintus, prædicator, aut doctor aliquis celebris. Sextus, omnis qui habet donum diſcretionis ſpirituum, etiamſi laicus ſit, vel interdum etiam fœmina, ſancta tamen, & religioſa quia non eſt alligatus Spiritus ſanctus vni perſonę, vt non poſſit peculiariter docere per quemcunque velit. Quanquam autem horum ſit diſcretio, aliquo modo tamẽ ad omnem Chriſtianum ſpectat, cui Deus non deerit, ſi

Donum ſpiritus diſcernendi non cuiuis hominum competere, quibuſdã munere diuino. 2. Cor 14. Supra 12.

Matth 7.

Diſcretores ſpirituum veri atque probati, ſex.

Diſcretori ſpirituum vt poſſit eſſe

Omnis etiam Chriſtianus.
Actor. 7.

rit, ſi ad ipſum precibus confugiat, Vel ſuggerendo, vt petat conſilium à ſapientiori, vt ab eo qui præeſt eius confeſſioni, vel dando ſi opus eſt, intellectum, vt à fructibus cognoſcat pſeudoprophetas, vel dando guſtum in amplectenda doctrina Catholica, vel fugam, & abominationem ad contrarium repudiandum.

Quæ regula diſcernendis ſpiritibus plurimum inſeruiat.

Vt autem aurum probatur aut affrictu lapidis, qui vocatur χϱυσίτης vel ictu mallei, aut igne, aut ſono, aut alijs opportunis, & ſerijs experimentis, quibus aurifices vti conſueuerunt: ita regula certa in probandis ſpiritibus ſeruanda eſt, vt illam doctrinam pro vera, & Catholica amplectamur, quæ conſona eſt Scripturis, Concilijs Generalibus, definitionibus Pontificum, & Patrum ſententijs: quæ etiam Eccleſiæ pietati, & praxi conſentanea inuenitur. Reliqua vero omnia quæ ab his aut in toto aut in parte diſſidēt, repudiāda ſunt. Celebranda eſt illa ſententia Domini, ex qua natum eſt hoc præceptum: vt quiſque ſit inſtar boni trapezitæ, de qua Hieronymus in epiſt. ad Minerium, & Alexandrum meminit his verbis: *Sciat me illud Apoſtoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum eſt tenete: & Saluatoris verba dicentis: Eſtote probati nũmularij: vt ſi quis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur*, Doctrina quoque Apoſtolica lib. 2. c. 37.: *Eſtote tanquam argentarij periti*: vt enim hi nummos adulterinos ſegregant, probos autem ſibi adiungunt, ſic oportet Epiſcopum quæ vitijs quidem carent, retinere: vitioſa vero vel curare, vel ſi eſt ægritudo inſanabilis, expellere, & non celeriter amputare, neque quibuſuis credere. Item Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa, c. 81. *Si autem ab ijs qui foris ſunt, decerpere quippiam vtile valuerimus, non aſpernabile eſt. Efficiamur probati trapezitæ, legitimum, & purum aurum aceruantes adulteratum autem refutantes. Sumamus ſermones optimos, deos autem ridiculos, & fabulas alienas, canibus proiiciamus*. Hæc illi.

Hieronym. epiſt. 15 *prope finem tom.* 3.
1.*Theſſ.* 5.
Clemens Rom.
Quales eſſe debeant prælati in primis atque Doctores teſtimonio Saluatoris.
S. Damaſc.

Ad II. De pſeudoprophetis qui exierunt in mundum.

Deinde quæſitum fuit quid ſit illud: *Quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum*. Dat enim rationem Ioannes cur ſuperius præceptum tradiderit. Propheta in nouo Teſtamento non tantum eum, qui prædicit futura, ſignificat, vt olim, ſed & eum, qui Scripturas ſacras ſpiritu prophetico plenus interpretatur, & in lucem eius reconditos ſenſus profert. In hunc ſenſum Paulus præfert prophetiam dono linguarum, & ait: *Si quis videtur Propheta eſſe, & ſpiritualis, intelligat quæ ſcribo vobis*. Atque ita dixit, *Prophetias nolite ſpernere*, id eſt, ſacratum interpretationes Scripturarum. Petrus quoque: *Omnis*, inquit, *prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*. Ita etiam pſeudopropheta eſt, qui falſum ſenſum de capite ſuo ſcripturæ imponit, & ex Euangelio Chriſti, facit hominis, vel quod peius eſt, dęmonis Euangelium. Ita enim Hieronymus in primum caput ad Galat. ait: Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne forte interpretatione peruerſa Euangelium Chriſti, hominis fiat Euangelium, vel. quod peius eſt, diaboli Hæc ille. Et ita pſeudopropheta eſt hæreticus, quia non poteſt vlla hæreſis prodire ſine ſcripturis, ſaltem palliatis, & in ſpeciem fauentibus: vt fecere Arrius, & Pelagius, & modo Lutherani, & Caluiniani.

Propheta duobus modis in Scriptura dicitur.
1.*Cor.* 14.
1.*Theſſ.* 5.
2.*Pet.* 1.
Pſeudopropheta quis.
B. Hieron. tom. 4.
Hæreſis ingenium

Ait ergo multos prodijſſe pſeudoprophetas in mundum, vt ita verbum Chriſti impleretur, qui dixit: *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Sed vnde quæſo exierunt in mundum? nunquid ex alio mundo? Reſpondetur exijſſe ex latebris, & cauernis hæreticorum, & palam in publicum, & in lucem, vt doceant peruerſa dogmata ſua. Veniunt etiam ex inferis à Satana eorum patre, & principe miſſi ad nos. Sunt enim hæretici primo ſecreti, & occulti, & agunt vt vulpes, teſte Auguſtino: poſtea vero vt in bonum aliquem numerum excreuerunt, erumpunt foras, & fiunt leones, & armis agunt contra Eccleſiam, vt noſtro deplorato ſeculo vidimus & in Germania, & in Gallia. Exire autem in mundum, eſt in publicum prodire: ſicut fratres Domini Ieſu dicebant. *Si hæc facis: manifeſta teipſum mundo*.

Matth. 7.
Pſeudoprophetæ vnde exierint in mũdum.
B. Aug. lib. contra Donatiſt. to. 7.

In hoc cognoſcitur Spiritus Dei. Vel: In hoc cognoſcite Spiritum Dei, vt Græca litera habet. Eſt enim tacitæ obiectionis ſolutio, quæ Occupatio dicitur. Rogabunt enim ſimpliciores: Quomodo probandi ſunt ſpiritus, aut diſcernendæ doctrinæ veræ à falſis? Reſpondet: Inquirendo regulam diſcernendi, & probandi, ſpiritus. *Omnis*, inquit, *ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt*. Auguſtinus ſerm. 31. de Verb. Apoſtoli enarrans hunc locum, opponit, vanum eſſe hoc ſignum diſcernendi ſpiritus: quia etſi Manichæus negauerit Chriſtum in carne veniſſe, ac proinde ex Deo non ſit, multi tamen alij hæretici hoc ipſum, veniſſe videlicet Chriſtum in carne, confeſſi ſunt, quales fuere Arriani, Eunomiani, Mace-

Ioan. 2.
Modus cognoſcẽdi, ac probandi ſpiritus à Ioanne traditus.
Ad III. dub. De veritate huius ſententiæ: Omnis ſpiritus qui cõfitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.

doniani, Nouatiani, atque Pelagiani: imo id etiam confitentur Lutherani noſtri, & Caluiniani. Ad hoc reſpondet ibidem Auguſtinus, hæc verba magnam vim, & grandem ſenſum continere. Omnes enim hæretici deficiunt in confeſſione aduentus Ieſu in carne, quia etſi corde credant, & ore confiteantur Ieſum in carne veniſſe, factis tamen ipſis inficiantur, & negitant. Venit enim in carne, vt pro nobis mereretur, & doceret charitatem, & vnitatem nobis ſeruandam: hæreticus enim nō habet charitatem, quia propter ſuum amorem diuidit Eccleſiam, eius vnitatem ſcindit, & tunicam Chriſti inconſutilem laniat, & Chriſtum diuidit, qui tamen mortuus eſt, vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum: & vt fieret vnum ouile, & vnus Paſtor, & vt quaſi gallina congregaret ſub alas pullos ſuos: at hæreſis ſcindit, ac diſcerpit Eccleſiam & tot fiūt Eccleſię, quot hæreſes, ac dogmata falſa. Proinde non ſatis eſt confiteri corde, & verbo, & dicere bis, Domine, Domine, ſed oportet ter dicere, corde ſcilicet, verbo, & opere.

Reſponſio Auguſtini. — *Tit. 1.* — *Ioan. 11.* — *Supra 10.* — *Matth. 23.* — *Supra 7.*

Alij vero hanc dubitationem aliter ſoluunt, ex ſacra Theologia producentes, quod qui in vno aliquo articulo pertinaciter errat, reliquos nō vera fide credit, nec vere confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ſed opinione credit, & confitetur. Debemus enim credere, eſſe eum ſecundam perſonam Trinitatis, & veniſſe in carne hominem factum illum, qui verus Deus erat: & fuiſſe verum Regem, Prophetam, Pontificem, & Doctorem omnium eorum, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, vel per ſeipſum, vel per Apoſtolos, vel per magiſterium Spiritus Sancti, quem Eccleſiæ in perpetuum reliquit, & donauit. Et vt qui deficit in vno pręcepto, factus eſt omnium reus, teſte Iacobo Apoſtolo: ita qui deficit in vno articulo per fidem diuinam, & Catholicam credendo, omnium articulorum fit reus, & Chriſti aduentum fruſtratur, & facto ipſo illum negat. Eſtque ſermo de confeſſione ex vera fide per charitatem operante, vt ait Didymus. Alioquin & dæmones credunt, & cōfitentur, & contremiſcunt. Et hæretici quidem credunt, & confitentur, ſed pro ſuo arbitrio, & voluntate. Eſt etiam ſermo de confeſſione vera, & excludente tam fictam, quam coactam fidei teſtificationem. Auguſtinus ſermone dicto de Verb. Apoſtoli, & tractat. 6. in hanc epiſtolam: *Quid eſt*, ait, *Chriſtum in carne veniſſe, negare factis, niſi ſuperbire, & noua dogmata cōdere? Quid tibi oſtendit qui negat, quia dixit ſoluit? Ille venit colligere, tu venis ſoluere. Diſtringere vis membra Chriſti. Quomodo non negas* Chriſtum *in carne veniſſe, qui diſrumpis Eccleſiam, quam ille congregauit: Contra Chriſtum ergo venis, Antichriſtus es. Intus ſis, foris ſis Antichriſtus es. Sed quando intus es, lates, quādo foris es, manifeſtaris.* Idem de ſerm. 53. de Verb. Domini: *Amate ſcientiam, ſed anteponite charitatem: ſcientia ſi ſola ſit, inflat. Quia vero charitas ædificat, non permittit ſcientiam inflari. Ibi ergo inflat ſcientia, vbi charitas non ædificat: vbi autem ædificat, ſolidata eſt.* Idem lib. 9. de Ciui. Dei, c. 20. *Scientia inflat; charitas vero ædificat.* Quod recte aliter non intelligitur, niſi ſcientiam tunc prodeſſe, cum charitas ineſt. ſine hac autem inflare, id eſt, in ſuperbiam inaniſſimæ quaſi ventoſitatis extollere. Eſt ergo in dęmonibus ſcientia ſine charitate, & ideo tam inflati, id eſt, tam ſuperbi ſunt, vt honores diuinos & religionis ſeruitutem, quam vero Deo deberi ſciunt, ſibi ſategerint exhiberi. Recte Auguſtinus dæmones ait à ſcientia inflante nomen accepiſſe: nam tentarunt Adam de ſcientia, quorum vnus dixit, *Eritis ſicut dij ſcientes bonum, & malum.* Vnde Cherub. plenus ſcientia, dicitur cecidiſſe de medio lapidum ignitorum. Ezech. 28. Idem Auguſtinus. *Idem ſapere*, inquit, *eſt non diuerſum ſapere; ſapere ad ſobrietatem. Idem ſapere, eſt Catholicam fidem retinere. Schiſmaticus, vel hæreticus diuerſum plus quam oportet ſapit. Sapere pluſquam omnes ſapiunt, deſipere eſt. Idem ergo ſapiamus, fratres, qui ſumus in Chriſto, vnum Deum inuocamus, vnum Deum credimus, vnum Euangelium legimus, vnum Pſalterium recitamus, vnum Amen reſpondemus, vnum Alleluia reſonamus, vnum Paſcha celebramus. Cur non & vnam matrem Eccleſiam agnoſcimus? Idem ergo ſapite nobiſcum, idem cum maioribus, & patribus, idem cum vniuerſa Eccleſia.* Hæc ille.

Altera ſolutio. — *Ioan. 14.* — *Iaco. 2.* — *B. Didym. hoc loco. 1. 4.* — Qualis hęreticorum fides, atq; credulitas. — *Aug. ſerm. 31. ca. 9. 10. 10.* — *Idem to. 9.* — *Idem ca. 6. 1. Cor. 8.* Scientia quando non inflat teſte Auguſtino. *Idem to. 5.* — Dæmonū quanta ſuperbia & arrogantia, & vnde oriatur. — *Gen. 3.* — *Rom. 12.* Chriſtifideles quando idem ſapiant.

Sequitur: *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt.* Vbi alteri dubitationi reſpondendum eſt, quænam ſcilicet ſit vera lectio huius loci, & quis ſenſus. Græca exemplaria, quæ modo extant, aliter habent nimirum: *Omnis ſpiritus qui non confitetur Chriſtum in carne veniſſe ex Deo non eſt.* Et idem habet Syriacus codex. Mos etiā eſt Ioannis Apoſtoli, poſt affirmationē, contradictoriam negatiuam adiungere ad maiorem aſſeuerationem. Sequuntur etiam eam lectionem nonnulli ex noſtris, vt Cyprianus libr. 2. in Iudæos; Auguſtinus etiam eam quandoque ſequitur, ſed & noſtram quandoq; amplectitur, & interpretatur, tam in hunc locum ſcribens, quam

Ad Quartum dub. De lectione huius loci: Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo nō eſt. — *B. Cyprian. cap. 7.* — *Aug. tract. 6.*

quàm in ſerm. 31. de Verb. Apoſtoli per aliquot capita. Tamen reuera præſtantior videtur lectio Latina, & antiquior, eamque Tertullianus libr. de Ieiunio in ipſo ferè principio, & lib. 5. aduerſus Marcionem, & Irenęus Græcus autor, & antiquiſſimus, lib. 3. cap. 18. agnoſcunt, & ſectantur: hic enim de Valentino tradit, quòd ſolueret Ieſum, aliud faceret Verbum, alium Ieſum Chriſtum. Sequitur etiam hanc lectionem hoc loco Didymus, & interpretatur. Adde Theodoritum, qui ita legit in epiſtola quadam: *πᾶν πνεῦμα λύον Ἰησοῦν*. His adde Hiſtoriam Tripartitam libr. 12. cap. 4. vbi loquens de Neſtorio, noſtram lectionem confirmat dicens: *Qui ignorabat quod in Catholica Ioannis epiſtola in antiquis exemplaribus habeatur: Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, à Deo non eſt. Hunc enim ſenſum ex veteribus exemplaribus abſtulerunt, qui ſeparare volunt ab hominis diſpenſatione diuinitatem.* Beda quoq; & alij poſteriores eandem libere probant, & ſequuntur lectionem.

Tertull. *Irenaus.* Valentinus quomodo ſoluerit Ieſum. *Dydimus.* *Theodorit.* *Tripart.*

Erat autem tempore Ioannis Euangeliſtæ articulus de aduentu Chriſti in carne in controuerſia poſitus ab hæreticis, Iudæis magna ex parte, vel à Iudaizantibus, quales erant Gnoſtici, Simon, Cerdon, Valentinus, Marcion, & ſimiles. Neſtoriani in primis diuidebant hominem à verbo, ponendo duas perſonas in Chriſto: Arrius diuidebat Filium à Patris eſſentia, dicendo non eſſe homuſion, ſed diuerſæ ſubſtantiæ, Patrem maioris, Filium minoris. Macedoniani etiam, qui dicebant Spiritum ſanctum inferiorem eſſe Chriſto, ſeparabant Chriſtum à Spiritu ſancto. Græci item dicentes Spiritum ſanctum non procedere à Patre & Filio tanquam ab vno principio, ſeparant eſſentiam Patris & Filij ab illa Spiritus ſancti. Apollinaris aſſerẽs in Chriſto non fuiſſe animam ratione ꝓditam, & Verbum ſuppleuiſſe locum animę rationalis quaſi formæ, Ieſum ſoluit. Quod confirmat Ambroſius his verbis: *Apoſtolus certè qui de eo dixit: Quoniam etſi crucifixus eſt ex infirmitate noſtra, viuit tamen ex virtute Dei: ipſe dixit, quia non diuiſus eſt Chriſtus. Nunquid etiam cum dicimus, quia animam rationalem, & intellectus noſtri ſuſcepit capacem, diuidimus eum? Non enim ipſe Deus Verbum, pro anima rationabili, & intellectus capaci in carne ſua fuit, ſed animam rationabilem, & intellectus capacem, & ipſam humanam, & eiuſdem ſubſtantia cuius noſtra ſunt anima, & carnem noſtræ ſimilem, eiuſdemq; cuius caro eſt noſtra, ſubſtantia, ſuſcipiens Deus verbum, perfectus etiam homo fuit, ſine vlla tamen labe peccati, quia peccatum ipſe non fecit, ſed pro nobis peccatum factus eſt, vt nos eſſemus iuſtitia Dei in ipſo.* Hæc Ambroſius. Neſtorius quoque dicens Mariam *χριστοτόκον*, non *θεοτόκον*, Ieſum ſoluit, & negat Verbum in carne veniſſe ex Maria. Sicut Valentinus dogmatizans Ieſum tuliſſe corpus de cœlo, & illud tranſiſſe per Virginem, tanquam per canalem quendam, Ieſum ſoluit, qui verum corpus ex matre accepit. Atque his ſimilia Auguſtinus tradit tract. 6. in hanc Epiſtolam.

Quam varijs modis hæretici olim ſoluerint Ieſum.

B. Ambroſ. li. de Incarnat. Dominica Sacramen. cap. 7. ſub fi. to. 2. 2. Cor. 13. 1. Cor. 1.

Eſa. 53. 1. Pet. 2. 2. Cor. 5.

B. Auguſt.

Nos tamen poſſumus amplius huius ſententiæ explanationem proponere, & diſſerere. Qui enim ſoluit vel humanitatem à diuinitate, vel animam rationalem à Chriſto, vel verum corpus Chriſti non eſſe ex Virgine generatum contendit, verè Ieſum ſoluit. Qui Eccleſiam quoque Catholicam à capite ſuo Chriſto diſiungit, vel ſeipſum ab Eccleſia per hæreſim, aut ſchiſma, vel Eccleſiam in multas partes diuidit: reuera ſoluit Ieſum, & eius tunicam inconſutilem. Qui item negat autoritatem Generalium Conciliorum, vel Spiritum ſanctum illis adfuiſſe, ac præfuiſſe, Ieſum ſoluit. Qui negat Epiſcopum Romanum non eſſe à Chriſto conſtitutum Eccleſiæ paſtorem, & ſummam autoritatem ligandi, & ſoluendi præ omnibus habuiſſe, ſoluit Ieſum. Qui doctrinam Chriſti ſacris tantùm literis conſignatam, & eam, quę traditione, & ſine ſcripto conſtat, nõ accipit, ſoluit Ieſum. Qui partem librorum Canonicorum detruncat, vel partem Sacramentorum, vel non omnia Scripturis ſacris comprehenſa, vel vniuerſa & integra Sacramenta prædicat, ſoluit Ieſum. Qui à venerabili Euchariſtiæ Sacramento realem Chriſti, & ſubſtantialem præſentiam tollit, vel cum ſubſtantia panis ponit eam: & tollit ſacrificium noui teſtamenti, & Sacerdotium Euangelicum, ſoluit Ieſum. Qui ſolam veterem legem accipit ſine noua, vel nouam Chriſti cum contemptu, & deriſione veteris, vt Manichæi faciebant, ſoluit Ieſum. Qui ſolam Ieſu miſericordiam prædicat, aut ſolam eius iuſtitiam, vel ſolam fidem ſine operibus, aut opera ſine fide: aut qui liberum arbitrium exaltat ſine gratia, aut gratiam ſolam ſine libero arbitrio, & non potius vtrumque ſimul; ſoluit Ieſum. Qui ſanctorum meritis, & virtuti, & interceſſionibus noſtris ad eos, vel inuocationibus noſtris, quibus eorum patrocinia poſtulamus, detraxerint, ſoluunt Ieſum.

Quid ſit etiam Ieſum ſoluere, planior autoris explicatio.

Matth. 16.

Iacob. 2.

Qui Chriſti, & matris, & Sanctorũ imagines, & ſtatuas honorandas, & colẽdas, vel eas inutiles, & Eccleſiæ pernicioſas, vel idololatriæ plenas, ac de Eccleſia exterminandas docent, ſoluunt Ieſum. Qui docent, vanam eſſe rationem ſuffragendi mortuis in Chriſto, in Purgatorio detentis, per mediatoris ſacrificium, orationes, eleemoſynas, ieiunia, peregrinationes, & alia pietatis opera, ſoluunt Ieſum. Qui Eccleſiæ Catholicæ indulgentias, velut pias fidelium fraudes reſpuunt, vel vt earum prætextu licentiùs flagitia admittãt, ſoluunt Ieſum. Qui docet, Ieſum nobis propoſitum eſſe in Redemptorem, & Sanctificatorem, & non in exemplum, & legislatorem, & ècontrario, ſolum in exemplum, & non meritum, ſoluit Ieſum. Qui docet, Epiſcoporum, & miniſtrorum Chriſti doctrinam bonam propter malæ vitæ abuſus, & peſſimum viuendi exemplum non eſſe acceptandam, nec audiendam: vel ècontrario ꝓpter eorum doctrinam, & vitam malam, aſſerit eſſe ſequendos, & imitandos eorum malos mores, qui contra Chriſti verba loquitur, ſoluit Ieſum. Qui in diuina natura vnam tantùm perſonam conſtituit, & non plures, vel in Chriſti perſona vnam tantùm voluntatem, & non duas, diuinam ſcilicet, & humanam, & non aſſerit Chriſtũ ex duabus naturis, conſtitui, & voluntatibus, & in duabus naturis, & voluntatibus conſiſtere, vt fides Catholica docet; is apertè ſoluit Ieſum. Facilè eſſet per omnes alias hæreſes veteres, vel nouas diſcurrere, ſi opus eſſet: ſed ex his facile eſt iudicium ferre de alijs.

Ad V. dub. in illis verbis: Et hic eſt Antichriſtus.

Et concludit: *Et hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt.* Hic, inquit, qui ſeparat clerum ab Eccleſia per hęreſim, Aut chriſt' eſt, vult dicere, præcurſor Antichriſti eſt, de ei' ſpiritu trahens, & ei' imitator: quia vt Antichriſtus ꝓponet ſe in templo Dei colendum tanquam ſit Deus, ita hæreticus quiſque Deo ſeipſum præferens, & toti Eccleſiæ, & antiquitati, ſe pro Chriſto in templo Dei colendum proponit. Ac vt ille promiſſis, & ſignis vanis, & mẽdacibus ad ſe alliciet, ita hæreticus falſis ſcripturis, & deprauatè intellectis, & vaniſſimis ꝓmiſſionibus facit. Et ſicut olim viri ſancti, & prophetæ typus Chriſti erant, quod de eius ſpiritu participarent: ita iſti qui præcedunt Antichriſtum, de eius ſpiritu bibunt. Græcè in Gignendi caſu legitur, Hic eſt Antichriſti, ſcilicet ſpiritus. *De quo audiſtis quoniam venit.* Præſentis temporis eſt, venit, & pro futuro ponitur ob certitudinem prophetiæ: vel quia in ſpiritu iam venerat: ſicut Dominus loquens de Ioanne dixit: *Elias iam venit primum*, id eſt, Venturus eſt: quia vt Angelus Zachariæ dixerat: *Veniet in ſpiritu, & virtute Eliæ*, ita hic venit in ſpiritu, & virtute Antichriſti.

2. Theſſ. 2.

Ibidem.

Luc. 1.

DISPVTATIO XXVI.

In illa verba: *Vos ex Deo eſtis filioli, & vicistis eum, quoniam maior eſt qui in vobis quam qui in mundo. Ipſi de mundo ſunt: ideo de mundo loquuntur & mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus. Qui nouit Deum, audit nos, qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris. Chariſsimi, diligemus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt*, & reliqua.

MAXIMA eſt hominis propenſio ad ſcientias capeſſendas, quia omnes homines, ait Philoſophus, naturaliter ſcire deſiderant. Hinc de ſcientia boni, & mali tentatus eſt Adam à dęmone, & corruit: idem de ſcientia tentauit omnes hæreticos, atq; eos proſtrauit: per eos item promittentes ſcientiam, adhuc tentat Chriſtianos. Ideò Apoſtolus Timotheũ admonuit: *O Timothee, depoſitum cuſtodi:* deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. Quã quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Vbi rectè admonuit cauendum à nouis vocibus, & ꝓfanis. Omnis enim hæreſis noua tradens, & peregrina dogmata, nouos errores confingit, vt Gnoſtici hæretici à ſcientia dicti, & Lutherani noſtri ſeculi, qui Epiſcopum vocant miniſtrum: Euchariſtiam, Cœnam Dominicam; ſanctos piè defunctos, vocant mortuos: & omnia nouis vocibus innouarunt. Promittit etiam hæreſis veram Scripturarum intelligentiam, & ſcientiam. Sed contra hæc omnia armandi ſumus depoſito tradito, quia ſemen bonum ab initio ſeminatum eſt per Apoſtolos, zizania vero ſuperſeminata ſunt per homines inimicos.

Ariſt. 1. Metaphy.

Gen 3.

1. Timo. 6.

Hęreſes in primis noſtræ tempeſtatis quas induxerint profanas vocum nouitates.

Mat. 13.

Ideò Ioannes ait: *Vos ex Deo eſtis filioli, & vicistis eos: quoniam maior eſt, qui in vobis eſt, quã qui in mundo, &c.* In his verbis pauca videntur eſſe dubitatione digna: ſi tamen quicquam fuerit, in eorum explicatione

Quibus imponere inprimis ſtudeat humani generis inimicus.

tione diſſoluetur. ¶ Vos, inquit, filioli, amabiles, & qui ſeduci facile poteſtis: quia

Habac. 1.

vt dixit Habacuc de dæmone, Eſcæ eius electæ, & teneros, & imperfectos in virtute dæmon ſolet aggredi, & facilius ſeducere; fortes autem, & in virtute fidei exercitatos non ita in errores trahit. Puſilli

Pſ. 4.

tantum ſcandalizantur, iuxta illud: *Aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.*

Gen. 3. 1. *Tim.* 2.

Ex Deo eſtis, Non ex Adam ſeducto per Euã, ſed ex Chriſto vincente dæmonem, & Euam carnem ſuam; ac per hoc habentes

2. Cor. 1.

Spiritum Chriſti inſtructorem, & conſolatorem, & pignus hæreditatis veſtræ. Et quia ex Deo diuina intelligitis, amatis, &

1. Ioan. 2.

operamini; ac proinde vnctio eius docet vos de omnibus. *Et viciſtis eos.* Nimirum

Mat. 7.

Antichriſtos, & pſeudoprophetas venientes ad vos in veſtimentis ouium, ꝑmittentes Scripturarum intellectum, veram Chriſti ſcientiam, veram Dei Eccleſiam.

Quibus armis Perſę Chriſtiani vicerint Malignum.

Alij legunt. *Viciſtis eum*, ſcilicet Antichriſtum, vel ipſum etiam Satanam, & mundum ipſum, viciſtis autem fidè, perſeuerantes in depoſito antiquo vobis tradito, vel dono diſcretionis ſpirituum, obſcura à planis & manifeſtis diſcernendo, & per plana, & clara interpretando obſcura. Viciſtis etiam humilitate, vos ſuperiorum veſtrorum iudicio ſubmittentes, & precibus ad Deum confugientes, *Quoniam ſi*

Luc. 11.

vos (ait Dominus) *cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris: quanto magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum bonum petentibus ſe?* Et viciſtis iam ex parte, & magis in futuro vincetis. Vel præteritum ponit ꝓ

Hebraiſmus frequens.

futuro: viciſtis, pro, vincetis, vt quidam annotant, ob certitudinem rei; & vt alacriores, & paratiores reddat ad pugnam, ſcientes certam victoriam affuturam. Ita conſolatur eos, & mitigat ſermonem prædictum, multos ſcilicet eſſe iam in mundo antichriſtos: ſed iſti nihil adhuc in vos poterunt.

Summa conſolatio hominis per fidem, & amorẽ adhærentis Domino. *Eph.* 3.

Quoniam maior, inquit, *eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Hoc primũ ſummè conſolatur nos: quia etſi multos ſeductores excitat dæmon, Deus tamen, qui per fidem, & dilectionem, habitat in vobis, fortior eſt dæmone. Hinc legimus in diſputatione interdum ſimplices, & rudes viciſſe doctiſſimos, & ſilentium illis impoſuiſſe.

Cur vni Deo omnia bona ferre debeamus accepta. *Mat.* 16. *Iob.* 13.

Docemur deinde, ne de noſtris ipſorum viribus gloriemur, aut pſumamus cum Petro: quia ex ſtupa ſumus, & fauilla, & folium quod vento rapitur, & ſtipula ſicca, neque ſtamus pollicitis, ſed facilè prolabimur, & retrocedimus, ideò victoria noſtra tota eſt Deo adſcribenda, quia ipſius gratia, ſapientia, & viribus vincimus. Ideò ſeniores illi viginti

Apoc. 4.

quatuor ponebant de capitibus ſuis ad pedes Agni coronas ſuas, qui ſolus in omnibus vicit, & de quo dicere poſſumus

Phil. vlt.

cum Paulo, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

Hæreticorum doctrinæ cõſentiens, vnde fiat inexcuſabilis.

Tertiò, hoc verbo inexcuſabilis redditur, qui conſentit Hæreticorũ doctrinæ, quia non poteſt prætexere ignorantiam, aut debilitatem, aut quid aliud: quia ſi ſe Deo commendaſſet ex corde, & fide reſtitiſſet, viciſſet proculdubio, ſi tot teneri pueri, & puellæ contra Satanam decertantes, & extrema pro Chriſto patientes vicerunt.

Chriſti victoriæ in athletis ſuis.

¶ Eſt ergò Chriſtus maior qui nos inhabitat, ac per hoc vincit in diſputationibus, oſtendendo falſa, & mendacia, & violenter detorta ea, quæ pro ſe ipſis producunt Hæretici. Quarè

Act. 6.

de Stephano teſtatur B. Lucas, Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui

Luc. 21.

loquebatur; Dominus quoq; dixit, Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Vincit in inſidijs, quas Hæretici moliuntur contra Catholicos, eas aut detegendo, aut permittendo vt ſerui ſui errantes illas euadant: quemadmodùm

B. Aug.

Auguſtinus de ſe ſcribit, quòd cum iter aggrederetur, vt diſputaret cum Hæretico quodam, permiſit Deus, vt à recta via aberraret, vt ita euaderet inſidias hæreticorum, quæ illi paratæ erant in recto itineris progreſſu. Vincit etiam in carceribus, plagis, & in tormentis, vt non

Mira vis veritatis ex teſtimonio etiam iudicum Ethnicorum.

tam ipſi Martyres tormentis, quàm tormenta illis defuiſſe videantur. Vincit etiam, cùm iudex Ethnicus ei ꝑficitur, diſputatione. Nam in diſputatione Athaſij cum Arrio, Probi Gentilis viri ſententia Arrius damnatus fuit. Turcarum etiã Princeps Solymanus noſtro ſeculo auditis controuerſijs inter hæreticos & Catholicos, Lutheranos damnandos eſſe cenſuit, & pro Catholicis ſtare veritatem affirmauit. Vincit quoque Deus charitate Catholicorum hæreticos, quia pro illis orant, & tormenta patiuntur. Dæmon autem in hoc mundo eſt tanquam tyrannus princeps, omnia turbans, & erroribus, &

Contra quos mũdus nil poſſit.

perſecutionibus agens. Et ideò mundus timendus non eſt, quia nihil poteſt, modò te ſpolies eo ꝙ de mundo habes, quia per illud facile te in naſſam trahet, & ſeductione vincet te princeps huius mundi.

Pſeudoprophetarum nota ex Ioanne.

Ipſi de mundo ſunt, & de mundo loquuntur & mundus eos audit. Graphicè & ſuis veris coloribus depingit pſeudoprophetas. Et ex his tribus verè poſſunt cognoſci,

& de

& deprehendi à nobis. Primò quod *Ex mundo ſunt*, id eſt, mundanis honoribus, diuitijs, & voluptatibus carnis afficiuntur, illas res amant, illas habent in pretio. Vnde Auguſtinus lib. de vtilita. credendi: *Hæreticus eſt*, inquit, *vt mea refert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq́; ſui gratia falſas, ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur.* Et quidam religioſus egregiè dixit:

B. Aug. c. 1. contra prin. tom. 6.

Naturam hæreſeos ſatis eſt depingere paucis,
Multiplices valeas vnde notare dolos.
Huic faſtus pater eſt, huic ignorantia mater:
Scãdala ſtirps. frater ſchiſma, caroq́; ſoror.

Hæreſis natura.

Hinc hæretici fingunt mundi contemptum, & carnis, & ſimilium, cum tamen ſint in carnis vitijs demerſi. Vnde Simon Magus Helenam meretricem ſecum ducebat; Marcion Philumenen; Lutherus Catharinam Monaſterio virginũ præfectam; Bernardinus Senen. accepit ſororis ſuæ ſeruam, cum qua nuptias celebrauit, Valentinus Hæreticus excluſus ab Epiſcopatu, in hæreſim incidit; ac Hoſius Cordubenſ. præ auaritia fidem Catholicam negauit, & noſtri ſeculi hæreſis ab auaritia prædicandi indulgentias ortum accepit.

Noſtri ſeculi hæreſis vnde ortum habuerit.

Secundò ait: *Ideo de mundo loquuntur.* Id eſt, Docent, & annunciant, quæ carnalibus, ac mundanis grata, & accepta ſunt. Et vt Propheta dixit in iſtorum perſona, *Qui dicunt videntibus, Nolite videre, & aſpicientib⁹, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Mahumetus ſenſui grata, & carni, ac genio conſona annunciauit: Antichriſtus autem verus omnem carni licentiam cõcedet, & prætereà pecuniam numeraturus eſt diſcipulis ſuis: quo pelliciente incitamento quam plurimos ſuarum partium ſectatores habebit.

Antichriſtus vnde mundum ad ſe pelliciet.

Tertium eſt: *Et mundus eos audit.* Sicut enim qui ex Deo eſt, verba Dei audit: ita qui ex mundo, verba mundi audit, & libenter, & cum guſtu audit, quia Spiritus loquentis cum verbis ſuis quodammodò in auditores Spiritum ſuum transfundit. Vt, enim Cancer quandiu carnem inuenit, illam deuorat, ita ſermo hæreticorum carnales depaſcitur. Hinc tãta hæreticorũ noſtri ſeculi colluuies. Audiũt autẽ mundus libenter hæreticos primò, quia carnalia, & ſibi conſona docẽt: non enim recipit, ſtultus (inquit Sapiens) verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde eius. Deinde hæreticus in diſputatione iudicem facit populum inter ſe, & Eccleſiam, & perſuadet ſimplici, ac rudi

Quos libenter mundus audiat, & cur.

2. Tim. 2.

Pro. 18.

populo, quòd melius ipſis Epiſcopis, & presbyteris intelligat ſacras literas, & ita illi plebeculæ adulatur. Tertiò obijcit hæreticus noſtrorum Prælatorum vitam, & infert illud, *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* Spiritualis autem diiudicat omnia; eſſeq́; meros hypocritas. Sed hæc omnia non proueniunt ex defectu doctrinæ bonæ quia deterior eſt hæreſis quouis alio peccato. Quartò ſe tales eſſe qui glorificent Deum, & ſe ipſos humilient: ſed eſt qui nequiter ſe humiliat, ait Sapiens, & interiora eius plena ſunt dolo. Deinde non omnem laudem ſibi exhibitam probat Deus; & rectos tantum decet collaudatio, &, *Laus eius in Eccleſia ſanctorum.* Quintò gloriantur, quòd habeant multos ſectatores, quos tam breui tempore lucrifecerunt. Reſpondemus, idem dixiſſe ſtultum, & impurum Mahometum. Et iſti nebulones principio de paucitate gloriabantur, modò autem de multitudine. Sed reuera plures ſunt Catholici omnes, etiam modò; & plures præteriti omnes, qui idem nobiſcum ſenſerunt. Rectè quidem Hieronymus quodam loco dixit: *Iudæ regnum minus erat, quam regnum Iſrael,* & tamen apud Iudam erat verus Dei cultus, & plus durauit quam decem tribus.

1. Cor. 2.

Hæreſ... hi... pe...

Eccleſ. 19.

Pſ. 32.
Pſ. 145.

B. Hieron.

Sequitur membrum oppoſitum: *Nos ex Deo ſumus.* Deſcribit notas verorum Prophetarum, & eorum, qui ſynceré miniſtrant verbum Dei. Prima eſt, quod ſunt ex Deo, quod ad vitam, & mores inculpatos attinet, & erant Apoſtolici viri confirmati in gratia, in quorum perſona loquitur Ioannes. Secunda: etſi prædicatores, & doctores interdum aliquibus peccatis contaminantur; tamen quod docent, vel quæ tradunt credenda, vel facienda, ſunt ex Deo, quia docent non ſua, ſed quæ ſunt Ieſu Chriſti, qui dixit: *Omnia quæcunq; dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum opera verò eorum nolite facere;* & per illam doctrinam ipſimet, & alij peccatores reduci poſſunt, vt ſint etiam ex Deo quantum ad gratiam, cùm ſint pars Eccleſiæ Dei. Tertiò, ſunt ex Deo, quia miſſi ab eo, cuius eſt mittere doctores, & Prophetas, neque ſe ingeſſerunt, vt faciunt omnes hæretici, qui non niſi miſſi à Satana veniunt ad nos.

Veri Prophetæ, vt... tiq; veritatis d... doctores & inte... pre... qui...

Mat. 23.

Iere. 23.

Subdit: *Qui nouit Deum audit nos.* Soli fidei Dei qui guſtum habent, & ſapientiam Dei, de diuinis, & cœleſtibus loquẽtes benignè audiunt, quia qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Vt enim ſcientiæ rationes requirunt lumen rationis, & ab

Cur qui norunt Deum, ſoli audiant doctores veritatis.
Ioan. 8.

animalibus luminis rationis expertibus non capitur, ita diuina, & ſpiritualia, quæ tradit Euangelica doctrina, & q̃ ſupernaturali lumini fidei nituntur, homines increduli, & fidei expertes non capiunt, ſed ſtultitia illis videtur: & idcirco Chriſtus crucifixus Iudæis fuit ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, vt dixit Apoſtolus. Ex quo fit, vt etſi doctrinam Apoſtolicam mundus non habeat, mirum minime videatur. Ideò nec mirandum, ſi Catholici olim, vel modò fuerint pauci. Eccleſia Catholica diues eſt in paucis, quia habet omnes veras ſuas diuitias, nimirum Spiritum Chriſti, ſanguinem, & merita eius, Scripturas, & traditiones. Et ipſa de Eccleſia diſceſſio, Eccleſiæ, aut Chriſto non nocet, ſed tantùm diſcedentibus, & apoſtatis ab eis.

1. Cor. 2. *Supra 1.* Eccleſiæ diuitiæ quales, & quantæ.

Qui non eſt ex Deo, non audit nos. Ex Deo ille eſt, qui per intellectum fide illuſtratum, & voluntatem charitate inflammatã nat' eſt. Alioqui quantum ad ſubſtantiam omnes reprobi ex Deo ſunt, imò etiam ipſi dæmões. Et q̃a pauci sũt ex Deo, & qui ſunt, non oẽs perſeuerant, quia reuertũtur corde in Ægyptum; & quia ſtultorũ infinit' eſt numer': ideò admirari nõ debemus, ſi tot Pagani, tot Sarraceni, tot Iudæi, tot hæretici, deniq; tot falſi Chriſtiani nobis vbiq; occurrant: non enim audiunt doctrinam Euangelicam, & veros Chriſti miniſtros. Quare digni ſunt qui tradantur ſpiritibus erroris, vt ſeducantur, & pereant. Prætereà ſi quis audit, non audit vtiliter, etiamſi videatur audire Deum: etſi interdum petat conſilium in aliquo articulo conſcientiæ, non id facit ſtudio placandæ, & ſanandę conſcientię, ſed vt videatur ab alijs, & commendetur quaſi curam gerere ſuæ ſalutis.

Ex Deo quiſnam ſit. *Eccleſ. 1.* Vnde tanta paucitas filiorum Dei.

In hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris. Id eſt: per hoc diſcernimus multos veros, & falſos doctores, & multos veros & falſos Chriſtianos: quod hos euitem', & illos. *Chariſſimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo eſt.* Protulit hactenus cautelas circa fidem, vt probemus ſpiritus quales ſint: ne ſeducamur: iam cautos nos reddere conatur circa dilectionẽ proximi, ne quis in illa fallatur. Non Apoſtolus hoc loco ſaltat; vel digreditur, ſed è regione affectuum omnium humanorum locat charitatem mutuam, vt hinc aperiat qui ſunt ex Deo, & qui ſunt ex mundo, à proprijs ſcilicet noſtris affectibus. Hinc ait: *Chariſſimi, diligamus inuicem.* Chariſſimos vocat, ex Deo, & omnibus bonis, qui nati ſunt, vt diligant Deum, & vt à Deo diligantur. Ideò inſtruendi in lege regali, & perfectæ charitatis Chriſtianæ. *Diligamus inuicem.* Hoc tantùm diligamus, quia hoc parum eſt, ſed etiam, quod maius eſt, præſtemus: & ideò diligamus, etiam ſi non diligamur ob defectum charitatis in creatura: & non tantum verbo, & lingua, ſed opere, & veritate. Danda ergò opera diligenter, vt ita diligamus, vt ab alijs, vel inuitis exculpamus amorem. Sic enim congerem' carbones in caput inimici, vt ait Apoſtolus ex doctrina Salomonis, concludens: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Et quia beatius eſt, magis dare, quàm accipere; & quia ipſe prior dilexit nos: debemus nos dare operam, vt priores ſimus in inuitando mutuum amorem, & in honore inuicem præueniendo, & beneficijs maioribus decertando.

Spiritus veritatis, & ſpiritus erroris qua rediſcernitur. Ioannes quoſnam chariſſimos appellabat. *Iacob. 2.* Perfecta dilectio atq; Chriſtiana. *1 Ioan 13.* *Prou. 25.* *Rom. 12.* Officium charitatis. *Act. 10.* *1. Ioan. 4.* *Rom. 1.*

Eſtque ſermo de dilectione non naturali, nec de vitioſa multo minus, & carnali; neque de humana, & acquiſita, ſed de dilectione infuſa, & ſupernaturali, de qua ſubdit: *Quia charitas ex Deo eſt.* Eſtque hæc charitas, qua nos fratres in Adam; & fratres in Chriſto diligimus, volentes nobis ſimpliciter ſummum bonum, id eſt, Deum, & vitam æternam, & in ſubſidia, & inſtrumenta, quæ nos ad hunc finem perducant, hoc eſt, fidem, ſpem, charitatem, gratiam, bona opera, & volentes nobis ſanitatem, & bona fortunæ, quatenus ad illum finem conducunt.

Quęnam charitas ex Deo ſit.

Quia charitas, inquit, *ex Deo eſt.* Poſſet obijci, non charitatem eſſe ex Deo, ſed etiam fidem, quæ donum Dei eſt, & ſpem, quia vt ait Petrus, *Regenerauit nos in ſpem viuam:* & cætera dona, tam naturalia, à Deo Patre luminum deſcendunt. Dicendum eſt, omnia ex Deo eſſe, ſed varijs modis, & præcipuè charitatem, quæ tanquam quid Deo, & naturæ eius ꝓprium deſcendit. Deus enim neq; fides eſt, neque ſpes, ſed benè eſt charitas, per quam ei aſſimilamur, & conſortes diuinæ naturæ efficimur. Eſt etiam Dei ſpeciali ratione, quia nunquam datur ſine ipſo Deo, ſiue Spiritu ſancto, iuxta illud: charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Significatur prætereà, quod dilectio non qualitercunque ex DEO eſt, ſed vt conſtituit filios DEI, & vt vim habet aſſimilandi ſibi homines, quibus illam impertitur. Confutat & dogma Philoſophorum aſſerentium, quod penes ſcientiam maximè attendatur

Cur Ioannes charitatem potius, quam fidem eſſe ex Deo teſtatur. *Epheſ. 2.* *1. Pet. 1.* *Iacob. 1.* *2. Pet. 1.* *Rom. 5.* Error Philoſophorum.

datur ſimilitudo hominum ad Deum. Ioannes autem verius, & clarius loquitur & ponit illam in charitate.

Effectus charitatis, & dilectionis quæ eſt ex Deo.
Iacob. 1.

Addit: *Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum.* Non ſolùm charitas ex Deo eſt, ſed omnis qui diligit, filius Dei eſt, & ex Deo, hoc eſt, ex eius charitate natus, quia voluntariè genuit nos verbo veritatis. Vt rectè dixerit quidam: Omnium etiam parentum vetuſtiſſimũ eſſe amorem, ſiquidem per amorem mutuum parentum concipimur, incolumes in vtero ſeruamur, nati lactamur, & educamur & inſtruimur, ſpiritualiter quoq; prædeſtinamur, vocamur, & renaſcimur. Ex amore quoque filij Dei in cruce parturimur: ex amore Spiritus ſancti regimur, ducimur, trahimur, & ſolamen accipimus, Angeli ex amore, quo nos proſequũtur, nobis inſeruiunt, nos cuſtodiũt, nobis ſpirant bona, reprimunt à malis, ſolicitant ad redamandum Deum, & ſe. Paſtores etiam ſiue ſacerdotes ex amore nos paſcunt, docent Euangelium, corrigunt nos, adminiſtrant Sacramenta, prælucentes bonis operibus, vitæ ſanctæ nobis exemplum præſtant. Ex amore ſancti in cœlo ex ſe ipſis pro nobis orant, & à nobis inuocati intercedunt, deniq; ſalutis noſtræ cauſas apud Deum agunt.

Amoris antiquitas & vetuſtas in Deo.

Angelorũ in nos beneficia, ſacerdotum item, atq; ſanctorũ.

Porrò illud: *Ex Deo natus eſt:* intellige, non per pdeſtinationem, quia multi tales nondum diligunt, nec adhuc cognoſcũt Deũ, neq; quia ſunt ex Deo per creationem: quia ſic omnes eſſent renati ex Deo: neq; per creationem factam à Chriſto in cruce: niſi intelligas iam illam redemptionem nobis applicatam per inhabitãtem gratiam. Addit: *Et cognoſcit Deũ.* Nũc quidem per lumen vnctum, & diuinum, quia naturaliter lumen cognitionis præcedit amorem Dei, & amorem proximi propter Deum: nihil etiam poſſum^9 velle, aut diligere, quod priùs non ſit cognitum: & licet inuiſa poſſimus diligere; non tamen incognita, vt ait Auguſtinus. Deinde ꝓpter eiuſmodi amorem digni reddimur, vt amplius cognoſcamus: & ita amplius cognoſcentes, plus etiam amemus. Ita enim dixit Dominus: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo* (ſiue inſinuabo) *ei me ipſum.* Vt enim vmbra ſequitur corpus; & maius corpus maior vmbra: ita, vt liceat argumentari à corpore ad vmbram, & ab vmbra ad corpus: ita dilectio ſequitur cognitionem Dei diligibilis, & cognitio ſequitur dilectionem. Et vtrumq; perfectum fuit in ipſo Ioanne Apoſtolo, qui maximè & intelligentia, & cognitione Chriſti valuit, & maximus fuit dilector Chriſti, & dilectus amore mutuo, & reciproco. Atq; hinc reſultant duæ veræ combinationes. Prima eſt. Quantum vnctè, nouimus, tantum diligimus, & quantũ diligimus, tantũ etiã illa dilectione vncta nouim^9. Altera cõbinatio eſt: Quantũ diligimur à Deo, tantũ cõbinatione quadam nos eum diligimus: & quantum nos diligim^9 Deum, tantum ab eo diligimur.

Quomodò intelligendũ ſit, Qui diligit Deum, natum eſſe ex Deo.

Deum diligens vt cognoſcit Deum.

B. Aug.

Ioan. 14.

Ioannis Apoſtoli quanta dilectio Dei.

De amore & cognitione, combinationes duæ.

Subiungit Apoſtol^9: *Qui non diligit, nõ nouit Deum: quoniam Deus charitas eſt.* Cõtra hunc textũ poſſemus obijcere, in primis dæmones, qui per fidem nouerunt Deum, & contremiſcunt eius potentiã, & non amant, ſed potius oderunt: & Philoſophos, de quib^9 Paulus; *Qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt;* Alibi quoque Ioannes de Iudæorum Principibus loquens, ait, quòd multi ex illis crediderunt in Ieſum; ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Et Domin^9 apud Lucam; *Seruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non ſe præparauit; & non fecit ſecundum voluntatem eius; vapulabit multis:* ergò poteſt quis noſſe Deum, & voluntatem eius, quæ eſt, vt ab omnibus nobis diligatur, & tamen non diligere.

Quam verè dicat hic Apoſtolus, qui non diligit, non noſſe Deũ.
Iaco. 2.
Rom. 1.
Ioan. 12.

Luc. 12

Reſpondemus, Apoſtolum non hîc loqui de cognitione quacunque nuda, ſed de cognitione vncta experimentali, & imitatoria eius quod nouimus: quia reuera alia cum habenti inutilis ſit, & pernicioſa, quia maius iudicium ſibi accerſit, perinde ab Apoſtolo conſideratur, quaſi non eſſet, vel ac ſi nulla eſſet. Ideò ſcriptũ eſt. *In maleuolam animã non intrabit ſapientia.* Qui ergò non diligit, non nouit Deũ: id eſt, non reſpicit Deum, vt diligibilem, & vt munificum parentem; cum ſit tamẽ ſummè amabilis, & amantiſſim^9 parens. Et alio loco ait Dilectus: *Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat.* Non nouit, inquit, Deum: id eſt, Non eſt Dei cognitio (quam Apoſtolus lucẽ vocat) in eo. *Quoniam Deus charitas eſt.* Sicut malum, & ſceleſtum hominem, ipſam malitiam, & ſcelus vocamus: & hominem ſanctum, vel clementem, nominamus ipſam ſanctitatem, vel clementiam per figuram Auxeſis: Ita Ioannes Deum, nominat ipſam charitatem: tum quia ſicut Deus non tantum eſt bonus, iuſtus, & miſericors per aliquod accidens, ſed per ſubſtantiam ſuam eſt ipſa bonitas, iuſtitia, & miſe-

Sap. 1.
Quid eſt Non diligente non noſſe Deu.

1. *Ioan.* 2.

1. *Ioan.* 1.
Cur Ioannes Deum vocet charitatem.

miſericordia infinitè diligibilis, & infinitè diligens, & in ſe ipſa infinita dilectio: ſic eſt etiam diuina illa charitas noſtræ dilectionis efficiens cauſa, finis, & exemplar, & fomentum. Ex quo conſtat, quòd qui charitate vacuus eſt, ex Deo non eſt. Deinde qui cõtra charitatẽ peccat, cõtra Deũ directè peccat. Horrendum eſt n. (ait B. Paulus) incidere in manus Dei viventis. Si n. peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi a. in Dominũ peccauerit vir, quis orabit pro eo? Quã dulciter ergò ad charitatem Apoſtolus nos inuitat, tam fortiter nos ab oppoſito, id eſt, non diligendo, à crudelitate, odio & omni animi acerbitate nos abſterret.

Hebr. 10. *1. Reg. 2.*

Dei erga nos charitas vnde innoteſcat ſecundum Apoſtolũ dilectum.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Probat ab effectu infinito, & ab exemplo miſſi Filii Dei ad nos à peccato, & captiuitate veri Pharaonis, id eſt, diaboli, redimendos, Deum verè nos dilexiſſe. Eſtque ſenſus apertus: Quæ dixi de Dei dilectione, non ſunt verba tantùm, nec ab opinione ſumpta, ſed ſunt ipſa veritas, & ex fide diuina deprompta. Vt enim oſtenderet Deus charitatem ſuam, etiam filium ſuum vnigenitum miſit in mundum; nullo enim certiori, & euidentiori ſigno charitatem ſuam erga nos declarare potuit. Iſraelitæ enim pro magno beneficio acceperunt, quòd Deus Moſen miſerit ad eos liberandos, & viſitandos; vnde Exod. 4. Audientes quòd viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum, proni adorauerunt: & Dauid expendens hoc beneficium, dixit, Miſit Moſen ſeruum ſuum: Aaron quem elegit ipſum; Ioannes autem excellens quiddam, & in infinitum maius tradit: quod Deus miſit Filium ſuum: quod quidem Paulus beneficium vehementiùs exaggerans, ait: *Qui etiã proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Chriſtus verò cũ emphaſi, & admiratione dixit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Perpende, quis eſt qui miſit, vel dedit. Deus, nimirum, qui in nullo noſtri indigebat; imò qui omni iure nos poterat punire, & damnare, vt infideles ſeruos, & apoſtatas, & fugitiuos. Deinde cogita, quis eſt qui miſſus eſt. Eſtne Angelus? an Propheta? an ſeruus? nequaquam: ſed Filius Dei vnigenitus, hoc eſt, ſumma Patris poſſeſſio, ſupremum cœli decus, & gloria, cor eius, & amor, & voluptas eius, nulla in re Patre ipſo minor.

Beneficii incarnationis magnitudo. *Exod. 4.* *Pſal. 104.* *Rom. 8.*

Tanti doni circumſtantiæ quatuor.

Tertiò penſa, quibus miſit, vel dedit, hoc eſt; mundo, ſiue ſuis inimicis capitalibus: non ſolùm videlicet nihil de ſe benè meritis, ſed etiam peſſimè de ſe meritis. Nam ſi Abraham de obedientia cõmendatur, quòd filium ſuum, quem diligebat, Iſaac, offerre voluerit: quantò magis hæc Dei charitas in pretio incomparabili nobis eſſe debet? Quod enim Abraham offerre voluit, prius à Deo acceperat; & charitatem, & fidem, & obedientiam qua offerre volebat, priùs etiam à Deo acceperat. Vnde Salomon: *Tua ſunt, Domine, omnia; & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: Deo autem quis prior dedit, vt retribuatur ei?*

Geneſ. 22. *1. Paral. 29.* *Rom. 11.*

Quartò conſidera, in quem finem dedit, vel miſit: *Vt viuamus*, inquit, *per eum*, Vel, vt ait Euangelium: *Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Aliter miſit Deus Angelos Sodomã, & in Ægyptum, & in caſtra Aſſyriorũ: nimirum, vt euerterent, depopularentur, & exterminarent homines illos. *Vt viuamus per eum.* Id eſt: Per fidem vitam hic agamus ſpiritualem, vt ex Deo nati vitã cœleſtem agamus, & opera condigna filiis Dei proferamus, qui Deo viuũt, mortui prius mundo, carni, & Satanæ: & exẽplo Chriſti (qui vita noſtra pendens ante nos) Deo viuamus, & per actus fidei, ſpei, & charitatis, operum, verborum, paſſionum propter Deum moueamur: edendum noſtrũ filiũ, id eſt, voluntatem noſtram Deo proponamus, ſi iam eius primogenitum, & vnigenitum in fame noſtra ſubleuanda manducauimus, iuxta hiſtoriam duarũ matrum filios ſuos tempore obſidionis Samaritanæ comedentium: & ne cor noſtrum more illius, quæ recuſauit dare filium ſuum, Deo ſubtrahamus. Et tandem hac ratione viuendi obſeruata, vitam æternam glorioſam, & immortalẽ obtineamus: quia per reſurrectionem eius æternitatis, & immortalitatis nobis aditum reſerauit; & per aſcenſionem ſuam, poſſeſſionem æternæ vitæ accepit, pandens iter ante nos: conuiuificans, & conſedere faciens in cœleſtibus cum ipſo.

Ioan. 3. *Gen. 19. Exod. 7. 4. Reg. 19.*

Filius Dei incarnatus qualẽ vitam poſtulet à nobis.

4. Reg. 6. *Mich 2. Epheſ. 2.*

Ac benè ait, *Apparuit.* Charitas ſcilicet Dei, quæ prius vt radix arboris deliteſcebat, ſed poſteà manifeſtatur per truncum, folia, flores, & fructum: ita Dei charitas quaſi radix in Deo erat occulta, ſed poſteà manifeſtari cœpit per incarnationem, natiuitatem; per folia verborum, per flores deſideriorum, & per fructus prædica-

Charitas Dei quomodo apparuit nobis.

tionis, & miraculorum, & aliorum operum bonorum, per corticem patientiæ in morte: & quod reflorere ſe oſtendit per reſurrectionem, iuxta illud: *Et refloruit caro mea*, & reliqua. Quemadmodum Indiarum Occidentaliū inſulæ à principio vix eſſe credebantur: ſed poſteà conſpectis fructibus, & ligno ſancto, quod ex illis inſulis ad nos allatum eſt; viſis etiam auro, argento, & lapidibus pretioſis, credi cœptæ ſunt, ita vt multi illuc nauigantes, & noſtrum polum relinquentes, & per Antarcticum ſeipſos regentes, ad illas tandem Deo duce peruenerint. Ita à principio Dei charitas latebat in ipſo: ſed detecta eſt, & apparuit tandem per incarnationem, prædicationem, & mortem nobis, qui relinquentes polum arcticum rationis humanæ, & alterum polum Auſtralem per fidem ſecuti, illam tandem agnouimus, atque ad eam amplectendam Dei gratia progreſſi ſumus.

Pſal. 27.

Indiæ Occidentales vnde credi, & cognoſci cœperint.

Quod ſi fingamus, Regem Catholicum filium ſuum primogenitum ad Turcas deſtinare pro eruendis vinctis, ſeruis, & captiuis vt eos nō tantùm magno pretio redemptos liberaret, ſed etiam ditaret, ac nobilitaret, modò egreſſi, regredi vellent in patrias ſuas; aliqui verò ex captiuis dubitarēt, & nollent de terris Turcarum exire: ingens eſſet animi ingrati labes, & ſcelus inexpiabile: ad eum modum, cùm Deus Filium ſuum vnigenitum ad nos miſerit plenum virtute, & opibus ſpiritualibus refertum, cum certiſſimis teſtibus ſignorum, & miraculorum, qui nobis proderent eſſe verum Dei Filium, certè ſi quis gratiam oblatam recuſaret, ſtultiſſimus, ingratiſſimus, & omni beneficio Dei indigniſſimus meritò cenſeretur.

Incarnationis beneficium reſpuentes, quales illi meritò cenſeri debeant.

DISPVTATIO XXVII.

In illa verba: *In hoc eſt charitas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris Chariſſimi, ſi Deus dilexit nos; & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquam. Si diligamus inuicē, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt, In hoc cognoſcimus omnes quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*, &c. vſque ad: *Et nos vidimus, & teſtificamur quoniam Pater miſit Filium ſuum Saluatorem mundi*, &c.

SCOPVS in primis horum verborum eſt proponendus. Deinde dubium eſt, quomodo charitas Dei poſſit eſſe nobis nota, vt ex ea agnoſcamus debitum, & quantitatem dilectionis noſtræ ad eum. Nam ſi charitatem in corde noſtro exiſtentem non agnoſcimus; quomodo illam, quæ in Deo ſita eſt, agnoſcere poterimus? Tertiò, quî verum ſit, quòd Deū nemo viderit vnquam, cùm conſtet & Iacob, & Moyſen, & Paulum Deum vidiſſe. Quartò circa illud: *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis*, dubium eſt quare repetatur hæc clauſula, quæ ſuperiori clauſula integra poſita fuit.

Dubitationes quatuor diluendæ

Gen. 32. *Exod.* 33. 2. *Cor.* 12.

Quod ad primum attinet, auget, & amplificat Ioannes totum charitatis Dei erga nos negotium, non tamen ſine occupatione, qua tacitè reſpondet iis, qui exiſtimarent miſſionem hanc Filii Dei ad nos meritis noſtris factam: & hoc manifeſte negat impræſentiarū Apoſtolus. Ait ergo: *hoc eſt charitas*. Id eſt: Ex hoc, vel, Per hoc Diuina charitas eſt nobis agnoſcenda, quòd non prouocatus noſtro amore, aut operibus nos dilexerit. Vel: Ex hoc eſt ſumenda ratio, & menſura charitatis noſtræ erga Deum, ex eo quod ipſe prior non irritatus nos dilexerit, & excitauerit ad dilectionem. Nihil enim magis excludit amorem ab altero, quàm amor oſtenſus, & opere declaratus. Nam vt quidam acutè dixit.

Quid hoc propoſitum Apoſtolo.

Charitas Dei erga nos vnde cognoſci debet ſecundum Apoſtolum.

Vt præſtem Piladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem.

Hoc non fit verbis. Marce, vt ameris, ama.

Martialis

Ac vt amor verbis fictus nihil habet neruorum, & ignis in tabella depictus non calefacit, nec leo marmoreus terret, aut rugit: ita charitas, quæ vita, & efficacitate caret, non perſuadet, nec mouet.

Subdit: *Non quaſi nos dilexerimus Deum.* Lex, & ratio, quæ charitatem à nobis requirit, hinc pendet, Tria enim ſunt, quæ à nobis charitatem extorquent. Primum eſt: Quoniam prior dilexit nos Deus, etiam antequam eſſemus, præd eſtinando & eligendo nos, iuxta illud Ieremiæ, *In charitate perpetua dilexi te*, &: *Eligit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, ait Paulus Epheſijs *vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate*; & Capite vndecimo ad Roman. *Quis prior dedit illi, & retribue-*

Quæ tria à nobis charitatē & amorem Dei meritò extorqueant.

Ierem. 31.

Epheſ. 1.

Rom. 11

tribuetur ei: Qui enim nondum erant, non poterant eligere, vel diligere Deum, vel vllis ſuis operibus eum ad diligendum prouocare. Nemo igitur Chriſtianus criſtas erigat, aut ſibi quicquam tribuat. Vt enim radius, & calor effectus ſunt Solis, non cauſa Solis: ita Deus, & eius amor cauſa ſunt omnis noſtri boni. Eiuſmodi verò dilectio anticipata prodeſt ad dilectionem, & donum vitæ æternæ.

Matth.20.
Infra 22.
Infra 25.

Etſi verò prædeſtinatio, & electio ſine noſtris bonis operibus excitetur; non tamen ſine illis contingit ſalus. Aliud eſt enim eligere ad coronam, aliud præſtare coronam. Eliguntur bene currentes, & laborantes in vinea tota die, & veſte nuptiali induti, & portantes accenſas lampades cũ oleo. Datur ergo ſine meritis, vnde poſt reddat pro meritis.

Modus charitatis noſtræ erga Deum & proximos à Ioanne traditus.

Secundò ait: *Miſit Filium ſuum propitiatorem pro peccatis noſtris.* Ex quo maximè elicitur modus charitatis noſtræ erga Deum, & proximum. Eſt etiam hæc miſſio ante omne noſtrum meritum, & purè gratioſa, quia omne meritum, & ratio merendi apud Deum, in vno Chriſti incarnati, & paſſi merito nititur. Hinc promiſſio eius primò facta eſt Adæ peccanti, ad cuius ſeductorem dæmonem ait Dominus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ſemen tuum, & ſemen illius:* quando potiùs erat tunc omne promiſſum beneficium denegandum ob ingrati animi humani labem. Promiſſum etiam Regi Achaz infideli, & hypocritæ: *Ecce,* inquit, *Virgo concipiet, & pariet filium:* Venit & eo tempore, quo peccatum regnabat in ſummo gradu, & quo tempore dæmon vt princeps mundi imperabat tam in Iudæis, quàm in Gentibus.

Geneſ.3.
Eſai.7.

Quid, Deum miſiſſe Filium ſuum in mundum propitiatorem pro peccatis noſtris.
Aug. tract.7. in hanc epiſt. Ioan.

Quod autem dicit: *Propitiationem pro peccatis noſtris:* explicatio eius eſt quod dixerat: Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. Auguſtinus etiam enarrans hunc locum, ait: *Et miſit Filium ſuum litatorem pro peccatis noſtris. Litatorem, ſacrificatorem. Vbi inuenit hoſtiam? Vbi inuenit victimam, quam puram volebat offerre? Aliud non inuenit, ſeipſum intulit.* Hactenus ille. Ponderandum eſt verbum, Litatorem. Eſt enim litare, ſacrificando obtinere, & impetrare quod volumus. Et Ieſus orans cum lacrymis, exauditus eſt pro ſua reuerentia, & ſacrificando ſeipſum, obtinuit remiſſionem peccatorum noſtrorum, fecitque peccata omnia expiabilia in cauſa, & in potentia, & in merito. Actu autem non expiantur, niſi cùm acceditur ad Sacramentum, & ſubijcitur peccator legibus Chriſti.

Hebr.5.

Tripliciter peccata per Chriſtum expiantur.

Pro peccatis, inquit. Tam originalibus, quàm perſonalibus, & venialibus. Addit, *Noſtris:* quia peccata verè ſunt noſtra, & ex ſolis nobis profecta.

Qualem rependere amorem debeamus Deo nos amanti.
Pſal.5.

Tertium quod exprimit amorem, beneficij genus, eſt quod ſequitur: *Si ſic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Dicere debuerat iuxta conſequentiam verborum: Et nos debemus ſicillum diligere. Quia tamen reddere gratiam, & beneficium Deo ob infinitam ſui opulentiam, non poſſumus, quoniam ipſe bonorum noſtrorum non indiget, idcircò voluit, vt quod ipſi iure reddendum eſſet, nobis inuicem redderemus, vt ipſe ſibi redditum, & impenſum, pro ſua bonitate, & iuſtitia haberet. Vnde ait: *Quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

Matth.25.

Nota ergo verbum: *Si ſic Deus dilexit:* quia inſinuatur modus admirabilis, & inexplicabilis. Nota etiam verbum: Et nos debemus: vt imitemur Patrem; & quia, nimis diſtamus natura. Et quia dilectio fratrum eſt debita Deo, & modus ponendi animam pro illorum ſalute ſpirituali: *Si ſic,* inquit, *Deus dilexit.* Qui nec nobis, nec noſtris eget: quid de dilectione ad fratres Deo debita, & ipſis fratribus exiſtimandum eſt? quia opera illorum, & ipſis indigemus ad multa temporalia, & ad multa beneficia ſpiritualia. Et id natura comparatum eſt, vt filij parentes imitentur, & eos referant, quantum poſſunt. Cùm igitur ſimus filij Dei impensè nos diligentis, qui etiam proprio & naturali Filio non pepercit, vt opere nobis declararet amorem ſuum: iuſtiſſimum eſt Patrem imitari, mutuò nos diligentes, & ſubſtantiam noſtram illis indigentibus largientes: ſed etiamſi neceſſe ſit, vitam ipſam pro eis exponamus. Hanc charitatem facto ipſo docuerunt Priſca, & Aquila, quos ſalutans Apoſtolus Roman.16. ait: *Qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt.* Vnde excuſatio omnis proximis noſtris ſublata eſt quicquam denegandi, vt nemo dicat; Quid mihi cum illo? Cur mea illi darem? Nihil benè de me meruit: Opera eius non indigeo: Si hoc illi præſtare deberem., magnus illi ſubeundus eſſet labor. Sed omnia hæc iuſtius Deus dicere poſſet. Cogita ergo charitatem Dei erga te, & nihil graue videbitur quicquid proximo impenderis.

Pſalm.15.
Filiorum officium.
Rom.8.
Priſcæ & Aquilæ in Paulum charitatis documentum inſigne.
Rom.vlt.

Obſerua & aliam charitatis naturam in columba, quæ Chriſto baptizato ſuperuenit.

Matth.4.

uenit. Columba enim felle caret, & tamen pro nido, & pullis ſuis depugnat: ſic vera charitas felle caret, nullumq́ue odit hominem, nulli tamen vitio conniuet: nec in ſibi coniunctiſſimis diſſimulat, ſed arguit perſonam, naturam hominis diligit, vitia odit: nos verò ad peccata, & vitia proximorum conniuemus: quod non charitas, ſed indulgentia eſt. *Quos ego amo, arguo, & caſtigo*; ait Dominus; & iterum: *Qui diligit filium ſuum, aſsiduat illi flagella*; iterum: *Qui parcit virgæ, odit filium*; & : *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.*

Apocal.3. Eccli 30. Hebr.12. Prou.13. Infra 27.

Quorſum id: Deum nemo vidit vnquam.

Sequitur: *Deum nemo vidit vnquam.* Occurrit Apoſtolus hoc verbo tacitæ obiectioni, & cogitationi ſimplicium, qui dicere poterant: Quando imitari poterimus Deum, quem nunquam vidimus? Reſpondet: Etſi Deum nemo viderit vnquam, non tamen eum videndum in ſua natura propono, ſed eius charitatem attendendam tibi probo: nec dico quòd Deus ipſe, ſed eius charitas in operibus ſuis externis ad videndum propoſita nobis apparuit. Alter ſenſus eſſe poſſet: vt hic ratio reddatur exactæ à nobis charitatis, quam Deus ipſe diligens quærit, vt reddamus illi debitam dilectionem, & officia charitatis. Non ergo poſſumus directè in eum, quem non videmus, dilectionis noſtræ opera dirigere, qui ſenſibus ducimur: Deus verò, id eſt, eſſentia diuina, ſiue Trinitas, non poteſt videri oculo corporis, vel aliquo aliorum ſenſuum apprehendi, quia non eſt obiectum ſenſibile, proprium, vel commune. Deinde nequit videri Deus interno oculo, vel intellectus ex vi naturæ; nam ipſe dixit: *Non videbit me homo, & viuet*; & Paulus Timotheo: *Quem nullus*, inquit, *hominum vidit, ſed neque videre poteſt.* Idem quoque Ioannes in Euangel. dixerat: *Deum nemo, vidit vnquam.* Omnis etiam creata cognitio eſt per ſpecies, & nulla talis, cùm ſit finita, poteſt Deum, vtpotè infinitum, videre. Et ſi Moſes, & Paulus in raptu exiſtentes Deum viderint in corpore non exercente ſenſuum functionem, & cognitionem, priuilegium fuit, ſi viderunt, quanquàm multi Patres id apertè negent.

Alter ſenſus

Exod 33. 1.Tim 6. Ioan.1.

Qui Deum in Scripturis vidiſſe memorantur, quomodo viderint.

Geneſ 32. Supra 3. Exod.20.

Quòd ergo dicitur Iacob vidiſſe Deum, & Adam audiſſe vocem Dei ambulantis in Paradiſo, & Iudæis, cum loqueretur Dominus in monte Oreb: intellige, in ſubiecta creatura, vel in ſpecie imaginaria, vel in ſpecie intelligibili abſtracta, vel infuſa, vt Angeli, qui repræſentabant Deum, videbantur, & loquebantur: & Moyſi dixit Dominus: *Poſteriora videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Tertiò videtur Deus in cœlo per lumen gloriæ, etiamſi quidam hæretici, vt Abailardus, Almaricus, & Arnaldiſtæ id negauerint, qui dicebant, Deum ipſum minimè videri poſſe in gloria: quod alibi latè impugnauimus, quia videbimus facie ad faciem, & cognoſcemus, ſicut cogniti ſumus, & videbimus ſicut eſt: & ſemper cum Domino erimus, reuelata facie faciem Domini ſpeculantes: Angeli etiam vident faciem Patris, qui in cœlis eſt. Non poteſt tamen ab intellectu creato comprehenſiua notitia Deus videri. At quemadmodum teſte Baſilio, primò diſcimus, videre Solem in aqua, vel in ſpeculo, vt ita aſſurgamus ad videndum eum in ſeipſo: ita nos diſcamus videre Deum, & in Chriſto tanquam ſpeculo, vt poſteà altiùs aſcendamus ad videndum Deum in ſeipſo munite lumini gloriæ.

Infra 33.

Abailardi de beatifica viſione conuictum.

Li.2. enarratio. Euangel. in cap.1. Ioan.1. 1 Cor.13. 1.Ioan.3. 1.Theſſal.4. 2 Cor 3. Matth 18.

Elegans exemplum Baſilij de viſione diuina.

B. Baſilius.

Si diligamus inuicem; Deus in nobis manet, & charitas eius nobis perfecta eſt. Alia ratione vrget ad charitatem mutuam ſeruandam: quaſi dicat: Satis dilexiſti Deum, ſi fratrem diligis in veritate, in quo eſt Deus. Vel: Sat eſt vobis, ſi intellexeritis Deum in vobis manere, hoc eſt, fœdere, & amicitia Deo eſſe coniunctos, etiamſi nondum Deum videatis, quia Deus habitat, & hoſpitatur apud ſe mutuò diligentes. *Et charitas eius*, inquit, *in vobis perfecta eſt* Senſus eſt. Charitas, quæ Dei donum eſt, in nobis perficitur in hoc quòd fratres & proximos diligimus, quia qui proximum diligit, legem impleuit. Qui enim diligit proximum propter Deum, magis Deum ipſum diligit, iuxta regulam topicam: Propter quod vnum quodque tale eſt, & illud magis. Non eſt charitas Dei perfecta in hoc, quòd ſolùm diligas Deum ſine proximo, vel in hoc, quòd proximum propter te diligas, ſed in hoc quòd diligis eum propter Deum.

Idoneum argumentum amoris Dei, amor proximi, teſte Ioanne.

Charitas Dei vnde perficiatur in nobis: cod. ... *Rom.13.*

In hoc cognoſcimus quoniam in eo maneamus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Hoc ad conſolationem noſtram docet Ioannes: Quid obeſt, inquit, ſi Deum non videmus, cùm ipſum in nobis manentem videre non poſſimus? Nec enim propriam animam tuam vides contentus eo quod in te habeas, & ſentias; quidquid oculis corporis cernitur, temporale eſt. Plus prodeſt nobis pro tempore vitæ inuiſibilis eius præſentia, quàm viſibilis eius conſpectus, quod non poſſimus in hac vita. Primum verò Deus vltro nobis offert, cum ait: *Ad eum veniemus, & manſionem*

V. ſin Dei nobis interna quid conferat.

2.Cor 4.

Ioan.14.

ſionem apud eum faciemus. Cum autem Ioannes dicit: *Diligamus inuicem*, vel, *Diligamus alterutrum*, vel mutuo, vel, *Diligamus fratres*: omnes intelligit, etiam vſq; ad inimicos: nam ſic Deus dilexit nos.

Cur Ioannes nihil hic de dilectione inimicorũ mandauerit, commendaueritve fidelibus.

Quòd verò Ioannes nihil præceperit de diligendis inimicis: hoc fecit, quia Charitas vt ignis primò ea quæ ꝓpè ſunt, attingit: ignis autẽ, qui ea, quæ proxima ſunt non comburit, nec ea quæ longè ſunt, attingit Qui enim fratres, & amicos non diligit, quomodò inimicos amabit? Adhæc nomine fratrum ipſos inimicos complexus eſt: nam dixerat. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, & omnes ſumus fratres in Adã, & poſſumus eſſe fratres in Chriſto. ¶ Hanc autem ſententiam in fine præcedentis capitis præmiſit: repetit tamen, & inculcat Ioannes, vt conſoletur timidas, & puſillanimes conſciẽtias cognoſcentes ſe ad Deum pertinere, licèt odio, & perſecutionibus mundi ſint ſubiectæ. Secundò, vt accepto Spiritu, qui ex Deo eſt, cognoſcamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Qui enim nouit ſe nihil accepiſſe, non eſt gratus largitori. Tertiò hoc repetit, vt excitet ad maiorem cuſtodiam. Qui enim ſe nouit magnum theſaurum reconditum in arca aut cubiculo habere, magnam diligentiam adhibet in cubiculo ſeriò claudendo, vel arca munienda: & mulier, quæ aliquid nouit in ventre ſe habere, non ſaltat, neque currit, ne abortiatur. Quartò, hæc doctrina non parit arrogantiam, aut præſumptionẽ, qua ſibi aliquid tribuat: nam vel præſumeret de re ipſa, id eſt, de hoc quòd ſit in gratia Dei: & hoc non, quia etiam opinio, vel fides acquiſita, qua ſe exiſtimaret eſſe in gratia, idem faceret, & ſi præſumeret, malè faceret. Nã eſſe in Dei gratia, ad id occaſionem non daret, ſed potiùs impelleret ad ſe humiliandum, quia peccator erat. Et idem peccator ſua natura eſt, licèt miſericorditer ſit adoptatus in filium. Vel præſumeret ex hoc quòd nouit ſe ex ſignis, vel effectis eſſe in gratia Dei, & ad hoc nullam præbet occaſionem aſſenſus ille, quicunq; ſit, tum quod minùs pretioſus ſit quàm ipſa gratia: tùm quia alia chariſmata nouimus nobis ineſſe, & ſcientiam, prophetiam, operationem ſanitatum, donum linguarũ, quæ magis ex ſe ipſis inducunt ad ſuperbiam; nam ſcientia inflat, charitas verò ædificat. Tũ etiam, quia talis iuſtitia ex dono Dei eſt, ſicut & ipſa gratia. Hinc homo iuxta doctrinam Pauli, non debet de illo, nec de gratia in ſe, ſed in Domino gloriari. Tùm denique, quia ſi illa cognitio ex ſe daret occaſionem ſuperbiendi, & præſumendi, multò magis eam daret certitudo, quæ habetur per ſpecialem reuelationẽ, quia maior eſt. Sed oppoſitum docet experientia: quia Deus, qui omnia nouit, ſi id eſſet peculiariter cuiquam non reuelaret. Et ex Effectu liquidum redditur: quia illi magni, qui hoc ſciebant ex reuelatione, vt peccatrix, & adultera, & paralyticus, & Zachæus, item Petrus, & Paulus, humiliores erant, & nequaquam inde amplius ſuperbiebant. Quintò non inducitur Phariſaiſmus ex hac cognitione gratiæ inexiſtentis, imò ſecuris ad radicem eius ponitur, quæ eſt ſui confidentia, quam tollit cognitio fidei diuinæ, orta meditatione: quia hoc eſt cognoſcere naturâ eſſe nos filios iræ, & pendere in omnibus à gratia Dei. Hinc Phariſæus non reprehenditur quod crederet ſe eſſe in gratia Dei: Sic enim Paulus poſſet reprehendi, quia tantopere gratiam Dei in ſe operantem laudat; ſed quod cum in gratia Dei non eſſet, quæ illum humiliaſſet, ſe ſuis viribus iuſtum putabat, ac cæteros, præſertim Publicanum deſpiciebat, bona opera putans coram Deo, quæ erant bona tantùm coram hominibus. Vnde Auguſtinus ſuper illud Ioannis: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis*, ſic ſcribit: *Habebant occultè* (ſcilicet Spiritum ſanctum) *accepturi fuerant manifeſtè: quia & hoc ad maius donum ſancti Spiritus pertinebat, vt eis innoteſceret quod habebant. De quo munere loquens Apoſtolus, ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Hæc Auguſtinus.

Matth. 23.
1. Ioan. 3.
1. Cor. 2.
1. Cor. 8.
Supr. 1.
2. Cor. 10.
Luc. 8.
Matth. 9.
Luc. 16.
Epheſ. 2.
Luc. 18.

Phariſæus ille Thraſo vnde reprehenditur.

B. Auguſt. tract. 74. in Ioan. to 9.
1. Cor. 2.

Sexto ait: *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* Quemadmodum ſpiritum, ſeu animum noſtrum oculis corporis non cernimus, nec oculis mentis in ſeipſo videmus, bene tamen in certiſſimis operationibus eius, vt in ratiocinatione, & motu, & actionibus, quæ neceſſariò arguunt adeſſe intellectum: ita Spiritum Dei per ſe inuiſibilem, eſſe in nobis, ex operibus eius agnoſcimus; vt in vehementi deſiderio, & ſiti gloriæ Dei, & propriæ & alienæ ſalutis, in odio & fuga peccati, in dulcedine orationis, in ſuauitate lectionis, & meditationis verbi Dei, in prompta & alacri ad proximum beneficentia, in præparatione animi ad ſuſtinendam mortem pro fide Chriſti, & ſalute animarum. Vt enim ſol oriens ingreſſus cubiculum, non poteſt latere, quia

Signa præſentis gratiæ Dei in nobis.

uenit. Columba enim felle caret, & tamen pro nido, & pullis ſuis depugnat: ſic vera charitas felle caret, nullum que odit hominem, nulli tamen vitio conniuet: nec in ſibi coniunctiſſimis diſſimulat, ſed arguit perſonam, naturam hominis diligit, vitia odit: nos verò ad peccata, & vitia proximorum conniuemus: quod non charitas, ſed indulgentia eſt. *Quos ego amo, arguo, & caſtigo*; ait Dominus; & iterum: *Qui diligit filium ſuum, aſsiduas illi flagella*; iterum: *Qui parcit virgæ, odit filium*; &: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.*

Apocal.3. Eccli 30. Hebr.12. Prou 15. Infra 27.

Quorſum id: Deum nemo vidit vnquam.

Sequitur: ***Deum nemo vidit vnquam.*** Occurrit Apoſtolus hoc verbo tacitæ obiectioni, & cogitationi ſimplicium, qui dicere poterant: Quando imitari poterimus Deum, quem nunquam vidimus? Reſpondet: Etſi Deum nemo viderit vnquam, non tamen eum videndum in ſua natura propono, ſed eius charitatem attendendam tibi probo: nec dico quòd Deus ipſe, ſed eius charitas in operibus ſuis externis ad videndum propoſita nobis apparuit. Alter ſenſus eſſe poſſet: vt hic ratio reddatur exactæ à nobis charitatis, quam Deus ipſe diligens quærit, vt reddamus illi debitam dilectionem, & officia charitatis. Non ergo poſſumus directè in eum, quem non videmus, dilectionis noſtræ opera dirigere, qui ſenſibus ducimur: Deus verò, id eſt, eſſentia diuina, ſiue Trinitas, non poteſt videri oculo corporis, vel aliquo aliorum ſenſuum apprehendi, quia non eſt obiectum ſenſibile, proprium, vel commune. Deinde nequit videri Deus interno oculo, vel intellectus ex vi naturæ; nam ipſe dixit: *Non videbit me homo, & viuet*; & Paulus Timotheo: *Quem nullus*, inquit, *hominum vidit, ſed neque videre poteſt.* Idem quoque Ioannes in Euangel. dixerat: *Deum nemo, vidit vnquam.* Omnis etiam creata cognitio eſt per ſpecies, & nulla talis, cùm ſit finita, poteſt Deum, vtpotè infinitum, videre. Et ſi Moſes, & Paulus in raptu exiſtentes Deum viderint in corpore non exercente ſenſuum functionem, & cognitionem, priuilegium fuit, ſi viderunt, quanquàm multi Patres id apertè negent.

Alter ſenſus.

Exod 33. 1.Tim 6. Ioan.1.

Quòd ergo dicitur Iacob vidiſſe Deum, & Adam audiſſe vocem Dei ambulantis in Paradiſo, & Iudæis, cum loqueretur Dominus in monte Oreb: intellige, in ſubiecta creatura, vel in ſpecie imaginaria, vel in ſpecie intelligibili abſtracta, vel infuſa, vt Angeli, qui repræſentabant Deum, videbantur, & loquebantur: & Moyſi dixit Dominus: *Poſteriora videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Tertiò videtur Deus in cœlo per lumen gloriæ, etiamſi quidam hæretici, vt Abailardus, Almaricus, & Arnaldiſtæ id negauerint, qui dicebant, Deum ipſum minimè videri poſſe in gloria: quod alibi latè impugnauimus, quia videbimus facie ad faciem, & cognoſcemus, ſicut cogniti ſumus, & videbimus ſicut eſt: & ſemper cum Domino erimus, reuelata facie faciem Domini ſpeculantes: Angeli etiam vident faciem Patris, qui in cœlis eſt. Non poteſt tamen ab intellectu creato comprehenſiua notitia Deus videri. At quemadmodum teſte Baſilio, primò diſcimus, videre Solem in aqua, vel in ſpeculo, vt ita aſſurgamus ad videndum eum in ſeipſo: ita nos diſcamus videre Deum, & in Chriſto tanquam ſpeculo, vt poſteà altiùs aſcendamus ad videndum Deum in ſeipſo munite luminis gloriæ.

Qui Deum in Scripturis vidiſſe memorantur, quomodo viderint.

Geneſ 32. Supra 3. Exod.20.

Infra 33.

Abailardi de beatifica viſione commentum.

Li.2. enarratio. Euangel. in cap.1. Ioan.1. 1 Cor.13. 1.Ioan.3. 1.Theſſal.4. 2 Cor 3. Matth.18.

Elegans exemplum Baſilij de viſione diuina.

B. Baſilius.

Si diligamus inuicem; Deus in nobis manet, & charitas eius nobis perfecta eſt. Alia ratione vrget ad charitatem mutuam ſeruandam: quaſi dicat: Satis dilexiſti Deum, ſi fratrem diligis in veritate, in quo eſt Deus. Vel: Sat eſt vobis, ſi intellexeritis Deum in vobis manere, hoc eſt, fœdere, & amicitia Deo eſſe coniunctos, etiamſi nondum Deum videatis, quia Deus habitat, & hoſpitatur apud ſe mutuò diligentes. *Et charitas eius*, inquit, *in vobis perfecta eſt.* Senſus eſt. Charitas, quæ Dei donum eſt, in nobis perficitur in hoc quòd fratres & proximos diligimus, quia qui proximum diligit, legem impleuit. Qui enim diligit proximum propter Deum, magis Deum ipſum diligit, iuxta regulam topicam: Propter quod vnum quodque tale eſt, & illud magis. Non eſt charitas Dei perfecta in hoc, quòd ſolùm diligas Deum ſine proximo, vel in hoc, quòd proximum propter te diligas, ſed in hoc quòd diligis eum propter Deum.

Idoneum argumentum amoris Dei, amor proximi, teſte Ioanne.

Charitas Dei vnde perficitur in nobis, eode autore.

Rom.13.

In hoc cognoſcimus quoniam in eo maneamus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis. Hoc ad conſolationem noſtram docet Ioannes: Quid obeſt, inquit, ſi Deum non videmus, cùm ipſum in nobis manentem videre non poſſimus? Nec enim propriam animam tuam vides contentus eo quod in te habeas, & ſentias; quidquid oculis corporis cernitur, temporale eſt. Plus prodeſt nobis pro tempore vitæ inuiſibilis eius præſentia, quàm viſibilis eius conſpectus, quod non poſſimus in hac vita. Primum verò Deus vltro nobis offert, cum ait: *Ad eum veniemus, & manſionem*

Vſus Dei nobis interna quid conferat.

2.Cor.4.

Ioan.14.

ſionem apud eum faciemus. Cum autem Ioannes dicit: *Diligamus inuicem*, vel, *Diligamus alterutrum*, vel mutuo, vel, *Diligamus fratres*: omnes intelligit, etiam vſq; ad inimicos: nam ſic Deus dilexit nos.

Cur Ioannes nihil hic de dilectione inimicorũ mandauerit, commendauerıve fidelibus.

Quòd verò Ioannes nihil præceperit de diligendis inimicis: hoc fecit, quia Charitas vt ignis primò ea quæ ꝓpẽ ſunt, attingit: ignis autẽ, qui ea, quæ proxima ſunt non comburit, nec ea quæ longè ſunt, attingit Qui enim fratres, & amicos non diligit, quomodò inimicos amabit? Adhæc nomine fratrum ipſos inimicos complexus eſt: nam dixerat. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, & omnes ſumus fratres in Adã, & poſſumus eſſe fratres in Chriſto. ¶ Hanc autem ſententiam in fine præcedentis capitis præmiſit: repetit tamen, & inculcat Ioannes, vt conſoletur timidas, & puſillanimes conſciẽtias cognoſcentes ſe ad Deum pertinere, licèt odio, & perſecutionibus mundi ſint ſubiectæ. Secundò, vt accepto Spiritu, qui ex Deo eſt, cognoſcamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Qui enim nouit ſe nihil accepiſſe, non eſt gratus largitori. Tertiò hoc repetit, vt excitet ad maiorem cuſtodiam. Qui enim ſe nouit magnum theſaurum reconditum in arca aut cubiculo habere, magnam diligentiam adhibet in cubiculo ſeriò claudendo, vel arca munienda: & mulier, quæ aliquid nouit in ventre ſe habere, non ſaltat, neque currit, ne abortiatur. Quartò, hæc doctrina non parit arrogantiam, aut præſumptionẽ, qua ſibi aliquid tribuat: nam vel præſumerẽt de re ipſa, id eſt, de hoc quòd ſit in gratia Dei: & hoc non, quia etiam opinio, vel fides acquiſita, qua ſe exiſtimaret eſſe in gratia, idem faceret, & ſi præſumeret, malè faceret. Nã eſſe in Dei gratia, ad id occaſionem non daret, ſed potiùs impelleret ad ſe humiliandum, quia peccator erat. Et idem peccator ſua natura eſt, licèt miſericorditer ſit adoptatus in filium. Vel præſumeret ex hoc quòd nouit ſe ex ſignis, vel effectis eſſe in gratia Dei, & ad hoc nullam præbet occaſionem aſſenſus ille, quicunq; ſit, tum quod minùs pretioſus ſit quàm ipſa gratia: tùm quia alia chariſmata nouimus nobis ineſſe, & ſcientiam, prophetiam, operationem ſanitatum, donum linguarũ, quæ magis ex ſe ipſis inducunt ad ſuperbiam; nam ſcientia inflat, charitas verò ædificat. Tũ etiam, quia talis iuſtitia ex dono Dei eſt, ſicut & ipſa gratia. Hinc homo iuxta doctrinam Pauli, non debet de illo, nec de gratia in ſe, ſed in Domino gloriari. Tùm denique, quia ſi illa cognitio ex ſe daret occaſionem ſuperbiendi, & præſumendi, multò magis eam daret certitudo, quæ habetur per ſpecialem reuelationẽ, quia maior eſt. Sed oppoſitum docet experientia: quia Deus, qui omnia nouit, ſi id eſſet peculiariter cuiquam non reuelaret. Et ex Effectu liquidum redditur: quia illi magni, qui hoc ſciebant ex reuelatione, vt peccatrix, & adultera, & paralyticus, & Zachæus, item Petrus, & Paulus, humiliores erant, & nequaquam inde amplius ſuperbiebant. Quintò non inducitur Phariſaiſmus ex hac cognitione gratiæ inexiſtentis, imò ſecuris ad radicem eius ponitur, quæ eſt ſui confidentia, quam tollit cognitio fidei diuinæ, orta meditatione: quia hoc eſt cognoſcere naturâ eſſe nos filios iræ, & pendere in omnibus à gratia Dei. Hinc Phariſæus non reprehenditur quod crederet ſe eſſe in gratia Dei: Sic enim Paulus poſſet reprehendi, quia tantopere gratiam Dei in ſe operantem laudat; ſed quod cum in gratia Dei non eſſet, quæ illum humiliaſſet, ſe ſuis viribus iuſtum putabat, ac cæteros, præſertim Publicanum deſpiciebat, bona opera putans coram Deo, quæ erant bona tantùm coram hominibus. Vnde Auguſtinus ſuper illud Ioannis: *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis*, ſic ſcribit: *Habebant occultè* (ſcilicet Spiritum ſanctum) *accepturi fuerant manifeſte: quia & hoc ad maius donum ſancti Spiritus pertinebat, vt eis innoteſceret quod habebant. De quo munere loquens Apoſtolus, ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Hæc Auguſtinus.

Matth. 23. — 1. Ioan. 3. — 1. Cor. 2. — 1. Cor. 8. — Supr. 1. 2. Cor. 10. — Luc. 8. Matth 9. Luc. 16. — Epheſ. 2. — Luc. 18. — Phariſæus ille Thraſo vnde reprehenditur. — B. Auguſt tract. 74. in Ioan. 10 9. — 1. Cor. 2.

Sexto ait: *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* Quemadmodum ſpiritum, ſeu animum noſtrum oculis corporis non cernimus, nec oculis mentis in ſeipſo videmus, bene tamen in certiſſimis operationibus eius, vt in ratiocinatione, & motu, & actionibus, quæ neceſſariò arguunt adeſſe intellectum: ita Spiritum Dei per ſe inuiſibilem, eſſe in nobis, ex operibus eius agnoſcimus; vt in vehementi deſiderio, & ſiti gloriæ Dei, & propriæ & alienæ ſalutis, in odio & fuga peccati, in dulcedine orationis, in ſuauitate lectionis, & meditationis verbi Dei, in prompta & alacri ad proximum beneficentia, in præparatione animi ad ſuſtinendam mortem pro fide Chriſti, & ſalute animarum. Vt enim ſol oriens ingreſſus cubiculum, non poteſt latere, quia

Signa præſentis gratiæ Dei in nobis.

per rimas ſe detegit; & Chriſtus Sol iuſtitiæ ingreſſus domum, Chananæam inſequentem non potuit latere; geſtans etiam pomum cotoneum, & odoratum in manica, etſi oculis adeſſe non videatur, adeſſe tamen ſentitur olfactu: ita ſerui, & filii Dei, & ſibi, & aliis deteguntur. Etſi enim poſſint interuenire deceptiones, & fraudes, ac proinde fallere, ac falli poſſimus, tamen poſt legitimam noſtri, & aliorum explorationem, non obſcurè agnoſcere poſſumus Deum in nobis vel in aliis inhabitare. Si enim Pharao cognouit quod Ioſeph eſſet Spiritu Dei plenus; & Laban nouit, quòd ad aduentum Iacob in domum ſuam, benedixerit illi Deus; Pagani etiam, & infideles videntes Prophetas modeſtè, & ordinatè prophetantes, cadent in terram adorantes, & pronuntiantes, quòd verè Deus in illis ſit: Ergo pii, & religioſi Catholici magis id cognoſcere poterunt & in ſeipſis, & in aliis: præſertim ſi donum in eis adſit diſcretionis ſpirituum.

Geneſ. 41. — *Supr. 30.* — *1. Cor. 14.*

Et hactenus de hac cognitione præſentis Spiritus, non per euidentiam, neq; per fidem Catholicam, ſed per experientiam & notitiam, ex conſideratione promiſſionum Chriſti promanantem.

DISPVTATIO XXVIII.

Circa illa verba Ioan. *Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum, Saluatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt filius Dei; Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitati quã habet Deus in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcũ, vt fiduciam habeamus in die iudicij, &c.* vſq; in finem capitis.

I. Dubium. DVBITATVR in primis in his verbis quò tendat Apoſtolus: & cur repetat quòd paulò ante dixerat; ſcilicet quò Pater miſerit Filium ſuum in mundum. II. Dubiũ. Deinde quorſum illud: *Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt filius Dei:* quoniam & hoc principio quarti capitis dixerat. III. & IV. Tertiò, quare iterum inculcat: Deus charitas eſt; quod tamen paulò antè dixerat. Quartò, in eo quòd perfectam charitatem eſſe aſſerit, vt fiduciam habeamus in die iudicii: & quando poſſumus eſſe in hoc mundo ſine timore vllo, quemadmodùm ille eſt. Quintò ait, timorem non eſſe in charitate, ſed illum foras pellere; cum tamen timor, ſit cuſtos omnium virtutũ, & homini, dũ viuit, neceſſarius. nec enim bene cuſtodiri poteſt, quod perſuademus nobis nos amittere non poſſe. Poſtremò dubium eſt, quomodò qui non diligit fratrem quem videt Deum quem non videt, poſſit diligere? quia frater, qui nos quoquo modo læſit, non ſolet diligi: abſens verò, & inuiſibilis, qui nos beneficiis affecit, magis diligitur quam præſens qui offendit.

Quintũ. Virtutum cuſtos Timor Dei eſt. — *Vltimum.*

Vt Primæ dubitationi reſpondeamus, dicimus, Apoſtolum admiſcere fidem charitati, vt intelligamus ſermonem non eſſe de charitate ſine fide, vel de fide ſine charitate. Et ſcopus eſt charitatẽ omnibus modis celebrare, & eam cordibus inſerere, quo Chriſti cultores armati hoc ſatellitio fidei, & charitatis, & legem Dei impleant, & omnia peccata, ac dæmonis tentationes ſuperent. Tertio autem commemorat, quòd Deus miſerit Filium ſuum in mundum, vt nunquam illam admirabilem & incomprehenſam Dei erga nos charitatem admirari, & magnifacere ceſſemus. Nam hæc Dei dilectio erga nos, & fidem alit, & ſpẽ ſuſtentat, & charitatem accendit, & ad imitationem Chriſti in exemplum nobis propoſiti nos inflammat, in tribulationibus conſolationem gignit, & in proſperis humilitatem, & moderationem adducit. Et qui proprium Filium ſuum nobis dedit; quomodò nõ etiam cum illo omnia nobis donauit? Et de præſenti donat, & in futurum ſemper donabit, maximè ſi grati extiterimus, & in fide huius dilectionis petamus. Ac licet tertiò repetat eandem ſententiam, ſemper tamen aliquid noui adfert. Primò enim miſit Filium ſuum in mundum, vt viuamus per eum. Secundò miſit Filium propitiationem pro peccatis. Tertiò miſit Filium Saluatorem mundi. Quòd ſi Deus miſit Filiũ ſuum, vt per eum viuamus; non eſt quòd timeamus mortem. Si miſit illum propitiationem pro peccatis; non eſt cur propter peccata noſtra deſperemus, ſi modò illa verè nobis diſpliceant. Si rurſus miſit Saluatorem; non eſt cur ei hærentes per fidem operantem per dilectionem perire timeamus. Ac ita non eſt quòd queramur de eiuſmodi operatione, ſed eſt vnde potius gratias agamus, & præ gaudio ſpiritus iubilemus.

Solut. I. dub. de propoſito Ioannis. — *Diuini erga nos amoris per incarnationem declarati fructus.* — *Triplex effectus verbi Dei incarnati.*

Indu-

Apoſtoli quales teſtes ſint Chriſti Domini noſtri, & quatenus illi Deum viderint.

Inducit autem Ioannes ſe, & alios Apoſtolos horum teſtes: neque qualeſcunque ſed oculatos: ac per hoc certiſſimam fidem eorum teſtimonia promerentur. *Vidimus*, inquit, *& teſtificamur*. Etſi enim Deus in eſſentia ſua videri nequeat, ſecundum vnionem tamen hypoſtaticam, & idiomatum communicationem conſpici dicitur viſa eius Humanitate. Qui aſſiſtunt etiam ſacrificio Miſſæ, dicuntur Deum vidiſſe: & Sacerdotem deferentem Sanctum viaticum ad ægrotos, dicimus Deum portare, etiamſi ſpecies Sacramentales non ſint vnitæ hypoſtatice in Sacramento.

Ioan. 3.

Teſtificamur etiam de viſu; quia vt Chriſtus magiſter noſter dixit de Præcurſore ſuo: *Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur.*

Ieſus vt ſit mundi Saluator, cũ multi tamen non ſaluentur, ſed pereãt.

Et Saluatorem mundi vocat, non tantum Prædeſtinatorum, qui dicuntur ſelecti de mundo Ioan. 17. neque tantum ſaluandorum, qui ſalutem conſequentur, ſed mundi totius, & omnium peccatorum, quantum ad ſe attinet, & ad merita oblationis ſuæ: facto autem ſiue efficaciter multorum Saluator eſt: hinc alibi dixit: *Vidimus gloriam quaſi vnigeniti à Patre*: ac rurſus in principio huius epiſtolæ, *Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris: quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.*

Ioan. 1.

Duplex cõfeſſio Chriſti ad ſalutem neceſſaria.

Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Loquitur non tantum de confeſſione verbo, & lingua, ſed de illa etiam quæ fit opere & veritate: Et quod prius charitati tribuerat, cum dixit; Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt: & inferius idẽ repetit, dicens: Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo: hoc idem nunc fidei adſcribit. Non eſt ergo fides à charitate vel charitas à fide ſeparanda. Et nunc fidei ſalutem adſcribit, vt radici, & fundamento iuſtificationis, charitatis autem vt perfectioni: quod enim fides inchoat, charitas perficit. Erant autem illo ſeculo multi Hæretici, qui negabant Ieſum eſſe Filium Dei, id eſt Meſſiam, vt ſæpius interpretati ſumus.

Fides de charitate Dei erga nos per incarnationem Verbi oſtẽſa quid conferat.

Et nos cognouimus, & credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Vult dicere. Exploratiſſima ſunt nobis non tantum illa quæ docui de fide in Ieſum Filium Dei, ſed & quæ de charitate eius erga vos annuncio. In Græco charitas, eſt Accuſatiui caſus. Si enim ſemel perſuadeamur de charitate Dei, qua nos dilexit, mittendo Filium ſuum, facilia nobis videbuntur quæcunque aut præcepit credere aut ſeruare quæ mandauit, aut proximum ad mortem vſque diligere. Cognouimus ergo euidenter, quod credenda ſit charitas Dei: & credidimus, illam ipſam Diuinam charitatem in cruce, & morte fuiſſe demonſtratam.

Error Magiſtri ſententiarum de charitate Dei nobis inexiſtente quã Spiritum ſanctũ intelligit, refutatur: & de qua charitate ſit ſermo.

Ac ſubdit: *Deus charitas eſt, & qui manet, &c.* Ex hoc loco Magiſter ſententiarum deceptus, charitatem dixit eſſe Spiritum ſanctum: quam ſententiam confirmauit altero ad Rom. 5. vbi ait B. Paulus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et quia ſupra dixerat: Charitas ex Deo eſt, & charitas Deus eſt: ergo charitas eſt Deus de Deo. Sed exploſa eſt iam de ſcholis illa Magiſtri ſententia. Quare duplex aſſignatur charitas; altera creata, altera increata. Et ita charitas creata ex Deo eſt; at charitas increata Deus eſt, vt hîc dicit. Deinde opinio Magiſtri, quæ videtur nos velle honorare, reuera nos potius deprimit. Si enim Spiritus ſanctus nos mouet ad dilectionem, & non aliqua charitas infuſa, & creata, iam non ſumus nos qui diligimus, ſed ipſe Spiritus in nobis. Quod ſi contendas te eſſe qui diligis, ſed per ipſius Spiritus motum, nulla eſt obiectio: quia vt aliquis actus ſit humanus, requiritur vt ab ipſo homine libero, & ſtudioſo procedat, hoc eſt, à principio aliquo intrinſeco, & inhærente ſibi.

In nobis quomodo habitet Spiritus ſanctus.

Quod ergo dicitur Spiritus habitare in nobis, quaſi diſtinctus ſit à nobis: intellige per hoc charitatis creatæ donum, quod quædam eſt ipſius Dei, ſiue Spiritus ſancti participatio. Ergo Deus ipſe eſt charitas increata, & infinita, nam habet infinitam, & paſſiuam diligendi rationem, & infinitum, diligentem, & infinitam dilectionem, id eſt, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum. Noſtræ vero charitatis creatæ illa Diuina effectrix eſt, & finis, & exemplum, & ſtimulus.

Modus manendi in Deo per charitatẽ, & amorem qualis ſit. *Act. 17.* Effectus charitatis.

Et qui manet in charitate, in Deo manet. Tanquam in amico, & parente, & benefactore; alioquin omnia in Deo manent, cuius voluntate ſunt creata, & ſeruantur: in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus. Eſt ergo charitas ignis Diuinus, & conſumens rubiginem, & conſummans virtutes: illuminans intellectum, inflammans affectũ, eleuans ad alta. Eſtq; in nobis vt gemma in auro, nobilitãs, illuſtrans lætificans, & pretioſam animam reddens. Et vtrinque vtilitas ſumma ad hominem

Pſal. 16. reddit. Nam Deus noſtri non indiget, ipſe nobis dat omnia, nos illi nihil dare poſſumus: nihil illi accedit, ſi in eo manemus: nihil illi decedit, ſi in ipſo non ſimus. Noſtra eſt vtilitas, ſi ille in nobis habitet, vt in téplo, & domo ſua: ipſius præſentia, & inhabitatione conſeruamur, mundamur, roboramur, & lætificamur. Ipſe nobis infirmis eſt medicina, cæcis lux, pauperibus theſaurus, perditis ſalus, mortuis, & humiliatis vita, & gloria ſempiterna.

Charitas cur maiorem præſtet fiduciã quam fides in die iudicij.

Subdit dilectus: In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. ¶ Hoc ipſum alio loco tradiderat fidei: refert enim capite tertio ſui Euangelij Dominum dixiſſe: Qui credit in Filium Dei, non iudicatur; & ca. 5. Amen, Amen dico vobis quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit. Nihilominus etiam hanc fiduciam adſcribit charitati: nam reuera amor magis, ac vicinius generat fiduciam, quia nemo fidit hoſti, ſed amanti, & amico. Ideo ait: *In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcũ.* Id eſt, Diuinæ charitatis integer effectus in via, eſt fiducia; vel: In hoc ſuam perfectionem exerit charitas, nõ vt poſſeſſores adhuc gloriæ cœleſtis ſimus, ſed vt fiduciam, hoc eſt firmam, & ſolidã ſpem cœleſtis præmij concipiamus, quod tandem ſuperueſtiemur immortalitatis gloria. Cuius quidem dicti rationem reddit: *Quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* Senſus eſt: Sicut ille eſt in mundo in ſtatu meriti, & non præmij; ita nos adhuc militamus, & in ſtadio currimus tanquam in via. Sed dura ſane videtur locutio. Cur enim non dixit: Sicut ille fuit, ita & nos? Reſpondent quidam, Apoſtolum abuſum fuiſſe verbo, eſt, pro, fuit, &, ſumus, pro, erimus. Eſt ergo Chriſtus in mundo, in memoria, & cordibus noſtris propoſitus in exemplum ad imitandum, & verſans ob oculos qui illum diligunt, & ſe illi conformant. Quia ergo Dei charitas eſt, qua reddimur Chriſto ſimiles, & conformes; vtique perfecti ſumus, qui ad hoc ipſum & prædeſtinati, & vocati ſumus, vt conformes reddamur imaginis Filij ſui, ac per hoc habeamus fiduciam, certamque ſpem futuræ gloriæ, quæ reuelabitur in nobis. ¶ Vel: In hoc conſummata fuit Dei charitas nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: Id eſt. Propter hoc charitas Dei vſque ad Filij ſui mortem perfecta, & conſummata fuit, vt nos tam

1. Cor. 9. *Quid illud Quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.*

Rom. 8.

Ibidem *Altera ſententia.*

inſigne charitatis argumentum habentes ob oculos, fiduciam habeamus in iudicio & nihil vereamur, aut formidemus, ſed cũ fiducia adeamus ad thronum gratiæ ipſius. *Heb. 4.* Quia ſicut ille eſt in hoc mũdo manẽs in nobis, & nos quoque ſumus manentes in illo: & ſicut ille nobis ſanctitatis, charitatis, & puritatis eſt autor, ita & nos caſte, & ſancte nos geramus mortui mundo: ſicut etiam ille ſumme dilexit nos, ita etiam nos ſummi ſimus eius dilectores: & ſicut ille ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; & nos omnibus benefaciamus. *Matth. 5.* Denique vt ille non formidat dæmonem lictorem, ita & iuſti dicant illi: Quid hic aſtas, cruenta beſtia?

Duæ notæ vere Chriſtiani hominis à Ioanne Apoſtolo.

Duo ergo ſigna poponit, vt agnoſcamus ſi ſimus veri Chriſtiani. Primum, ſi non timuerimus diem iudicij. Certa eſt enim ſpes, quod non confundit, quia certum eſt quod charitas certitudinem infundit, vt ait B. Bernardus. *Rom. 8.* *Bernar.*

Alterum eſt, ſi inſtituerimus vitam noſtram ad imitationẽ Chriſti: vt ſobrie, & iuſte, & pie, viuamus in hoc ſeculo. *Tit. 2.* Pro fiducia autem comparanda, & in primis charitas, quam Deus infundit. Secundum eſt conſanguinitas, & parentela Chriſti, qui non iaculatur ſententiam in filios, ſed in hoſtes. Tertium, habere illum in aduocatum, vt capite 2. dictum fuit. Quartum, præuenire iudicium Dei, quia ſi nos vt, ait Apoſtolus, dijudicauerimus, non vtiq; iudicabimur à Domino. *1. Cor. 11.* Quintum, fieri Iudicis aſſeſſorem; ſicut illi, quibus dixit: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael*: *Matth. 19* Sextum eſt, diligenter attendere illis quæſtionibus, & punctis, de quibus examinandi ſumus in die Iudicij. Ait enim Dauid: *Iucundus homo, qui miſeretur, & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio*, vt apte reſpondeat ad interrogata in die iudicij. Et hic talis non commouebitur, quia iocundus eſt qui miſeretur, dando ſcilicet ex miſericordia Proximo quod poteſt: & qui commodat, id eſt Non valens dare de ſuo, ſaltem mutuat ad ſubleuandam inopiam proximi præſentem.

Explicatur illud, Iucũdus homo qui miſeretur, & commodat, &c *Pſal. 111.*

Timoris, & charitatis effectus contrarij.

Subdit Apoſtolus: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorẽ, quoniam timor pœnam habet.* Deo contraria confert inter ſe Ioannes hoc loco, nempe Timorem, & Fiduciam, inter quæ ponit mediam charitatem, quæ timorem quidem expellit, fiduciam aũt gignit, & alit. Et per timorem hoc loco, intellige

trepidationem,& anguſtiam conſcientię accuſantis,& crucìantis, & ad diffidentiã de Deo agentis,impellentisq́ue. Qui ſanè timor pœnam habet, & quidem ſummã, quia nihil magis cruciat,quàm ſæua, & perturbata conſcientia. Quem timorem charitas expellit,quia fidem, qua Chriſtum vt vitam,& propitiationem noſtrã, & miſericordem Saluatorem apprehendimus,probat,& confirmat. Quis enim timere queat,qui Chriſti iuſtitiam,& merita apprehendit,certamque ſalutem?

Sap. 17.
1 Ioan. 2.

Deinde hic locus poſſet intelligi de timore ſeruili, vbi videlicet tantum timore damni,aut pœnæ, vel malum vitatur,vel bonum peragitur. Filius enim timet patrem & amat, vxor virum ſuum quem diligit,ſed ſeruus timet dominum quem & odit. Et hic eſt ſeruilis timor, ille autem prior,filialis,& caſtus. Charitas autem timorem filialem non expellit, ſed fouet,& eo maior eſt charitas. Quæ enim multum diligimus, multum quoque perdere timemus. Atq; hic timor in Scripturis laudatus eſt:de hoc enim dicitur: *Timor Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi*; &, *Qui timet Deum, faciet bona: Deum time, & mandata eius obſerua: Timenti Dominum non occurrent mala, &c.* Et timor quidem ſeruilis ſi tantum horret pœnam, & non culpam, non eſt peccatum: nam & iſte quoque timor eſt à Deo:ait enim Paulus Romanis,*Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore.* Prodeſt etiam talis timor,quia per ipſum introducitur timor filialis offendendi Deum. Qui enim inducitur vt timeat Deum iudicem,paulatim inducitur vt timeat Deum patrem.Ideò de iſto dicitur: *Initium Sapientiæ timor Domini.* Ac vt acus filum introducit in veſtem, ita vt filum maneat,acus exeat; ita ſeruilis iſte metus in cordibus introducit timorem filialem qui remanet,& ipſe ſeruilis euaneſcit.Nõ eſt ergo in charitate,id eſt,diligente:amãs enim non timet aut dæmonem aut iudicum, aut mortem. Caro quidem poteſt ad tempus contremiſcere,& expaueſcere ad mundi perſecutiones, vt conſtat in Chriſto perfectiſſimo amatore,qui tempore paſſionis cœpit pauere,& tædere,& mœſtus eſſe: Verum ipſe ſpiritus, & animus renatus nequaquam timet. Solùm timet,ne ſegregetur à Deo dilecto. Quare qui diligit Deum, non poteſt timere aduentum Dei ad iudicium,quem etiam ardẽter deſiderat,& aſſiduis precibus adeſſe flagitat;& ideò ſperat ſuperueſtiri, & omne bonum ſuum, quo in præſenti vita

Alter ſenſus de charitate pellente timorem ex corde.
Matth 6.
Pſalm 18.
Eccleſia. 1.
Eccleſ. vlt.
Eccl. 33.
Timorem ſeruilem non eſſe malum,neque peccatum.
Rom. 8.
Pſalm. 111.
Qualis timor ſeruilis.
Amoris diuini conſtantia, & magnanimitas.
Matth 14.
Matt. 26.
Amans Deũ, quid timeat ſolummodo.
2.Cor. 15.

ſpoliatur. Vt enim ait Paulus: *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus;miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Et alio loco: *Sobriè,& iuſte,& piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem*, (id eſt,beatitudinem ſperatam) *& aduentum gloriæ magni Dei.*

1.Cor 15.

Addit: *Sed perfecta charitas foras mittit.* In omnibus quidem eſt timor naturalis mortis,etiam in interiori homine:at proprium charitatis eſt illum expellere, & omnem timorem ſeruilem: qui pœnam habet,quia amor perfectus fiduciam cõtrariam gignit timori. Qui ergo amat,& neſcit ſe amare, quomodo poteſt non timere? qui autem ignorat ſe amare,etſi amet,ſemper tamen pauidus titubat. Charitatis enim proprium eſt conſolari, non terrere;pacem,& quietem ingerere, non timorem,& anguſtias parere.

Quomodo perfecta charitas foras mittit timorem.
Proprium charitatis.

Qui autem timet,non eſt perfectus in charitate. Timens ergo non habet illam perfectam charitatem,quam Deus exigit à nobis in hac vita, vt amorem à nobis exuamus,ac proximo appendamus,quem ipſi Deo debemus:nõdum,qui adhuc timet, ſe totum Deo,& eius magnæ prouidẽtiæ commiſit.Si enim Deus proprio Filio ſuo non pepercit propter nos,ſed ſtans pollicitus,pro nobis omnibus tradidit illum: quid ſtans tu dubitas an te amauerit, vel amet? Timor verò ſuapte natura pœnam habet,hoc eſt,triſtitiam, cruciatum, & tormentum: nam ſpiritus triſtis exiccat oſſa.

Timens Deũ qua careat perfecta libertate.
Rom. 8.
Prouer. 17.

Nos ergo diligamus Deum: quoniam Deus prior dilexit nos. Hoc ſupra fuit explicatum, ſed adhuc explicemus magis. Qualitatem amoris noſtri erga Deum definit: ac vt à charitate perfecta excluſit timorem mali, ita modò excludit amorem boni vtilis: perfecta enim charitas ſicut non timet puniri à Deo,ita non mouet ad amãdum Deum,vt conferat nobis bona temporalia,hoc enim eſſet amare Deũ amore concupiſcentiæ.Dicendo etiam, vt diligamus,quoniam Deus prior dilexit nos, exigit vt rependamus amorem amori, quod eſt diligere amore amicitiæ.

Duo effectus perfectæ charitatis.

Neque ſequitur ex his, nos non debere eum ob promiſſa bona diligere, modò illud ſit prius: quin potius id includitur, quoniam in tanta illius erga nos dilectione reſpicimus dona illa, quæ iam habuimus, & quæ mox habituri ſumus quaſi accepta à Deo; alias in turpiſſimum ingratæ memoriæ vitium incideremus. Nos enim creaturæ non poſſumus illum prius amare, quàm ille nos, aut ſimul amare, & amoris noſtri

Perfectam charitatem amorem Dei ob eius in nos beneficia nequaquam excludere.

ſtri cauſam, & rationem non habere illius amorem, qui ſolus puriſſimè nos dilexit. Verum eſt tamen, Deũ, qui cœpit nos diligere nondum ſe diligentes, nequaquam priori dilectioni alteram additurum, niſi prius oſtenderimus nos primæ dilectionis memores eſſe. Ego, inquit, *diligentes me diligo*; &, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo.* Et inferius: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit; & Pater meus diliget eum.*

Ioan. 14. Prouer. 8.

Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Oſtendit Deum deteſtari omnem fucum, & hypocriſim, nec verbis magnificis delectari, & ardentiſſimam charitatem oſtentātibus, niſi operibus charitas ipſa comprobetur. Non enim proximi inopia, aut inedia pulchris verbis, & magnificis, ſed opere exhibito beneficentiæ leuatur. Et vt emens carnes in macello, emere cogitur etiam oſſa, quæ in carnibus hærent: ad hunc modum voluit Deus patere, ſui ipſius dilectionem & amorem à nobis accipere, modò amore ſui fratris, & iniuriæ eius remiſſione, & beneficentia, & pro eo oratione comprobetur. Ac vt voluit fidem per opera declarari, ita charitatem noſtram erga Deum per charitatem fratri exhibitam probari, & innoteſcere decreuit.

Dilectio Dei quæ vna tantummodo dilectione & charitate noſtra delectetur.

Iacob. 2.

Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt; Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? Quàm ſint inuicem coniuncta, amor Dei, & amor proximi, collatione familiari confirmare contendit. Natura ita comparatum eſt, & ita omnibus inditum, vt præſentia magis nos moueant, quam abſentia, & ea quæ noſtris oculis hauſimus, quàm quę nunquam vidimus, etiam ſi auribus illa perceperimus. Vnde ille dixit.

Amoris Dei & timoris proximi mira coniunctio atque conſociatio.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Horat. lib. de arte.

Fratrem autem hic videmus, & neceſſitates eius vrgentes, & diſcrimina comprehendimus: Deum verò ſola fide, & ſola ænigmatica notitia per ſpeculum cognoſcimus. Qui ergo fratrem ad imaginem Dei creatum, & neceſſitatem eius extremam, & ad nos clamantem non diligit, ac dum poteſt, non ſubleuat, ad quem diligendum inducit Fides, & Natura, & Ratio, quia omne animal diligit ſimile ſibi, & ſenſus humanus: quomodò id quod nō videt, & in fratre repræſentatur, amabit? maximè quia ad eum diligendum ſola fides, non autem natura, vel eius neceſſitas inuitat, quia Deus bonorum noſtrorum non indiget: nec viſus eſt à nobis: vnde & inuiſibilis vocatur; & lucem dicitur habitare inacceſſam, quem nullus hominum vidit, ſed neque videre poteſt. Et vt quidam mundi ſapiens ſcripſit:

Gen. 1. Eccleſiaſt. 13.

Pſalm. 16.

1. Tim. 6.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Qui enim odit imaginem aliquam, neceſſe eſt vt & id oderit, cuius eſt imago: amor enim non fertur in rem incognitam: & Deus eatenus diligitur, quatenus verè cognoſcitur: non autem in ſe ipſo cognoſci poteſt, ſed in his quæ ex ſe ipſo ſunt, in quibus quodammodò cernitur, & maximè in fratre, in quo qui non videt Deum ad dilectionem eius, minus in ſe ipſo videbit. Argumentum verò à maiori ad minus negatiuè ſolidum eſt, vel à minori ad maius affirmatiuè. Si enim quod maius eſt, facere, vel minus quis non poteſt, nec id quod difficilius aut maius eſt, poterit: qui enim decem libras nequit portare, minus portabit viginti: & qui velis, & remis nequit nauigare, minus poterit remis ſolis.

Deum inuiſibilem ſine proximo viſibili amari nobis non poſſe.

Concludit Apoſtolus: *Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Occupatione vtitur Ioannes, ſummam legis, & Prophetarum producens. Dicet enim aliquis; Quid obſtat, quemquam diligere Deum, tametſi proximum non diligat? Et reſpondet: Ita placitum eſt Deo, & ita nobis maudauit, vt qui diligit Deum, diligat & proximum ſuum. Intelligat, qui diligit Deum, ſe debere comprobare quod ipſum diligat ex fratris dilectione: qui enim fieri poteſt, vt tu diligas Deum, cuius odiſti mandata? aut quis verè dicere valet, Regem diligo, ſi Filium Regis, aut charum eius ſeruum, aut ſanctas eius leges odio habes? Inſeruimus ergo communi Domino, non titulo tenus, & verbis, ſed ſeria, & flagrāti Charitate, quæ operibus comprobatur.

Idem alia ratione Apoſtoli comprobatur.

DISPVTATIO XXIX.

In illa verba, cap. 5. *Omnis qui credit, quoniam Ieſus, eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eũ qui genuit, diligit & eum, qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quoniã diligimus natos Dei, cùm Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus: & mandata eius*

grauia

grauia non ſunt. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. Et hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui vincit mundum,&c.

Prima dubitatio.

PRIMVM quidem mentem Apoſtoli aperiemus; deque continuatione horum cum præcedentibus aliquid dicemus. Deinde, quorſum repetit hanc primam ſententiam, quam etiam prius propoſuerat. Et proxima huic ſententia: Qui diligit eum qui genuit, diligit & eu n, qui natus eſt ex eo: videtur ſæpius ab Apoſtolo repetita, & quam ob cauſam. Tertio dubitatur, quomodo cognoſcitur quod diligimus natos Dei, cum Deum diligamus: videtur enim, quod ignotum probetur per ignotius: magis enim nouimus diligere proximum, quam diligere Deum. Quarto, vt tradit Apoſtolus charitatem Dei conſiſtere in obedientia mandatorum? Quam vere etiam aſſerat grauia non eſſe, cum tamen indigeant & dono gratiæ Dei, & motu peculiari Spiritus ſancti ad hoc, vt obſeruentur præcepta dilectionis Dei, & præceptum non concupiſcendi. Quinto, qua ratione aſſerat, omne quod natum eſt ex Deo, mundum vincere; cum quotidie exempla ante oculos noſtros verſentur eorum, qui baptizati ſunt in Chriſto, per eos, qui Fidem abiurant per apoſtaſiam apud Turcas, aut per hæreſim apud Chriſtianos, aut fœdiſſimis, teterrimiſque peccatis ſeipſos præcipitantes: quos aperte videmus à mundi concupiſcentijs ſuperari.

Secunda. Tertia. Qnarta. *Exod.*20. Quinta.

Ad primā dubitationem De ſcopo.

Quod ad primum attinet, accedit Apoſtolus in hoc capite quinto ad diſſerendum de fructibus & effectibus fidei, & amoris Dei, & obſeruantiæ mandatorum eius, vt illis viſis excitemur ad credendum, & amandum Deum, & proximum, & ad maiorem cuſtodiam præceptorum Dei. Vt enim fructus agriculturæ, qui ſuo tempore ſperantur venturi, mouent ad arandam terram, & excolendam: fructus quoque militiæ, & victoriæ ſtrenuum militem ad labores bellicos: & diuitię quæ ſperantur, mercatores permouent ad metienda terrarum, & maris ſpatia: ita ſane (niſi velimus oculos claudere veritati) ingentes fructus, & theſauri, qui ex fide, & amore Dei proficiſcuntur, erigere, & animare nos debent ad fidei, & charitatis exercitium.

Bona opera omnia in Deum dirigenda.

Et in primis incipit à fide, quia & epiſtolam exorſus erat à fide, & poſt fidem docuerat charitatem, & ex illis ad vitæ Chriſtianæ puritatem, & innocentiam induxerat. Nunc ergo Epiſtolam in fide concludit; docens nos, vt omnia quæ agimus, in Deum tandem dirigamus: imo etiamſi fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, debemus nos ſeruos inutiles profiteri, dicentes cum Propheta: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Hinc etiam petenda eſt vera methodus & forma docendi, vt primo fides ſtabiliatur, & roboretur in cordibus: deinde, charitas Dei, & proximi proponantur, atque inſtillentur, non tantum fuga peccatorum, & mali reiectio, ſed etiam bonorum operum ſtudium commendetur: & ea omnia rurſus in fidem, & fiduciam meritorum Chriſti dirigantur. Sunt enim qui egregie fidem docent; verum ad charitatem, & bona opera nequaquam exhortantur, & vix vlla eſt apud eos tantæ mentio virtutis. Et tamen Deus non tantum exigit honorem, vt ſibi ſummæ veritati credatur, & etiam obediatur. Bene idcirco queritur Dominus apud Lucam: *Quid dicitis*, inquit, *mihi, Domine, Domine & non facitis, quæ dico*? Sunt qui rurſus charitatem, & bona opera vrgent: ſed nequaquam docent in quem finem collimare debent, & quantum illis operibus ſit tribuendum, & quatenus illis non fidendum, ſed humiliari debemus. Ideo enim ſimpliciores in Eccleſia minus inſtructi in operibus ſuis confidunt, quod eſt ſuper arenam ædificare.

Luc. 17. *Pſalm.* 113. Vera methodus & forma docendi a Ioanne tradita. Contra hæreticorum fidem. *Luc.* 6.

Cur Apoſtolus Ioannes hanc epiſtolam fidei commendatione concludat.

Apoſtolus ergo recte epiſtolam in prædicatione fidei concludit. Primo, vt ſe oſtendat verum Apoſtolum, cuius eſt nedum fidem, & opera docere, ſed oſtendere, quod ea non aliunde vim, & energiam habent, quam ex fide ad Chriſtum concepta. & hoc eſt neceſſarium: nam alioqui etiam Philoſophi multa de virtutibus tradiderunt: & tamen quia illa ex fide minime procedebant, mortua fuerunt. Deinde, ne quis Apoſtolo, qui multum temporis in charitate commendanda conſumpſit, diceret; Quare charitati tantum tribuis, & fidei, & bonorum operum eius obliuiſceris? Ideo ad fidem redit, cum ait: *Omnis, qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Quo verbo probat ſuperius dictum, quod omnes debeamus diligere fratres, hac ratione Ieſum, eſſe Chriſtum,

Ieſum eſſe Chriſtum, quid.

non

Rom. 8. Ioan. 1. Galat. 5.

non eſt aliud, quam, Ieſum eſſe vnctum Spiritu ſancto, ſumma illa vnctione, vt ſit primogenitus in multis fratribus, de cuius plenitudine omnes accipiamus, & qui credit hoc fide per charitatem operante, natus eſt ex Deo; ac proinde diligere Deum parentem obligatur: ex quo etiam omnes, quos videret eodē Patre progenitos, & ad vitam æternam vocatos, etiam amaret.

Summa fidei noſtræ & caput.

Continet autem hæc ſententia caput, & ſummam Fidei noſtræ, vt credamus Ieſum eſſe Chriſtum, id eſt Meſſiam; quod qui ex animo credit, & confitetur, ex Deo eſt natus, & à Deo doctus, & Filius Dei. Multi fortaſſis aſſurgent, & dicent: Nos hoc libenter etiam credimus. Sed vrgebo illos; Oſtendite mihi fidem veſtram ex operibus; & : *Fides ſine operibus mortua eſt.* Opus fiduciæ fidei viuæ, eſt ipſa dilectionis exhibitio. Sunt ergo opera fructus, & rami fidei viuæ, per quos veri agnoſcimur Chriſtiani, non quomodo dæmones, qui credunt, & contremiſcunt, qui dixerunt Domino: *Tu es filius Dei.* Idipſum quoque Petrus reſpondit Chriſto interroganti: *Quē dicunt homines eſſe Filium hominis? Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Sed in alium ſenſum dixit Petrus: nam confitetur Petrus ſponte Chriſtum, vt illum amplexetur; dæmones vero inuiti, & coacti, vt à ſe illum abigant. Fides ſaluans duas habet filias, charitatem, & vitæ innocentiam.

Iacob. 2. Ibidem. Lucæ 4. Matth. 16. Fidei ſaluantis duę filiæ.

Ieſum vero eſſe Chriſtum, eſt credere iam veniſſe promiſſum à Deo Meſſiam, & vnctum plene tanquam caput, vnde vnguntur omnes, qui eius membra ſunt. Eſſe etiam vnctum, eſt, eſſe Regem, quorum proprium eſt liberare, & ſeruare populum ſuum. Eſt etiam, eſſe Prophetam ſummum, cuius munus eſt docere voluntatem Dei, & dare legem, qua erudiatur populus ſuus. Poſtremo eſt, eſſe magnum Sacerdotem, cuius eſt, donis, & hoſtijs, & precibus Deum placare. Eius etiam, eſt legem tyrannicam ſoluiſſe, & libertatem veram à peccato, dæmone, carne, & mundo reſtituiſſe, Phariſaicam ſuperſtitionem exturbaſſe, Simoniacos vendentes, & ementes de Templo eieciſſe; Dei Patris nomen illuſtraſſe, ac hominibus manifeſtaſſe, eidemque ſe pro nobis in mortem obtuliſſe, ſurrexiſſe, & aſcendiſſe in cœlum, & Spiritum ſanctum, per quem ſpiritualiter viuimus, vbique in cordibus dediſſe. Hæc omnia continet nomen Chriſti. Et quia ſuperius dixerat: *Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei:* & modo ait: *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus:* pro eodem accipit Ieſum eſſe Chriſtum, & Ieſum eſſe Filium Dei.

Heb. 5. Ioan. 2. Matth. 21. Ioan. 17. Act. 1. Infra 2. 1. Ioan. 4.

Quid, Ieſum eſſe vnctum. Qua ratione qui credit Ieſum eſſe Chriſtū, ex Deo natus ſit. Rom. 11. Ioan. 3. Tres effectus fidei. Supra 1.

Ex Deo natus eſt. Quod intellige, vt ſæpe notauimus, non ea ratione qua omnia ex Deo ſunt per creationē; quoniam ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ſed per peculiarem natiuitatem de cœlo, de qua dixit Chriſtus Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, & quæ ſequuntur. Primus ergo effectus fidei eſt, quod facit filios Dei, vt habetur Ioannis primo capite: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Secundus, quod facit diligi Proximum, hoc eſt, fratres, tam naturalem primogenitum Chriſtum, quam adoptiuos. Qui enim diligit patrem, diligit & ex eo natos filios, ac per hoc fratres ſuos ad eandem cœleſtem hæreditatem poſſidendam vocatos: & qui poſſint oratione, fide, verbo, & exemplo iuuare ſe inuicem, vt membra eiuſdem corporis. Impium, & inhumanum fuerit, ſi quis fratrem vterinum oderit, vel percuſſerit. Tertius effectus fidei, ne contingat tantum verbo diligere, eſt, quando ſic Deum diligimus vt mandata eius ſeruemus. Vnde ait: *In hoc cognoſcimus, quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus.* Id eſt: In hoc apparet, quod diligimus natos Dei, ſi mandata eius faciamus: quod ſignum eſt apertum noſtræ dilectionis Dei: quem ſi diligimus, & fratres quoque diligemus: quia multi diligunt proximos propter commodum temporale, vel propter conſanguinitatem. Determinat igitur Ioannes, quis ſit verus amor proximorum, nempe ille: Si propter Deum proximum diligamus: quod facimus, ſi Deum diligamus, cuius dilectionis ſignum eſt, mandata eius cuſtodire. Et videtur circularis probatio: dixit enim ſupra, quod in hoc cognoſcimur diligere Deum, ſi diligamus fra[illegible] hic vero oppoſitum docet, nempe, nos cognoſcere diligere natos Dei, ſi Deum diligamus.

Signum dilectionis, & amoris, quo proſequimur natos Dei, euidens & manifeſtū Apoſtoli. Verus amor proximorū quis ille, eodē autore.

Sed & præterea ſubdit: *Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus:* in quibus potiſſimum eſt ipſius fraternæ dilectionis præceptum. Et prius dixit in ſingulari: *Qui ex Deo natus eſt*, id eſt, Chriſtum ſingularem, vnigenitum, & primogenitum in multis fratribus; poſtea ſubdit in plurali, natos Dei id eſt, adoptiuos filios Dei, qui per participationem filiationis naturalis Filij Dei, fiunt filij

Rom. 8. Aliter nos aliter Chriſtus accepit Spiritū Sanctum.

adopti-

adoptionis. Illa autem participatio filiationis diuinæ, eſt participatio Spiritus Ieſu Chriſti: qui etſi in partes non diuidatur, ſed integre, & integer omnibus, & ſingulis Chriſtianis communicetur: nō tamen operatur ſecūdum totam ſuam rationem niſi in Filio Dei naturali. Idcirco datus eſt illi Spiritus in figura integri animalis, nobis vero datur ſecundum menſuram donationis Chriſti, ac ſi diuideretur, cum tamen diuidi non poſſit. Quare nobis datus eſt in forma flatus, vel igneæ linguæ figura.

Matth.3. Epheſ.4. Rom.12. Ioan.10.

Actor.2.

Ac ſubdit: *Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus.* Quia charitas eſt finis præcepti, & cuſtodia præceptorum debet eſſe ad mentem, & animum præcipientis, vt ſcilicet ex charitate obſeruentur, ſicut in Euangelio Dominus dixit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Et quoniam ſenſus illius mandati: *Diliges Deum ex toto corde tuo, mente, & viribus, &c.* varius eſt & quidam vno, & quidam altero, alter alio modo interpretantur: & quidam volunt hic, dum viuimus, vix poſſe impleri, & tantum per illud nos inſtrui, vt intelligamus ad quem gradum amoris ſit nobis collimandum in hac vita, ac perueniendum: propterea pulchre Ioannes dixit, illud præceptum interpretans, quatenus nos poteſt obligare: & explicari modo debet, nempe, vt tunc intelligamus illi præcepto ſatisfactum, ſi mandata eius ad ſeruiendum Deo, & proximo cuſtodiamus.

Præceptū dilectionis Dei, & proximi quatenus a nobis obſeruandū ſit.

1.Tim.1. Ioan.14.

Adiungit: *Et mandata eius grauia non ſunt.* Suauitas diuinæ prouidentiæ in danda lege in hoc videtur conſiſtere, vt ea, quæ facile fieri poſſunt præcipiantur, & non ſolum non ſint impoſſibilia, vt mentiuntur Lutherani, ſed etiam leuia factu & facilia. Iniquum enim eſſe præceptum iudicaremus, ſi infanti recens nato præceptum poneretur, vt ad duos panes duros quotidie edendos obligaretur, vel homo ad volandum cogeretur. Præcepta ergo Dei noſtri non ſunt impoſſibilia, vt poſſis dicere cum Apoſtolo: *Quis aſcendet in cœlum? aut quis deſcendet in abyſſum?* Sed quid dicit Scriptura: *Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Et blaſphemum eſt dicere, Deum homini impoſſibilia præcepiſſe: ſed nec difficilia quidem, aut multum grauia. Verum eſt tamen carnalibus, & Spiritu Dei deſtitutis grauia eſſe, & impoſſibilia: ſed illa grauitas & difficultas ſpontanea illis eſt, quia carent Dei Spiritu, ſine quo ſeruari non poſſunt: at vero ſi orarent, & opem Dei poſtularent, acciperent bonum Dei Spiritum, quo Legi Dei facere ſatis poſſent.

Mandata Dei grauia non eſſe.

Rom.10.

Deut.30.

Quibus impoſſibile videantur eſſe Dei mandata & cur.

Qui vero aſſerunt, Chriſtiano regenerato, & credenti, præcepta eſſe impoſſibilia, primo imprudenter loquuntur: quia homines ab eorum obſeruatione auerterent. Secundo falſum loquuntur, quia omnia poſſibilia ſunt credenti; & Apoſtolus: *Omnia*, inquit, *poſſum in eo qui me confortat*, & per acceptum Spiritum à Deo, charitas diffunditur in cordibus noſtris, quæ eſt omnium præceptorum finis, & implementum. Tertio, quia Chriſtus dixit: *Iugum meum ſuaue eſt; & onus meum leue.* Item cernimus in hoc mundo, quod amor, & ſpes omnia, etiam grauiſſima, nedum impoſſibilia, ſed etiam facilia, & leuia, & agricolæ, artifices, nautæ, peregrini, milites illa obſeruare, & implere valeant. Nam ſi amor, & ſpes humana hæc poſſunt præſtare, cur non magis id poterunt amor & ſpes diuina æternorum bonorum, vt docent Chriſti, & ſanctorum exempla.

Marc.9. Philip.1.

Rom.5.

1.Tim.1. Rom.13. Matth.11.

Nec obſtat illud: *Quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam; & pauci ſunt qui inueniunt eam?* Sed intelligo, ingredientibus & incipientibus tantum; ſecus proficientibus, & amore Chriſti calentibus. Secundo, non obſtat Propheta, dicens: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* (Hebræa habent, Vias latronis) nam eiuſmodi viæ carni duræ ſunt, faciles ſpiritui. Tertio non obſiſtit: Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei: nam legimus, quod Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu Concilij; & vnus ex illis confidenter: *Gloriamur*, inquit; *in tribulationibus.* Sola nimirum peccata ſunt grauia, & vere ponderoſa, de quibus Dauid: *Et iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*: & vocantur Talentum plumbi apud Zachariam: Impij quoque dicturi ſunt: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus*, quaſi dicant, facilem, planam, ac minime laborioſam. Contra vero de via Sapientiæ teſtatur Salomon: *Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis; quas cū ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum.* Eleganter ſane Dauid hanc facilitatem Diuinæ legis expreſſit, cum dixit, Deum fingere laborem in præcepto ita vt de ſe confidenter etiam dixerit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.*

Aduerſariorū contra impoſſibilitatē, & difficultatem mādatorum Dei argumentis reſpondetur.

Matth.7. Pſalm.16. Actor.14. Supra 5. Rom.5.

Pſalm.37.

Talentum plumbi quid myſtice.

Zachar.5.

Sapient.5.

Prouer.5.

Pſalm.63.

Pſalm.118.

Faciunt ergo præcepta Dei, leuia, ac faci-

Quæ ſint

Illa quæ faciunt leuia Dei mandata, ac minime laborioſa.

facilia, tum fides impetrans Spiritum, tum ſpes æternorum; item amor Dei, exemplum etiam Chriſti & ſanctorum; mortificatio præterea paſſionum, & carnis, quę nollet ſubdi iugo Dei; Angelorum cuſtodia contra dæmones; Eccleſiæ, & propria oratio; omnes item creaturæ, quæ mandatum ſibi à Deo poſitum obſeruant: *Præceptum*, inquit, *poſuit, & non præteribit.* Exleges & filij Belial tantum repugnant legi Dei: obedientia, quæ propria eſt ſeruo Dei, & chara Domino, & quod viuentes in Bethania (hoc eſt, in Domo obedientiæ) ſunt amici Chriſti. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, vbi ſumimus panem ſubſtantificū, in cuius fortitudine ambulamus vſq; ad montem Dei Oreb.

Pſal. 148.

1. Reg. 10.

Bethania quid ſonet Hebraice.

3. Reg 19.

Sequitur: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Dixit, præcepta Dei non eſſe grauia, quia etſi in ſeipſis aliquo modo ſint grauia, tamen credenti, & amanti, & Spiritum Dei habenti, grauia nō ſunt. Quod autem grauia videantur, faciunt mundus, & caro offerentes ſenſui plauſibilia, & appetibilia, nempe diuitias, honores, voluptates: diabolus vero offert perſecutiones, & moleſtias, & crucem contra eos qui credunt.

Natum ex Deo quo modo vincat mundum.

Vnde difficultas & labor obſeruantiæ mandatorum Dei.

Sed Ioannes ait: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Hoc eſt, incitamenta mundi tentationes carnis, & malitiam diaboli. Vincit autem non propria virtute, ſed per fidem, vt ſubdit. Hæc eſt enim victoria quæ vincit mundum, fides noſtra. Pro cuius ſententiæ intelligentia dicendum quid ſit mundus, & quantum malum, & quam occultum ſit: Deinde eſt explicandum, quid ſit, natum eſſe ex Deo, & quantum hoc ſit bonum. Eſt ergo mūdus, congregatio eorum, qui prędiligunt, & qui præeligunt huius ſeculi bona peritura, ac ſi anima ex elementis conſtaret. Qui etiam præferunt voluntatem ſuam ac principis huius ſeculi, voluntati Dei, ac Chriſti. Eſt autem mundus, malum occultum, & hoſtis noſter capitaliſſimus. Mundus enim nō eſt orbis terrarum, qui oculis conſpicitur, nec obiecta honoris, diuitiarum, & potentiæ: nam hæc bona ſunt in ſeipſis, nec in maligno, hoc eſt, dęmone, poſita: nec capacia honoris, vel odij Dei, vel eius cognitionis. *Si de mundo* inquit, *fuiſſetis; mundus quod ſuum erat diligeret*: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus: & Ioannes ſuperius dixerat: *Ipſi de mundo ſunt; ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus. Qui nouit Deum, audit nos.*

Quē mūdum vincat fides noſtra.

Ioan. 15.

1. Ioan. 4.

Eſt ergo mundus, ipſe homo, quatenus ſapiens, & amans, & quærens bona huius ſeculi: id eſt, honores, delicias, pompas, ac diuitias, & ignorans diuina, & ab illis auerſus: etſi nouit diuina eſſe, illa propter ſeipſum agnoſcit ſecundum carnem, ac ſi anima morali ex elementis orta præditus eſſet. Quare malus eſt, cum poſſet & deberet æterna præferre. Hinc recte nobis conſulit Sapiens: *In partes vade ſeculi ſancti: cum viuis, & dantibus confeſſionem Deo, Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere.* Paulus quoque dixit: *Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam.* Eſt autem miſerrimum & infeliciſſimum de mundo eſſe: nam illa optima quæque capere poſſunt ſine peccato. Secus homo, qui comparatur iumentis inſipientibus. Deinde, quia id quod in eo ſuperius eſt, atq; immortale, ſeruit inferiori, & mortali, ac perituris bonis, & ab eis ducitur captiuus. Tertio, qui ſeruit pacifice principi huius ſeculi. *Cum fortis*, inquit, *armatus cuſtodit atrium ſuum; in pace ſunt omnia quæ poßidet.* Et tamen bellum & inimicitia hæc creditur eſſe pax, & vt talis, ambitur cum Deo huius ſeculi. *Adulteri*, inquit frater Domini, *neſcitis quia amicitia huius mundi, inimicitia eſt Dei? Quicunque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Quarto, quia cito cum dolore ex hoc mundo diſcedens, à perituris bonis tranſibit ad immortalem dæmonis miſeriam quem eſt ſecutus. Hominis ergo, quatenus anima rationali præditus eſt, ac Dei capax, capitalis inimicus eſt mundus, hoc eſt, ipſemet, quatenus caro eſt, & huius ſeculi filios imitatur. Habetque iſte Deum grauem inimicum, & oculatum teſtem, & ſeuerum iudicem. Dæmonem autem, tanquam crudeliſſimum hoſtem & ſimulatum amicum agnoſcit, & dominum pacificum, donec inimicitias oſtendat in ſempiternum eum torquens.

Eccl. 18.

Galat. 1.

De mundo eſſe, quantum malum ſit.

Pſal. 48.

Luc. 11.

Iacobi 4.

Multi ergo neſciunt quid ſit mundus; & multi, hoc eſt, filij Adæ, neſciunt tantum malum eſſe inimicitiam, imo putant eſſe pacem, quæ duplex eſt, & verum bellum, quia hic ei ſeruitur vt hoſti tecto & poſtea aperto. Quia autem in hoc hoſte, qui eſt mundus, includitur malignus dæmon, cui non poteſt comparari poteſtas ſuper terram, nec poteſt vinci viribus noſtris: imo nec quiſquam ei rebellare poteſt; quia in pace ſunt omnia quæ poſſidet, donec fortior ſuperuenerit; Paulus

Mundanorum hominum falſa pax.

Iob. 4.

Luc. 11.

Rom. 7. lus quoque ad Rom. *Video*, ait, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Aliud certe remedium non eſt, quam hominem naſci ex Deo: quod eſt hominem ſecundum ſuum immortale, indui Diuinitate, nouamque fieri creaturam gratia Dei per Ieſum Chriſtum. *Vos*, inquit, *eſtis filioli, & vicistis eum.* Eſſe ergo natum ex Deo, eſt, Fide intrare in diuinum hominem, præferendo Deum creaturæ, æterna temporalibus, & carni ſpiritum. Vt faciunt, qui dicunt, *Fiat voluntas tua*: quia in talibus Trinitas habet ſuam energiam. Primo, habent ſuum locum ſupra iumenta inter Angelos; & cœleſtes ciues. Secundo, ſunt ſupra carnem, cui reclamanti minime acquieſcunt. Tertio, ſunt ſupra dæmonem, & oratio ſancta ſeruat eos, & malignus non tangit eos, vt dicit Ioannes. Quarto, habent pacem, quæ nititur Chriſti plagis, & ius ad cœlum. Quare vincunt contrarium, ſiue mundum. Et, id quod ſurſum eſt, vincit id, quod deorſum eſt, & oppoſitum.

Nati ex Deo quid aſſequantur. *1. Ioan.* 4. *Matth.* 6. *1. Ioan.* 5.

Porro diuerſa ſunt apud Ioannem, & in Euangelio, & in hac epiſtola, Eſſe in mundo, &, eſſe ex mundo, vel de mundo. Nam primum, eſt eſſe inter mundanos, poſterius vero, eſt, eſſe partem mundi, & de numero mundanorum. Qui in mundo eſt, & fide eligit meliora, videtur pars eſſe ſeculi ſancti, & relinquit hoc ſeculum nequam, quod eſt reſpublica dæmonis. Omnis, ſcilicet, qui concipitur in peccato, & viuit in illo. Qui vero ex Spiritu ſancto eſt, vt Chriſtus ex Deo, extra rempublicam mundi eſt, & Rempublicam Dei inhabitat.

Eſſe in mundo, & eſſe ex mũdo, vel de mundo, non eſſe idem, ſed diuerſa. *Eccl.* 17. *1. Ioan.* 3.

Videtur autem natiuitas Dei ex fuga peccati mortiferi, quia omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare. Videtur etiam ex opere, & confeſſione. Vnde illud, Omnis ſpiritus, qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et, Si ſcitis quoniam iuſtus eſt; ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt.

Infra. 4. *Supra* 2.

Mundus autem non cognoſcit Deum, cum vtraque ſui parte ſuperiori, & inferiori, ſubiectus ſit dæmoni, & pro mundo non rogat Dominus; ideo non poteſt habere gratiam, vel auxilium Dei, vt à peccato egrediatur, vel vnde reſiſtat peccato, vel vnde bene operetur. Mundus ergo, ſunt filij huius ſeculi adulteri: nam amicitia huius ſeculi, inimica eſt Dei. Adultera, eſt, quæ accipit alium virum à proprio: ita anima adultera, quæ alium Deum colit. Adulterini vero ſunt geniti ex adulterio dæmonis eorum patris, de quo Chriſtus Iudæis dixit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* Dicuntur etiam filij alieni mentiti: *Eripe me*, inquit Dauid, *& libera me de manu filiorum alienorum*, id eſt, qui ponunt in hoc ſeculo ſpem, gloriam & honorem.

Mundus cur non cognoſcit Deum. *Ioan* 17. Filii adulteri qui myſtice. *Iaco.* 4. *Rom.* 7. *Ioan.* 8. *Pſalm.* 143.

¶ Vincere ergo mundum, vincere eſt ſe ipſum ea parte, qua mundanus & terrenus eſt. Neque ſatis eſt vincere mundum in ſeipſo, ſed oportet vincere mundum & in alijs, qui nos tentant, aut terroribus, aut blanditijs. Et ita Eccleſia in Hymno Virginum canit:

Vincere mundum dupliciter oportet.

Hæc tua virgo duplici beata
Sorte, dum geſtit fragilem domare
Corporis ſexum, domuit cruentum
Corpore ſeclum.

Stephanus quoque bene miniſtrans viduis, promeruit meliorem gradum nempe martyrij, & per illud mundi victoriam. Nam qui carnem vincunt, id eſt, mundum, in domo ſua, merentur vincere & aliena. Cum filius, aut filia Deo inſpirante, volunt aſſumere ſtatum Religionis, reclamant parentes, cognati, & amici. Oportet virginem vincere mundum, qui eſt in parentibus, amicis, & cognatis.

Actor. 6. *Infra* 2.

Eſt autem mundus potentiſſimus noſter aduerſarius. Primum quia ad illum propenſi ſumus, & ex parte eſt de cognatione noſtra. Secundo, quia in eo eſt concupiſcentia carnis captiuans in legem peccati. Tertio, quoniam mundo aſſiſtit dæmon calliditate, malitia, & viribus inſuperabilis, accuſator, & calumniator, qui ſeduxit noſtros progenitores, dando pomum. Tibi quoque porrigit temporalia & carnalia, vt eſcam qua capiaris, ceu piſcator hamo occulto capiens, & venator viſco ad inferos. Quarto, ſunt homines infideles addicti cupiditatibus mundi, qui iudicant impoſſibilem eſſe mandatorum Dei obſeruantiam.

Cur mundus tam fortis & potens aduerſarius noſter ſit. *1. Ioan.* 2. *Rom.* 7. *Apoc.* 12. *Geneſ.* 3.

Ne quis ergo propriis viribus confiſus, vt Pelagius, vertens ſe ad dexteram, vel ad ſiniſtram, putet hoc ſibi poſſibile, & inſtructus doctrina Lutherana dicat etiam cum gratia Dei eſſe impoſſibile: in vniuerſum ſubiungit Diuinus Apoſtolus: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum.* Et iterum adiungit: *Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra.* Id eſt,

Contra Pelagium, & Lutherum, de Natura, & Gratia blaſphemantes. Fidei cha-

ritate inſtructæ virtutes.

eſt, Ratio victoriæ in fide eſt, quia per eam habetur. Fides enim medio Sacramento re ipſa, vel voto accepto, eſt per quam renaſcimur ex Deo, & vincimus cupiditates, quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Fidei autem tribuitur quod omnia poſſit, vt Paulus dicebat: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*; & Christus: *Omnia poſſibilia ſunt credenti*: Fides etiam montes transferre facit: & contra petram fidei nec portæ inferi præualebunt. Deinde fides facit nos diffidere de nobis ipſis, & ad Deum per orationem confugere, qua omnia impetrare poſſumus: *Omnia*, inquit, *quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Tertio, quia fides in omnibus aduerſis conſolatur, & dulcia, & iocunda ſuggerit. Obijcienti enim; *Amittes bona temporalia*: docet reſpondere, Theſaurum eſſe in cœlo. Patieris paupertatem: *Scit Pater veſter quia his omnibus indigetis.* Mitteris in exilium. *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Perſecutiones patieris: *Siue viuimus, ſiue morimur; Domini ſumus.* Dæmoni terrenti fidelem reſpondet Petrus: *Reſiſtite fortes in fide.* Ad omnia aduerſa, & fere inſuperabilia dic: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Fidei Patrum fuit vincere regna, operari iuſtitiam, adipiſci repromiſſiones, obturare ora leonum, extinguere impetum ignis. Fidei virorum noui Teſtamenti, eſt vincere mundum; & vincere ſeipſum; operari iuſtitiam Chriſtianę charitatis; adipiſci repromiſſiones æternæ vitæ; ignem Babylonicum concupiſcentiæ extinguere; obturare os leonis rugientis, id eſt diaboli. Et vt quidam eleganter dixit:

Rom. 8. Philip. vlt. Mar. 9. 1. Cor. 13. Matth. 16.

Fides viua quibus aduerſariorũ ſe telis opponat.

Marc. 3. Matth. 19. Supra 6. Pſal. 23. Rom. 14. 1. Pet. 5. Hebr. 11.

Proprium fidei virorum noui Teſtamẽti.

Prouer. 16.

Fortior eſt qui ſe quam qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire poteſt.

Denique clarior victoria eſt iſta, quam exercitus profligare, prouincias deuaſtare; quia illarum victores çupiditatum ſuarum mancipia fuerunt.

B. Ambroſ. ſerm. 9. De tit. Caph. in verſ. 6. Omnia præcepta tua veritas; tom. 4. Idem. Iob. 7.

Ambroſius in Pſalmum nonageſimum octauum. *Remiſſas, inquit, excubias callidus inſidiator irrumpit: aſſuetum autem bello virum, extrema fraus inſtruit, & glorioſe prouehit palma victoriæ. Pax ergo, fidei corruptela materia eſt.* Et alio loco. *Quis enim miles ſit, ſi non militet, cum vita hominis ſit quædam militia ſuper terram? Nec in pugna ſpirituali expectanda eſt perfecta omnino victoria, cum ſit cum hoſtibus ſpiritualibus, & nunquam morientibus confligendum.* Hæc ille.

Quarto per fidem, Deo, & Chriſto, ſuo modo vnimur, de quo ait Apoſtolus, Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris: Iob quoque ait: Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Quinto fides, per quam iuſti efficimur, & adepta charitate ſumus, tollit ſcrupulos perplexitatis: quam charitatem qui habet, ſe vt filium Dei agnoſcit, & Spiritum Sanctum id ſuo cordi teſtificari: & per eundem clamat Abba Pater: quem vt arrham regni cœleſtis fore confidit. Vltimo fides facit credere Chriſtum viciſſe per mortem omnes hoſtes, id eſt, dæmonem, peccatum, mortem. Credit Chriſti victoriam eſſe ſuam, & ſibi dici: *Confidite ego vici mundum.* Et Apoſtolus; *Deus pacis conterat Satanam ſub pedibus veſtris velociter.* Vnde Beatus Bernardus ſermone primo de Tribus teſtimonijs in cœlo, & in terra hæc Ioannis verba ita interpretatur: *Quid ergo ait: Quis eſt Filius Dei, cum & ipſe iam mundus id credat? An non ipſi quoque dæmones & credunt, & contremiſcunt? Sed dico: Putas me filium Dei reputat Ieſum, quiſquis ille eſt homo, qui ipſius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promiſſionibus, nec præceptis obtemperat, nec conſiliis acquieſcit? Nonne is etiamſi fateatur ſe noſſe Deum, factis tamen negat? Porro fides ſine operibus, mortua eſt in ſemetipſa. Nec ſane mirum videri poteſt, ſi nequaquam vincit quæ nec viuit quidem.* Hæc ille, docens hæc opera non præſtare niſi fidem, quæ per charitatem viuit, & operatur.

Epheſ. 3. Iob. 17. Eſai. 50. Rom. 8. Galat. 4. 2. Cor. 1. Ioan. 16. Rom. vlt. Iacobi 2. Tit. 1. Iacobi 2.

DISPVTATIO XXX.

In illa verba: *Quis eſt autem qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt Filius Dei? Hic eſt, qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus, &c.* vſque ad: *Et hi tres vnum ſunt.*

Dubitationes quinque in verba propoſita

QVÆRENDVM In primis, quis ſcopus horum verborum ſit Apoſtoli. Deinde dubitandum circa illud primum: Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, & cætera. Tertio maius dubium eſt, quid ſignificat, Chriſtũ veniſſe per aquam, & ſanguinem, & quam multos ſenſus recipiat hæc litera, & quis ſit cęteris præſtantior: quare etiam expendit

illud

illud verbum Apoſtolus: Non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine. Videtur enim aliquod myſterium innuere. Quarto dubium eſt de iſto duplici teſtimonio: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo*, & reliqua; nam & olim illud primum teſtimonium de tribus Perſonis Diuinis, non erat in omnibus codicibus, & noſtro ſeculo Eraſmus multa ſcripſit, ad probandum veram lectionem non habere illud prius trium Perſonarum teſtimonium. Denique declarandum eſt quæ ſit vera lectio, & quis item legitimus ſenſus illorum verborum.

Solut. I. dub. De ſcopo.

Ad primum dicimus, Apoſtolum Ioannem cœpiſſe multis verbis vim, & energiam fidei explicare: modo declarat proprietatem, & qualitatem eius fidei, quæ vincit mundum. Vt enim Apoſtolus Paulus ad Hebræos nono capite longum contexit Catalogum virorum illuſtrium, & ex Deo natorum, qui à principio mundi extiterunt, mundumque ac rectorem, & principem eius Satanam vicerunt: ita hoc loco Ioannes ſuppreſſis nominibus Sanctorum, in vniuerſum de vi fidei, & energia loquitur.

Epheſ. 6.

Eccl. 31. Ad II. dub. De eo quod vincit mundum. *1. Ioan. 2.*

Ait ergo interroganter: *Quis eſt?* Quaſi dicat, Pauci, & nemo ex ſe ipſo, niſi dono Dei præuenientis. Tale eſt & illud: *Beatus vir qui inuentus eſt ſine macula, &c. Quis eſt hic, & laudabimus eum?*

¶ *Qui vincit mundum.* In ſe nimirum, & in aliis, concupiſcentiam oculorum & carnis, & ſuperbiam vitæ, & qui comparatam victoriam Deo tribuat: quemadmodum victores victi hoſtis arma appendunt in templo in ſignum comparatæ victoriæ per Dei gratiam, vt fecit fortis mulier Iuditha.

Iudith. 16.

¶ *Niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei?* Id eſt, ille, qui edoctus eſt à Deo, & perſuaſus. Omnis enim qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me, & fide viua amplectitur quæ credit: & pro eis retinendis, ac tuendis, ad mortem vſque paratus eſt pugnare. credit autem quod Ieſus eſt Filius Dei; & hoc ipſum eſt, quod ſuperius dixerat, credere Ieſum eſſe Chriſtum, vt ſæpe annotauimus; hoc eſt, credere non ſolum eſſe hominem verum, ſed, quod eſt omnium primarium fundamentum, credere eſſe verum Deum. Sicut enim filius hominis non eſt niſi homo, ita Filius Dei ſingulariter non eſt niſi Deus. Nec enim ille homo poſſet eſſe caput Eccleſiæ, niſi eſſet Deus, nec Redemptor ex iuſtitia ſatisfaciens: imo eſſet illuſor, & dæmone peior, vſurpando ſibi diuinitatem, quam non haberet. Ideo dæmon voluit tempore Arrij hoc diruere fundamentum, quando ſcilicet Eccleſia erat fortior ſpiritu propter ſanguinem Agni recens effuſum. Idem quoque fere omni tempore efficere tentauit, etiam noſtro ſeculo per miniſtros Vngaricos, & Trideitas, & per quendam Seruetum Hiſpanum à Caluino combuſtum Gebennæ, & per Eraſmum, qui plurimos ſcrupulos obiecit, quo minus Diuinitas Chriſti crederetur: qua in parte etiam ab Hæreticis ipſis, & in primis à Theodoro Beza non ſemel reprehenſus fuit. Nos ergo perſtemus in confeſſione Petri, quam fecit de Chriſto, cui dixit: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, & quam confeſſionem etiam Dominus laudauit tanquam in ſolido fundamento collocatam & ædificemus charitatem, & puros & conuenientes, mores lapideſque eſſe curemus viui: & politi, vt illi ingruere poſſimus qui eſt petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia.

Ioan. 6. *Eſai. 14.*

Dæmonis conatus in Arrio, & eius ſectatoribus contra Chriſtum, irritus ille tamen, & impotens.

Matth. 16.

Solut. III. dub De Chriſto, qui veniſſe dicitur per aquam, & ſanguinē.

Subdit: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine.* Sed quorſum hæc, dicet aliquis, & quid inſinuant hæc verba? Ad primum reſpondeo: Dixerat Ioannes: Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: declarat modo quomodo naſcuntur filij Dei, ex aqua Baptiſmi rubricata Chriſti ſanguine: vel in myſterio pœnitentiæ, quæ in virtute ſanguinis Chriſti valet. Vel, à principio capitis cœperat ſummam fidei noſtræ proponere, nempe Chriſtum eſſe vitam, ſalutem, & quod per ipſum renati poſſemus vincere mundum: hoc ipſum nunc latius probat.

Huius loci variæ interpretationes.

Quod ad ſecundum attinet, hæc litera varios ſenſus recipit. Primus eſt: Venit per aquam; id eſt, congregauit ſibi populos, quia aquæ multæ, populi multi. Et venit per ſanguinem, id eſt, eos etiam ad ſe congregatos redemit à morte. Et longe plura potuit, quam Moyſes, qui venit per aquam, (qui & Aſſumptus de aquis interpretatur) & per aquam maris Rubri duxit populum: ſed non per ſanguinem, quia à morte æterna eum redimere non potuit, imo nec ex AEgypto liberare, niſi in ſanguine alieno immolati agni, & illo quidem tenui, ac vili. Ioannes autem

Apoc. 12. *Exod 2.* Moyſes quid ſonet *Infra 14.* *Supra 12.*

tem Baptiſta venit per aquam Baptiſmi congregando populum, ſed non per ſanguinem, quia vt ipſe dicebat, Ego baptizo in aqua; & Chriſtus Actor. 1. *Quoniam Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto.*

Act. 1.

II. interpretatio.

Secundus ſenſus eſt: vt intelligamus per aquam, Diuinam ſapientiam quam Chriſtus nobis de cœlo attulit, quæ & in ſe munda eſt, & nos emundat, & reficit, & conſolatur: quæ de ſupernis venit, & qua nos regenerauit: ſicut omnia viuentia naſcuntur, vegetantur, & conſeruantur in aqua. Vnde frater Domini: *Voluntarie*, inquit, *genuit nos verbo veritatis*; & liber Eccleſiaſtici: *Cibauit illum pane vitæ, & intellectus; & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum.* Venit ergo de cœlo, ferens doctrinam, nouam & diuinam: venit per ſanguinem, quia Deo ſe obtulit hoſtiam pro nobis in odorem ſuauitatis. Et in hoc eſt diſcrimen inter Moyſen, Ioannem, & Chriſtum: quia illi tres venerunt cum doctrina cœleſti; ſolus Chriſtus etiam cum ſanguine vt mundi redemptor. Non effundam plura verba in his ſenſibus excutiendis, & illis ad viuum reſecandis. Tantum dicam ſenſum, qui mihi cæteris præſtare, & præcellere videtur.

Ioan. 3.

Iacobi 1.
Eccl. 15.

Puto enim ſignificari, Chriſtum aduenisse per aquam, quia prius ſuſcepit baptiſmum à Ioanne, & illum ipſum lauacrum regenerationis nobis inſtituit, & in remiſſionem peccatorum. Venit etiam per ſanguinem, ſiue per baptiſmum ſanguinis, de quo dixit: *Ego baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur?* quo ſeipſum videlicet Patri in ſacrificium cruentum obtulit. Ex his duobus probatur, & conuincitur verus, & vnicus Saluator noſter. Vel ſi velis, intelligitur de duplici baptiſmo: altero in aqua, quia Spiritum Sanctum habebat, de quo dixit Ioannes: *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum: hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*; Ioannes etiam Baptiſta Iudæis dixit: *Hic vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Chriſtus vero: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c.* De altero vero Sacramento, nimirum Euchariſtiæ, in quo corpus, & ſanguis Chriſti, per quod quaſi per mare Rubrum tranſeunt regenerati in Terram promiſſam, & paſcuntur & potantur, & à delictis ſuis purificantur: vt inde hæc Sacramenta virtutem habeant remittendi omnia peccata, tam veteris Teſtamenti, id eſt, commiſſa ante Baptiſmum; quam noui, id eſt, quæ poſt Baptiſmum admiſimus. Hic eſt, inquit, qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine. Quoties autem Chriſtus ſanguinem fudit, ſemper aquam admiſcuit, vt alibi annotauimus. Nam in circumciſione addidit aquam lachrymarum ſuarum, & Matris: & in cœna inſtituens ſacrificium incruentum, vino aquam adiunxit: in horto etiam cum ſudauit ſanguinem, non ſine aqua fudit: in flagellatione quis negare valeat ſanguinem cum aqua profudiſſe? Qui cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia. Idem dum ſtipiti Crucis affigeretur, vulnera in manibus, ac pedibus ſuſcipiens, eandem mixturam aquæ, & ſanguinis adhibuit. Denique cum lancea latus eius apertum fuit, continuo exiuit ſanguis & aqua in redemptionem, & purificationem noſtram.

III. Interpretatio autoris plauſibilior.
Matth. 3.

Ioan. 1.

Matth. 3.

Semper Chriſtum emiſiſſe aquam cũ ſanguine.

Luc. 2.
Infra 22.
Ibid.

Hebr. 5.

Ioan. 19.

Hic eſt qui venit. Non è deſerto Iudææ, ſed è deſerto cœli Empyrei: non vt Angelus præparans viam ante ſe, ſed vt Angelus ſeu præcurſor teſtamenti aquam noſtræ piſcinæ ſanguine ſuo rubricans, & turbans. *Non in aqua ſolum ait*: Vt venit Moyſes, velut interpretatur Bernardus ſerm. prædicto. Moyſes enim in aqua venit, à qua & nomen accepit, vt Moyſes vocaretur. Ad differẽtiam etiam Ioannis Baptiſtæ, qui dicitur veniſſe in aqua tantum: *Ego*, inquit, *baptizo vos in aqua in pœnitentiã.* Quod ſi dicas, Ioannem Baptiſtam veniſſe per ſanguinem, quia pro teſtimonio veritatis Chriſti ab Herode decollatus fuit: non tamen ille ſanguis emundauit nos à peccatis, nec ſanctificauit aquas baptiſmi, ſed ipſe potius à ſanguine Chriſti ſanctificatus fuit: quod agnoſcens Baptiſta, dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*: Aqua enim per ſe non ſanctificat, nec mũdat, ſed ſordidat potius: at ſanguis Chriſti, quia diuinus eſt, vim habet, & efficacitatem mundandi: Et vt caro non prodeſt quicquam, ſi cogitetur ſeparata à Chriſto: coniũcta tamen verbo, copioſiſſime profuit, vt fieret Deo ſacrificium acceptiſſimum ad redemptionem noſtram, & cibus, & poculum electorum: ita etiam ſanguis ſi cogitetur ſeparatus à Chri-

Vnde venit Chriſtus per aquam, & ſanguinẽ.
Matth. 3.
Chriſti à Moyſe, & præcurſore Ioanne diſcrimen.
Ber. in ſer. 1. in Oct. Paſcha. de trib. teſt.
Exod. 2.
Matth. 3.
Infra 14.

Supra 3.
Chriſti ſanguis cur mundet peccata.

Ioan. 6.

Chriſti caro quatenus proſit nobis.

à Chriſti diuinitate, nihil, aut parum proficeret: verùm illi vnitus, pretium eſt incomparabile, & infinitum.

Quid venire Chriſtum per aquam, & ſanguinẽ.

Et expende formulam loquendi: *Hic eſt qui venit per aquam, & ſanguinem*: Hoc eſt: Prænunciatus eſt mundi ſaluator venturus à Scripturis per aquam, vt verus homo, qui verè baptizandus erat in aqua ad veritatem noſtri Baptiſmi, & noſtræ regenerationis. Venturus etiam prædicitur per ſanguinem, hoc eſt, verè paſſus, & mortuus in remiſſionem peccatorum noſtrorum: nam remiſſionem peccatorum per ſanguinem fieri docet Paulus Hebræorum nono, quia ſine ſanguinis remiſſione non fit remiſſio.

Hebr. 6.

De lectione huius loci. Spiritus eſt qui teſtificatur, &c.

Sequitur: *Et Spiritus eſt qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas*: Duplex eſt lectio. In latinis codicibus habemus quod dictum eſt: in Græcis verò, Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Spiritus eſt veritas. Vt ſit ſenſus: Spiritus eſt qui hæc de Chriſto teſtificatur: ergo eius teſtimonium recipiendum eſt, quia Spiritus ſanctus eſt veritas, ſiue verax. Et vrgebat eo tempore teſtimonium Spiritus, quia nemo erat, qui illud negare poſſet, cum conſpiceret linguarum, & virtutum, & operationum miracula indies magis per illum effici. Et poteſt propriè teſtificari Spiritus Sanctus de IESV, quia oportet teſtem veracem eſſe, & teſtificari ſine fallacia. Sed quidam præferunt lectionem Latinam vt magis germanam: quia Spiritus teſtificatur IESVM eſſe ipſam veritatem, qui dixit ipſe de ſe, Ego ſum via, & veritas, & vita. Via eſt, qua ingredimur ad ſalutem: vita, quia ipſe eſt finis noſter vltimus, in quo quieſcendum. Veritas verò non poteſt conſiderari niſi cogitetur & res, & intellectus, & quid prolatum: nam in re aliqua prolata verſatur veritas & falſitas. Chriſtus ergo vt eſt Deus, cum ſit dictum, & prolatum, & Verbum Patris expreſſum, merito dicitur veritas, quoniam totam Patris ſubſtantiam adæquatè, & perfectè exprimit. Et quia de homine Chriſto miſſo à Patre hic agitur, qui ſermo Patris eſt, vt ipſum audiamus: ideò etiam iure dicitur veritas. Eſt enim ſermo, Paternam nobis voluntatem, & miſericordiam explicans in ſemetipſo, quam vidit in Patre, & audiuit, & annunciait nobis. Ideò de ſe dicebat, Sermo tuus, veritas eſt. Scimus autem à Spiritu ſancto teſtante per Apoſtolos, & per totam Eccleſiam, & aſſiduè in cordibus piorum, quòd illa aqua, & ſanguis, quæ fluxerunt de latere Chriſti, mundat peccata omnia. Teſtatur etiam Spiritus ſanctus in columba, in linguis igneis, in Scripturis, & in ſignorum multitudine; quod Chriſtus eſt veritas implens vmbras legis veteris: quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Poteſt etiam verum opponi falſo, & ita Chriſtus omne falſum detexit, & fucatum, hypocriſique admiſtum. Si verò falſum ſumatur contra participatum; CHRISTVS verè Deus eſt, Patri coæqualis, atque adeo veritas ipſa coeſſentialis.

Ioan. 14. Chriſtus cur ſit via, veritas, & vita.

Infra 17.

Ibidem. Ioan. 1. Act. 2. Mat. 3.

Ad Quartum dub. De his verbis Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, an ſcilicet ſint de textu, necne.

Sequitur: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt.* In magnis controuerſijs, in quibus agitur de vita, aut vt ſic dicam, de toto eſſe, ſolent produci teſtes bonæ famæ, & omni exceptione maiores, &, ſi fieri poteſt, oculati, & maximè concordes: quia vbi hæc tria concurrunt in teſtibus, niſi alia ratione de oppoſito conſtet, ſolet eorum teſtimonium ſolidum haberi ad obtinendam ſententiam. Cùm autem de Diuinitate & Humanitate CHRISTI in his verbis agatur; expedit producere teſtes ad tantam rem confirmandam, & in cordibus fidelium ſtabiliendam.

In primis igitur conſtituendum eſt, Beatum Hieronymum in Præfatione in has Epiſtolas, teſtatum reliquiſſe, ſe epiſtolas Canonicas emendaſſe, vt hunc locum de tribus teſtibus cœlo teſtantibus ab Hæreticis malitioſe omiſſum reſtitueret. Eraſmus verò Græcos codices, qui etiam inter ſe variabant, ſequens, neglecta auctoritate Hieronymi, hæc verba omiſit. Poſteà tamen facti pœnitens, reſtituit in alia editione ex codice quodam Britannico, cum vrgeretur à Catholicis. Idem tamen ad vomitum rediens, contendit ſe malè reſtituiſſe. Sed hæc in primis contra authoritatem Hieronymi militant, cuius tempore om-

Prædicta verba ad textum pertinere, nec ſuppoſititia eſſe, vt Eraſmus cōtendit.

nes codices hæc verba habebant. Deinde cùm Græci codices à Latinis diſſideant, alterum è duobus euenire oportuit: aut quòd detractum ſit illis codicibus, in quibus id legeretur: aut quod adiectum ſit in alijs libris, vbi non legeretur; quod vel dolo vel caſu factum fuit. Si dolo, magis credendum eſt, ſublatum ab hereticis, vbi eſſe conſueuit: quia illis verbis Et hi tres vnum ſunt, conuincebantur Arriani, quàm à Catholicis, quòd adiecerint illa, qui certò nouerunt omne mendacium à Fide noſtra abhorrere, & Ioannem ipſum comminari in Apocalypſi: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Si autem caſui potius quàm dolo dandum eſt: proculdubio in omiſſione non in additione locum habet: quod enim integram clauſulam quis de ſuo adijciat, minime eſt caſui tribuendum, ſed conſilio, & dolo.

Propriū fidei Chriſtianæ.

Apoc. vlt.

Quòd verò omittitur, vel neglectu, vel tranſgreſſu oculi facilè, & ſæpè contingit, præſertim quando eadem verba ſæpius repetuntur. Vt in propoſito: Tres ſunt qui teſtantur in cœlo. Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra. Adhæc ſi Epiſtola congruit cum Euangelio capite decimo: *Ego & Pater vnum ſumus:* quomodo credibile eſt additum fuiſſe à quoquam? Præterea ſcripſit Euangelium Ioannes, vt probaret Chriſti diuinitatem, contra Ebionem, & Cherinthum, ſimilia hoc loco pertractat de Chriſti Diuinitate. Quomodo ergo ſuſpicari poſſumus adiectum fuiſſe? Miratur etiam Eraſmus, Cyrillum Magnum non vſum fuiſſe hoc fortiſſimo telo contra Arrianos, ad oſtendendum conſubſtantiales Tres Perſonas ex illo verbo: *Et hi tres vnum ſunt.* Sed certè in primis non omnia omnibus Patribus occurrunt. Accedit, quòd ſimilis alius locus legeretur in Euangelio apud Ioannem, nempe ille iam productus: Ego & Pater vnum ſumus. Sed videbat eandem eſſe ſolutionem hæreticorum ad vtrumque locum. Quod ſi Cyrillus non eſt vſus hoc telo contra Arrianos, vſi ſunt tamen Hieronymus, Auguſtinus, & ſummi quidam Pontifices, & antiqui, vt Hyginius, ſeptimus à Beato Petro, in epiſtola prima ad omnes Chriſti fideles, & Ioannes Secundus Papa in epiſtola ad Valerium, & Cyprianus libro de ſimplicitate Prælatorum ex hoc loco probat vnitatem eſſentiæ diuinæ in tribus Perſonis eſſe inſolubilem: *Et iterum*, inquit, *De Patre & Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Et hi tres vnum ſunt; & quiſquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem Sacramentis cœleſtibus cohærentem ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatem collidentium diuortio ſeparari?* Hieronymus in prologo in Catholicas epiſtolas, inquit: *Quæ ſi ſic, vt ab eis digeſtæ ſunt, &c. illo præcipue loco, vbi de Trinitatis vnitate in prima Ioannis Epiſtola poſitum legimus, in qua etiam ab infidelibus tranſlatoribus multum erratum eſſe à fidei veritate comperimus: trium tantummodo vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis, & ſpiritus, in ipſa ſua editione ponentes, & Patris, Verbiq; ac Spiritus teſtimonium omittentes: in quo maxime & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna diuinitatis eſſentia cōprobatur.* Victor quoque Vticenſis libro ſecundo eundem locum producit his verbis: *Et vt adhuc luce clarius vnius diuinitatis eſſe cum Patre, & Filio Spiritum ſanctum doceamus, Ioannis Euangeliſtæ teſtimonio comprobatur: Ait enim: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Nunquid ait, Tres differenti æqualitate ſeiuncti? aut quibuslibet diuerſitatum gradibus longo ſeparationis interuallo diuiſi? Sed, tres, inquit, vnum ſunt.*

Ioan. 10.

Ioannes cur ſcripſit Euangelium.

Vnde fieri potuerit, vt Cyrillus Alexan. hoc Ioannis teſtimonio minimè vteretur.

B. Cyprian.

Hieronym.

Victor Vtic.

Idem docet Idacius ad Varimundum contra Arrianos, & Bernardus ſermone primo & ſecūdo in octaua Paſchæ. Concilium quoq; generale Lateranenſe III. vbi Innocentius diſputat contra Abbatem Ioachimum ponentem tres Perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam, & à Perſonis dictis diſtinctam, & veram, & propriam vnitatem non admittentem, ſed collectiuam, & ſimilitudinariam, ſicut fideles ſunt vna Eccleſia, & vnum corpus Chriſti myſticum. Qui ita interpretabatur illud ex Euangelio: *Et tu claritatem quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: Ego in eis, & tu in me: vt ſint conſummati in vnum:* & iſtud quod præ manibus habemus: *Et hi tres vnum ſunt.* Et tandem reprobans eiuſmodi doctrinam Innocentius, ait: *Cum ergo veritas pro fidelibus ſuis ad Patrem orat: Volo, inquiens, vt ipſi ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus: hoc nomen, Vnum, pro fidelibus quidem accipitur, vt intelligatur vnius charitatis in gratia, Pro perſonis verò diuinis, vt attendatur identitatis in natura vnitas: quemadmodum veritas alibi ait: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ, vtrique videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem, & creaturam non poteſt tanta*

Idacius.
Bernardus.
Conc. Lateranenſ. III. capit. 2.
Abbatis Ioachimi figmentū de quaternitate in diuinis.

Ioan. 17.

Aliter vnū ſunt fideles Chriſti, aliter tres Perſonæ Diuinæ.
Mat. 5.

ſimili-

ſimilitudo dari, quin, inter eos maior ſit diſſimilitudo notanda. Hæc Innocentius.

Caietani poſt Eraſmum, tum verò Anabaptiſtarum, Seruetanorũ que de hac Epiſtola iudicium impium & temerariũ.

Rober. Stephan.

Caietanus hoc loco ſecut' Eraſmum, de his verbis dubitauit; in totum autem Anabaptiſtę reijciũt hanc Epiſtolam, ſicut etiam faciunt Arriani noui, Serueta-ni dicti. Robertus autem Stephanus in codicibus quos edidit anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, in quibus annotauit quæ habentur in ſexdecim codicibus Græcis, nouem exemplaria hæc verba habere, & in ſeptem alijs deſiderari, ſcripſit nempè δ, ε, ζ θ, ι, ια. 18. Et ita hactenus hanc probauimus veram huius textus lectionem.

Soluitur quinta & poſtrema dubitatio. De ſenſu horum verborum vero atque germano.

Iam de ſenſu vero agendum: cum dixiſſet de CHRISTO teſtificari Spiritum quod ſit veritas: modo addit & Patris, & verbi teſtimonium, quò confirmatiores reddamur Chriſtum eſſe ipſiſſimam veritatem. Et ait: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Quia in cœlo non eſt opus teſtibus, vbi omnia clarè, & apertè cernuntur Fidei myſteria: ideò hæc verba ſic veniunt interpretanda: Tres ſunt in cœlo, qui teſtimonium dant de Deo Chriſto, & homine: nempè Pater, cum ait, *Hic eſt Filius meus dilectus*: & iterum, *Et clarificaui & iterum clarificabo.* Et Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ in baptiſmo: & per ora Apoſtolorum, quibus dixit: *Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis.* Et ipſe etiam Filius ſibi ipſi perhibuit teſtimonium, cum dixit: *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Et, *Ego ſum via, & veritas, & vita.* ¶ Poteſt tamen reſponderi, Trinitatem dare teſtimonium in cœlo de Chriſto: vel efficiendo viſionem in Beatis de eo quòd ſit Deus, & homo: vel in hominibus qui viatores ſunt, fidem infundendo, quæ Dei donum eſt: nam talia natura ſola non crederent. Teſtantur etiam ſecretæ inſpirationes, & verba prædicantium, & miracula.

Mat. 3. Ioan. 12.

Infra 15.

Supra 10. Infra 14.

Teſtimonium Trinitatis in cœlo de Chriſto quidnã ſit.

Epheſ. 2.

Quanti roboris ſit ac firmitatis de Chriſto teſtimonium Trinitatis.

Et hi tres, vnum ſunt. Græca habent *in vnum ſunt*, Vt validiſſimum eſſe horum trium teſtimonium declararet, oſtendit in illo eſſe concordes: qui autem magis poſſunt cogitari concordes, quàm ij ipſi, qui vnius ſunt naturæ, & conſequenter vnam, & eandem atteſtationem faciunt? maximè cum hi tres ſint omni exceptione maiores. Et cum articulis dicitur ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, τὸ Πνεῦμα, vt ſignificetur ille Pater ſummus, ille Filius ſummus, & ille Spiritus ſanctus ſupremus.

Quòd ſi obijcias, neminem in ſua propria cauſa eſſe poſſe conuenientem teſtem; ergo Verbum de ſe non conuenienter teſtatur. Sed reſpondemus iuxta illud Ioannis octauo: *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater.* Ecce ibi ſunt duo tantùm teſtes, hîc verò tres. Et vt poſſet Verbum de ſe teſtari; idcircò præmiſit, quod Spiritus teſtatur quòd Chriſtus eſt veritas: quòd ſi Chriſtus eſt veritas: profecto mentiri nequit.

Ioan. 8.

Gen. 2. Mat. 19. Pſ. 30. Ier. 31. 2. Cor. 6.

Illa autem præpoſitio, quæ præmittitur voci Vnum, ex Hebræa phraſi deſumpta eſt, dicunt enim Hebræi. *Erunt duo in carnem vnam*, id eſt, vna caro, vt Dominus declarauit, cum dixit: *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Ita accipienda ſunt illa: *Eſto mihi in DEVM protectorem, & vos eritis mihi in filios, & filias.*

Eraſmiana interpretatio illorum verborum Ioannis plane Chriſti deitatis arroſiua, & Arrianica diſcutitur, & exploditur.

Iam diſcutiamus, bone lector, Eraſmi interpretationẽ: interpretatur enim, Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: & horum trium ſummus eſt, & vnicus conſenſus. Probat autem ſic accipi debere. Primò ex eo quod idem dicit de Spiritu, aqua, & ſanguine quod vnum ſunt. Deinde quia ſic interpretatur Auguſtinus contra Maximinum, imò etiam gloſſa quam vocant Interlinearem. Etſi quoties in Scriptura dicuntur vnum, toties intelligenda eſſet eadem indiuidua eſſentia; Paulus & Appollo eiuſdem eſſent indiuiduæ ſubſtantiæ, quia ſcriptum eſt: *Qui plantat, & qui rigat, vnum ſunt*: Ac ita quoties dicimus duos concordes eundem eſſe amicum, & eundem hominem, vnam, & eandem animam, intelligeremus & vnam & eandem ſubſtantiam: quod falſum eſt, & abſurdum. Hæc ille ad ſenſum. Sed falſò, & calumnioſe comprobat. Primò enim Gloſſa Interlinearis ita habet; *Vnum ſunt, id eſt, Vnus DEVS de eadem re teſtantes.* Deinde falſum eſt, Auguſtinum ſic intellexiſſe: imò illum ſenſum vt Arrianiſſimum inſectatur. Ait enim libro primo contra Maximinum, Arrianorum Epiſcopum, capite duodecimo *Concordia, & charitate, qua dicis factum fuiſſe vt vnum ſint Pater, & Filius, quando mihi protuleris dictum eſſe, quod vnum ſunt quæ ſint diuerſæ ſubſtantiæ, tunc cogitabo quid debeam reſpondere: legimus enim: Qui plantat, & qui rigat, vnum ſunt, Sed*

1. Cor. 3.

Augu. to. 6.

ambo

ambo homines erant, eiuſdem ſubſtantiæ fuerant, non diuerſæ. Item legimus ipſo Chriſto dicente: Vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Non dixit: Vt ipſi & nos vnum, ſed vt ipſi ſint vnum in natura ſua, & in ſubſtantia ſua concordi æqualitate quodammodo vniti atq; conflati, ſicut Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnum, propter indiuiduam, eandemq; naturam. Aliud eſt enim, vnum ſunt: aliud, Vnus eſt, & paulò poſt: *Vbi autem dicitur: Vnum ſunt, vna ſubſtantia ſignificatur, quod vos non vultis, & audetis dicere verum Chriſtum Dei Filium vos confiteri.* Idem libr. 2. c. 10. & lib. 3. cap. 14. ante medium: *Quid eſt Homouſion, niſi vnius, eiuſdemq; ſubſtantiæ? Quid eſt, inquam, Homouſion, niſi, Ego, & Pater vnum ſumus?* Hæc magnus Auguſtinus.

Ioan 17. — *Idem.* Homouſion quid. *Ioan. 10.*

Ad id quod obijcit Eraſmus, de aqua, ſpiritu, & ſanguine, infra ſuo loco reſpõdebitur. Quartò falſum eſt, quod putat dictum Auguſtini, & Catholicorum: quoties dicitur de duobus vnum eſſe, intelligendum, eiuſdem ſubſtantiæ indiuiduæ; non enim ſic dicunt Catholici, ſed cum Auguſtino fatemur, quod nunquã de duobus in Scripturis prædicatur vnũ ſubſtantiuè, & in genere neutro, quę non ſunt eiuſdem naturæ. Neque dixit eiuſdem indiuiduæ naturæ, vt imponit Eraſmus. Et ſic non dicitur, Subſtantiuè. Multitudinis credentium erat cor vnũ; & anima vna, ſed adiectiuè tantùm. Paulus verò, & Apollo verè ſunt vnum, id eſt, eiuſdem ſubſtantiæ, & naturæ, cùm ſint homines. Benè ergò dicimus, Petrus, & Paulus vnum ſunt, id eſt, natura, & eſſentia: nec tamen Petrus, & equus vnum ſunt, quia ſunt diuerſæ naturæ: benè autem dicimus: Petrus, & equus vnum ſunt ex accidenti aliquo, vt albedine; ſicut nix, & farina vnum ſunt albedine, non autem natura. Quia ergo dicitur, quod Pater, & Filius vnum ſunt: ſequitur quòd erant non ſolùm eiuſdem naturæ, ſed etiam indiuiduæ naturæ: quia diuina natura impartibilis eſt.

Act. 4.

Cur Ioannes Spiritus, etiam aquæ, & ſanguinis, terrenum ſcilicet proferat teſtimonium.

Ad alterum teſtimonium veniamus: *Et tres ſunt*, inquit, *qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis.* Quemadmodum qui reſtituendæ bonæ famæ dat operam, per turbas ſolet producere teſtes, quò res integrior reddatur: ita & Ioannes per Proſopopœiam; in terra, hoc eſt inter res nobis familiares, producit teſtimonium cum priori conſentiens, & idem teſtificans. De Chriſti quidem humanitate Spiritus quem emiſit in Cruce, quando inclinato capite tradidit Spiritum, & deſcendit in limbum viſitaturus ſanctos Patres, & inde liberatur*, aquam verò, & ſanguinem in horto emiſit: & in Cruce quando percuſſo latere eius per lanceam exiuit ſanguis, & aqua: quæ tria teſtantur de humanitate eius; ac etiam de eiuſdem diuinitate, vt pòſt explicabitur.

Ioan. 19. Zacha. 9. — *Luc. 22. Ioan 9.*

Et hi tres, vnum ſunt. Quæ vltima verba multi codices Græci non habent, vt Hiſpanienſe exemplar, quemadmodum etiam notauit B. Thomas in expoſitione, quam fecit ſuper primam Decretalem: vbi ait hæc verba abundare: idem inſinuat Innocentius cap. In quadam, tit. De celebrat. Miſſarum. Aliqui tamen codices Græci habent; vt intelligas omnia teſtimonia penitus conſentire. Verùm tamen Græci legunt, non, vnum ſunt, ſed in vnum ſunt: καὶ οἱ τρεῖς εἰς ἕν εἰσιν, ac ſi vnus tantùm teſtis eſſet, ſicut reuera ſunt, ſi ſubſtantiam ſpectes, & naturam: nam ſpiritus, & corpus, quod conſtat aqua, & ſanguine, vna eſt natura humana. Vel tria illa genera Baptiſmi, Flaminis, Fluminis, & Sanguinis, in vnum effectum regenerationis conueniunt. Et B. Auguſtinus libr. 3. contra Maximinum capit. 14. hæc verba interpretatur de Chriſto pendente in cruce, de quo exierunt ſpiritus, aqua, & ſanguis: quæ licèt diuerſa ſint ſubſtantia, ſignificatione tamen ſunt idem, ſicut petra, & aqua, id eſt, Chriſtus, & Spiritus ſanctus vna, & eadem ſubſtantia ſunt, etſi ſignis diuerſa. Ita hic Pater in ſpiritu ſignificatur, quia Spiritus eſt Deus. Filius, in ſanguine, quia homo: Spiritus ſanctus in aqua, quia dixit, *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Et de ſe ait: *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo; & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater*: & de Spiritu ſancto: *Ille teſtimonium perhibet de me*: Et cùm Græcè Spiritus, aqua, & ſanguis, ſint neutrius generis, nempe, πνεῦμα, ὕδωρ, & αἷμα: dicitur tamen maſculinè. *Et hi tres.* non hæc tria, quoniam ſub illis vocibus Perſonę intelliguntur diuinæ, Vt enim tradunt hoc loco ſcholia Græca: *Ter tulit de Chriſto teſtimoniũ Deus Pater; in aqua Baptiſmi, cum dixit: Hic eſt Filius meus dilectus: Et cum venit vox de cælo Et clarificaui, & iterum clarificabo: & in ſignis, & miraculis, quæ edidit tempore paſſionis: Spiritus ſanctus verò quando è mortuis viuus reſurrexit. Ieſu ergò filiationem teſtificantur Baptiſmus, Crux, & reſurrectio. Et tria hæc in vnum Chriſtum conueniunt.*

Hæc verba de Spiritu, aqua, & ſanguine. Et hi tres vnum ſunt, de textu ne ſint. *S. Thomas. Innocent.*

Triplex genus Baptiſmi. *Ioan. 19.*

Diuinarũ perſonarũ propria. *Ioan. 4.* — *Infra 7.* — *Infra 8.* — *Infra 14.*

Interpretatio Græcorum. *Matth. 3. Ioa. 12.*

Sic illa. Et hoc modo in illis tribus ſi intelligantur tres Perſonæ diuinæ, intelligendum eſt; In vnum ſunt, vel vnum ſunt ſubſtantia, & teſtimonij conſenſu.

Triplex teſtimonium de Chriſto nos quoq; præſtare debemus.

Oportet etiam nos, ſi ſapimus, dare teſtimonium Triplex de Ieſu Filio Dei, & de nobis per eum in illos adoptatis. Primùm quidem per aquam compunctionis cordis, & lacrymarum aſſiduitatem, vt ita abluamus & proprias, & alienas culpas. Per aquam etiam: quale ſanctus Dauid perhibuit, cùm diceret; *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Secundò, per ſanguinẽ, id eſt, quotidianam corporis noſtri afflictionem. Nondum enim vſq; ad ſanguinem reſtitimus aduerſus peccatum repugnantes: vt Paulus Hebræis obiecit. Tertiò per Spiritum dilectionis, de quo Apoſtolus, Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis: & ita nos docet facere ſanctus Bernardus ſermo. 1. & 11. De tribus teſtimonijs in octaua die Paſchæ.

Pſ. 6. *Heb. 12.* *Rom. 5.* *B. Bernard.*

Teſtimonium Dei cur maius eſt hominum teſtimonio.

Sequitur: *Si teſtimonium hominum accepimus, teſtimonium Dei maius eſt*, Confirmat quæ dixit de teſtimonijs comparatione à minori ad maius ducta: quaſi dicat; Velimus, nolimus, quando in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum, validum eſt teſtimonium. Et humanitus nulla maior certitudo haberi poteſt, licèt teſtes poſſint corrumpi, & ignorantia, vel malitia falſum teſtari, quia ſunt ſuapte natura mendaces, & ſæpe fallunt, & falluntur. Quanto ergo magis Dei teſtimonium ſolidum erit, qui nequit decipi, vel decipere?

Deut. 17. *Mat. 18.*

Quod teſtimoniũ tribuit Deus Pater de Chriſto.

Quoniam hoc eſt teſtimonium Dei quod maius eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo. Græcè non habentur illæ quatuor voces; *Quod maius eſt, quoniam*: & ſiue tollantur illæ voces, ſiue ponantur, ſenſum tamen non mutant. Ac dicitur Dei teſtimonium maius, ſcilicèt quàm illud hominum. Teſtatus eſt autem Deus Pater de filio ſuo, illum iam veniſſe, cùm dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Voce ergò de cœlo, & ſignis, atq; miraculis, prædicatione Apoſtolorum, & inſpiratione in cordibus hominum credentium, teſtatus fuit iam illum in mundo verſari, & ſalutem hominum operari. Sed ſignum illud Transfigurationis maximum teſtimonium de Filio Dei fuit: quia, vt Petrus ait; Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum à magnifica gloria: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite.* Et quia vox illa de nube prodijt: vbi de Spiritu ſancto teſtificante videtur eſſe ſermo: colligeretur ex hoc loco Spiritum ſanctum Deum eſſe: quem admodùm Actor. 5. habetur de Anania: *Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? &c. Non es mentitus hominibus, ſed Deo.*

Mat. 3. *Infra 17.* *Mat. 17.* *2. Pet. 1.* *Act. 5.*

Serapidis reſponſum ad Regem Ægypti, de perſonis diuinis.

Extat Serapidis teſtimonium, qui interrogatus à Thuli Rege Ægypti, qui tempore belli Troiani floruit, Quis eſſet ſe felicior: quædam dixit his Ioannis verbis ſimilia, & Trinitatis perſonas expreſſit, reſpondit enim:

Πρῶτα Θεὸς μὲν, ἔπειτα Λόγος, καὶ Πνεῦμα σὺν αὐτοῖς
Σύμφυτα δὲ τρία καὶ πάντα εἰς ἓν ἐόντα.

Hoc eſt:

Principio Deus eſt, tum Sermo, & Spiritus illis
Additus, æqueua hæc ſunt, & tendentia in vnum.

Idem enim eſt: Et tendentia in vnum; atq; dicere: *Hi tres, in vnum ſunt.*

DISPVTATIO XXXI.

In illa verba: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo. Et hoc eſt teſtimoniũ, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita, in Filio eius eſt, Qui habet Filium DEI, habet vitam,* &c.

Prima & ſecunda dubitatio.

PRIMO loco ſcopũm Ioannis inueſtigabimus, & quomodò hęc cum præcedentibus cohæreant. Deinde qua ratione aſſerit, credentem in Filium Dei, habere teſtimonium Dei in ſe? nam cũ quiſq; hoc dicere poſſit, quod habet teſtimonium Dei in ſe, non poſſet conuinci falſitatis vllus Hæreticus, qui Chriſtum fingit ſuo modo: nam teſte Apoſtolo, quæuis hæreſis alium Chriſtum prędicat, alium Spiritum, & aliud Euangelium. Tertiò dubitatur circa ſequentem clauſulam: *Qui non credit Filio, mendacem facit eum.* Si quis enim ſemel crediſſet illi tanquam Filio Dei teſtificanti, & poſteà Fidem deſereret; videretur mendacem facere Deum: at qui nunquam ei credidit, ſed qui timens ſibi, & cauens à piculo, non credit, videtur non poſſe dici ꝙ faciat Deum mendacem. Quartò dubitatur, quomodo Filij Dei ſit vita æterna, cũ certũ ſit, neminem à vita ęterna defice-

2. Cor. 11. Tertia. Quarta.

reponſ-

Quinta. re poſſe; cum tamen multi à Chriſto deficerent, & apoſtatarent. Poſtremò quæ eſt illa fiducia, quam habentes quodcunque petierint à Deo, exaudientur? Cur item repetit, quod toties iam dixerat?

Ad I. dub. Quo tẽdit Apoſtolus.

Ad primum dicimus, Apoſtolum diſſeruiſſe de teſtimoniorum efficacia, & virtute, ſyllogizando, & colligendo, ꝙ ſi hominum ſuapte natura mendacium, & fallacium teſtimonium recipimus, quidni etiam Dei, qui falli, & fallere non poteſt, teſtimonium recipiamus? Proponit igitur vires teſtimonij diuini in credente; & de errore illorum, qui in Filium Dei credere nolunt, agit Apoſtolus.

Credens quis in Filium Dei, habet teſtimoniũ Dei in ſe.

Ait igitur: *Qui credit in Filium Dei.* Non quacunque fide, ſed viua, & firma quę apprehendit Ieſum eſſe verum Dei Filium, hoc eſt, verum Deum, & verum hominem, & denique Meſſiam à Patre æterno pro ſalute mundi miſſum. Eſt enim hic tantus honor & gloria credendi in Filium Dei, vt nonniſi à Filio Dei, vel à regenerato in filium Dei poſſit haberi. Vnde Ioan. 1. dicitur. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius*: in illa fide viua per dilectionem operante habet titulum verum, & ius ad ipſam hęreditatem cœleſtem Chriſti ſanguine partam: *Si enim filij*, ait Apoſtolus, *& hæredes, hæredes quidem Dei; cohæredes autem Chriſti.* (Ioan. 1. — Rom. 8.)

Credens in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe dupliciter.

Subdit: *Habet teſtimoniũ Dei in ſe.* Horum verborum duplex poteſt ſenſus ꝓduci: primus, vt ſit elegans metonymia, vt teſtimonium accipiatur ꝓ re teſtificata, ſicut etiam teſtamentũ ꝓ re teſtamento legata; & promiſſio pro re promiſſa. Qui enim credit in Filium Dei, & recipit teſtimonium Patris de filio ſuo, & illi per fidem viuam adhæret, is habet teſtimonium Dei in ſe, de quo teſtatus eſt Deus, nimirum ipſum Filium eſſe vitam, & redemptionem in ſeipſo. Alter verò ſenſus eſt: qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Spiritus ſancti in corde illud teſtantis, veriſſima eſſe, & certiſſima omnia q̃ de Chriſto credit. Fides enim, donum Dei eſt, vt docent Scripturæ ſanctę: nec enim natura humana ex ſeipſa aſſurgeret ad talia credenda, niſi per Spiritum ſanctum intus teſtificantem erigeretur, nec poſſent tanta firmitate apprehẽdi quæ de Chriſto prædicantur ab aliquo externo doctore, vel catechiſta, niſi Spiritus ſanctus intus cooperaretur ad fidem concipiendam, & ſtabiliendam, iuxta illud: *Dominus aperuit cor Lidiæ purpurariæ intendere his quæ dicebantur à Paulo*: ait etiam Marcus Euangeliſta de Apoſtolis: *Illi autem profecti, prædicauerunt vbiq; Domino cooperãte, & ſermonẽ cõfirmãte ſequẽtib⁹ ſignis*: Dominus quoq; apud Ioannem, *Omnis*, inquit, *qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, id eſt, non tantũ audiuit credenda, ſed etiam perſuaſus eſt à Deo ita eſſe, vt nequeant dubitari. Ille venit ad me fidei greſſibus, vt me mundi ſaluatorem, & Filium Dei amplectatur. Itaq; ad fidem duo requiruntur: alterum, prædicatio, vel doctrina externa, de qua: *Quomodo credent ei quem non audierunt?* Alterum eſt, interior mentis illuſtratio, & perſuaſio: & vtrumque eſt donum Spiritus ſancti, qui & loquitur per os prædicatoris, vel catechiſtæ, & ꝑ ſeipſum in corde. Et rectè vocat Apoſtolus Ioannes hoc teſtimoniũ, internum teſtimonium, quia teſtimonij non eſt facere euidentiam eorum, q̃ creduntur, ſed tantùm credulitatem, & fidem: non enim euacuat fidem niſi viſio in cœleſti gloria. Teſtimonia enim quę reddidit Spiritus ſanctus, communiter omnibus credentibus reuelando Filium DEI vel quæ peculiariter de quibuſdam reddidit Apoſtolis, vel olim Prophetis: intra Fidem ſunt, vel fidei firmandæ, vel augendæ ſeruiũt. Teſtimonium, quod reddit Spiritus ſanctus de Chriſto, quòd ſit filius Dei, aliud etiam continet, quod ipſe nimirum qui teſtatur, eſt Spiritus ſanctus: vtrumque enim eſt neceſſarium ad ſolidam teſtimonij rationem, vt credamus nos eſſe per eum filios adoptatos: & vt Spiritus ſanctus oſtendat ſe eſſe teſtificatorem, vt Ambroſius docet in verba Apoſtoli ad Rom. 8. Ita etiam cõteſtatur per fidem, quæ eſt communis reuelatio, quòd Ieſus ſit nuntius & legatus Meſſias, Propheta magnus, Sacerdos, & Redemptor, & mundi Saluator, & in quem meritò omnis ſpes vitæ, & ſalutis noſtræ, puppis, & prora, & anchora ſit collocanda. ¶ *Qui non credit Filio, mendacem facit eũ.* Græca habent; *Qui non credit Deo*, & ſpectandum erat in Antitheſi, cùm diceret, Qui non credit in Filium DEI, & non credere Deo. Vel certè ſi purior eſt lectio Latina, pulchra eſt antitheſis Ioanni Apoſtolo conſueta. Et loquitur Apoſtolus de incredulitate vitioſa, & culpabili, quæ eſt à praua voluntate, quando ſcilicet quis vel à Scripturis perſuaſus, vel à miraculis inductus, vel ab argumentis vrgentibus, & valdè prementibus tractus, cor ſuum ita obfirmat, vt veritati idoneè oſtenſæ, & probatæ nolit aſſenſum præbere. Et ita loquitur de in-

Margin notes: Teſtimonium Spiritus ſancti quam efficax ſit. — Eph. 2. — Act. 8. — Marc. vlt. — Ioan. 6. — Fides requirit duo. — Rom. 10. — Ambr. in 5 — Heb. 6. — Quis incredulus Filio Dei, faciat eum mendacẽ.

credulitate, quam priuatiuã vocant Theologi; non de negatiua. Et perinde peccant per hanc incredulitatem vitioſam, qui perſuaſi de veritate nolunt aſſentiri, atque illi, qui poſt aſſenſum fidei præſtitum apoſtatarunt: quanquam apoſtaſia à Fide, grauius, & deterius ſit peccatum, quam à principio aſſenſum præbere noluiſſe.

Quomodo nõ credens Dei Filio, eum faciat mendacem.

Qui non credit, inquit, *mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo*. Intellige ex natura facti ipſum non credere teſtimonium Dei redundare in teſtem mendacem facto, vel potentia: niſi enim putaretur teſtis mentiri, vel poſſe mentiri, acceptaretur proculdubio eius teſtimonium. Ideò non credens teſtimonio Dei de Chriſto filio ſuo, quantum eſt ex natura facti, facit eum teſtantem actu, vel potentia mendacem; qui tamen eſt ſuapte natura verax, & mendacij oſor, & redargutor. Et ita hoc crimen æternam promeretur condemnationem.

Quid credere Deum eſſe mendacem.

Qui autem credit Deum eſſe mendacem, credit & per conſequens eum eſſe ignorantem, impotentem præſtare quæ promittit, aut malitioſum, qui fallendo delectatur; quod grauiſſimum eſt ſcelus & horrendum, & ſeueriſſimè à Deo puniendum, de quo dixit Dominus: *Quicunque non receperit vos* (ſcilicet teſtantes ex parte Dei, iuxta illud: *Et vos teſtimonium perhibebitis*) *neque audierit ſermones veſtros, &c. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati*: maximè cum Apoſtoli & vitæ ſanctitate, & admirandis ſignis, & ſcientia Scripturarum referti ſſimi eſſent, vt omnes agnoſcerent illos dignos eſſe fide eorum, quæ Chriſti nomine prædicabant. Hinc quoque apparet, quanta ſupplicij grauitate veniant Hæretici puniendi, qui Eccleſiam Catholicam, & per conſequens Spiritum Sanctum eius Doctorem, & Chriſtum caput eius credunt in denſiſſimis errorum tenebris verſari: quod eſt apertè facere illos mendaces, & mendacij amatores.

Matth 10.

Ioan.15.

Ioan.16.

Cur Deus Pater teſtificatus ſit de Chriſto filio ſuo.

Et hoc eſt teſtimonium, Quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Quoniam, poſuit pro, quòd, vt ſæpè ſolet facere interpres. Et explicat, ad quid conferat hoc teſtimonium de Filio ſuo, argumento ſumpto à commodo, & vtili, quod credentes accipiunt. Ac ſi diceret; diuinum eſt non ſolum quod tulit de Filio ſuo, quis, qualiſve ſit in ſeipſo, ſed etiam de dono nobis collato per Filium, nempè quòd Deus dedit vitam æternam per Filium, & in quo per eſſentiam vita eſt æterna perinde, atque in Patre, deinde ſumma, atque pleniſſima participatio vitæ æternæ in Chriſti anima Deum vidente, ac poſſidente, illoque fruente. Sicut autem dando Chriſtum Filium naturalem, dedit nobis filiationem participatam, quæ adoptionis vocatur, nempè vt Filij Dei & dicamur, & ſimus: ita donando nobis Chriſtum, & vitam æternam, in eo dedit quoque, participationem æternæ vitæ, communicando nobis vitam gratiæ, quæ eſt inchoatio, & participatio vitæ æternæ quaſi in ſemine: dando etiam opera bona, & ex gratia meritoria, in quibus eſt titulus, & ius ad gloriam ex munificentiſſimo Dei pacto: conferendo item Spiritum ſanctum, in quo eſt æternæ vitæ arrha, & pignus: tradendo inſuper nobis internas conſolationes, & vnctiones, in quibus eſt delibatio quædam, & guſtus futuræ æternæ vitæ. Diſpenſando quoque nobis Chriſtum ſub Sacramento Euchariſtiæ in hoſtiam viuam, & ſalutarem, qua Pater nobis placatur, & vt filijs reconciliatur, quæ demum impetramus bona ſpiritualia præſentia, & præſertim in eis ſpem æternorum, quæ non confundit, quia charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris: quæ etiam certitudinem infundit, vt ait Bernardus. Vides igitur quantis vijs, & rationibus Apoſtolus nos, quantum ad ſe attinet, certos conatur reddere de certa ſpe, & fiducia obtinendæ vitæ æternæ. ¶ Subdit: *Et hæc vita, in filio eius eſt*. Multis quidem modis in eo vita eſſe oſtenditur. Eſt enim in eo formaliter, in nobis verò obiectiuè, efficienter, & vt materia. Nam beatitudinis materia, viſio, & fruitio Dei eſt, in quo eſt Pater, & Spiritus ſanctus ob eandem naturam numero tribus Perſonis communem. Vt enim Pater vitam habet in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo; ita etiam Spiritu ſancto dedit habere vitam in ſemetipſo: non tamen à ſemetipſo, nam Filius habet vitam à Patre; Spiritus ſanctus à Patre & Filio: at ſolus Pater habet illam & in ſeipſo, & à ſeipſo, quia à nemine accepit.

1.Ioan.5.

2 Cor 1.

Rom 5.

B.Bernard.

Aliter vita in Filio Dei eſt, aliter in nobis

Ioan.5.

Proprium Dei Patris.

Qui habet Filium Dei, habet vitam: qui non habet Filium Dei, vitam non habet. Frequens eſt apud ſanctum hunc Apoſtolum hæc Antitheſis figura, qua facilius & apertius commonſtrat quòd fide accipiendum eſt. Dicitur autem habere Chriſtum, non quiuis credens fide humana, quia eſſet ignitum ferrum manu tenere: neque quiuis diuinis credens: ſed ille tantùm, qui diuina fide per Charitatem operante firmiter, & conſtanter credit: quia tunc quaſi for-

Habeat quis propriè Filiũ Dei.

ſi forcipibus ferrum candens tenet ſine læſione. Tenet etiam auiculam per caput diuinitatis, vel per pedes humanitatis, quia ita non facilè euadit auis. Qui vero præcedenti fide credit, hoc eſt, informi, vel humana, ille tenet quidem Chriſtum, ſed per vnam, aut modicam plumam, id eſt, per quandam verbo tenus confeſſionem,& ceremoniam:& facilè auolat Chriſtus ab illo.

Habere aliquid, more Scripturæ quid.

Matth.25.

1.Cor.7.

Seneca.

Deinde perpende, illum dici aliquid habere, quo benè vtitur, iuxta illud: *Omni habenti dabitur, & abundabit, non habenti autem, & quod putat ſe habere, auferetur ab eo*, id eſt, illud quo non bene vtitur: ita Paulus dixit: *Vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat*, id eſt, legitima vxore bene vtatur ad fornicationem euitandam: & de auaro quidam Ethnicus aſſeruit, quod ei tam deeſt quod habet, quam quod non habet, in eundem ſenſum. Qui ergo Chriſtum habet, & non exercet intellectu perſcrutando, & ruminando quæ ſunt Fidei, & voluntate amando Ieſum, & eius imaginem, hoc eſt, hominem, nec facit opera bona ad imitationem Chriſti: & qui Sacramentis eius non vtitur, & oratione ad eum non accurrit; iſte nondum habet Chriſtum, ſicut habere deberet: ſicut nec dici poſſet miles gladium habere, quando ab hoſtibus inuaſus eo non vteretur ad ſui defenſionem: perinde enim illi eſſe videretur gladium habere, atque illum non habere.

Christũ quis habendo non habeat.

Qui mortui ſecundum ſpiritum.

Altera pars Antitheſis eſt: *Qui non habet Filium Dei, non habet vitam.* Ex quo liquidum redditur Iudæos, Gentiles, & Hæreticos non credentes in Chriſtum, mortuos eſſe, & vita carere, licet alioqui multis virtutibus reſplendeant, & ſapientiam oſtentent, & Scripturas ſacras paſſim effundant, & Chriſtum, atque Euangelium, & Dei gratiam frequenter ſpirent. Sicut enim qui Solem non habet, luce, & calore caret, ita qui Chriſtum fontem diuinæ ſapientiæ, & ſancti ignis, id eſt, charitatis non habet, in tenebris eſt, & algore ſummo friget. ¶ Sequitur: *Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filij Dei.* Breuis eſt, & vtilis repetitio, qua non ſolùm omnia, quæ per totam Epiſtolam ſparſim diſputauit, in vnum colligit, ſed & cauſam totius Epiſtolæ ſcriptæ adijcit: & ad perſeuerantiam in Fide adhortatur: vt credentes in Ieſum confirmet, certoſque de ſua ſalute reddat, credentes Ieſum eſſe Meſſiam, & Filium Dei. Et ſimili peroratione vſus eſt in Euangelio, cum dixit, *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quoniam Ieſus eſt Filius Dei, & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.* ¶ *Et hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum.* Id eſt: ex hac ſalutis certitudine, quæ per fidem eſt, concipimus certam fiduciam ad Deum de impetrando quouis dono ſpirituali propter Chriſtum. Vt enim ſi quis theſaurum minimè deficientem domi ſuæ haberet, lætus viueret, & vtramuis paginam fortuna volueret, nihil vnquam ſibi ab inopia metueret perpetui illius theſauri fiducia; ita qui verè adhæret Filio Dei, fiduciam habet, quia Chriſtum habet, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi: & ideò confidendum eſt, nos tanto magis non paſſuros repulſam, ſi petierimus id, cuius gratia propriam vitam dedit, id eſt, ſalutem noſtram, vel aliquid ad ſalutem pertinens in nomine Filij Dei. Et hoc eſt, de quo ſubdit: *Quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos.* Poſſet quis obijcere; Si ea concedit, quæ ſecundùm voluntatem ſuam ſunt, id eſt, quæ vult nos facere, quid opus eſt rogare? Reſpondet: Velle quidem Deum ſua dona nobis impertiri, ſed non niſi rogantibus, & poſtulantibus nobis, quia non aliter decreuit dare quod promiſit, quàm præcedentibus precibus noſtris. Hæc enim fiducia naturali quadam ſequela indicat inter nos, & Deum veram amicitiam. A veris enim amicis confidentius petimus, à quibus, obſeruata ratione honeſti omnia nos impetraturos confidimus. Et hanc rationem explicat verbum illud: *Secundum voluntatem eius.* Hinc Eccleſia precatur: Pateant aures tuæ, Domine, precibus ſupplicantium: & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita, poſtulare. Eſt enim voluntas Dei, lex omnium, quæ honeſta, & rationabilia vocamus. Ideò prima regula eſt, quicquid in hac vita petimus, quod ad ſalutem faciat, reuera impetrabimus. Ipſe enim dixit: *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adycientur vobis.* Hinc dicimus in miſſæ ſacrificio: *Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere; Pater noſter, &c.* Secunda regula: Cùm non exaudimur, non petimus ſecundum eius voluntatem: & tunc melius eſt non exaudiri: vt Chriſtus mortem deprecans, & calicem, & Paulus carnis ſtimulum, exauditi minimè fuerunt. ¶ *Et ſi ſcimus quia audit nos quicquid petierimus, ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.* Infert Ioannes ex prædicta fiducia, aſſumpta illa conditionali propoſitione: Si ſcimus nos exaudiri à Deo in quacunque petitione

Cur ſcripta hæc Epiſtola.

Ioan 20.

Credentis in Chriſtum fiducia qualis, & quanta ſit.

Coloſſ.2.

Quid rogamus Deum, ſponte ſua nobis alioqui quæ ipſi ſunt placita, largientem?

Duo nobis in oratione ſeruanda ſunt.

Matth.6.

Ibidem 9.

Matth 26.

2 Cor 12.

(& ſub

(& ſubaudiendum eſt:ſecundum voluntatem eius) conſequenter ſcimus ꝙ habemus petitiones quas poſtulamus ab eo: hoc eſt,nouimus quod ſimus exauditi in iis,quæ poſtulauimus. Et quia eſt voluntas Dei,ſanctificatio noſtra; certò perſpicies,quòd petitiones noſtræ ſpectantes ad ea quæ ſunt vitæ æternæ, & ſanctificationis noſtræ, ſunt petitiones ſecundum voluntatem Dei. Eſtq; ſermo de ſcientia fidei,quam parens fiducia teſtatur. Et audiet nos in futurum, dando ea quæ petimus. *Et ſi ſcimus quia audit nos.* De præſenti ait.audit, & ſi ſtatim non det, quia expectat tempus commodum,quando vtile magis erit nobis audiri. Vnde Salomon; *Omni*,inquit,*negotio tempus eſt, & opportunitas.* Et ita Deus bis exaudit:& dando petitiones noſtras, hoc eſt,res petitas, & eo tempore dando,quando nobis magis erit vtile quod petitur. Et petierimus,ait, perſeueranter ſcilicet, & precibus inſtantes.

1. Theſſ. 4.

Tempus exauditionis precũ noſtrarum apud Deũ.

Eccleſ. 8.

DISPVTATIO XXXII.

Super illa verba: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem: eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.*

HVMANA Philoſophorum ſapientia eo vſq; peruenire potuit, vt quidam ex eius profeſſoribus aſſererent, nos non ſolum nobis ipſis,ſed etiam parentibus, & amicis,& patriæ natos eſſe:nõ potuit tamen eò pertingere,quo Euangelica doctrina penetrauit,nempè vt omnibus, etiam ignotis benefaciamus, imò etiam hoſtibus,& iis,qui corde, ore & manibus aut offenderunt, aut offendere non deſiſtunt: vt exempla Sanctorũ demonſtrãt. Vnde hic ait Ioannes: *Qui ſcit fratrem ſuũ peccare peccatum non ad mortem.* Cum ergo Apoſtolo eſſet ſermo de oratione, & fructibus eius,& qua ratione omnia quæ viua fide, & in nomine Chriſti ad ſalutem ſpectantia petimus, impetrare poſſemus: iam oſtendit precationem,quam pro fratribus noſtris,pro quibus Chriſtus animã ſuã poſuit fundimus,multũ prodeſſe poſſe. Multum n. valet deprecatio iuſti aſſidua:&,*Orate pro inuicem,vt ſaluemini*:Docet ergo quomodò oratio vnius pro altero fructuoſa, & ſalutaris eſſe poſſit.

Quod veſtigium perfectionis Euangelicæ attingere non potuerit humana ſapientia.

Precationis efficacitas.

Ioan. 10.

1. Ioan. 3.

Iacob. vlt.

Circa hæc igitur verba propoſita,quia difficultates nonnullas habent,quæ lumẽ explicationis deſiderant, in primis dubitatur quænam ſit vera horum verborum lectio: quia aliter habent Latina, aliter Græca exemplaria, & Patres non vno,& eodem modo hæc verba producere ſolent.

Prima dubitatio in verbis Apoſtoli.

Secundò dubitatur circa illud: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatũ non ad mortem*, quænam ſcientia eſt neceſſaria peccati alterius,vt pro illo preces offeramus? Et reuera videretur perfectius, etiamſi neſciremus fratrem peccaſſe,pro illo Dominũ deprecari,ſicut faciebat Iob,qui quotidie holocauſta offerebat,ac dubius, & ignarus an peccaſſent,dicebat: *ne forte peccauerint filij mei & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Et ſaltẽ videtur eſſe opus perfectioris charitatis. Tertiò propter Hæreticos in dubiũ venit,an diſtinctio illa peccati in mortale, & veniale,ſit ſolida, & vera; an verò,vt Lutherani tradunt,inuentum ſit Sophiſtarum Scholaſticorum; & an huic loco explicando ſeruire aut conuenire poſſit. Quartò maximè reuocatur in dubium,quod, vel quale ſit peccatum iſtud ad mortem, pro quo non eſt orandum:& quale illud,quod non eſt ad mortẽ: nam ait,orantem pro peccato,quod non eſt ad mortem,exaudiri: ſed mirum eſt, quòd ait vitã dari peccanti nõ ad mortẽ: non n. vitã gratiæ amiſit peccans non ad mortẽ. Deinde quomodò ait, Non pro illo dico vt oret quis? videtur enim interdicere, aut vetare,ne quiſquã pro magnis,& grauibus peccatoribus preces fundat; cuius contrarium Eccleſia efficere conſueuit: nam precatur pro omnibus filiis quomodolibet peccantibus, & offert ſacrificium incruentum pro eis. Quintò quęritur circa illud: *Omnis iniquitas peccatum eſt: & eſt peccatum ad mortem*, dubia videtur lectio, & dictis contraria: & an præſtantior, & purior ſit lectio Græca quæ habet: Eſt peccatũ non ad mortem. Poſtremò ſunt verba ſingula ipſius textus ponderanda, & documenta quædam vtilia ex illis elicienda: & an ex his verbis efficaciter colligi poſſit,conſonum eſſe, vt pro animabus, quæ in carcere purgatorio detinentur,preces ad Deum fundamus.

Secunda dubitatio.

Iob. 1.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Soluamus primum dubium. Reſpondemus,verba Græca non multum differre à Latina lectione: ita enim habent: *Si quis viderit fratrem ſuum peccantem peccatũ non ad mortem*(vel,vt alii vertunt, *peccatũ non vſq; ad mortem*) *petat & dabit ipſi vitam peccantibus non ad mortem. Eſt peccatũ ad mortem, non pro illo dico vt roget quis: omnis iniuſtitia peccatum eſt. & eſt peccatum non ad*

Ad I. dub. De vera lectione Textus propoſiti.

Duplex diſcrimen inter vtrãque lectionem.

mortem. Quæ verba prudens lector, ſi cõferas cum illis, quæ in principio huius diſputationis propoſita ſunt, videbis nõnihil eſſe diſcriminis inter hãc, & illã lectionem, & præſertim in duobus differre. Primò ꝙ vbi nos habemus: *Peccanti non ad mortẽ*, in Græco habetur in plurali, *peccãtibus non ad mortẽ.* Secundò differt in fine, vbi nos legimus: Omnis iniquitas peccatũ eſt, & eſt peccatũ ad mortẽ. Græca verò lectio, quę purior eſſe videtur, habet: *Et eſt peccatum non ad mortẽ.* Quam quidem lectionem Tertullian. in lib. De pudicitia, & Hieronymus, & Ambroſius inferius citandi ſequuntur cum Paciano Barchinonenſi in Parænesi ad pœnitentiam. Itẽ quidam legunt. *Dabitur ei vita*, ſcilicet à Deo, Alii, *Et petat, & dabit ei vitam*, ſcil. ipſe petens. Reliqua verò leuia ſunt, & perminuta, in quibus differunt.

Tertull. l.

Pacianus.

Ad II. dub Quã ſcientiã habere debeat quis precandi pro altero

Quod ad ſecundam dubitationem attinet circa illud. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatũ non ad mortẽ*: quæ ſcilicet, & quanta ſcientia erat neceſſaria ad precandum pro illo: Reſpondemus, Apoſtolum non admodum ſolicitum fuiſſe de modo quo cognoſcit quis peccatum fratris ſui peccantis non ad mortem: ideo non eſt reſtringendus textus ad modum ſciendi per viam præſentis cognitionis, vt quidam ſentiunt, aut ex eo, quod iniuriam aliquam attulit ei qui pro illo intercedit: ſicut Dominus Matth. 18. in præcepto correptionis fraternæ voluit, vt is, in quẽ peccatum eſt ab altero, gerat ſe tanquam medicum eius vt ſalutem illius, qui in ſe peccauit, promoueat.

Autoris ſolutio.

Quare ſimpliciter dicendum eſt, hæc verba complecti quẽuis modũ agnoſcendi peccatũ fratrum ſiue viſu, ſiue auditu certæ relationis, ſiue propria ipſius peccantis reuelatione, ac detectione. Meminit tamen peculiariter notitiæ fratris non peccantis ad mortẽ, vt illa ipſa ſit ſtimulus procurandæ ſalutis peccantis, ne pereat frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt, & ob id inſtantius, & cũ maiori ſolicitudine eius cauſam agat apud Deũ: ſicut ſi ꝓ infirmitate corporis nota, vel ꝓpter penuriam victus laboraret fame tanta, vt mortẽ inferret, nã tunc frater, qui nouit hanc neceſſitatẽ melius, debet quantum ad ſe ſpectat proſpicere ſaluti illius corporali. Non negauerim tamen, Iobem ſacrificantem pro filiorum peccatis quotidie quæ ignorabat, gratiſſimum Deo extitiſſe, & nobis imitandum. Sed qui actu videt fratrem, magis ad orandũ pro eo permouetur, ſi grauiter eũ nouerit deliquiſſe.

Rom. 14. 1. *Cor. 18.*

Iob. 1.

Solut. III dubitat. De diſtinctione peccati mortalis & venialis.

Ad tertium dubium reſpondemus. Exercent in hoc loco explicando Lutheri ſectatores maledicas linguas ſuas, & inſectantur diſtinctionem illã, quæ in Papatu obtinuit, & inter doctores ſcholaſticos, quos contumeliæ gratia Sorbonicos vocant: Peccatũ nempè aliud eſſe mortale, aliud veniale. Et tacitè inſinuant ignotã fuiſſe hanc differentiam antiquis, & magnis Patribus qui in Eccleſia floruerunt. Et quanquã hæc diſtinctio hoc loco non ſit neceſſaria ad eum intelligendũ; vt tam peccantes ad mortẽ, quam peccantes non ad mortẽ, lethalia peccata admittant: ſed qui peccant non ad mortẽ, remiſſibilia, peccantes verò ad mortẽ, quæ cũ magna difficultate, aut rarò aut nunquã expiantur: tamẽ nobis enitendũ eſt, vt oſtendamus, hanc diſtinctionẽ veriſſimã eſſe, & Patribus & Scripturis conſentaneam. In primis ergo qui illam negant produnt ſe Ioannis Wicleffi diſcipulos, qui teſte Thoma Waldenſi, hoc idem dixit, et ſi alia ratione: auſus enim fuit dogmatizare, omne reprobi hominis peccatum eſſe mortiferum, quia inducit mortem æternam: omne item peccatum prædeſtinati eſſe veniale, quia omnia illi remittuntur. Quod ſi verum eſſet: cum myſteriũ prædeſtinationis nobis ignotum ſit; de nullo vnquam peccato, aut mortale ſit, aut veniale, noſſe poſſemus fuiſſe remiſſum: quæ ſanè ignorãtia pernicioſa eſſet. Deinde omnia peccata Dauidis, etiã adulteriũ cum homicidio, & omnia peccatricis delicta, & adulteræ, & latronis: abiuratio itẽ Chriſti per Petrum, & perſecutio Eccleſiæ, quam fecit Paulus, eſſent venialia; deniq; in vno eſſent mortalia, quæ in alio ſunt venialia. Adde, quòd peccatũ ipſum Adæ quod omnis mortis cauſſa extitit, veniale ipſi Adæ fuiſſet, qui ſaluus factus eſt, vt dicitur Sapient. 10. reliquis verò, qui in eo peccante tranſgreſſi ſunt pactũ, id eſt, qui minus peccauerunt, quàm Adam, quia non propria voluntate, vt ille, peccarunt, quia ſi fuerunt prædeſtinati eſſet veniale: quod tamen falſum eſt, & abſurdum. Nulla præterea peccata prædeſtinatorũ lethalia fuiſſent in Baptiſmo, aut in pœnitentiæ Sacramento remiſſa, aut expiata: & ita Sacramenta, ſigna eſſent falſa, & mendacia promiſſæ remiſſionis peccatorum, ſi hoc ipſo, quod ſunt prædeſtinati, illis remiſſa erant.

Probatur prædicta diſtinctio theologorum contra Lutheranos, eorumq; primarium pſeudo magiſtrũ Ioannem Wicleffum.

2. Reg. 12.

Luc. 7 *Infra 12;* *Supra a 2.* *Act. 9.*

Gen. 3.

Sap. 10.

Rom. 5.

Melanchthonis Wicleffiq; inepta diſtinctio.

Melanchthon autem in locis communibus, cap. De differentia peccati venialis, & mortalis, aſſerit: omnes vitioſos motus, & prauos affectus, peccata eſſe apud Deũ impu-

peccati mortiferi, & venialis.

imputabilia in nondũ renatis:quia omnis inclinatio,& actio contra legẽ Dei, peccatum eſt. Et ſicut Wicleffus putabat inter mortalia,& venialia diſtinguendũ ab euentu. id eſt, quia contingebat hos eſſe prædeſtinatos; & ideò venialiter peccare, alios verò reprobos, & ideò eorũ peccata mortalia: ita Hæretici recentiores non apprehendunt,vera differentiam non eſſe ſitam in eo, quod mortalia ex natura ſua talia ſint, quæ mortem promereantur; veniale verò modicum eſſe,& tale,vt amicitiam Dei non reſcindat.

Theologorum dicta differentia inter illa duo peccata quibus locis Euangelii comprobetur.

Iam vero quis negare valeat, Euangelicas voces inter mortale, & veniale, ſiue inter magnũ,&paruũ peccatũ cõſtituere differentiã? Eſt n. in primis quidam Reus iudicii,alter Concilii,alter verò gehennæ ignis.Priora a. duo non videntur ſignificare mortalia,ꝙ non ſemper conſtituant reũ gehennæ ignis. Itẽ legimus quoſdam debitores decẽ milliũ talentorũ, quoſdã verò centũ denariorũ,imò etiã nouiſſimi quadrantis:legimus itẽ quoſdã eſſe colantes culicẽ, alios a. camelũ glutientes. Diſtinguit Dominus inter eos, qui feſtucã habent in oculo,& eos,qui trabem : legimus quoſdã decimãtes mentã,& anethũ, cyminum,& rutam, & relinquentes quæ grauiora ſunt legis.Indicat Dominus præcepta maiora,& minora;imò & minima: peccatores itẽ maiores,& minores: legimus & peccatũ in homines,& peccatum in ſpiritum ſanctũ, quod non remittitur neq; in hoc ſeculo,neq; in futuro. Legimus etiã Verbũ blaſphemum,& verbum otioſum,de quo reddent homines rationem in die Iudicii.Perpende, apud Paulũ eſſe quædam opera bona,quæ ſignificantur in ædificantibus aurũ, argentum, & lapides pretioſos; peccata verò leuia, & minuta,in ædificantibus lignum, fœnũ, & ſtipulã: quæ qui habet,ſaluus fieri poteſt, ſic tamen quaſi per ignẽ. At mortalia, & grauia peccata repræſentari ait in ferro,ære,& plũbo, vt Hieron. & Greg. Romanus,& Anſelmus docent.Certum eſt, inter Philoſophos damnatam eſſe illam opinionem Stoicorũ,qui omnia peccata paria eſſe dicebant: Apud Iuriſperitos forum eſſe contentioſum, ſed aliud criminale,& ſanguinis, aliud ciuile,& vbi nõ agitur de vita. Legimus prætereà quædam peccata maiora hominem damnare, aut à regno Dei excludere,aut mortẽ operari,aut iudiciũ ſibi manducare,& bibere, aut hæc vel illa grauiora peccata operantes,regnum Dei non poſſidere, aut partem ſeu hæreditatem nõ habere in regno Chriſti & Dei,aut fratrẽ non diligentem, manere in morte,aut fieri filium vel reum gehennæ,aut fieri omniũ reũ, aut dignos eſſe morte,qui talia operantur. Nam per has,& ſimiles locutiones intelligũt peccata lethalia:ſicut&præcepta vitandi verbum otioſum,aut luſum,aut leuem aſpectum,aut exceſſum aliquem in cibo, vel potu;quæ non habent annexã mortis cõminationẽ: venialia ſunt ſuapte natura: qualia ſunt omnia præcepta, quæ etſi obligent ad peccatum mortale,actiones tamen huiuſmodi ꝓpter imꝑfectiones actuum,in quibus non eſt plenus cõſenſus rationis;aut ꝓpter modicã,& paruã materiã fiunt veniales. Nam etſi homicidiũ, & furtũ, & adulteriũ, peccata ſint lethalia;motus tamẽ aut occidendi,aut adulterandi;aut furandi ſi rationẽ præueniant, aut nondum adſit conſenſus partis ſuperioris mortales culpæ non ſunt. Lumen quoq; Naturæ docet.quædã peccata eſſe grauia,quædã leuia:& homicidium grauius furto,& furtum grauius verbo otioſo: veriſimile ergo eſt, Deum ita cenſere, ac iudicare,ſi lumen inditum & ſyntereſis id in nobis indicant, & prædicant. Adhæc ſi quoduis peccatum vel modicum amicitiam Dei reſcinderet, nulla eſſet amicitia inconſtantior, & fragilior illa, quam cũ Deo habemus:quomodo ergo dixiſſet. *Iugũ meũ ſuaue eſt; & onus meũ leue?* & quomodo nõ eſſent præcepta eius grauia teſte Ioanne,ſi ſub mortali culpa,etiã in leuibus obligarent? Quomodo etiã nõ eſſet Deus moroſus, ac difficilis amicus, qui vel minima oblata occaſione amicitiã ſolueret? Deniq; veniale peccatum ex natura ſua gratiæ non derogat,aut iuſtificationi; aut perfectiori religionis ſtatui, aut ſanctimoniæ Ioannis Baptiſtæ,aut Apoſtolorum, in quibus hęc leuia peccata nõ deerant, quorũ vnus dixit: *In multis offendimus omnes.* Item hæc venialia neceſſaria cõfeſſionis materia nõ ſunt, quia nõ charitati,ſed feruori eius opponũtur. Niſi dubium occurreret, an peccatum illud eſſet mortale,vel veniale: nam eo euentu debet quis illud confiteri: & niſi nos ſpõte noſtra velimus de illis nos accuſare coram Sacerdote, cùm eiuſmodi peccata multis aliis modis,vt dilectionis, & contritionis,& orationis actibus, & aliis opportunis remediis in Eccleſia deleri poſſint. Addam & illud, quòd ab eiuſmodi peccatis homines iuſti non denominãtur ſimpliciter peccatores,quia Philoſophi egregiè docent,denominationes à prædominante qualitate fieri,vt calida, frigida,

Marginal notes (left): *Matth.* 5. — *Infra* 18. — *Supra* 5. — *Infra* 23. — *Infra* 7. — *Infra* 23. — *Supra* 12. — 1.*Cor.* 3. — *Hieron.* *Gregor.* *Anſelm.* — 1.*Cor.* 11. — *Supra* 6. *Epheſ.* 5. 1. *Ioan.* 3. *Matth.* 5. *Iacob.* 2. *Rom.* 1.

Marginal notes (right): *Matth.* 12. — Vnde leuitas peccati venialis. — *Matth.* 11. 1.*Ioan.* 5. — *Iacob.* 3.

humida, vel ſicca dicantur: Homines quoq; à prædominante humore ſanguinis, vel pituitæ, vel choleræ, vel melancholiæ, dici conſueuerunt; etiamſi omnes humores in omnibus ſint: & nulla qualitas denominat ſubiectum, niſi quæ vehementior eſt, & potentior.

Quæ virtutes cum veniali poſſint peccato conſiſtere *Ioan.* 13.

Peccata verò leuia nō impediunt vocari homines iuſtos, perfectos, filios Dei, amicos Dei, obſeruatores mandatorum Dei, immaculatos, Religioſos, mundos corde; &: *Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet,* ſcil. (à puluere hærente in terra, hoc eſt leuibus peccatis) *ſed eſt mundus totus,* nēpe, à criminibus & grauibus delictis: Quis prēterea ignorare poſſit, hanc diſtinctionem peccati mortalis à veniali notiſſimā fuiſſe Patribus, & eius plerunq; facere mentionē, maximè verò Auguſtinū, Gregorium, Bernardū, & illis antiquiores, & poſteriores? vt vanum ſit mendacium, quod effutiunt hæretici, dicendo, nouum eſſe inuentum Scholaſticorū Patrum, aut ſophiſtarum.

Ad quartū dubium. Pro quo peccato ad mortē precandū non ſit.

Accedamus ad quartū dubium diluendum. Multa de hoc peccato ad mortem, à Patribus traduntur in his verbis. Erant n. quædā peccata in lege, quæ morte tantū expiabātur, alia verò, quæ certis ceremoniis, & ſacrificiis remittebantur: & ad hoc aiunt Apoſtolū reſpexiſſe: quod leue videtur. Alii verò ſunt, qui hæc verba referunt ad illam diſtinctionem Eccleſiæ notā inter peccatū mortale & veniale, quod eſt peccatū non ad mortē: vnde Tertull. lib. de Pudicitia, ex his verbis Ioānis elicit, quædam peccata eſſe remiſſibilia, quædā verò irremiſſibilia. Sed tunc falſum eſſet, quod ait: *Et dabitur ei vita*: nam quæ vita reddi poteſt ei, qui vitā non amiſit, ſed illā adhuc habet? Alii verò diligenter enumerāt mortis genera: vt intelligāt, quod ſit hoc peccatū ad mortē. Eſt n. mors corporis, mors animæ & mors gehennæ, ſiue ſecunda mors. Qui ergo intelligunt peccatum ad mortem, illud, quod ad mortem vſq; corporis perſeuerat declarant id eſſe, de quo quis noluit, aut non potuit pœnitentiam agere: quales ſunt finalis impœnitentia, deſperatio, infidelitas. Vnde Aug lib. 1. de ſer. Domini in monte, peccatum hoc eſſe tradit poſt agnitā veritatem, oppugnare fraternitatē, & poſt ipſam gratiā, qua reconciliatus eſt, ſi in hac vita tam ſcelerata mentis peruerſitate hāc vitā finierit. Nā de quocunq; peſſimo in hac vita conſtituto nō eſt vtiq; deſperandū: nec pro illo imprudenter oratur, de quo nō deſperatur. Hæc ille. Tales ergo impœnitētes, vel deſperati certò dānātur, quibus nec ſpes veniæ eſt, nec ſalutis, nec locus vllus orationi.

Triplex genus mortis.

B. Auguſt.

Confutatio primæ opinionis de peccato ſcilicet ad mortē irremiſſibili.

Verùm ſi ita intelligamus peccatū ad mortē, ſcil. corporis, etiā ſi verū ſit quod dicitur, ſequeretur in primis, omne peccatū, de quo dum viuit, quenquam non pœniteret, eſſe peccatum ad mortem; ac ita mortale quoduis etiā ex fragilitate, vel ignorātia, in quo quis repentè moreretur ſine pœnitentia, peccatum eſſet ad mortem. Deinde difficile eſt, ſi non impoſſibile, ſcire quando quis peccaret ad mortem, cū non poſſit nobis conſtare de conſcientia alterius, dum viuit: & multò minus poſt mortē: & ideò non diceret: *Qui ſcit fratrē ſuum peccare.* Ponit n. hic ſermo Apoſtoli ſciri poſſe, quando frater peccat ad mortē, & quando peccat non ad mortem, vt pro primo non oret, pro ſecundo vero preces fundat. Adhæc, de tali etiam damnato non aſſereret Apoſtolus: *Nō pro illo dico vt roget quis,* ſed apertè diceret; pro illo orare omninò veto, & interdico.

Opinio prima quæ Græcorum eſt, item refellitur. *Eccleſ.* 28.

Ruit etiam ſententia Græcorum, qui per peccatum ad mortem, intelligunt *μνησικακίαν*, hoc eſt, iniuriarum tenacitatem, ſiue retentionem, de qua liber Eccleſiaſtici. *Ipſe dum caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius?* Septima Synodus, quæ & ſecunda Nicena eſt, Can. 5. *Peccatū,* inquit, *ad mortē eſt, cū aliqui peccantes ſine correptione perſiſtunt.* Ita interpretatur Oecumen. ex ſententia Græcorū. Huius a. peccati eſt *ἀμνηστία*, id eſt, iniuriarū obliuio, quam Apud Athenienſes primus Demoſthenes, & poſteà Cicero apud Romanos laudibus celebrarunt, & commendarunt.

Concil. II Nicenum. Tertia opinio. *Oecumen.*

Cicero pro Marcello.

Tertia ſententia Nouatianiſmum redolens. *Ezech.* 18. *Ioan.* 8. *Cyprianus.*

Si verò quis accipiat hoc peccatum ad mortē, de morte ſpirituali animæ, de quo dicitur: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur;* &: *Niſi credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Certe Nouatus hæreticus, qui à Cypriano dicitur hoſtis pœnitētiæ, omnibus à Baptiſmo in peccata relapſis ſpē veniæ adimebat, definiens eiuſmodi omne peccatū ad mortē eſſe, ac per hoc, vt ipſe volebat, irremiſſibile, & inexpiabile. Contra quod tamen extant innumeræ Scripturæ, quę pollicentur veniā pœnitētibus: ait n. apud Ezechielē Dominus: *Viuo ego, quia nolo mortē peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat;* & ſuperiùs Ioannes ipſe dixerat: *Si peccauerimus, aduocatū habemus apud Patrē Ieſum Chriſtū iuſtum.* Et in Symbolo profitemur ſanctam Eccleſiam Catholicā, & remiſſionem peccatorum.

Ezech. 18.

Infra. 33.

Quòd ſi hîc ſit ſermo de morte ſpirituali, omne peccatū graue, ac lethale eſſet ad mortē, quia omne tale mors eſt animæ

ſpiritualis,& veniale tantum eſſet peccatũ nõ ad mortẽ. De veniali vero intelligi nõ poſſe,cõſtat cũ dicat Apoſtolus: *Petat,& dabitur ei vita*:at venialiter peccans non amittit vitã, id eſt, charitatẽ, ſed feruorem charitatis:peccãs vero non ad mortẽ vita hic indigere aperte dicitur;cũ tamẽ Eccleſia oret pro his, qui lethaliter peccant, vt Chriſtus in cruce pro crucifixoribus, & Stephanus pro lapidantibus orauerint, & Dominus pręceperit:*Orate pro perſequẽtib. & calumniantibus vos*: at qui perſequuntur & calumniantur iuſtos, mortifere delinquunt. Imo moyſes non ſemel orauit pro obſtinatorũ omnium typo, ac prototypo Pharaone.Eccleſia etiã pro perfidis,&obſtinatis Iudæis & hæreticis precari ſolet. Non igitur paria ſunt peccatũ mortale,vt diſtinguitur contra veniale, &peccatũ ad mortẽ,quod hoc loco vocat Ioannes:ſed inter mortalia omnia certũ quoddã genus peccati notat,quod dicitur ad mortẽ. Cũ igitur,peccatũ ad mortem,neq; de corporali morte,neque de ſpirituali intelligi valeat:cogimur intelligere de morte ſecunda gehennæ,quod tale ſit,quod peccantẽ perducat ad perpetuos gehẽnæ cruciatus; de quo inferius plura.

Effectus peccati venialis.

Lucæ 23. Actor. 7. Matth. 5.

De peccato ad mortem autoris ſẽtẽtia.

Ad alterã vero dubitationis partem reſpondem⁹, Apoſtolũ illis verbis:*Nõ pro illo dico vt roget quis*, nõ prohibere ne pces fundamus ad Deũ pro peccato ad mortẽ, ſed tantũ difficultatẽ exauditionis deſignare nec certã promittere ex parte Dei exauditionẽ,& veniam. Videtur enim peccatum ad mortem eſſe illud, quod ſuapte natura tendit ad mortẽ animæ æternã, & pugnat in principia vitæ ſpiritualis,quæ eſt per Spiritũ ſanctũ & gratiam eius. *Si Spiritu*,inquit,*viuim⁹,Spiritu & ambulemus,&: Si quis Spiritũ Chriſti nõ habet,hic non eſt eius*:& fidei Catholicæ,ex qua iuſtus viuit, contrarius exiſtit,& diuino lumini rebellis eſt, & veritatẽ agnitam vel fraternitatem ſcienter impugnat,ac Dei dona, & mandata, atq; decreta nõ veretur Satanæ tribuere: ſicut miracula Chriſti,quæ in Spiritu Dei edebat Dominus,tribuebãt Phariſæi Beelzebub principi dęmoniorũ:deniq; peccatũ quod nullã facile admittit medelã,de quo Domin⁹ loquens in Euãgelio dixit:*Qui dixerit verbũ contra Spiritum ſanctũ,non remittetur ei neq; in hoc ſeculo,neq; in futuro*.Paulus item:*Impoſſibile eſt*,inquit,*eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiã donum cœleſte,& participes facti ſunt Spiritus ſancti*.& quæ ſequũtur.*iterum renouari ad pœnitentiã*. Vbi, impoſſibile,dicit,quod valde eſt difficile, vt interdum ſumi teſtatur Philoſophus:

An Eccleſia pro magnis etiam peccatoribus orans, huic Ioannis dicto repugnare videatur.

Galat. 5.

Habac. 2. Rom. 1. Galat. 3. Heb. 10.

Matth. 12

Ibidem.

Heb. 6.

Ariſt. lib. Metaph 5.

& illud eſt quod hic ait noſter Ioannes:*Nõ pro illo dico vt roget quis*.Et hoc eſt illud peccatum,de quo Petrus accuſans atq; increpans Simonem Magũ,dixit:*Pecunia tua tecum ſit in perditionẽ quoniã donũ Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Ac ſubdit : *Pœnitentiam itaq; age ab hac nequitia tua:& roga Deũ ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*.Forte,ait,quia nouerat eſſe difficile;& Niniuitæ dixerunt: *Quis ſcit ſi conuertatur,& ignoſcat Deus,& reuertatur à furore iræ ſuæ;& non peribimus*? Daniel quoq; ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis: *Quamobrem*, inquit,*cõſilium meum placeat tibi,&c. forſitan ignoſcet Deus delictis tuis*.

Actor. 8.

Ion. 3.

Daniel. 4

Itaq; in hoc quod dicitur peccatum ad mortem,videtur Ioannes alludere ad verba Chriſti, quæ dixit de Lazaro: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem,ſed pro gloria Dei*:nam etſi ad mortem perduxerit eum hęc infirmitas,non tamen vt in ea maneret, ſed vt cito reſurgeret. Epaphroditus etiam ab Apoſtolo dicitur infirmatus vſq; ad mortẽ. vt & Ezechias Rex apud Eſaiam, imo Chriſtus de ſua morte loquens in perſona Dauidis, dixit: *Caſtigans caſtigauit me Dominus,& morti non tradidit me*:cum tamen mortuus fuerit, ſed ad breue tempu , hoc eſt,ad triduũ,ſeu quadraginta horas, poſt quas reuixit ad vitam immortalem.

Ioannis Apoſtoli alluſio.

Ioan. 11.

Philip. 2.

Eſai. 38.

Pſal. 117.

Sed vt hæc ſenſibili aliquo illuminentur exemplo: quẽadmodum inter febres quædam ſunt medicabiles, & ſanabiles & proprie non ad mortem,vt ſunt febres ephimera, vel tertiana, vel quartana, quæ adhibita diligentia per medicum facile curantur, etſi neglectæ mortem generare poſſint. Aliæ vero ſunt incurabiles, & inſanabiles vt febris hectica,vel phtiſica,aut hydropiſis, quæ videntur contra principia vitæ pugnare:& ſi contingat,laborantes his morbis à Deo interdũ ſanari: inter vulnera etiam,quędã ſunt lethalia,quædã tamẽ parui,& leuis momenti:ita inter peccata,lethalia quædam ſunt,quæ mediocri diligentia adhibita, facile à Deo remiſſionem habent, ſi quis tamen ex corde pœniteat; alia vero eius generis ſunt, vt ſuapte natura omnem expellant facilitatem remiſſionis, ea ratione, vt ſi quæ eſſent quæ remitti non deberent, eiuſmodi eſſent,quæ directe ſunt contra Dei miſericordiam,& Spiritus benignitatem: quia opus eſt magna diligentia, & conatu peccatoris,vt reſipiſcat:magna item & ſingulari miſericordia vt ea condonet. Vt cum ait: *Non pro illo dico vt roget quis*, non prohibet Ioannes pro illis peccatis Deum deprecari , ſed non audet ita facile

Peccatum nõ ad mortem,& peccatum ad mortẽ pulchre inter ſe inuicem cõparãtur

Moſis & Eccleſiæ charitas. promittere veniã certã. Vnde vel Moſes
orauit non ſemel pro Pharaone obſtina-
tiſſimo, nec tamẽ voluit reſipiſcere: & Ec-
cleſia in more habet pro omnibus pecca-
toribus, & pro hæreticis pertinacibus, &
pro cæcis Iudæis Dominũ rogare: & tale
eſt dicere: *Non pro illo dico vt roget quis*, ac ſi
aliquis Romã ingreſſus q̃rerct, an in ma-
trimonijs, quæ ſunt in 3. & 4. gradu, diſ-
penſetur à Põtifice, & reſponſum detur:
Maxime, quia in illis morẽ & conſuetudi-
nem diſpenſandi habet: Si rurſus petatur,
nũ in ſecundo gradu cõſanguinitatis, & af
finitatis diſpenſet, & exhibeatur reſpõſũ:
Non audeo polliceri ac vehementer du-
bito, an tales preces Pontifex exaudiat, &
nunquã, aut rariſſime facere ſolitus eſt, &
cũ diſpẽſat, nonniſi cum cauſæ magnæ &
vrgentes adſunt, & factũ ipsũ honeſtãtes.
Hoc aũt reſponſo inſinuatur veritas & dif
ficultas potiꝰ, quã impoſſibilitas. Ita eſt in
verbis Apoſtoli: *Non ꝑ illo dico vt roget quis.*
Et ſimiles ſententiæ in Scripturis inueni-
untur. Dixit enim Deus Samueli oranti
1. Reg. 16. pro Saule: *Vſquequo tu luges Saul, cum ego
abiecerim eũ, ne regnet in Iſrael?* & Apud Ie-
remiã iratus peccato Iſraelitici populi, i-
Ierem. 15. dẽ Dominus ait: *Si ſteterit Moſes & Samuel
corã me, nõ eſt anima mea ad populũ iſtũ.* Rur-
1. Reg. 2. ſꝰ alibi, *Si peccauerit vir in virũ, placari ei põt
Deus: ſi aũt in Deũ peccauerit, quis orabit pro eo?*
Luca 23. Adhæc Dominus in cruce patrem rogauit
Ioan. 15. pro iis qui neſciebant quid facerẽt, tacite
Auguſtinus prætericns eos, qui ſcienter & gratis notũ
Bernardus. oderant, vt teſtatur Aug & Bern. li. de Pre-
cepto & diſpenſat. de illis verbis ſcribens.
*Ideo ignoſco illis, quia non agnoſcor ab illis. Si e-
nim cognouiſſent, nunquã Dominũ gloriæ cru-
1. Cor. 2. cifixiſſent. Sũt quib. nõ ignoſco, quos non ignoro
& vidiſſe, & odiſſe, & me, & Patrẽ meũ:* Adhęc
Beda in Lucæ c. 23. to. 5. Beda in Lucam, Chriſtũ ait oraſſe pro ig-
norantibus quid facerent, id eſt, pro Gen
tilibus & ſimplicibus Iudæis, non autem
pro illis qui per inuidiam & ſuperbiã cru-
Euthimius. cifixerunt. Euthim. quoq; in ea verba ita
ſcribit: *Dubitarũt sũpta quidã hinc occaſione.
Matth. 7. Si. n. remiſſum eis erat peccatum, quomodo poſt
modũ Romanis ob illud ad internecionẽ traditi
ſunt? Quib. nos dicimus, ꝙ nõ ꝑ omnib. petitio
facta eſt ſed pro his duntaxat, qui nihil mali de
inceps perpetraturi erãt. Qui vero, cũ Sol obſcu-
raretur, & velum ſcinderetur, terraq; cõmoue-
retur, ac petræ ſcinderẽtur, aliaq; ſigna in reſur
Idem. Euthimius ibidẽ. rectione eius fierent, malitiam addiderunt, &
fortuita hæc eſſe cogitantes, diuinæ reſurrectioni
calumniã maligne ſtruxerunt: nõ pro his orauit
ideo etiã hi omnino traditi ſunt inimicis.* Idem
perpendẽs illa verba: *Non enim ſciunt quid
faciunt*, adiungit: *Inuidia videlicet temulenti.
Quidã vero dicunt, quod nõ pro Iudæis, ſed pro
Romanis militibus, qui in crucifixione ſubmini-
ſtrabant, orationẽ fecerit: hi. n. ignorabant, quæ
de ipſo lex ac Prophetæ prædixerant.* Hæc ille
Paulus itẽ in poſteriori ad Timotheũ epi- 2. Tim. 4.
ſtola cũ pro alijs preces fundat; pro Alex-
andro tamẽ Ærario, qui ei reſtiterat in præ Actor. 13.
dicatione Euangelij, & probabiliter noſſe
poterat peccaſſe ad mortẽ; ſicut & pro E-
lyma mago, quem acriter prius increpitũ,
poſtea etiã cæcũ fecit, non orauit. Petrus
quoq; pro peccato Ananiæ & Sapphiræ in Supra 5.
defraudando pretio agri non orauit, ſed
repentina morte puniuit.

Ad hũc modũ præſentẽ locũ explican-
dum eſſe docet Hieronymus lib. 2. contra
Iouin. docens: *Qui ſcit fratrẽ ſuũ peccare pec-* Hieron. circa finem libri tom. 2.
*catũ nõ ad mortẽ petat, & dabit ei vitã peccãti
nõ ad mortẽ: qui vero peccauerit ad mortẽ, quis
orabit pro eo? Cernis quod ſi pro peccatis minori
bus deprecemur, impetremꝰ veniam, ſi pro maio
ribus difficilis impetratio ſit, & inter peccata &
peccata magnã eſſe differentiam. Vnde & de po-
pulo Iſrael, quia peccauerat peccatũ ad mortem* Ierem. 8.
*dicitur ad Ieremiam: Noli orare pro populo hoc:
nec aſſumas pro eis deprecationẽ.* Sic Hierony-
mus. Declaranſq; peccatũ Iſrael eſſe, poſt
Deũ agnitũ relabi ad idola: *Nõne vides*, in-
quit, *quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in
plateis Ieruſalem? Filij colligunt ligna, & patres
ſuccendunt ignẽ, & mulieres conſpergunt adipẽ
vt faciãt placentas Reginæ cœli, & libẽt dijs alie-
nis, & me ad iracundiã prouocent.* Bern. quo- B. Bernar.
que li. de 12. gradibus humilitatis, cap. vlt.
in ſenſũ dictũ inclinans, initio, ſcribit. *Pro
tali iã*, inquit Ioannes Apoſtolus, *nõ dico vt
quis oret? ſed nunquid dicis ò Apoſtole, vt quis de
ſperet? Imo gemat qui illũ amat. Non præſumat
orare, nec deſiſtat plorare. Quid eſt quod dico?
An forte vllũ remanet ſpei refugium vbi oratio
nõ inuenit locũ? Audi credentẽ, audi ſperantem,
nec tamẽ orantem: Domine, inquit ſi fuiſſes hic
frater meus nõ fuiſſet mortuꝰ. Magna autẽ fides* Ioan. 18.
*quæ credidit ſua præſentia Dominũ mortẽ pro-
hibere potuiſſe, ſi adfuiſſet. Modo autẽ quid? Ab-
ſit vt quẽ credidit viuũ potuiſſe ſeruare, mortuũ
dubitet poſſe reſuſcitare. Sed nunc, inquit, ſcio,
quæcunq; popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. De-
inde quærenti vbi poſuiſſent eũ? reſpondet, Veni,
& vide. Quãobrẽ? O Martha magna nobis tuæ
fidei ſigna tribuis. Sed quomodo cũ tãta fide diſ
fidis? Veni inquis, & vide. Cur ſi non deſperas, nõ
ſequeris, & dicis: Et reſuſcita. Si autẽ deſperas,
cur Magiſtrum ſine cauſa fatigas? An forte fides
aliquando recipit, quod oratio nõ præſumit?* Et
infra: *O ſanctæ mulieres Chriſti familiares, ſi
fratrem veſtrum amatis, cur eius miſericor-
diam non flagitatis, de cuius potentia dubita-
re & pietate diffidere non poteſtis: Reſpon-*

dent:

dent: Sic melius tanquam non orantes oramus; ſic efficacius tanquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem: perhibemus affectũ: ſcit ipſe, cui non eſt opus vt aliquid dicatur, quid deſideremus. Paulo poſt: *Petri quoque poſt grauem lapſum lacrymam quidem video; ſed precem non audio, nec tamen de indulgentia dubito. Diſce & in matre Domini magnã in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiã retinere. Diſce verecundia decorare fidem, reprimere præſumptionem. Vinum, inquit, nõ habent. Quam breuiter quam reuerenter ſuggeſſit, vnde pie fuit ſolicita?* Hæc ille peraccommode.

Matth. 26

Ioan. 2.

Altera ſolutio non incommoda.

Præter hunc ſenſum, & quidem Catholicum iam dictum alium etiã ſenſum capiunt hæc verba, qui à beato Hieronymo libro ſecundo in Iouin. tangitur, vt ſupra protulimus, & a B. Ambroſio explicatur lib. 1. de Pœnit. c. 6. dicente: *Tales peccatores in delictis maximè ſunt requirendi. Nam ſi quicunq; de populo orent, non exaudiuntur. Vnde nec illa quæſtio veſtra quicquã poterit ferre ponderis, quã ſumitis de Epiſtola Ioannis dicentis: Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatũ non ad mortem, petat, & dabit illi vitam Deus, quia nõ peccat ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non de illo dico vt oret. Non enim ad Moyſen & Ieremiam loquebatur, ſed ad populum, qui ſuorum peccatorũ alium precatorem deberet exhibere, cui ſatis eſt, ſi pro leuioribus delictis Deum precetur, grauiorum veniã iuſtorum orationib. reſeruandam putet. Nam quomodo Ioannes diceret non orandũ pro delicto grauiore, qui legiſſet Moyſen rogaſſe, & impetraſſe, vbi erat præuaricatio voluntaria, qui ſciret etiam Ieremiã rogaſſe?* Hæc ille, vim faciens in verbo illo, *Quis*, id eſt, Quiſq; de populo, aut quiſque communis vitę ſanctitatis. Sed debet fieri recurſus ad magnos viros, & ſanctos, qui poſſunt ſuis precibus Deo vim inferre, & extorquere veniam: ſicut & hodie conſueuit populus Chriſtianus in grauibus & vrgentibus periculis, quæ timentur, confugere ad viros Religioſos, & mundi contemptores, vt poſſint facile expugnare Deum: & quod quærunt impetrare.

Hieron. l. 2.

Ambr. lo. 1

Exod. 32.

Ierem. 7.

Nec obſtat Græce legi *ἐρωτήσῃς* id eſt, roges, vel depreceris, vt legit Pacianus Barchinonen. contra Nouatum, quem ſupra citauimus. Hæretici legunt, petas, ſed certe legendum eſſe in tertia perſona, Roget ipſe ſuauis literæ contextus docet, quia ſuperius dixit: *Qui ſcit fratrẽ ſuum peccare peccatũ non ad mortẽ, petat & dabit.* ita ẽt legẽdum eſſe, ponderãt Ambroſius, & Hieronymus. Et verbum eſt ſubiunctiui modi in tertia perſona, non in ſecunda. Vt mittam, quod interdum ſolet eſſe henallage temporum vt vnum tempus, pro alio, & vna perſona pro alia ſumatur.

Pacianus.

Prior vero ſenſus nititur illis verbis: Nõ pro illo dico vt roget quis, gemat potius & lacrymis agat, ſi forte diuina miſericordia dimittat quod conſcientia metuit, & adijciat quod oratio non præſumit. Et vtraq; eſt bona & ſolida ſolutio. Licet enim dicatur non orandum pro tali, non ligatur tamen Diuina potentia, quin poſſit etiam iſtis vitam reſtituere. Sed tantum quod eſt regulæ conſentaneum, & quod eſt ex natura rei, his ſententiis declaratur.

Quinto loco interrogatum fuit, quorſum illud Ioannes protulerit: *Omnis iniquitas peccatũ eſt?* Et voci iniquitatis Græce reſpondet *ἀδικίαν* quæ proprie iniuſtitiam, ſiue iniuriã in alterũ deſignat. Omnis ergo iniquitas vel iniuria peccatum eſt: non tamen peccatũ ad mortẽ, quoniã ſola quædã iniquitatis ſpecies eſt peccatũ ad mortem, & ita habet Græca lectio. Si vero legẽdum eſſet, vt Latinus interpres vertit, ſcilicet: Eſt peccatũ ad mortẽ: cum ſuperiorib. dictis pugnaret, niſi aliter, & aliter acciperetur peccatum id quod dicitur ad mortẽ quod tamen eſt perabſurdum. ¶ Vel: *Omnis iniquitas*, vt ait Caietanus, peccatum eſt, ex proprio genere peccati, peccatũ aũt non ad mortem: hoc eſt: Nulla iniquitas ex proprio genere eſt peccatum ad mortẽ. Ex quo innuitur, quod peccatũ ad mortẽ non eſt ſpecies peccati, ſed aliunde habet quod ſit ad mortem, ſi ita affectus ſit ad peccatum, vt in eo velit perſeuerare. Sed præſtat prior intelligentia.

Ad Quintũ dubiũ. Quorſum id: Omnis iniquitas peccatum eſt.

Caietanus.

Ad poſtremũ reſpondemus, ponderando verba textus: Ac primum quidẽ in eo quod ait: *Qui ſcit fratrẽ ſuum*, nihil occurrit præter ea quę diximus. Græce enim legimus: *Si aũt quis nouerit fratrẽ ſuum peccare &c.* Vana porro eſt, & ridicula ponderatio Oecolampadij, qui notauit dici de præſenti, peccare, & non peccaſſe; ne hic locus referatur ad preces pro animis Purgatorii quia ſimpliciter hortatur text⁹ pro omni peccante non ad mortẽ orare: ſiue viuat ſiue vita functus ſit: & vbi Domin⁹ nõ reſtringit, nec nos debemus reſtringere. Ignorat iſte bonus vir rationẽ infiniti temporis, in Hebræo præſertim idiomate, ad omne tempus extendi ſolere, niſi aliquid peculiariter obſtet. Deinde quod dixit: Peccanti non ad mortem, Græce habetur in plurali, peccantibus non ad mortem: quia ſpectauit interpres ad ſenſum potius quam ad verba. Et in vno fratre peccante intelliguntur Plures: & familiare eſt ſacris literis à ſingulari ad plurium numerum deſcendere, iuxta

Ad ſextum dubium.

De ſenſu ſingulorũ verborum

Oecolampadij ſacrilega annotatio.

Pſal. 19. illud: *Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedus Libani multiplicabitur, plantati in domo Domini*: ſicut etiam à plurali ſolet defle&tere ad ſingulare, vt cum ait: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem.* *Pſal. 124.* Tertio, pro eo quod legimus, Petat, & dabitur ei vita, Græce legitur, Petet, & dabit ipſi vitam, ſcilicet ipſe petens, qui interceſſione ſua impetrabit à Deo, ſicut Iacobus Apoſt. cap. 5. dixit: *Iacob. 5.* *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte.* Ecce quomodo intercedens pro altero dat ei vitam. Paulus etiam ad Rom. *Rom. 11.* *Si quomodo*, inquit, *ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis*, ſcilicet, Iudæis, incredulis, & obſtinatis. *Actor. 27.* Angelus quoque Paulo dixit: *Ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.* Recte B. *Chryſ. ho. 28. in Gen. tom. 1.* Chryſoſtomus in Geneſim ſcribens, ait: *Conſuetudo miſericordiæ Dei eſt, honorem hunc dare ſeruis ſuis, vt propter eos ſaluentur & alij.* Et producit hoc exemplum de Paulo & exiſtentibus in naui. Poteſt etiam intelligi quod Deus ſit qui dabit vitam peccanti, pulſatus tamen noſtris precibus: ſic enim *Ambr. to. 1.* legit Ambroſius lib. 1. de Pœnit. c. 9. quaſi de textu, ſicut etiam Pacianus Barchino. dicens: *Petat pro eo, & dabit illi vitam Dominus.* Quarto ait: *Non pro illo dico vt roget quis.* Non dicit affirmatiue, Pro illo dico, vt non oret quis, ſed à negatione incipit, & ait, *Non pro illo dico vt roget quis*: id eſt, Non aſſero quod roget, & exaudiatur. Et quod ait, ὑπὲρ ἐκείνης pro illo ſcilicet peccato, Græce eſt feminini generis. Nō ergo præcipit, ne pro illo peccante, ſed pro illo peccato, ne quis Deum deprecetur.

Ex his deducimus, ſanctum & religioſum eſſe orare pro iis qui in purgatorio detinentur, quia ſcimus eos non peccare ad mortem, nec peccaſſe: & licet peccauerint, illis tamen per Sacramentum Pœnitentiæ peccatū eſt remiſſum: neq; ponere obicem remiſſioni peccatorum, cum ſint in gratia: imo, quod maius eſt, Gregoriū Romanū legimus fudiſſe preces pro Traiano, qui peccauerat ad mortem: quemadmodū etiam pro Falconilla idolorum cultrice orauit ſancta virginū protomartyr Thecla, & obtinuit eius ab inferis liberationem, vt teſtis eſt Damaſcenus in ſermone de mortuis in Domino iuuandis; Beata quoque Agnes orauit pro Prætoris filio, qui ingreſſus erat ad eam vitiandam poſtea diuinitus percuſſo, & in barathrum detruſo: & S. Perpetua, vt ſanctus ait Auguſtinus, deprecata eſt Deū pro fratre ſuo mortuo in idololatria. Qui quidem ſi ad vitam ſuſcitati Chriſtum agnouerunt, & Sacramentis imbuti ſalui facti ſunt, vt pietati conſonum eſt credere, tantorum Patrum teſtimoniis nixæ: manifeſte oſtendunt quanta vis ſit, & potentia orationis.

Quorum exemplo ſanctorū ſancte & ſalubriter oret quis ꝓ animis purgatorio igne detentis.

Ioan. diac. lib. vita B. Gregorij.

Ioannes Damaſcenus.

B. Aug. lib. de orig. anima ad Renatum, c. 7.

Secundo pro omnibus peccatis leuioribus proximi nos poſſe intercedere, & impetrare à Deo veniam & remiſſionem. Tertio aſſero, non omne peccatum lethiferum, cuius remiſſioni quis obicem ponit, eſſe peccatum ad mortem: quia ita quodlibet peccatum, imo etiam delicta leuiora, ac venialia, quę non remittuntur, ad mortem dici poſſent: ſed certa ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, quod non habet in ſe ſanitatis recuperandæ facilitatem. Quod ſi interdum hoc etiam remittatur, vt in exemplis productis oſtendimus; mirandum non eſt, quia id tantum quod regulare eſt traditur à B. Ioanne. Et de his ſatis.

DISPVTATIO XXXIII.

Super illa verba: *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſeruat eum, & Malignus non tangit eum. Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt. Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris, Amen.*

IN His verbis ſtabiliendus eſt ſcopus, & connexio. I. & II. dub. Deinde dubitandum: quomodo qui eſt natus ex Deo, non peccat, cum ſuperius dixerit: *1. Ioan. 2* *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem*: & experiētia doceat, baptizatos, & renatos per Chriſtum peccare. *2. Cor. 5.* Et ſi non peccarent, ad quid inſtituiſſet Dominus Sacramentum Reconciliationis? *Matth. 6.* Curque mandaſſet nobis dicere: Dimitte nobis debita noſtra? Tertium. Tertio, quæritur etiam quomodo Malignus non tangat genitos ex Deo, cum nō tantum tangat eorum animas per peccata ſed etiam corpora grauiter puniat, & ſæuiat in membra Chriſti: *Iob. 2.* ſi olim ſanctum Iobem vlcere peſſimo percuſſit, & filios eius prius repentino caſu domus oppreſſit; ſi Angelus Satanæ colaphizabat Paulū *Supra 1. 2. Cor. 2.* Apoſtolum, & in Beatum Antonium, primum poſt Paulum eremi cultorem, & B. Catharinam Senen. & in ipſum Chriſtum Filium Dei ſæuijt per ſe, & per ſuos in morte. Quartum. Quarto: quomodo mundus

totus

totus in maligno poſitus eſt, cum conſtet, omnes qui Chriſtum profitentur, qui tamen bonam partem mundi huius inhabitant, non eſſe in Satana, ſed in Chriſto. Et omnes in baptiſmo renunciant Satanæ, & pompis eius, & Chriſtum induunt. Quintò, cum ait: Chriſtum veniſſe, & dediſſe nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, quid intelligendum eſt per verum Deum, & quid eſt eſſe in vero Filio eius. Item illud relatiuum: Hic eſt verus Deus, an referendum ſit ad Patrem, an verò ad Filium: nam hoc hodie in controuerſia poſitum fuit per Eraſmum. Poſtremò quomodo hortatur Chriſtianos vt cuſtodiant ſe à ſimulacris: cùm populus Chriſti longè ſit ab Idololatria, & maximè in primæua Eccleſia, & cùm ad homines perfectiſſimos haberet ſermonem? Cur etiam nullam habet ſalutationem in fine Epiſtolæ, aliorum inſtar Apoſtolorum adiunctam.

Gal. 3. Quintum.

Sextum.

Ad I. dub. de ſcopo S. Ioannis, & connexione verboru.

Expediamus primum dubium. Cùm Ioanni ſermo eſſet de peccato ad mortem, quod tam difficile remitti poſſe docuit, oſtendit nunc eiuſmodi peccata longè à filiis Dei abeſſe debere: hic verò in Epilogum colligens iam dicta, ait: *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat.* Scimus, inquit, per fidem ipſam, quæ hoc prohibet apertè, & ſub interminatione etiam gehennæ, per internam Spiritus experientiam; quia Apoſtoli quæ extra docebant, intus in corde ſentiebant: quod non ita omnibus prædicatoribus contigit. ¶ *Quia omnis qui natus eſt ex Deo.* Id eſt, verbo Dei externo quaſi ſemine, & ex gratia quaſi ſemine Dei interno. Ex his enim duobus, altero externo, altero interno ſemine quiſque renaſcitur. Vnde Iacobus dixit: *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis: vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Et voluntariè Deus regenerat, id eſt, gratis, & non coactus, vel ab eo, vel à ſe, vel à nobis, ſiue à noſtris meritis. Voluntariè etiam nos regeneramur, volentibus, inquam, nobis, & præbentibus aſſenſum, vel manum dantibus manui Dei, vt nos erigat vel à febre peccati communis, vt ſocrum Petri; vel à morte ſpirituali, vt puellam filiam Iairi ſuſcitet.

Ad II. dub. Quomodo qui ex Deo natus eſt, non peccet.

Iacob. 1.

Matt 8. Infra 9.

Diuini ſemi nis in iuſto vis

Non peccat, ait, Ad mortem, ſcilicet, imò nec aliquod peccatum ex genere, vel ex circumſtantijs, nec ex fragilitate: aut ignorantia, aut malitia: nec etiam veniale committit ex vi illius ſeminis Diuini: nec etiam peccat profeſſione, quia in baptiſmo quiſque profitetur obedientiam præceptorum Diuinorum: quæ ſi ſeruentur, vt lex Dei præſcribit, nullum erit peccatum. Renuntiat etiam Satanę, pompis, & operibus eius: quomodo ergo hic peccabit? Etſi autem natus ex Deo aliquando labatur in mortale, vt Dauid, & Petrus, non tamen peccat, quatenus regeneratus, ſed ea parte, qua non integre intus fermentatus eſt gratia Dei, quæ etſi iuſtificet, & partem ſuperiorem contineat, relinquit tamen in nobis habitus vitioſos, inclinationes deprauatas, concupiſcentiam carnis, & difficultatem ad bonum, temeritatem quandam, & aliquantulum ſuiipſius amorem: quibus niſi obuiam eatur, & reſiſtatur, homo in peccatum facile relabitur.

Natus ex Deo per gratiam quatenus peccet.

2 Reg. 11. Matt. 26.

Subdit: *Sed generatio Dei conſeruat eum.* Generatio Dei poteſt accipi ipſa fides viua, vel gratia Chriſti, per quam generamur, & per quam nouum eſſe filiorum Dei comparamus. Et hæc ſeruat, quia gratia Dei omni peccato eſt contraria, & idonea eſt ex ſe ad omne præceptum implendum, & ad peccatum vitandum & ad omnem hoſtis tentationem ſuperandam, iuxta illud: Sufficit tibi gratia mea, &, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. ¶ In Græcis codicibus alia eſt lectio, nempè ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν. id eſt, Genitus à Deo ſeruat ſe ipſum, id eſt, cauet ne ad peccatum ad mortem incurrat. Et in priori lectione nos ſeruamur gratia Dei, in hac poſteriori non niſi libero arbitrio adiuto Dei gratia ſeruamus nos. Et occulte inſinuat nos poſſe Dei gratia ſatisfacere legi Dei, & reſiſtere diabolo, & in bono perſeuerare vſque in finem, & bonis operibus promereri vitam æternam.

Quænam generatio Dei ex eo natum hominem per ſemen cœleſte conſeruet, & quomodo.

2. Cor. 12. Rom. 7.

Et malignus non tangit eum. Non videtur loqui de tactu corporis, ſed de tactu, quo corrumpit, aut lædit electum. Etſi enim diabolus tanquam leo rugiens circumeat quærens quem deuoret, & tentet omnes, ſicut & Chriſtum tentauit: non habet tamen poteſtatem, electum, vel ex Deo natum pro arbitrio ſuo tangendi, infeſtandiue, niſi quantam Deus permiſerit, ad confuſionem dæmonis, & ad vtilitatem noſtram.

Ad III. dub. Malignus natum ex Deo qua ratione non tangat.

1. Petr. 5. Matth. 4.

Et vſurpat Ioannes figuram Μειώσεως, hoc eſt, Diminutionis, cùm videlicet ſermoni deeſt aliquid, quo minus plenus ſit: vt cùm dicimus eum attigiſſe, qui pulſauit, aut vulnerauit. Ita alibi vtitur Dominus eadem figura, cùm ait, Nolite tangere Chriſtus meos; &, Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Per oppoſitum eſt altera figura Auxeſis, quæ plene, & per exceſſum magnifice res repræſentat.

Zach 2. Pſalm. 104.

Vel

Vel fortaſſis dici poteſt, quòd ſit alluſio Chriſti ſponſi ad ſponſam ſuam quam non ſinit tangi ab adultero dæmone, qui noſtræ pudicitiæ, & puritati fidei inſidiatur. Non ergo tangit, quia ſponſa reſiſtit adultero,& non præſtat aſſenſum tentanti. Et ita minus eſt tangere,quàm vinci.

[Quid per Malignum tangentem filios Dei.]

¶ Nomen vero maligni hoc loco Græcè dicitur πονηρὸς, & ſolet vertere interpres, nequam:vel Nouiſſimus,& filios nequam vocat υἱὸς πονηροῦ. Hinc illud: *Vt poßitis omnia tela nequißimi igne extinguere.* Et propriè ſignificat illum, qui laborem infert, callidum, inquietum, & interturbantem omnia: atque hos labores infert tam bonis, quos infeſtat,& quiete ſpoliat: quam etiam prauis, & ſceleratis: quos inquietos reddere ſolet,& pati conſcientiæ turbationem,& vexationem facit,ac dicere: *Ambulauimus vias difficiles*: organa quoque ſua, id eſt, homines adminiſtros, reddit apta vt alios infeſtent, ac illis moleſtias adferant. [Epheſ.vlt.] [Sap.5.]

Sequitur: *Scimus quoniam ex Deo ſumus. & mundus totus in maligno poſitus eſt*. Eleganter à contrariis collatione facta cauſam reddit,cur Satanas natos ex Deo non tangat. Scimus, inquit, ſcientia experientiæ, quòd nos credentes,& Deum amantes & proximum,ex Deo ſumus;ac per hoc non peccamus, nec in nos quaſi in alienos dæmon habet aliquod imperium, ſed iniquos tantum,quos captiuos,& ſeruos reddit. A quo enim quis ſuperatus eſt; huius & ſeruus eſt, ait B.Petrus : *Et mundus totus,* inquit,*in Maligno poſitus eſt.* Emphaſim habet illa vox,totus;vt comprehendat etiam pueros nondum baptizatos. *Odiui*, ait Dauid,*Eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo.* Sunt autem mundus,omnes impii, ſed non credentes,aut ſi credunt, non tamen vt debent, credunt, neque fidem bonis operibus, & Sacramentorum frequentia, aut precationis ſtudio adornant.Senſus igitur huius verbi eſt:*In maligno poſitus eſt*:hoc eſt,Dæmoni principi,& rectori tenebrarum mundi huius nititur; ac ob id non peccare, & non pendere tributum peccati,quòd exigit ab omnibus peccatoribus.Vnde Paulus ait: *A quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*.Et cùm tam debile,& ruinoſum ſit fundamentum;neceſſariò illi in captiuitate ſeruiunt, in profundum cadunt inferni, vbi eorum princeps regnat. Vnde Chriſtus perfidis Iudæis dixit : *Ego quod vidi apud Patrem,loquor: & vos quæ vidiſtis apud Patrem veſtrum facitis.* Ac vt inſinuaret, illos mortem ſibi deſignare : adiungit prædictis verbis : *Ille homicida erat ab initio:* Quemadmodum autem calix vitreus poſitus in manu alicuius, eo vtitur prout vult, & in eos vſus, quos vult:ita mundus, & amatores mundi ſunt in manu dæmonis, vt eis pro arbitrio ſuo vtatur: cur etiam iuſtorum animæ in manu Dei ſunt poſitæ, & illos non tanget tormentum mortis: quemadmodum tangit illos, qui de manu Dei repulſi ſunt, & ſunt in manu dæmonis.

[Cur Malignus ex Deo natos minime tangat.] [2.Pet.2.] [Ioan.8.] [Pſalm.25.] [Ad IV.dub. Quid ſignificet: Mundus totus in maligno poſitus eſt.] [Epheſ.6] [2.Tim.2.] [Ioan.8.] [Sap.3.] [Pſalm.87.]

Eſt autem malignus Dæmon non ex Deo conditus,ſed à ſeipſo per electionem propriam talis factus, præferens voluntatem ſuam Diuinę, ac per hoc malus ignis. Voluntas enim propria præpoſita Diuinas: cauſa eſt,& materia mali,& ſempiterni ignis gehennæ. Vel,in malo igne triplicis concupiſcentiæ ſuperius explico. [Satan cur malign.] [1.Ioan.2.]

Et ſcimus quoniam Filius Dei venit. Hoc eſt: Scimus per fidem, & experientiam, quia quod vidimus, teſtamur, &,*Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus,& manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Et inexpugnabile aduerſus hæreſes propugnaculum adducit, & ſummam omnium eorum,quæ per totam epiſtolam aſſeruit, nempè, Chriſtus,eſt verus Dei Filius: Pater Chriſti Ieſu,eſt verus Deus. Venit Filius Dei in mundum, humanam carnem indutus: nec ob aliam cauſam venit, niſi vt ad ſalutem noſtram daret nobis ſenſum, ſiue intelligentiam, Græcè διάνοιαν, qua vera religione, & fide Deum agnoſcamus,& cognitum colamus vt par eſt.Venit ergo : contra Iudæos qui dicunt illum nondum aduenisse. *Et dedit nobis ſenſum.* Siue mentem : non quidem mentis ſubſtantiam, quam habuimus per creationem,ſed mentis lumen, & illuſtrationem internam. Vnde Lucas dixit:Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas: hoc autem mentis lumen, fides Diuina,& infuſa eſt,quæ à Deo profecta, & in mentem noſtram incidens mentem ipſam erigit, & eleuat ad Deum; non ſecus atque radius è Sole in oculum incidens, ſubleuat oculum in ipſum ſolem.

[Summa huius epiſtolæ & caput.] [Ioan.3.] [Ioan.1.] [Ad VI.dub. Quem ſenſum dederit nobis Deus,vt ſimus in vero Filio eius.] [Luc.vltim.]

Explicat autem duos eius effectus. Primus eſt, vt agnoſcamus verum ; non quodcunque verum in communi , ſed cum articulo maſculini generis τὸν ἀληθινὸν, id eſt , eum qui ſummè verus eſt, & ipſa veritas,nempè Deus. Vnde & codex Veronen.exprimit vocem θεὸν, etiam ſi Eraſmus neget in Græcis haberi Deum: ſed tamen etſi non eſſet, ſupplendus erat,

[Duo effectus Chriſti Solis iuſtitiæ.] [Notatur Eraſmus in Chriſtum ſacrilegii & blaſphemię.]

erat, vt ſenſus poſſet conſtare. Sed videlicet bonus vir vbicunque fermè poteſt infelix & miſerabilis nititur clariſſimam, longeq; Sole ipſo clariorem Diuinitatis Chriſti veritatem obſcurare, mentiens in caput ſuum. Alter effectus aduentus Chriſti eſt: *Vt nos poſſimus eſſe in vero filio eius Ieſu Chriſto.* Id eſt: non tantùm credamus Deum Patrem, Deũ Filium, Deum Spiritum ſanctũ, quia ille eſt ſummè verus, ſed etiam vt per nexum amoris ſimus in Chriſto Filio eius, tanquam amantes in amato: Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuæ. Et ſumus in Filio Dei, quémadmodum regnum in rege, vt etiam dixit Ariſtoteles, vt membra corporis in capite, vt palmites in vite, vt diſcipuli in magiſtro, à quo pendent, & hauriunt doctrinam, vt milites in Imperatore, cuius ductu militant, & vincunt. Græcè tamen legimus: *Et ſimus in vero in Filio eius Ieſu Chriſto.* Eſtque ſenſus in vero Deo, ſeu in vero Filio eius Ieſu Chriſto: Vel: ſimus primùm in Patre, per confeſſionem nominis eius, & fidem: Et in filio per Spiritum ſanctum. *Hic eſt verus Deus.* Pronomen illud: *Hic*, pronomen eſt demonſtratiuum, & proximæ rei relatiuũ. Nam vt Oecumenius ſcribit, *Hic*, pro relatiuo poſitum videtur, nempè Qui. Et ita refert Filium Ieſum Chriſtum, contra Arrianos, & contra Eraſmum eorum patrocinatorem. Contendit n. hic nugator, hunc eſſe ſenſum; Vt cognoſcamus verum ſcilicèt Patrem, quod plus, ait, quàm cognoſcere Patrẽ. Et ſubdit: Hic eſt verus Deus ſcilicèt Pater. Ita Eraſmus ſeriò triumphans explicabat ſenſu prorſus Arriano. Ita vt Ioannes cum videret fidem veri Dei patris periclitari, voluerit in ſeptem vocibus ter aſſerere Patrem eſſe verum Deum. At quæ vnquam extitit hæreſis, quæ patrem negaret Deum? nulla quod ſciam. De Chriſto Filio eius multi & ante Arrium, & multi poſteriores tempore contra multas Scripturas tueri voluerũt. Quarum hæreſum præſcius Ioannes in Spiritu ſancto, aliquando in Eccleſiá inuehendarum occurrit illis, vocãdo apertè hoc loco Chriſtum verum Deum: cum Scripturæ præſertim de Chriſto ſint, & de illo loquantur: etiam cum duplici articulo ὁ θεὸς ἀληθινὸς. Nam vt teſtatur Athanaſius in Hiſtoria Tri. Arriani confitebantur Chriſtum Dei filium, & non tantùm Dei Filium. ſed Deum, imò etiá magnum Deum, vt dixit Apoſtolus, & Deum ſuper omnia benedictũ: nunquá tamen confiteri voluerunt eſſe verum Deum. Vnde Eccleſia in eorum confutationẽ in Symbolo poſuit: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero.* Quod etiam confirmatur capitul. 17. Euangelii Ioannis, vbi Chriſtus Patrem alloquens, ait: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, Deũ verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ.* Cuius loci verus & catholicus ſenſus eſt: Vt cognoſcant te Patrem, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, eſſe vnum, & verum Deum, vt ſuo loco comprobatum reliqui.

Coloſſ. 1.
Ariſt. in Politicis.
Oecumeni.
Arriana Eraſmicorum verborum interpretatio, refellitur.
Athanaſ. in Hiſt. Trip.
Tit. 2.
Rom. 8.
Ioan. 17.
Lib. 9. Euangel. enarrat.

Neque obiiciat Eraſmus, Catholicos Patres hoc telum contra Arrianos non fuiſſe iaculatos, quòd per illud non euincerent Chriſtum verum Deum. Falſum enim eſt hoc, & in veterũ Patrum lectione indiligentiæ voluntariæ atq; etiam oſcitantiæ prorſus tribuendum eſt. Nam multi hæc verba contra illos in diſputationem protulerunt. Et in primis Dydimus hoc loco conſubſtantialem Patrem Verbo oſtendit. Athanaſius etiam tractatu in illa verba Domini: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*, ait: *Lux eſt*, inquit, *Pater, iubar radiũſque Filius, & lux vera: verus Deus Pater, verus Deus Filius, ita enim à Ioanne ſcriptum eſt: Sumus in vero Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Accedit Hieronymus in caput 66. & vltimum Eſaiæ, & Auguſt. libro ſecundo & tertio contra Maximinum: quorum vterq; ex hoc loco argumentatur in Arrianos. Præterea Cyrillus libro tertio Dialogorum de Trinitat. ex hoc loco propoſito probat Filiũ homouſion Patri. Ambroſius quoq; libro primo de Fide ad Gratianum, capite ſeptimo in fine. Qua fronte igitur Eraſmus aſſeuerauit hunc locum à Patribus non eſſe agnitum, nec intellectum de Filio cõſubſtantiali Patri, vt Eugenius libro ſecundo Victoris? Eſt ergo Chriſtus verus Filius Dei, & verus Deus cum articulo, & vita æterna etiam cum articulo. Ita enim alias in hac epiſtola à principio vocatus eſt Chriſtus: non tantùm in ſe, & per eſſentiam, & tanquã obiectum, ſed etiam vt efficiens, & finis noſtræ vitæ æternæ, quam & vitam in primis verbis epiſtolæ vocauit: ſicut in illo eſt omnis noſtra gratia. Nam de plenitudine eius omnes accepimus.

Eraſmi impia & prorſus affectata ignorantia.
Dydimus.
Athanaſ. lib. de naturali communio. eſſentia Pat. & Fil. & Spir. Sancti. to. 1.
Hieron. tom. 5.
Aug tom. 9.
Cyrill. to. 3.
Ambr. to. 1.

Et concludens ait: *Filioli cuſtodite vos à ſimulacris, Amen.* Verbo tam blando, ac tenero compellat eos, vt reddat cautos & prudentes ad fugiendum tantum malum quantũ eſt Idololatria. Ac in primis nota, Græcam literam habere. ἀπὸ τῶν εἰδώλων, id eſt,

Ioan. 1.
Ad VI. dub De idololatria à fidelibus cauenda & fugiẽda.

id eſt, ab Idolis, vel ſimulacris. Quo verbo veniunt cōfutandi Gebennenſes, qui infideliter verterunt hunc locū in linguam Gallicam his verbis: *Garde vous des images.* id eſt, cauete ab imaginibus vel ſimulacris; cum alia ratio ſit Idolorum, & ſimulacrorū quæ falſis diis tribuuntur: nam illa ſunt impia, & idololatra; alia verò ratio eſt venerantiū imagines, & per eas ad prototypa tendentium: qui cultus non ſolùm non eſt reprobatus in Eccleſia Dei, ſed etiam à principio naſcentis Eccleſiæ vſu piorum, & ſanctorum, & ipſiuſmet Eccleſiæ confirmatus, tandem per Concilium Tridentinum œcumenicū, & perpetuum anathema iactatū in omnes iconoclaſtas, & deſtructores imaginum. Producit hoc loco Beza teſtimonium Epiphanij delentis velum Chriſti in quodam loco ſacro. Verùm illud à multis egregiè refutatum fuit, & nihil ponderis habere demonſtratum, & poteſt quis ſanctus zelo Dei percitus errare in aliquo actu.

Seſſ. 25.

Friuolum Bezæ argumentū contra imagines ſanctorum.

Deinde perpende ex hac appendice, ſermonem eſſe Apoſtolo ad eos, qui è Gentilitate conuerſi erant ad Chriſtum. Eiuſmodi autem non erant Iudæi, ſed idololatræ, & cultores ſimulacrorū, quales aliquando Parthi extiterunt. Nec Apoſtolus incongruè aut ſine cauſa hoc Epiſtolæ ſuæ attexuit: quia enim docuerat, vnum, & ſolum Deum verum eſſe, qui ſeipſum in Filio manifeſtauit, & per eum nos docuit, quod verus Dei cultus in fide, ſpe, charitate, & vitæ puritate ſitus ſit: neceſſariò monet, vt in ea fide, & vero Dei cultu permaneamus. Cum n. Chriſtum dixerit eſſe verum Deum, reliquum erat vt conſuleret cauendum à non veris diis, qualia ſunt Idola, & ſimulacra Gentium, argentū & aurum, opera manuum hominū. Quare Didymus in hæc poſtrema verba Apoſtoli (quem ſequitur Oecumenius) interrogat, quomodò in tota hac epiſtola, cum fecerit mentionē perfectionis vitæ, ſanctimoniæ, & charitatis, in fine admonet cauendum eſſe ab idolorum cultu, & reſpondet: *Quoniam ſcribens vniuerſæ Eccleſiæ, poterat aliquis ab idololatria ad Chriſtum conuerti: ſic Paulus Corinthios, quos laudauerat quòd facti eſſent diuites in omni verbo, & in omni ſciētia poſteà tamen commonefacit eos, vt abſtineant ſe ab idolorum cultura & ab eſu idolothytorum: Nolo, inquit, vos ſocios fieri dæmoniorum.* Hæc ille in ſenſu. Præterea dixerat in epiſtola, multos Antichriſtos iam in mundū veniſſe, noua dogmata tradentes, & idolum falſæ ſcientiæ fabricantes: admonet vt ab illis ſe abſtineant, qui ad verū Deum Patrem, & ad verum Filium Dei accedunt. Et hæc ad maiorem cautelam proponi ſolent à ſapientibus: quia abundans cautela, vt dici ſolet, non nocet: & quia timeri poterat, ne redirent ad vomitum, & ad reliquias ſuperſtitionis relictæ. Ingenium enim dæmonis eſt tentare homines in via Dei, vt retrocedant, & reuertantur in Ægyptum, vt fecit cum filiis Iſrael.

Pſal. 113.
Dydim. hoc loco.

Oecum c 7 & vltim

1. Cor. 1.

Infra. 10

Abundans cautela non nocet.

Num. 11.

Et concludens ait: ***Amen***, Quæ particula in Hebræo optantis, & confirmantis eſſe ſolet, quaſi dicat: Vtinam ita ſit, & ita contingat vobis, vt per totam epiſtolam rogaui. Non apponit ſalutationē poſtremā, quæ de more connecti ſolet epiſtolis: quemadmodum etiam illam, quæ de more præponitur initio literarū, reliquerat: quod quo conſilio factum fuerit, à principio epiſtolæ teſtatum reliquimus. Et indubitatè aſſerendum eſt, arte, & conſilio Spiritus ſancti procuratum fuiſſe, & ad illuſtrādum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti gloriam, cui ſit laus, honor, & imperium in ſempiternis ſeculis. Amen.

Amen quid Hebraicè.

DISPVTATIO VNICA IN SECVNDAM B. IOANNIS EPISTOLAM AD ELECTAM DOMINAM.

In illa verba: *Senior Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognouerunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in vobis, & nobiſcum erit in æternum. Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & à Ieſu Chriſto Filio Patris, in veritate, & charitate*, vſque In finem.

Prima dubitatio.

PARVA eſt hæc epiſtola, & pauca habet, quæ in dubitationem venire poſſint. Ne tamen nihil dicamus, dubitamus in primis, an hæc epiſtola digna ſit nomine Catholicæ, cum ad vnam tantum perſonam ſcribatur, & nihil magnũ videatur continere. Deinde dubitatur, an fœminæ dicari poſſit liber Canonicus: & quæ nam extiterit iſta ſancta fœmina, quã Electam dominam vocat. Tertiò explicanda eſt ſalutatio propoſita. Quartò dubitatur de gaudio, quod Ioannes capiebat ex eo, quòd videret filios eius ambulantes in veritate, & charitate. Quintò, cum ait: *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis; ſed vt mercedem plenam accipiatis*: quænam illa erant, quæ amittere poterant. Sextò quare vult eis, qui aliam doctrinam adferunt, nec Aue dici. Videretur enim durior tractatio illius, & redderetur magis ineptus ad errorem deſerendum: maximè cum Paulus concedat fidelibus, vt cum infidelibus cibum ſumant; ac ita videntur ſibi contradicere Paulus, & Ioannes. Septimò, quare multa noluit illi per chartam, & atramentum ſcribere, & quæ erat eius rei vtilitas.

Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. 1.Corint.10. Septima.

Ad primum dubium. Hæc epiſtola, cũ ad priuatã vnã tantũmodo perſonam ſcripta ſit, Catholica iure nominatur.

Vt primam dubitationem ſoluamus, dicimus, Hieronymum pro veris Ioannis literis has binas, Ad Electam dominam, & ad Gaium chariſſimum, habuiſſe, ſolum in epiſtola ad Paulinum, & in Prologo ſeptem epiſtolarum Canonicarum ad Euſtochium virginem, vbi numerum literarum Canonicarum explicat: libro etiam de ſcriptoribus Eccleſiaſticis bis eum numerum confirmat, vbi bis eius facit mentionem, & in vita Ioannis, & in vita Papiæ, harum epiſtolarum, licèt non diſſimulet quorundam ſententiam, qui eas non à Dilecto diſcipulo Ioanne; ſed à quodam Ioanne Theologo, & presbytero conſcriptas fuiſſe dicebant, cuius ſepulcrum erat in Epheſo, vt tradit Euſebius Cæſarien. Quod etſi verum eſſet, non euinceret tamen illas Canonicas non eſſe. In quàm ſententiam, videlicet Ioannis non eſſe Apoſtoli, minimè deſcendere poſſum. Primò, quia ſi quis diligenter perlegat, agnoſcet in eis characterem, & ſtylum Ioannis Euangeliſtæ, vt vix ſibi perſuadere queat ab alio quàm à Ioanne Euangeliſta compoſitas eſſe. Imò ſi has epiſtolas anepigraphas, hoceſt, ſine vllo titulo, & inſcriptione legeremus, ſatis ipſe dicendi character nos perduceret ad earum verum autorem agnoſcendum: quanto ergo magis ſi accedat titulus? Simile & in libro Apocalypſis videre poſſumus. Sunt enim qui Euangeliſtæ Ioannis eſſe non putent, ſed Ioannis cognomento Theologi, & presbyteri. At ſi verè, & diligenter eius dictio, & ratio loquendi inſpiciatur, profectò eius ſpiritum, & ſanctitatem redolet: imò & ipſa ſua verba. Vocat ſe ſeniorem, non Apoſtolum, quoniam quaſi familiaris, & priuatus, non vt Apoſtolus ſcribit, ſed vt presbyter, & pater ſpiritualis inſtruere voluit. Simili ratione Paulus ad Philemonem ſcribens, nullam Apoſtolatus autoritatem inſinuauit: & inter presbyteros Aſiæ ſingularis erat Ioannes presbyter, & propter præfecturam Apoſtolatus, & propter ætatem. Dicebatur etiam Theologus ſimpliciter, propter explicatam Aeterni Verbi diuinitatem, & humanitatem. Commendat ſe nomine presbyteri, quia ſæpè præcipit verba ſapientium, & presbyterorum audire; vnde ſanctus Iob; In antiquis, inquit, eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia; & liber Eccleſiaſtici. *Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientum, & in prouerbijs eorum conuerſare. Ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſeruire magnatis ſine querela.*

Euſeb.3. Eccle hiſto. cap.3 tom 1.

Hanc epiſtolam Ioannis eſſe Apoſtoli oſtenditur.

Ioannes Euangeliſta cur Theologi olim nomẽ inuenerat.

Iob 12. Eccli.8.

2.argumentũ.

Deinde accedit, quia nomen Apoſtoli perinde erat veris Apoſtolis tributum, atque alijs, qui non erant Apoſtoli, ſed illis

illis tantum proximi: vt in Concilio Ieroſolymitano Actorum 15. cerni poteſt. Adde, quod & ipſe Apoſtolorum Princeps Petrus συμπρεσβύτερον ſe appellat. id eſt, conſeniorem. Tertiò habes Ambroſij teſtimonium in Pſalmum 36. vbi expendens illud: *Iunior fui, etenim ſenui*, ita ſcribit: *Et Ioannes ſenex cœpit ſcribere Euangelium, vel epiſtolas: qui cum refugeret Apoſtolum ſe ſcribere, ſeniorem ſcripſit. Nec minor eſt æſtimatus, cui cygnea quædam ſuppeteret gratia ſenectutis.* Probat & B. Epiphanius Hæreſi 51. has epiſtolas, dum ait: *Sanctus Ioannes per Euangelium, epiſtolas, ac Apocalypſim eodem ſancti Spiritus dono impertiuit*: Hæc illi. Ex quibus habemus eſſe Canonicam epiſtolam.

1. Pet. 5.

Ambr to. 4.

Ioanni Apoſtolo, ait Ambroſius, Cygnea ſuppetebat gratia ſenectutis.

Epiphan.

2. argumentū.

Eſt etiam digna nomine Catholicæ, hoc eſt, Vniuerſalis: quoniam etſi hæ duæ ad Electam, & ad Gaium, non vniuerſales Eccleſias, ſed ad duas priuatas perſonas miſſæ fuerint, tamen vt ſuperius diximus, in vniuerſum receptæ fuere ab omnibus Eccleſijs hæ duæ epiſtolæ, vt ita verè vocentur Catholicæ. Et ſatis magnum eſt veritatis argumentum, Clementem Alexandrinum antiquiſſimum doctorem, & Origenis magiſtrum, ac Didymum Commentariola in eas ſcripſiſſe, quorum in hodiernum vſque diem extant fragmenta quædam. Citat etiam ex hac epiſtola Irenæus libro primo cap. 13. dicens: *Quotquot abſiſtunt ab Eccleſia, & ijs anilibus fabulis aſſentiunt, verè à ſemetipſis ſunt damnati. Quos Paulus iubet nobis poſt primam, & ſecundam correptionem deuitare. Ioannes enim Domini diſcipulus ſuperextendit damnationem in eos, neque Aue nobis eis dici volens. Qui enim dicit, inquit, eis Aue, communicat operibus ipſorum nequiſſimis. Et meritò. Non eſt enim gaudere impijs, dicit* Dominus. Hæc ille, alludens ad Græcam ſalutationem χαῖρε, hoc eſt, Aue, ſiue Salue. Beda quoque hoc loco ſic habet: Nunc generalis Eccleſiæ conſenſus habet, quod has quoque epiſtolas Ioannes Apoſtolus ſcripſerit, quia reuerà multam verborum, & fidei ſimilitudinem cum prima eius epiſtola oſtendunt, & ſimili zelo deteſtantur hæreticos.

B. Iren.

Tit. 3.

Eſai 57.

Beda. to. 5.

Secundæ dubitationis ſolutio.

Hæc epiſtola Canonica cur ſcripta ad mulierem.

Ad ſecundam dubitationem reſpondeo: Mirantur quidam hunc librum Canonicum ſcriptum eſſe ad mulierem: quaſi verò nouum ſit conſcribi libros Canonicos ad erudiendam plebem Chriſtianam, quæ conſtat ex maſculis, & fœminis: & vt Paulus dixit ad Galatas; Non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu. Certè in veteri Teſtamento inſignes, & lectiſſimæ fœminæ fuerunt, ſoror Moſis Maria, Anna Samuelis mater, Regina Saba, Iuditha, Eſther, Olda, & pleræque aliæ prophetides: In Nouo verò Teſtamento Maria Magdalene, Martha, Samaritana, Chananæa, Anna vidua Phanuelis filia, Eliſabetha, Maria Cleophæ, Salome, & aliæ non paucæ. Et huius Ioannis factum imitantes veteres Patres, multas epiſtolas, & volumina in ſacras literas conſcripſere ad mulieres: vt Ignatius, Ambroſius, Cyrillus ille magnus, Auguſtinus, Gregorius, ſed omnium maximè Hieronymus, qui tot ſacros libros elucubrauit, poſtulantibus non minus fide, & doctrina, quam nobilitate illuſtribus fœminis, tam virginibus, ac viduis, quàm coniugatis. Quare ſi opera Hieronymi luſtraueris, inuenies non tam in Prophetas maiores, quam in Pauli epiſtolas commentarios elaboratos, & alios tractatus, in epiſtolas Ad Pauli, & Euſtochium, & ad Principiam virginem, in qua explanat 44. Pſalmum, ad Marcellam quoque, Melaniam, Hebdibiam, Algaſiam, Bleſillam, Lætam, Aſellam, Demedriadem, Geruntiam, Celantiam, & alias nobiles, & ſanctas fœminas dedicatos. Et cum ob eam cauſam reprehenderetur, quòd in ſcribendo fragiliorem ſexum pluſquam virilem honoraret: Reſpondet in Epiſtola ad Principiam: *Si viri de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluiſſet, Delbora de victis hoſtibus non triumphaſſet. Ieremias carcere clauditur: & quia periturus Iſrael virum non receperat prophetantem, Olda eis mulier ſuſcitatur. Sacerdotes, & Phariſæi crucifigunt Filium Dei, & Maria Magdalena plorat ad Crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoſcit, pergit ad Apoſtolos, repertum nuntiat; Illi dubitant, iſta confidit. Verè πυργῖτις, verè turris candoris, & Libani, quæ proſpicit faciem Damaſci, ſanguinem videlicet Saluatoris ad ſaxi pœnitentiam prouocantem. Defecerant Saræ muliebria, & ideò Abraham ei ſubijcitur, & dicitur ad eum: Omnia quæ dicit tibi Sara, audi vocem eius. Illi defecerant muliebria: tu nunquam habuiſti muliebria: ſexus deuoratur à Virgine, Chriſtum portat in corpore. Iam poſſidet quod futura eſt. Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & ſua reſponſione condigna audit oracula: Duæ gentes in vtero vno, & duo populi de ventre tuo diuidentur. Illa duos generat diſſidentes: tu vnum quotidie concipis, parturis, generas, vnione fœcundum, maieſtate multiplicem, trinitate concordem.*

Gal 4.

Coloſſ. 3.

Quib. fœminis Vetus Nouumque Teſtamentum claruerit.

Hieronymi ad quærentes quod ad fœminas honoris gratia ſcriptitaret, grauis, & acuta reſponſio.

Hier epiſt. 140 initio tom. 5.

Iudic 5.

4 Reg. 22.

Matth 27.

Mar. 16.

Ioan 20.

Ibidem.

Cant. 7.

Geneſ 23.

Infra 25.

Exod. 15.

Geneſ 25.

Nume. 7.

dem. Maria, ſoror Moyſi, victorias Domini canit, & Rachel Bethlehem noſtram, atq; Ephratam ſtirpe nominis ſui ſignat in poſteros. Et in hunc ſenſum pleraque alia Hieronymus addit: poſteà concludens: Hæc & iſtiuſmodi σεμνοτάτῃ filia, perſtrinxi breuiter; vt te pœniteret ſexus tui, nec viros nomen ſuum erigeret; in quorum condemnationem, fœminarum in Scripturis ſanctis vita laudatur.

Mulieres quatenus doceant ſecundum Apoſtolum. 1. *Cor.* 14. 1. *Tim.* 2.

Dices fortaſſis, poſſe fœminas erudiri de Scripturis, vt per hæreticos non decipiantur, ſed non ſpectare ad eas alios inſtituere; quia Apoſtolus dixit; Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. Reſpondeo, quòd etſi earum munus ſit in Eccleſia non docere, poſſunt tamen, ac debent domeſticos, ac familiares, ſi rudes, & ignari exiſtant, imò etiam externos ſi ad ſe accedant, domi ſuæ, & priuatim eos erudire, & docere. Nam & Apollo doctorem eloquentiſſimum, & in Scripturis potentiam Priſca, & Aquila de via Domini Ieſu inſtituerunt, vt habes Act. 18.

Ad quam Electam ſcribat Apoſtolus Ioannes & cur.

Iam dicendum de illa, ad quam epiſtola deſtinatur. Ac illud in primis vanum eſt, ꝙ quidam dicunt Ioannē ſcripſiſſe ad Eccleſiam nomine Electam. Sed hoc facilè euertitur per hoc quod ait: Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate: habebat enim hæc mulier filios, ſiue liberos, eratq; potens, ac nobilis admodùm, quam noſtri à principio colebant, & amicitia, & ſcriptis etiam literis proſequebantur, vt fidei patrociniū & Eccleſiæ ſuſciperet, ac diuitiis foueret. Vnde & Paulus Senecam Neronis præceptorem vt amicum colebat, & inſtitutis, ac beneuolentia proſequebatur, vt ea ratione Euangelium quod prædicabat, & eius noui profeſſores minus affli ctarentur: & Lucas Euangeliū ſuum, & librum Actuum Apoſtolorum ad potentem, & principem virum Theophilum Antiochenum deſtinauit.

Beza autem inſignis Hæreticus, pluſquam par eſt, ſubtiliùs agere volens, docet, Electam non eſſe proprium nomen: quia inquit, dicendum fuiſſet κυρίᾳ Ἐκλεκτῇ, non autem Ἐκλεκτῇ κυρίᾳ: nam hæc non ita ſemper ſtrictè, & ſubtiliter obſeruari ſolent, & idem eſt, Domina Electa, & Electa domina, ſicut idem ſunt: Senior Gaio chariſſimo; ac Senior chariſſimo Gaio. Certè quòd legimus, *Erat eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum,* idem prorſus fuiſſet, ac ſi dixiſſet: Eunuchus Reginæ Æthiopum Candaces. Erat ergò iſta non ſimpliciter Electa, ſed Electa domina, quæ dominium aliquod ſiue ditionem habebat.

Actor. 8.

Quænam illa fuerit domina Electa. *Gloſſ. ordi.*

Quærebatur deinde quæ eſſet iſta Electa domina? Reſpōdet Gloſſa ordinaria: Electa, inquit, Babylonica, quæ cum tota familia fidelis, & in pauperes Chriſti miſericors. Sed vnde de hac, fœmina acceptum ſit, non ſatis conſtat. Probabile admodum eſt ex traditione in Eccleſia hoc acceptum, aut retentum fuiſſe. Ait enim in fragmentis ſuis, quæ extant, Clemens Alexandrinus: *Secunda Ioannis epiſtola, quæ ad virgines ſimpliciſſimè ſcripta eſt. Scripta verò eſt, ad quandam Babyloniam Electam dominam.* Quòd verò fuerit Babylonica, nō eſt alienum à traditione, quam de prima epiſtola ſcripta ad Parthos, ex Patrum teſtimoniis ſuperiùs corroborauimus. Si enim illam Eccleſiam inſtruxerat Apoſtolus Ioannes, non debet extraneum iudicari, ſi iſtam dominam peculiari epiſtola & docere, & conſolari voluerit.

Clem. Alex.

Ad quas virgines (ſecundū Clementem) ſcripta ſit hæc epiſtola.

Et quod infert Clemens, ad Virgines conſcriptam, non ſatis cōſtat ad quas virgines. Verum ſi quid dandum eſt coniecturæ: inſinuatur, hanc fœminam Electā plures filias habuiſſe, quæ in primitiuo illo Eccleſiæ ſtatu virginitatis profeſſionē publicè amplexatæ erāt. Quod indicat illud: *Et natis eius*, Græcè καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς. Et infrà quod ait: *Gauiſus ſum valde quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in charitate*, vbi etiam habetur eadem vox, τέκνοις. Conſtat autē voce τέκνων propriè venire liberos, ita vt fœminas etiam comprehendat. Nam ita Paulus dixit; *Volo iuniores viduas nubere; filios* (vel liberos) procreare. Idē alibi, (*filios* vel potius liberos) *habentem ſubditos in omni caſtitate*, ſecus eſt de voce υἱὸς, quæ propriè tantùm filiū, & θυγάτηρ, quæ propriè filiā ſignificat. Alio loco rurſus: Et ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias: vbi Græcè υἱοὺς & θυγατέρας poſuit. Et benè tales, liberi vocantur, ad differentiam ſeruorum, qui ſui iuris non ſunt. Deinde conſtat ex ſalutatione præmiſſa, quòd non tantùm matrem, ſed & natos, & liberos ſalutauerit, vt propterea Clemens dixerit ſcriptam ad virgines.

1. *Tim.* 5.

Supra. 3.

2. *Cor.* 6.

Quam honorabilis virtus virginitatis Chriſti amore ſuſcepta.

Addit Apoſtolus: *Quos ego diligo in veritate, & nō ego ſolus, ſed & omnes qui cognouerunt veritatem.* Solet virginitas Chriſti amore aſſumpta, admirabiles, & amabiles reddere, non humanam, ſed Angelicā vitam profitentes. In carne enim præter carnem viuere, non humanum eſt, ſed Ange-

Angelicum. Maximè vero eminet illa virtus, quando parentes virginum nobiles ſunt, diuites, & elegantes, & ex quibus ortæ non coguntur ob inopiam dotis eũ ſtatum profiteri, ſed ſpontè, & libere aſſumunt: tum verò potiſſimum, ſi parentes illis reluctatæ fuerint, atq; ab illo ſtatu ad coniugium ineundum perſuaſerint: quod ſanè ſymbolum eſt peculiaris, ac diuinæ vocationis. Eſt etiam virginitatis profeſſio inuictum, & ſolidum Chriſtianæ veritatis, & ſanctitatis, & religionis argumentum: vnde & à Chriſto conſilium eius rei profectum eſt, & ab Apoſtolis, vt teſtatur magnus Athanaſius lib. de Virginitate: nam prorſus omnem humanæ naturæ facultatem tranſcendit, vt apertum reddatur incomparabile eſſe Dei donum. Si magnum fuit, tres illos pueros in medio fornacis non comburi; ita in medio ignis agere, & per continentiam algere. Tales fuerunt ab initio multæ, vt B. Deipara, quæ Virgo virginum ab Eccleſia nominatur, quatuor filiæ Philippi diaconi virgines prophetantes, & Thecla protomartyr inter fœminas.

Matth. 19.
Athanaſ.
Dan. 3.
Luc. 1.
Act. 21.

Ac ſubdit: *Propter veritatem, quæ permanet in vobis, & vobiſcum erit in æternum.* Propter veritatem, inquit, non tantùm fidei, ſed etiam iuſtitiæ, & honeſtiſſimos mores, quos tenetis, & in quibus permanetis, & vt ſpero, in æternum permanebitis, receſſuri ab ea nunquam. Tanta enim eſt Euangelica veritas, vt nemo vos poſſit ab ea deducere, niſi vos ipſæ ſponte velitis eam deſerere, ad quam tamen retinendam, & ſeruandam. Deus ſingulari gratia in æternum vos per Angelos ſuos & tuetur & protegit, vt pupillam oculi ſui.

Euangelicæ veritatis vis.

Tertio dubio reſpondemus, ſalutationem eſſe: *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo Patre*, Qua certè Paulus ſalutatione in vtraq; epiſtola ad Timotheum, & in illa ad Titum vſus eſt. Et magna Dei dona ſunt gratia, miſericordia, & pax: gratia quidem, in remiſſione peccati; miſericordia verò in afflictionibus, & miſeriis, quæ nos inſtant; pax autem contra conſcientiæ ſtimulum nos accuſantis, & cordis pacem perturbantis. Et vt oſtendat Filium Patri per omnia æqualem contra Arrianos, qui minorem Patre Filium faciebant: addit diuinus Ioannes: *Et à Ieſu Chriſto Filio Patris.* Qui nimirum eſt verus Deus, & vita æterna: nam quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit, vt habes Ioan. 5.

Ad tertiũ dubium. De ſalutatione Apoſtolica.

Gratia, miſericordia, & pax, dona Dei quanta ſint.

1. Ioan. 5.
Ioan. 5.

In veritate, & charitate. Vt ipſe ſcilicet in charitate, & veritate fidei perſeuerent. Ergo nobis precatur gratiam illam, vt aliis eam exoptemus. Deinde vt nos ipſos conemur per miſericordiam in alios effundere: demum facere, vt nos cum aliis quæ pacis ſunt, ſectemur; & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus. Et reuera qui virginalem profitentur pudicitiam, magna Dei indigent gratia, & miſericordia, & pace, vt propoſitum tantùm vel cogitatione non violent, & per miſericordiam ſuppleatur id, in quo per fragilitatem carnis deficiunt: & ob pacem, & vnionem cum Deo, carnis, aut cordis ſtimulos non ſentiant.

Ea dona diuina (vt & alia omnia) quatenus nobis cõmunicentur.

Rom. 14

Iam breui explicandum eſt huius paruæ epiſtolæ argumentum. Nam Electæ fœminæ nobili & inſigni gratulatur, quòd Chriſtianam religionem non ſola, ſed cum vniuerſis natis ſuis receperit. Et quia virtus laudata creſcit; commendat eam à cura, & ſolicitudine, quam erga liberos ſuos geſſit, vt eos ad Chriſti cognitionem pertraheret. Adhortatur etiam, vt in ea perſeueranter permaneat: quod eſt in mandato mutuæ dilectionis præſtare. Admonet etiam, vt hæreticos negantes Chriſti aduentum in carne, caueant, ne ſocii ſint corruptorum hominum nec dignentur eos vlla ſalutatione. Et hactenus de argumento.

Argumentum huius epiſtolæ proponitur, & explicatur.

Iam in primis ait: *Gauiſus ſum valde, quoniam inueni de filiis tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatũ accepimus à Patre.* Magna lætitia afficiuntur, qui Euangelizant, ac docent, cum diſcipulos, & auditores ſuos audiunt in Euangelio proficere, & iactis ſeminibus dignos fructus reddere, & eo magis, ſi in tẽtationibus ſtabiles maneãt. Ac vt in ſuis epiſtolis Paulus incipit à gratiarum actione, & benedictione Dei, qui tot donis, ac beneficiis nos affecit: ita hìc initium ſumit à filiis eius benè ambulantibus, quos veriſimile eſt ſuo exemplo, & hortatu ad fidem excitaſſe; ad quos ſpectant Parabolæ de Oue perdita, de drachma amiſſa, & de filio iuniori, qui perierat, & inuentus fuit.

Ad quartũ dubium. De gaudio quod Ioannes capiebat ex ſpirituali profectu natorum Electæ.

Luc. 15.

Ac fortè Electa erat in Babylonia, & filii eius aliqui in Iudæa, vnde Ioannes ſcripſit præſentem epiſtolam, natis eius ſolicitantibus Ioannem, vt hanc ad parentem ſuam dictaret epiſtolam.

Et nunc, inquit, *rogo te Domina, non tanquàm mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum.* Hæc in priori epiſtola ſatis fuerunt declarata. In eo ergò præcepto exercendo ſolicitum ſe oſtendit, ſicut aliàs facere ſolet, & oſtendit non eſſe nouum, ſed anti-

Ioan. 13.
Mandatũ dilectionis cur dicitur mandatum a Patre.

quum

quum, Diciturque mandatum à Patre; quia Chriſtus quod à Patre accepit, pronunciauit: non autem accepit à ſe ipſo, vnde aiebat idem: verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non manant, ipſe facit opera. *Et hæc eſt charitas, vt ambulemus ſecundum opera eius.* In priori epiſtola dixerat: Hæc eſt enim charitas, vt mandata eius cuſtodiamus. Ambulamus autem in mandatis eius, quando illa opere obſeruamus, & ex charitate præſtamus. *Hoc eſt enim mandatum, vt quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis.* Id eſt: Mandatum charitatis ipſius habemus, non perinde ac vetus lex, quæ oſtendebat quidem præceptum, vt cum non poſſemus illud implere, per illud infirmi cognoſceremur ad implendum. At nunc datum eſt præceptum ad ipſum obſeruandum: quod Hæretici capere nolunt. Eſtque repetitio, qua frequenter vtitur Dilectus, quo charitatis ſtudium magis imprimat cordibus noſtris. Mandatum vetus eſt, quia ante Moſen in animis ſcriptum in lege vero literis mandatum: at in Euangelio recens abſolute reſtitutum in corde, & Scriptura.

Infra 14. In mandatis Dei ambulamus quando. 1. *Ioan.* 5. Mādatum dilectionis Apoſtolus mandatum cur vetus appellet. *Rom.* 7.

Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum qui non confitentur IESVM CHRISTVM veniſſe in carne: hic eſt ſeductor, & Antichriſtus. Rationem reddit exhortationis ſuæ. Exierunt, inquit, ſcilicet de Eccleſia, vt in priori epiſtola dixit, ad mundanos homines, & tenebroſos ſeducendos, qui prius latebant, & magis nocebant. Illos autem fuiſſe Iudæos indicat, negantes illud; Verbum caro factum eſt: & Chriſtum verum hominem. Et quia hic articulus ſumma eſt totius fidei Chriſtianæ, regulam ponit: Omnis ſpiritus, qui negat Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt ſeductor, & Antichriſtus. Ita in priori epiſtola dixerat: Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt. Soluit autem, qui negat vnionem ad humanam naturam. Et à numero multitudinis tranſit ad ſingularem, dicens: *Hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.* Qui eſt diabolus, primus, & maximus Antichriſtus, & omnis ſuperbiæ, & mendacij fons, & parens.

Chriſtum Ieſum in carne non veniſſe qui dixerint. *Ioan* 1. 1. *Ioan.* 4. Quid ſit ſoluere Ieſū, & quis ſoluat omnium maxime. 1. *Ioan.* 4.

Quintum dubium circa illud fuit; *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam accipiatis.* Reſpondemus, horum verborum ſenſum eſſe: Vigilate, & attenti eſtote, ne via charitatis deſerta, perdatis fructum fidei veſtræ, & bonorum operum veſtrorum. Atque hîc confunduntur hæretici, qui mercedem; & retributionem bonorum operum inficiantur, vt ſic fiat iactura vitæ æternæ, quæ illis percipitur, Et replicat ad maiorem Emphaſim: Sed vt mercedem plenam accipiatis. Græcè tamen pleniùs dicitur in prima perſona: Ne perdamus quod operati ſumus, ſed vt mercedem plenam recipiamus, hoc eſt, plenum gaudium: quia quod membrum perdit, id etiam aliud membrum perdidiſſe videtur: ideò perſeuerantia maximè opus eſt. Ac ponit duas regulas oppoſitas: *Omnis qui recedit, & non permanet in Doctrina Chriſti* (operando ſcilicet ſecundum mandata eius) *Deum non habet: quia charitatis donum amiſit.* Altera regula eſt per affirmationem: *Qui permanet in doctrina* (Chriſti videlicet) *hic Patrem & filium habet.* Delectatur enim huiuſmodi antithetis Ioannes Apoſtolus. Neq; hic dicit, Deum habet, vti dicere habebat per antitheſim; ſed potius, Patrem, & Filium habet, vt explicet qua ratione Deum habeat nempe ſub ratione Patris, quia inde ſperatur hæreditas, qui eſt filius vita æterna, vt dixit capite primo & quinto prioris epiſtolæ: & Propheta, Puer, inquit, natus eſt nobis & filius datus eſt nobis: vt ſimus hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti; & cum illo, & per illum Patrem videamus.

Ad quintū dubium. Quid ſignificet voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis, &c.

Hæreticorū dogma peruerſum de meritis operum bonorum.

Perſeuerātiæ neceſſitas. Duæ regulæ Ioannis Apoſtoli de doctrina Chriſti. Proprium Ioannis Apoſtoli. *Eſai.* 9. *Rom.* 8.

Ad ſextum dubium reſpondeamus in illud: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert; nolite recipere eum in domum; nec Aue ei dixeritis.* Loquitur de falſis doctoribus, & impoſtoribus, quibuſcum nihil prorſus eſt cómmunicandum, quoniam extra Chriſtum ſunt, & Antichriſti effecti ſunt: ideo nedum non ſunt in domum recipiendi, ſed nec etiam extra domum ſalutandi. Nec aduerſatur hæc doctrina Paulo concedenti, vt infideli inuitante nos ad cœnā, ab eius menſa ne abhorreamus: quia hic non eſt ſermo abſolute de infidelibus, ſed de infidelibus doctoribus, qui ſcilicet veniunt ad docendum vel potius ad ſeducendum. Quod probatur, quia dixit: Et hanc doctrinam non adfert ſed potius contrariam. Non dicit: Et hanc fidem non habet, *Hic eſt ſeductor*, Græce οὗτος, id eſt, hic: & ſumitur pro voce, Talis; ac ita minus offendit numerus ſubito mutatus. Hunc locum producit Irenæus, vt diximus, libro primo cap. 33. ¶ Hanc doctrinam non tantum verbo, ſed etiam exemplo nobis tradidit Ioannes. Cum enim lauandi gratia Epheſi balneam ingreſſus eſſet, vbi deprehendit Cherinthum hæreticum, exclamauit:

Ad VI. dub. De non cōedendo cum hæreticis.

1. *Cor.* 10. *Irenæus.* Apoſtoli in primis, ac viri Apoſtolici quātum ab hæreticorum conſuetudine abhorrerent ac refugerent.

inauit: Fugiamus, inquit, ne & balnea ipſa corruant, in quibus Cherinthus hæreticus veritatis oſor ſe lauat. Polycarpus verò diſcipulus Ioannis Euangeliſtæ, occurrit Romæ Marcioni hæretico, ac dicenti, Agnoſciſne me? *Agnoſco,* inquit. *primogenitũ Satanæ.* Magnum horrorẽ, & nauſeam præſeferebant aduerſus hæreticos, vt nec verbo ſalutationis illos dignarentur, nedũ congreſſu, aut communicatione habitationis: Vnde Paulus, repletus Spiritu ſancto, intuens in Elymam magnum dixit: *O plene omni dolo, & omni fallacia fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas?* Quæ verba planè interpretati fuiſſemus tanquã verba hominis quærentis vindictam, & conuitiantis, niſi præmiſiſſet S. Lucas: Paulus, plenus Spiritu ſancto. Clemens autẽ Alexandrinus in hæc verba ſcribit: *Tales ſalutare prohibet, & in hoſpitiũ ſuſcipere. Hoc enim in huiuſmodi non eſt inhumanũ, ſed nec cõquirere, vel cõdiſputare cũ talibus admonet, qui non valet intelligibiliter diuina tractare, ne per eos traducãtur à doctrina veritatis, veriſimilibus inducti rationibus. Arbitror autem, quia & orare cum talibus non oportet, quoniã in oratione quæ fit in domo, poſtquã ab orando ſurgitur, ſalutatio gaudij eſt & pacis indicium.* Producit & hunc locũ Cyprian. inter Concilii Carthaginen. Epiſcoporũ ſententias ſub perſona cuiuſdam Epiſcopi. ¶ Quomodò autem verum ſit, quod dicẽs ei, Aue, communicat operibus eius malignis: reſpondeo: Qui illi ſalutationem benignam offert, quodammodo operibus eius conſentit, qui per abſtractionem forſitan reſipiſcere potuiſſet.

Polycarpi dictum ad Marcionẽ hæreticũ.

Actor. 13.

Clemens. Alexand.

Quomodò dicens hæretico, Aue, communicet operibus eius malignis, teſte Clemente.

B. Cyprian.

Ad octauum in illud: *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartã, & atramẽtum (ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, vt gaudium veſtrum plenum ſit.* Nouerat Apoſtolus viua voce certius, ac ſecuris exprimi animi noſtri ſenſa, nõ enim omnia bene literis committuntur. Modus igitur ſcribendi erat olim, διὰ χάρτου καὶ μέλανος, in ſecunda verò ad Gaium, διὰ καλάμου καὶ μέλανος, ſicut etiam vſus aliquando fuit ſcribẽdi in chartis ceratis, vt poſſet deleri, & de integro in illis ſcribi.

Soluitur poſtrema dub. De cauſa cur Ioannes plura ſcribere noluit per chartam, & atramentum.

Hic autem Apoſtoli exemplum nobis eſt obſeruandum, ne omnia literis committamus propter alienos, ad quorum manus poſſunt literæ peruenire. Expedit ergo in literis manu noſtra ſcriptis illud præmeditari, tales eſſe debere, vt ſi incidant in manus inimicorum, ſine illorum irritatione legi poſſint: maximè vbi particulare aliquid de quopiam refertur: quemadmodùm in tertia ſequenti epiſtola de Diotrephe primatum ambiente faciet Apoſtolus. Præclarũ ſanè clementiæ Iulij Cæſaris extat exemplum: in cuius manus cùm veniſſent epiſtolæ, & ſcrinium Pompeij Magni, in quo literas omnium amicorum habebat, publicè coram omnibus combuſſit, quò ſe oſtenderet eas legere noluiſſe. Extat etiã aliud Pompeij ſpecimen magnanimitatis clementiæq; minimè vulgare: nam in Africa literas ad Sertorium, quem debellauit, miſſas, eãdem ratione & conſilio publicè concremauit.

Vtile documentũ Apoſtoli.

Iulij Cæſaris iuxta ac magni Pompeij Clementiæ & magnanimitatis notabile documentum.

Poſtremò ſubiungit: *Salutant te filij ſororis tuæ Electa.* Hinc etiam elucet, vanum eſſe quod quidam dicũt, Ioannem ſcripſiſſe ad Eliam ſub hoc nomine Electam, & ad filios ipſius Eccleſiæ, ſororem alterius Electæ exiſtentis Babyloniæ, aut in alia ciuitate non nimis remota qua poſſet ad eam facilè peruenire. Conſtat etiam, has duas ſorores vocatas fuiſſe Electas: & nomen hoc Electæ, potius eſſe gentilitiũ illius familiæ, quàm proprium: & hanc non minus habuiſſe filios, quàm priorem; & tales, qui digni eſſent Apoſtoli tanti epiſtola materteræ ſalutari.

Error quorundã refellitur.

Et coronidem epiſtolæ imponens, ait, *Gratia tecum.* Vt habetur in quibuſdam Codicibus Latinis, & Gloſſa Ordinaria; ſicut tertia epiſtola ad Gaiũ, habet quoque ſuam ſalutationem, *Pax tecum* ¶ *Gratia, tecum. Amen,* quæ ſalutatio eadem eſt cum illa Pauli Apoſtoli ad Galatas: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro, fratres, Amen.* Sit etiam illa nobiſcum & interpretantibus, & legentibus, vt fructus ex his epiſtolis proferamus.

DISPVTATIO VNICA IN TERTIAM IOANNIS EPISTOLAM AD GAIVM.

Senior Gaio Chariſsimo, quem ego diligo in veritate. Chariſsime de omnibus orationem facio, proſperè te ingredia & valere, ſicut proſpere agit anima tua Gauiſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ. Maiorem horum non habeo gratiam quàm vt audiam filios meos in veritate ambulare, &c. vſque in finem.

I dubium. EXIGVA etiam eſt hæc epiſtola, & paucas lineas habet. Sed aliquid poſſet dubitari: Primum, an verè ſit Canonica, & autor eius ſit Ioannes. Deinde quis eſt iſte Gaius, quem chariſſimum quater vocat. Tertiò, quare Apoſtolus celebret hunc fidelem, quòd fidelibus, & prædicatoribus euntibus ad Euangelizandum eleemoſynam ſuppeditaret. Quartò quid eſt quod Diotrephis huius ambitionem detegit, Demetrij verò modeſtiam commendat.

Secundum & tertium.

Quartum.

I dub ſolut. An hæc epiſtola ſit Canonica. Circa primum de hac epiſtolâ in præcedenti ſatis diſſeruimus, & illam tum Canonicam comprobauimus. Illud tantum addi poteſt, quod Suidas de Ioanne Chryſoſtomo teſtatur. Admittit, inquit, tres epiſtolas Ioannis S. Chryſoſtomus, & Apocalypſim. Gregorius quoque Nazianzenus in Carmine heroico de Catalogo epiſtolarum Canonicarum ita ſcriptum reliquit.

Suidas. Chryſoſt. Greg. Nazianzen.

Deinde bis ſeptem Pauli numerato libellos,
Catholicas ſeptem, quas inter prima Iacobi,
Et geminæ Petri ſubeunt, tres deinde Ioannis:
Septima poſt iſtas ſuccedit epiſtola Iudæ.
Legitima haud fuerit, ſi qua extra hæc ſcripta feratur:

In quibus verbis videtur excludere Apocalypſim, quam tamen recipit Chryſoſtomus.

II dub ſolut. De Gaio, quis ille fuerit. Ad ſecundùm, Gaius iſte Pauli hoſpes erat, qui eum domi ſuæ in Corintho excipiebat: qua de re ſcribit Roma. 16. Paulus: *Salutat vos Gaius hoſpes meus, & vniuerſa Eccleſia:* erat enim diues, ac domum ſuam hoſpitalitati conſecrauerat. Hoſpes Latinè dicitur, & qui excipit, & qui excipitur, ſimiliter & in vulgari, & materna lingua. Erat ergo hic Gaius hoſpes vniuerſæ Eccleſiæ, qui omnes ad ſe venientes, & prædicatores verbi Dei, & auditores benignè excipiebat, vt inferius in hac epiſtola Ioannes explicat. Prætereà baptizatus fuerat à Paulo, vt ipſe teſtatur: *Neminem,* inquit, *veſtrum baptizaui, niſi Criſpum, & Gaium*: Fuit etiam admodum familiaris B. Ioanni Euangeliſtæ, qui diu in Eccleſia Epheſina verſatus eſt, & vbi ab exilio ex Patmos inſula Epheſum rediјt, Ioannes eum ſibi comitem adiunxit, Euangelium ſuum, quod in Patmos conſcripſerat, ei tradidit legendum, & diligentius recognoſcendum, vt teſtis eſt Simeon Metaphraſtes in vita Ioannis Euangeliſtæ. *Rom. vlt.* *1. Cor. 1.* *Simeon Metaphraſtes.*

Et profectò, ſi rectè expendas magna laus eſt Gaij, chariſſimum fuiſſe Ioanni, & filium à baptiſmo Pauli, & hoſpitem fuiſſe eiuſdem, & vniuerſæ Eccleſiæ. Fuit autem diſtinctio à Gaio Derbeo, qui comitatus fuit Paulum euntem Ieroſolymam cum alijs quibuſdam. Diſtinctus etiam à Gaio illo, ad quem nonnullæ extant Dionyſij Areopagitæ, quia hic monachus erat. Gaij prærogatiuæ. *Act. 20.*

Ad hunc ergo virum ſingularem, primarium, & hoſpitalitatis amantem, hanc breuem miſit Ioannes epiſtolam. Cuius argumentum eſt, Gaio Corinthio congratulari, quòd ſe tam beneficum in Chriſti pauperes oſtenderet, & in eius præcones, quos euntes ad prædicandum viatico proſequeretur: & quòd tam conſtantem Chriſtianæ veritatis defenſorem ſeſe exhiberet. Arguit in Diotrephe ambitioſos præfecturas affectantes, in Demetrio vero modeſto, & ſanctæ vitæ ſectatore, bonos omnes, ac pios viros, qui ſe intra pelliculam continent, & à Deo duntaxat, tanquam Aaron, legitimè vocari ad Epiſcopatum expectant. Ita vt mirari non debeamus, ſi noſtro hoc ſeculo plerunque indocti

Argum. huius epiſtolæ.

Diotrephes & Demetrij, ſtudia diuerſa, moreſque repugnantes. *Heb. 5.*

piens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.

Etſi verò hoc eſſet munus proprium Epiſcopi: tamen quia Epiſcopi non omnia præſtare poſſunt, eo quòd propriarum diœceſeon limitibus concludantur; idcircò ad Apoſtolicam Eccleſiam, & Epiſcopi Romani prouidentiã ſpectauit, viros bonos, & religioſos huc & illuc deſtinare, quos huic muneri ſubeundo ad tempus præficeret, donec de perpetuis paſtoribus illis locis proſpiceretur. Hi ergo diſcurrebant, non vt diteſcerent, aut res ſuas auctiores facerent, ſed vt gloria & cognitio Ieſu Chriſti magis inclareſceret. Et vtinam multos hodie haberemus Caios, qui libenter ſtudia pietatis colerent, vt ſic multos Catholicos, & fideles concionatores haberemus, qui Eccleſiam, & numero, & merito amplificarent.

Fructus hoſpitalitatis in Caio.

Ac ſubdit: *Quos benefacies deducens dignè Deo.* Hoc eſt, plurimum laudis conſequeris, ſi poſt eos hoſpitio ſuſceptos, viatico quoque munieris, nam ita fiet, vt in illis tu quoque verbum Dei prædices, Sacramenta adminiſtres, & fructum animarum ex illorum laboribus colligas. Ad quod facit, quod Apoſtolus Paulus ſcripſit Tito: Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicitæ præmitte, vt nihil illis deſit: quod nimirum cùm præſtiteris, operas tuas in tuto repones. Quandiu enim vni de his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis. Bene ergo, inquit, facies, quaſi legatos Chriſti comitans, & antecedens.

Tit. 3.

Pro nomine enim eius profecti ſunt, nihil accipientes à Gentibus. Non explicat pro cuius nomine miſſi ſint: ſed intelligi debet, Chriſti, ſiue Dei, quia dixerat: Deducens eos dignè Deo. Quod verò ait: *Nihil accipientes à Gentibus:* ſignificat, Nihil accipientes a Gentibus, quibus annunciabât, ne verbum Chriſti cauponari viderentur (ſicut Paulus Corinthi, & in Achaia nihil ſolitus erat accipere:) vt plus perſuaderent, & promptius Euangelium amplecterentur, nolentes pro eius adminiſtratione vllum ſtipendium ſuſcipere quod tamen ſibi omni iure debitum erat, & naturali, & diuino, & humano. Imò quo magis eos ædificaret, manibus ſuis Paulus laborabat, vt ipſe teſtatur, & ſuis laboribus ſibi neceſſaria ſubminiſtrabat.

Cur Apoſtoli, eorumq; diſcipuli nihil ex Euangelii prædicatione acciperent. *1. Cor. 2.*

Sequitur: *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ: ſed quia amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi venero, commoneam eius opera quæ facit.* Ignoratur quæ fuerit illa Eccleſia, & an Apoſtolus talem epiſtolam ediderit; ſi tamen ſcripſit, deſideratur. Erat autem in Apoſtolis autoritas, & poteſtas, vt diuina reſiſtentes plecterent animaduerſione, vt conſtat in Anania, & Sapphira, & in Elima Mago Iudæo pſeudopropheta, & in Corinthio inceſtuoſo, & in Hymenæo, & in Alexandro, quos Paulus tradidit Satanæ, & incuteret contremiſcendum quendam metũ in iaciendis Eccleſiæ fundamentis neceſſarium, ne vel tam facilè fidem defererent noſtram, vel vt hoſtes fidei ab exercenda tanta rabie deterrerentur.

Apoſtolorum poteſtas in eos qui aduerſarentur prædicationi Euãgelicæ. *Actor. 5.* *Infra. 3.* *1. Cor. 5.* *1. Tim. 1.*

Adiungit Apoſtolus: *Verbis malignis garriens in nos.* Garrire, propiè eſt auicularum ſine ſenſu cantillantium. Maleuolentiam ergo Diotrephis vocat Garritũ, rem inualidam, & omni ratione carentem. Nam tales ſunt, qui detrahunt Euangelio, nihil præter ſtrepitum quendam verborum adferentes. Diotrephes autem pro ſuperbo, & iactabundo ponitur: & ſignificat alumnum Iouis, ſiue à Ioue enutritum. Eſtq; apud Homerum hoc nomen epithetum Regum: ait enim in primo Iliados:

Qualis erat Diotrephis garritus in Apoſtolũ Ioannem.

Diotrephes quid ſonet.

Ἐχθιστος δὲ μοί ἐσσι διοτρεφέων βασιλήων. — *Homer.*

In quo repræſentantur illi qui nulla doctrina, aut vitæ ſanctitate fulti, Eccleſias Chriſti propter carnis nobilitatem, & natalium ſplendorem ſibi competere putant, imò & contendunt: id quod in certis Eccleſiæ prouinciis conſtantiſſimè obſeruatur. Mirum autem eſt, hos homines tanti facere nobilitatem carnis cùm Chriſtus pauperes, & humiles piſcatores ad ſummas Eccleſiæ præfecturas elegerit, & Paulus in Catalogo conditionum quas requirit in Epiſcopo, nobilitatis carnis nuſquam mentionem fecerit, quòd parum illa ad rem faciat, ſi abſint virtus, religio, & doctrina. Si verò hæc adſint, vehementer ornat Eccleſiam Dei, illamq; ædificat.

Quos notet Diotrephes.

1. Tim. 3. *Tit. 1.*

Scripſiſſem, ait, forſitan Eccleſiæ toti epiſtolam cõmunem: ſed ille velut tyrannus ambitioſè dominari quærẽs non agnoſcit autoritatẽ noſtram: & ſi ſcripſiſſem, noluiſſet forſitan vel epiſtolam Eccleſiæ legendam offerre. Accuſat etiam hunc Diotrephen, quòd nec ipſe ſuſciperet fratres à Gentilibus ſuis, ſiue contribulibus diſpoliatos, & expulſos, ſed etiam recipientes prohiberet, ita vt eos auderet è cœtu, & communione eijcere; quod grauiſſimæ eſt impietatis indicium.

Diotrephis ſuperbia, & impietas in Chriſti fideles.

Addit: *Chariſſime, noli imitari malum, ſed*

quod bonum eſt. Senſus eſt: Chariſſime, ne te huius peruerſi hominis exemplũ commoueat, nec illud imiteris, ſed quod ſanctæ charitati conſonum eſt. *Qui autẽ malè facit, non videt Deum*, id eſt: qui bene facit, bona opera facit, & Dei filius eſt: qui autem male facit, id eſt, mala opera, & charitati cõtraria, ſicut iſte inflatus Diotrephes, non videt, ait, Deum. Cum per Antitheſim dicturus eſſet; Qui malefacit, non eſt ex Deo, eius loco dixit, Non videt Deum. Qui enim ex Deo eſt, Deum videt, & nemo videt, niſi qui ex Deo eſt. Qui ergo male facit, cùm ex Deo non ſit, Deum minimè videt, quæ veriſſima eſt Ioannis Theologia, quam mundus non nouit. Omnis enim qui malè facit, caret dilectione, per quam dicimur eſſe ex Deo, & conſortes diuinæ naturæ.

1. Ioan 3. *2. Pet. 1.*

Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus. Eximium quid eſt, habere teſtimonium ab omnibus, quod conſueto more intelligendum venit, hoc eſt, à pluribus bonis viris, & conſequenter à veritate. Et tales eſſe deberent, qui eliguntur in Eccleſiarum Antiſtites iuxta doctrinam Apoſtoli, ad purgandum, & illuminandũ alios, & perficiendum, & prius ſint puri, & illuminati & perfecti in ſe ipſis quorum exiſtimatio præbeat ſanctum odorem, & pondus autoritatis verbo Dei per ipſos prædicato.

Demetrii teſtimonium virtutis inſigne. *1. Tim. 3.*

Sed & nos, inquit, *teſtimonium perhibemus, & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.* Sunt hæc verba Dilecto familiaria, dixit enim in fine ſui Euangelii: *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus quia verũ eſt teſtimonium eius.* Vnde vel hæc ſola verba indicare poterant, hanc eſſe Epiſtolam Ioannis. Non declarat autem quæ eſſet hæc Eccleſia, in qua Diotrephes, & Demetrius agebant.

Phraſis Ioanni familiaris.

Tandem ſalutat, ac dicit ille vale, cùm ait: *Pax tibi.* Sicut in ſuperiori Epiſtola dixit. *Gratia tecum*, & ſicut illa gratia ſine pace cũ Deo non erat, ita & hic: Pax tibi, nempe cum Deo, ſine gratia eſſe non poteſt. ¶ *Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.* Mittit ſalutes ab amicis, qui erant penes Ioannem. Viciſſim mittit ſalutem Ioannes ad amicos omnes qui erant penes Caium, quos vult non tantùm in genere, ſed quemque ſuo nomine, ſiue nominatim ſalutari; quod magnæ eſt, & ardentis charitatis indicium, quæ in dilecti Diſcipuli pectore, & verbis reſidebat.

Ioannis charitas in omnes intenſa.

DISPVTATIO VNICA IN CATHOLICAM EPISTOLAM IVDÆ APOSTOLI.

In qua primò diſſeritur quis ſit iſte Iudas Apoſtolus. Deinde an ſit Canonica, ſiue Catholica; & quæ ſint argumenta quæ contra illam objiciuntur: & quare vltimum locum tenet inter Canonicas. Poſtremò declarandum eſt eius argumentum: & tandem per partes ſuas & dubitationes explicanda.

Quis ſit iſte Iudas Apoſtolus.

CIRCA Primum, illud occurrit obſeruandum, inter Apoſtolos multos extitiſſe binomines. Fuerunt enim in primis Simon Petrus, & Simon Cananæus: Iacobus Zebedæi, & frater Ioannis, & Iacobus Alphæi eodem nomine præditi. Ita & duos extitiſſe Iudas compertum eſt, alterum filium Simonis Iſcariotæ, alterum verò fratrem Iacobi, vt hoc loco dicitur. Hic autem apud Matthæũ Thaddæus vocatur, & Lebbæus, & Iudas Iacobi apud Lucam cap. 7. Act. 1. non quòd fuerit filius Iacobi, ſed quòd fuerit frater eius, vt hoc loco explicatur. Pater autem eius, Alphæus vocatus eſt; & mater Maria Iacobi parui, ſiue minoris. quæ apud Ioannem dicitur Maria Cleophe, & ſoror Virginis Mariæ, à patre ſuo. Fratres autem habuit tres, Iacobum ſcilicet iam dictum, & Simonem, & Ioſeph cognomento Iuſtum, de quo Actorum primo. Non tantùm enim Iacobus cognomentum Iuſti habuit, ſed etiam ille Ioſeph frater eius iuſtus cognominatus eſt, ob inſignem vitæ eius ſanctitatem & innocentiam. Præterea nomen Iudæ, & nomen Thaddæi, ſignificatione vnum, & idem ſunt, ſignificant enim confeſſorem Dei, ſiue laudatorem. Iſti autem quatuor, Iacobus, Iudas, Simon, & Ioſeph, fratres Chriſti dicuntur Matthæi decimo tertio. Hic ergo Iudas frater illorum primis, apertè ſe denominat fratrem Iacobi, ſiue

Ioan. 19.

Iudas Apoſtolus cur ſe denominet fratrem Iacobi.

ſiue ad diſtinguendum ſeipſum à Iuda Iſcariote, quod ſic ab aliis diſtingueretur; ſiue quod conſuetum ſit in Euãgelio Apoſtolos, qui in Apoſtolatu fratres habebãt, fratres denominare: dicimus enim Petrũ, primum eſſe apoſtolum, & Andream fratrem eius: dicitur Iacobus Apoſtolus, & Ioannes frater eius: ita etiam dici poteſt Iacobus Apoſtolus, & Iudas frater eius. Et ſic primum dubium euacuauimus.

Hæc epiſtola an ſit canonica. *Hier. in vita Iudæ to. 1.*

Ad ſecundum veniamus: Scripſit Hieronymus lib. de ſcriptorib. Eccleſ. Iudas, inquit, frater Iacobi, paruam quidem, quę de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit. Et quia de libro Henoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, à plerisq; reijcitur: tamen autoritatem vetuſtate iam, & vſu meruit, & inter ſanctas Scripturas computatur. Hæc Hieronymus. Ex quibus non aliud verè elicitur, quam quod ſit Iudæ Apoſtoli epiſtola, & canonica, quæ vſu, & vetuſtate meruit inter ſanctas Scripturas computari, & ſacroſanctam autoritatem habere.

Ex eo verò, quod quidam illi detrahũt, nihil autoritatis amiſit, cum Spiritus Eccleſiæ præualuerit contra mendaciũ. Nam qui olim ei detrahebant, ſimiles ſunt iſtis, qui hodie ei contradicunt: De illis autem, & de iſtis ipſa triumphum agit. Quæ & cõfirmata eſt autoritate Concilij Tridentini, & citatur ab antiquiſſimo Tertulliano lib. de habitu virginum, & à Dionyſio Areopag. lib. de diui. nominib. cap. 4. his verbis: *Quonã modo dæmones à Deo facti mali ſunt? bonum enim bona producit, & ſtatuit. Ac mali dicuntur, dixerit quiſpiam, ſed non ſecundum quod ſunt, quod iuxta ſacra eloquia infirmati ſunt ad ſeruandum ſuum principatum. In quo enim obſecro, malos fieri dæmones dicimus, niſi in vacatione diuinorum bonorum habitus atque operationis?* Hæc ille. Producit eam Gregorius Nazianz. in carmine heroico ſæpius citato, & eam vocat vltimam inter Canonicas, ſicut etiã Didymus, qui eã interpretatur. Citat etiã ex ea Ephiphanius, in hęreſi gnoſtico. bis, & Iudã vocat fratrẽ domini: Patet ergo quis autor ſit huius epiſtolæ, & qua ratione ſit canonica.

Conc. Trid. ſeſſ. 4. *Tertull.* *Dionyſ. Areo. circa med. huius cap.* Dæmones vnde mali ſecundum Dionyſiũ. *Gregor. Nazian.* *Ephiphan.*

Sed iam rationes in oppoſitum expendamus. Primum igitur obijcitur, quod ex libro apocrypho Henoch teſtimonium producat eius autor. Reſpondemus, apocryphum librum non omnia quę cõtinet, falſa habere, ſed interdum quædam in eo inueniri ſuſpectæ, & occultæ veritatis: apocryphum enim, occultum vel obſcurũ dicitur, cuius veritas nondũ in lucem prodijt. Et vocabãt illa, veteres patres, obſcura & nondum compertæ veritatis volumina, quod tot perſecutionibus propter fidem agitati, qui veri, & qui falſi eſſent libri, nondum vacaret inſpicere.

Hanc epiſtolam eſſe canonicam negantium, argumenta diluuntur. Apocryphũ quid dicatur.

Neq; falſus propterea eſt liber aliquis, quod omnia in eo contenta falſa ſint, ſed quod quædam, aut præcipua operis capita apertè falſa ſint. Ideo initio naſcentis Eccleſiæ multi libri habebantur apocryphi; qui poſtea, re examinata, nec appellationẽ apocryphorum merentur, cum planè ſint falſi: vt Euãgelia ſub nominibus Apoſtolorum Petri, Thomæ, & Matthiæ, & ſimilium: quemadmodum docet Euſeb. lib. 3. c. 44. & tales libros non eſſe apocryphos, ſed apertè falſiſſimos conſtat. Ita etiã quidam libri per cõtrarium, quorum eo tempore veritas, & autoritas nondum erat cõperta, poſtea autẽ omni ſuſpicione vacarunt; vt Epiſtola Iacobi, ſecunda Petri, ac duæ poſteriores Ioannis, & hæc vltima, & Apocalypſis; de quibus magis dubitatum fuit, quis nam eorũ librorum eſſet autor & tamẽ pro canonicis habiti & agniti ſũt.

Falſus vnde liber aliquis cenſeatur. *Euſeb. to. 1.*

Licet ergo Apoſtolus Iudas duo illa ex apocryphis libris citauerit teſtimonia, nõ ſequitur tamen quæ citata ſunt, eſſe apocrypha, vel falſa, quia multa in falſis hiſtorijs continentur quæ ſunt veriſſima, quęque ſancti autores quaſi margaritas ex luto collegerunt, & auro inſeruerunt. Eſſet igitur Ieremię prophetia apocrypha, quia in ea citatur liber Conſtitutionum Ionadab filij Rechab: Epiſtola quoq; Pauli ad Titum, in qua producitur apocryphus liber Epimenidis; in libr. quoq; Actorum citatur Aratus poeta, & ibidem Ara illa Athenienſiũ Ignoti Dei memoratur 1. item Cor. 15. ex Menãdro profertur illa ſentẽtia;

Cur Apoſtolus Iudas quædam apocrypha inſeruerit ſuæ epiſt. *4. Reg. 18. Ierem. 35. Tit. 4. Act. 17.*

Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Quæ verò citat Iudas ex apocryphis: cum alterum ſit articulus de aduentu Chriſti ad iudicium, alterum verò ſanctæ Scripturæ conforme: non facile apocryphũ probabitur: nam prior ſentẽtia de aduẽtu ad iudicium, habetur Malach. vlt. poſterior verò de certamine Michaelis cũ diabolo ſuper corpore Moyſis, ſatis conſtat ex eo ꝙ Ioannes in Apocalypſi tradit, Michaelem præliari cum dracone ex quibus elicimus ſolitum cum dracone pugnare Michaelẽ: & ex eo quòd Daniel eundem Michaelem eſſe refert protectorẽ populi Dei, ſiue ſynagogæ. Conſtat etiam, cadauer Moſis occultè Dominum ſepeliſſe, ne à populo ad idololatriã prono adoraretur: ſicut & ſerpens æneus per Ezechiam Regem eſt contritus, ob vitãdam idololatriã. Quid mirum ergo, ſi Michael pugnauerit cũ Dracone,

Duo articuli de Chriſto minime apocryph. *Apoc. 12.* *Dan. 10. Deut. vlt.* *4. Reg. 18.*

cone, pro corpore Moſis non detegendo? Adhæc Iudas non allegat libros de Chriſti aduentu, vel de diaboli cum Michael pugna, ſed ſolam profanã de corpore Moyſi atq; nudam hiſtoriam, quæ ſola traditione ſine libris Moſi cognoſci poterat.

*Ioſeph lib.*1.

Certè Ioſephus duas columnas ante diluuiũ, lateritiam ſcilicet, & marmoream, poſuiſſe Adamum refert, in quibus, poſterioribus ſeculis res conſignarat: quid mirum igitur, ſi hæc prophetia Henoch in illis columnis cõtineretur? Deinde liber de Henoch, & de Angelica concertatione cum dæmone; à Gelaſio Põtifice inter apocrypha computatur. Quod ſi quis cõtendat, hos libros hodie extare, vel olim fuiſſe: quis nouit ſi tunc integri fuerunt, poſtea verò ab hæreticis ſint deprauati, ac per hoc apocryphi habiti, vt accidit multis libris, quos Gelaſius recenſet.

Beda to. 5. *prope finem.*

Vnde Beda in hanc Epiſtolã ſcribens, ait: *Sciendum quia liber Henoch de quo illã aſſumpſit (ſententiam quam producit) inter apocryphas ſcripturas ab Eccleſia deputatur, non quia dicta tanti patriarchæ abijci vllatenus poßint, aut falſa debeant æſtimari, ſed quia liber ille, qui ſub nomine eius offertur, non verè ab illo ſcriptus, ſed ſub titulo nominis eius ab alio quodã editus videtur. Si enim verè eius eſſet, nõ eſſet fidei ſanæ contrarius. Nunc autẽ quia multa incredibilia continet, in quibus illud eſt de gigantibus, quod non habuerint homines patres, ſed Angelos, meritò doctis claret nõ eſſe viri veracis ſcripta, quia mendacio ſordent. Vnde & hæc eadem Iudæ Epiſtola, quia de apocrypho libro teſtimonium habet, primis temporibus à plerisq; reijciebatur. Tamen autoritate iam, & vetuſtate, & vſu meruit, vt inter ſanctas Scripturas cõputetur: maximè quia tale teſtimonium de apocrypho Iudas aſſumpſit: quod nõ apocryphum, ac dubium, ſed veræ lucis lucida eſſet veritate cõſpicuum.* Hactenus Beda. Sed mirũ eſt, quod tẽpore Iudæ fuerit liber Henoch, & illũ Gelaſius non viderit, & nõ reiecerit inter apocryphos.

Hiero. to. 9.

Vnde Hieronymus in Epiſtolam ad Titum, explicans illud dictum Epimenidis:

Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ,
ventres pigri:

Cretenſes cur mendaces, ſecundum Hieronymum.

Putant, inquit, *quidam, Apoſtolum reprehendendum, quod imprudenter lapſus ſit, & dum falſos doctores arguit, illũ verſiculũ comprobarit quod propterea Cretenſes dicunt eſſe fallaces, quod Iouis ſepulchrum inane cõſtruxerint. Si enim, inquiũt, Epimenides ſiue Callimachus, propterea Cretenſes fallaces, & malas beſtias arguunt, & ventres pigros, quod diuina non ſentiũt, & Iouem qui regnet in cælo, in ſua inſula fingũt ſepultum, & hoc quod illi dixerunt, eſſe verum Apoſtoli ſententia cõprobatur: ſequitur, Iouem non mortuum eſſe, ſed viuum. Imperitè igitur Paulus idololatriæ deſtructor, dum aduerſus peruerſos doctores agit, Deos quos impugnabat, aſſeruit. Quibus breuiter reſpondendum eſt, ſicut in eo quod ait: Corrumpũt mores bonos colloquia praua: & in illo, Ipſius enim & genus ſumus: nõ ſtatim totã Menandri comœdiam, & Arati librũ probauit, ſed opportunitate verſiculi abuſus eſt: ita & in præſenti loco non totum opus Callimachi, ſiue Epimenidis: quorum alter laudes Iouis canit, alter de oraculis ſcriptitat, per vnum verſiculum confirmauit: ſed Cretenſes tantum mẽdaces vitio gentis increpauit: non ob illã opinionem qua ſunt arguti à Poetis ſed ob ingenitam mentiendi facilitatem, de proprio eos gẽtis autore confutans. Qui autem putant, totum librum debere ſequi eum, qui libri parte vſus ſit: videntur mihi & apocryphum Enochi, de quo Apoſtolus Iudas in epiſtola ſua teſtimonium poſuit, inter Eccleſiæ Scripturas recipere.* Hæc ille, & doctè, & eleganter.

1. *Cor* 15. *Act.* 17.

Cyprian.

Citat & hunc locũ Cyprianus Epiſtola ad Nouatianum, tãquam Canonicum, & Catholicũ: de quo etſi Eraſmus in prima Cypriani editione dixerit, hanc Epiſtolam magis eſſe Cornelij, quã Cypriani, poſtea tamen in margine adſcribi iuſſit (iuxta facũdus ac doctus, planeq; Cypriano dignus) ſed codex Carthuſianus Coloniæ, eum Cypriano vindicauit, præſertim cum ibi plures libros de lapſis ſcripſiſſe ſe aſſerat Epiſt. 50. prima ad Confeſſores ex ſchiſmate conuerſos, iam non eſſe Cornelij, conuincũt illa verba, huius libri: *Et ſacramentum Baptiſmatis quod in ſalutẽ generis humani prouiſum, & ſoli Eccleſiæ cæleſti ratione celebrare per os ſuum præoſtendit.* Quod ad errorẽ Cypriani ſpectat, contra quẽ ſcripſit Cornelius Neq; Hieronymus Epiſtolam recenſet Cornelij, ad Nouatianum, ſed ad Fabianũ, de Nouatiano, cuius etiã meminit Euſeb. libr. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 33.

Lapſus Eraſmi.

Euſeb.

Secũdum argumentum ex Caietano.

Gal. 2.

Secundo argumentantur, contra hanc epiſtolam: nimirum quod ſe ſeruum Ieſu Chriſti non Apoſtolum nominauerit ita enim obijcit Caietanus. Sed hoc fecit Iudas, deferens B. Petro, qui potiſſimus fuit Circumciſionis Apoſtolus. Verè tamen ſe ſeruũ Ieſu Chriſti vocauit, quod erat Chriſtianæ profeſſionis, quemadmodũ & Paulus in prioribus Epiſtolis ſe vocat ſeruum Domini. Nam ita ſe inſinuabant, quod vt Apoſtolus ad Hebræos in diſperſione poſitos ſcripſit, quaſi ad eos, quibus primò annunciandum erat Chriſti Euangelium, ſi qui fortè inuenirentur ſupplantatores animoſitatis ſuæ, volẽtes ſtatuere iuſtitiã ſuam quæ ex lege eſt, cum ea quæ ex fide eſt. Ita Iudas nouiſſimè ſcribit ad illos, qui

Rom. 10.

ſeruati

ſeruati ſunt in prouidentia Dei Patris, vt ſint cœleſtis vocationis participes, quod potiſſimum erit in nouiſſimis temporibus.

III. Arg.

Tertiò argumentantur quidam; Cur non ſcripſit Perſico ſermone, ſi in Perſia mortuus eſt? Reſpondeo: quia non tantum Perſis, ſed omnibus Chriſtum profitentibus ſcripſit, etſi pręſertim Iudæis. Etſi verò in Perſia, & Meſopotamia prædicauerit; primò tamen Iudæam, Galilæam, Idumæam, Arabiam, & Syriam percurrit, teſte Nicephoro l. 2. c. 40. & 44. & in Aſiatico Imperio nulla communior erat lingua, quam Græca. Potuit etiã, antequam in Perſiam veniret, illam Epiſtolam dictaſſe: imò etiamſi ex Perſia ſcripſiſſet, ob id debuerat Perſica lingua ſcribere, ſicut nec Paulus Romæ agens ſcribebat Romana lingua, ſed Græca.

Niceph. Calliſ.

Prophetis & Apoſtolis vſitatũ ac frequẽs. *2. Petr. 3.*

Quod autem ſumpſerit ex poſteriori Epiſtola Petri aliquot verba, hæc nimirũ: *In nouiſſimis temporibus illuſores, ſecũdum deſideria ſua ambulãtes in impietatibus:* mirum eſſe non debet: quia ſolent & Prophetæ poſteriores à prioribus aliqua verba ſumere, quemadmodum Michæas ca. 4. verbis Eſaiæ vtitur c. 2. *Et in nouiſſimo dierum*, inquit, *erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles, & fluent ad eum populi*, & quæ ſequuntur. Põtifices etiã Romani in Epiſtolis decretalibus ſolent vnus ab altero accipere, vt oſtendant ſe vno, & eodẽ Spiritu actos docuiſſe. Etſi idcirco falſitatis arguerentur, liceret omnes Scripturas ſacras repudiare. Quod ergo dicit Petrus: *In nouiſſimis tẽporibus venient illuſores ſecundũ deſideria ſua ambulantes*: cõmune, ac frequens erat in omnibus Apoſtolorum libris. Vt apud Paulum 1. Tim. 4. *Spiritus manifeſte dicit quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, &c.* & Petrus, & Iudas: *Scito quod in nouiſſimis diebus.* & reliqua. Quanquam ſi ſpectemus quo tẽpore, & quo loco Iudas mortem obierit, & quo etiam loco, ac tempore Petrus, fortaſſis non accepit Iudas à Petro, ſed vel à Iuda Petrus, vel neuter ab altero, ſed à Deo vterq; qui per omnes Apoſtolos vnum & idem prædicabat.

Michææ 4. Eſai. 2.

1. Tim. 4.

Similiter etiam quod Iudas hic ait: *Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborũ, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti*: hoc ideo fecit, vt hortaretur omnes Chriſtianos, ad quos hęc Epiſtola dirigitur; & quia erãt Apoſtolorum prædicatione ad fidem cõuerſi. Non negat autem ſe fuiſſe Apoſtolum, ſicut & Petrus in c. 3. poſterioris Epiſtolæ dixit: In quibus (ſcilicet Epiſtolis) veſtram excito in commonitione ſynceram mentem, vt memores ſitis eorũ quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini, & Saluatoris.

Cur Iudas non ſe Apoſtolum nominauerit in ſua Epiſtola, aliorũ Apoſtolorũ exemplo. *2. Cor. 12.*

Dices; Cur ergo Iudas nõ ſe coapoſtolum appellauerit? Reſpondeo: quia Iudas Thaddęus nõ laborabat ſuſpicione, quod Apoſtolica dignitate deſtitutus eſſet, ſicut laborauit Paulus, qui ob eam cauſam ſe ſępe Apoſtolum vocauit, imò etiam cum alijs magnis Apoſtolis, & eorũ rebus geſtis ſe, & ſua facta comparabat. At Petrus, Apoſtolorũ princeps, quem talẽ oportebat ab omnibus Apoſtolis cognoſci meritò ſe Apoſtolum in Epiſtolis vocabat.

Hæc epiſtola cur ſit omnium poſtrema.

Vltimum autem locum Epiſtolarum Catholicarum hæc Epiſtola obtinet: quia ſicut prima extitit Iacobi ſcribentis ad diſperſos de duodecim tribubus, ita etiã hic vltimus ad eoſdẽ ſcripſit: medius autem fuit Petrus inter hos duos, quia ad diſperſos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithiniæ ſcribebat, hæ enim omnes Epiſtolę ad cõuerſos ex circũciſione ad Chriſtum erudiendos, & perficiẽdos ſpectant.

Argumentum huius Epiſtolæ.

Porrò iam accipe argumentũ huius Epiſtolę, ſcribit enim ad Iudęos Epiſtolam, in qua obſecrat eos pro ſemel ſuſcepta fide viriliter decertare, & per patentiã in ea ad mortem vſq; perſeuerare. Deinde cõtra ſeductores, & impoſtores, qui ſubintroire cœperant in populum Dei, ſermonem conuertit, & acerrimè cõtra eos agit. Et primò quidem terroris exempla proponit, pœnã ſcilicet increduli, & murmuratoris populi Iſraelitici in deſerto exterminati, deinde terrificũ Angelorum ſupplicium qui demum ſuas ſedes, & peccatũ per ſuperbiam dereliquerunt, inq; æterna vincula coniectorum: contremiſcendum quoq; Sodomitarum per ignem punitorum exemplũ. Deinde ſuis lineis, & viuis coloribus hæreticos depingit, quo eos & agnoſcant, & magis caueant, aſſeritq; illos eſſe carnis maculatores, & dominationis, tam diuinę, quam humanæ maieſtatis cõtemptores. Poſtremo admonet fideles, quomodo ſe gerere debeant, & in finem vſq; conſeruare; vt ita ſeruata fide, quam Chriſto dederant, ipſi mereantur à Deo protegi, & conſeruari.

Geneſ. 19.

Mores hęreticorũ.

Saluatio apoſtolica.

Eſt autẽ prima pars Epiſtolæ, ſalutatio: *Iudas Ieſu Chriſti frater autem Iacobi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Ieſu cõſeruatis, & vocatis: Miſericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur*: Hoc eſt: Iudas, ſeruus Ieſu Chriſti ſcribit, ſalutemq; mittit chariſſimis Chriſtianis, qui delecti ſunt à Deo

Proprij effectus diuinarum perſonarum.

Patre,& in IeſuChriſti dilectione conſeruantur in ea vocatione,in quam & vocati ſunt:Patris miſericordia,& pax Chriſti,& charitas Spiritus ſancti adimpleatur, ſiue perficiatur : vt miſericordia Patris aboleantur miſeriæ peccatorum veſtrorum:pace Chriſti non latret ſtimulus conſcientiæ: & charitate Spiritus ſancti robur habeatis repugnandi dæmonibus, & hæreticis,& fortitudinem ad Euangelicam legem præſtandam.

Cur Iudas ſcripſerit hanc Epiſtolam.

Primo ergo loco enarrat Iudas,cur hãc ſcribendi prouinciam aſſumpſerit,& ait: *Chariſſimi,omnẽ ſolicitudinem faciens ſcribẽdi vobis de communi veſtra ſalute,neceſſe habui ſcribere vobis*: Senſus eſt:ſolicitudo cõmunis ſalutis veſtræ me ad ſcribendũ impulit hanc Epiſtolã,qua deprecor vos. ¶ *Supercertare ſemel traditæ ſanctis fidei.* Nimirũ vt certamẽ defenſionis pro fide ſemel tradita ſuſcipiatis. Precatur igitur vt certent cũ alijs ſanctis pro fide ſemel tradita. Nõ .n.coronabitur,niſi q legitimè certauerit.

1. Tim. 2.

SubditApoſtolus: *Subintroierunt,enim*, inquit *quidam homines (qui olim praſcripti ſunt in hoc iudi tũ)impij,domini gratiã transferentes in luxuriã,&c.* Quibus verbis reddit rationem cur ſcribat; nimirũ ob illuſores, & impoſtores impios quos ob præcedentia inſignia ſcelera,tradidit Deus in reprobũ ſenſum,& mentem,& ſimul eorum impietate vſus eſt ad aliorum probationem, & ſalutem,qui gratiam Dei,quæ honeſta pręcipit,eligunt in carnis luxuriã conuertere,quo ſe,& alios perdant, & ex ſpiritu carnem efficiant:quod genus peruerſæ eſt alchimiæ ¶ *Et ſolum Dominatorẽ, & Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* Græca habent in Complutenſi editione: τὸν ΘΕΟΝ, καὶ δεσπότην τὸν Κύριον. id eſt, ſolum.vel vnum illum Deum Dominum noſtrũ; qui locus apertè indicat diuinitatem Chriſti. Tamen Eraſmus impius ita peruertit, vt Deus Pater à Domino Ieſu Chriſto diſcernatur, quod extortũ eſt,& planè violentum. Videntur autẽ iſti fuiſſe ex Iudæis, qui Domini aduentum in carne negabant. Et fortaſſis alludit ad Gnoſticos,qui ſibi ſcientiam tribuebant,& in carnis delicijs volutabantur.

Lex gratiæ diuinæ.

Eraſmus perperam vertit hũc locum de diuinitate Chriſti.

Commonere autem vos volo ſcientes ſemel omnia. Græcè clarius dicitur:Sciẽtes ſemper hoc,vel,vt alij vertũt,illud. Hęc phraſis,nempe ſcientes hoc aut illud.cõmunis eſt Apoſtolis,nam ita Paulus ad Romanos c.5.ait: *Scientes quod tribulatio patientiam operatur*; & c.13. *Et hoc ſciẽtes tempus,quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere*, Iacobus etiam c.1. *Scientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* & c.2. *Scientes quoniam maius iudiciũ ſumitis* Petrus quoq;: *Scientes quod nõ corruptibilib. auro, vel argẽto redempti eſtis de vana veſtra cõuerſatione, &c.* & alibi: *Hoc primum ſcientes , quod venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores*;rurſus alio loco: *Scientes eandem paſſionem ei , quæ in mundo eſt,veſtræ fraternitati fieri.* Eandem & Iudas hoc loco vſurpat.

Rom. 5. Infra 13. Iacob. 1. Infra 3. 1. Pet. 1. 2. Pet 2. 1. Pet. 5.

Quoniam Ieſus , populum de terra Aegypti ſaluans,ſecundo eos qui nõ crediderũt,perdidit. Aduerte,hic duplicẽ eſſe lectionem:alteram,quæ habet: *Quoniam Ieſus, &c.* alterã, *Quoniam Dominus*,quæ ſecunda cũ Græco fonte magis cõſonat, ſed illam habet vulgatus. Nam eſt ſermo de IeſuChriſto,Dei filio,qui interfecit detrahẽtes terræ promiſſæ,vt habetur Nu. 14. 37. non de Ieſu Naue,quoniam per Moyſen de Terra Ægypti eductus eſt populus : ac vult meminiſſe eos veteris figuræ,quo modo non omnes qui liberati ſunt de terra Ægypti, ſalui perpetuo facti ſunt,nã plurimos ſaluos à plagis Ægypti perdidit poſtmodum propter ipſorũ incredulitatem,& peccata. Quã doctrinã Apoſtolus prioris Epiſt. ad Cor.c.10.tradit his verbis: *Patres noſtri omnes ſub nube fuerũt, & omnes mare trãſierunt: & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube. & in mari: & omnes eandẽ eſcam ſpiritalẽ manducauerunt,&c. Sed nõ in pluribus eorũ beneplacitum eſt Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto*,& quæ ſequuntur. Nõ eſt ergo primũ exemplum,quod ob oculos illorum ponit. Et idem dicẽs Apoſtolus Iudas ait: *Secundo eos qui non crediderunt , perdidit.* Nam primò quidẽ Iſraelitæ murmurarunt pro labore itineris, per integrum triduum : deinde murmurarunt præ timore habitatorum Terræ promiſſæ, quem conceperunt ex verbis exploratorum Ioſue & Caleb: vnde iratus Dominus,reſpondit: *Filij veſtri vagi erunt in deſerto annis quadraginta , & portabunt fornicationẽ veſtrã,donec conſumãtur cadauera patrum in deſerto*, & reliq.

Nu. 14. 37. Exod. 14. 1. Cor. 10. Num. 9. Exod. 53. Infra 14. Infra 16. Num. 10. Infra 14. Ibidem.

Quomodo cum punit bis in idipſum Deus iuxta Prophetam. Nahum. 1.

Sed quæritur, quomodo dicit ſecundo eos puniiſſe,cum Deus non puniat bis in idipſum, ſiue iuxta Hieronymi verſionẽ, non conſurgat duplex tribulatio? Reſpõdeo: Nõ punit idem ipſum peccatum bis, ſed ſi certa eſt pœna pro aliquo delicto puniendo,& ab eo non reſurgat, augetur pœna,quæ duplex , & ſecũda eſſe cẽſetur.

Quid eſt, dæmones dereliquiſſe ſuum principatum.

Accedit ad aliud exemplũ,quod pertinet ad ſeditioſos , volens oſtendere non eſſe acceptorem perſonarum Deum , ita vt ſummis Angelis non pepercerit.

Angelos vero,ait, *qui non ſeruauerunt ſuum principatum , ſed dereliquerunt ſuũ domicilium,*

in in-

in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. Principatum vocat, ſuam præclarā originē, quæ illis erat ex Deo: nā in gratia cōditi fuerūt, vt alibi docuimus. Domiciliū verò nominat, quod illis proprium erat futurum in cœlo, id eſt, in cœleſti māſione, cœli ſcilicet Empyrei, quod deſeruerunt à ſe ipſis ſponte, cū ſublimis eorū natura terrenas creaturas excelleret.

Dies iudicij cur magnus dies nominetur.

Reſeruauit illos in iudicium magni (ſiue poſtremi) *diei.* Hic dies magnus erit, quia ſempiternus. *Vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Id eſt, ad vincula æterna, nō corporalia, ſed ſpiritualia. Si ita ſe geſſit erga Angelos, cur non faciet in ſuperbiores, & arrogātiores homūculos, & ſub caligine, dānationis horrēdæ in inferno detinebit?

Gen. 19. Sodoma & Gomorrha quo modo abierint poſt carnem alteram. *Matth. 19. Geneſ. 2.*

Tertium proponit exemplū Sodomæ, & Gomorrhæ ciuitatum, quantū ad peccata carnalia, quæ abierunt poſt carnem alteram, ex qua nullus eſt generationis fructus; quo verbo inſinuatur teterrimū, & infandum vitium contra naturam, in ſupplicio ignis, & ſulphris fœtulenti deſignatū. Caro autē maſcula altera eſt, quia aliena, & generationi minimè congrua, nam caro maſcula, & fœminea, vna caro cenſentur, quod attinet ad generationē, vt declarauit Dominus, cū dixit: *Erunt duo in carne vna.* Caro autem maſcula in Sodomitis non vna caro eſt, ſed duæ.

Facti ſunt, inquit (ſcilicet à ſeipſis) *exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinētes.* Vult dicere; Facti ſunt typus perpetuæ damnationis, ac infernalis incēdij per illud ignis, ac ſulphuris ſuppliciū ſignificati, eo quod irreparabilis in mundi vſq; finem duraturus ſit. Applicatq; exemplum productum ad hæreticos, dicens: *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.* Græca litera ante illud: Carnem quidem maculant, apponit verbum Græcum *ἐνυπνιζόμενοι*, id eſt, inter dormiendum, & ſomniandum, ſiue in ſomnijs deluſi. Et ita legit interpres Epiphanij in borboritas, alludens ad illicita, & infanda cubilia illorum, qui ſpontaneas pollutiones diurnas, & nocturnas patiebantur.

Carnem qui maculent.

Epiphan.

Alij referunt ad Nicolaitas, & Gnoſticos veteres, & etiā Manichæos: quales noſtro etiam ſeculo extitēre Lutherani: nam cōmiſti cum fœminis, neſcio quæ impudiciſſima, & horrenda admittebant, quæ per horrorem nō attingo, ne aures honeſtas offendam. Maculabant etiam Spiritū ſanctum mūdi cordis habitatorem, & tātum hoſpitem à ſuo templo expellebant.

1. *Cor. 3.*

Dominationem ſpernere, quid: eamque qui ſpernant.

Dominationem autem ſpernunt, inquit, Id eſt, contumaces, & rebelles ſe præſtant principibus, ſiue magiſtratibus à Deo propoſitis, ſiue ſint Eccleſiaſtici, ſiue ſeculares: in quos omnes noſtri tēporis hæretici & inſurrexerunt, & arma ſumpſerūt. Tales etiam fuerunt Circumcelliones tempore Auguſtini, qui Romanis præſidibus non parebant. Græcè legimus *δόξας*, id eſt, glorias, ſiue glorioſos homines, quales ſunt ſummi Eccleſiæ paſtores, Romanus præſertim Pontifex, cuius ſedem, ſedem Antichriſti nominant illi nebulones, & Regnum Babylonicum, & ſimilibus virulentis & blaſphemis dictis aſpergunt.

Hiſtoria de Archangelo Michaele diſputante cum diabolo de Moyſi corpore, vnde ſumpſerit Iudas Apoſt.

Tertiò ſequitur in textu: *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſis corpore; non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, &c.* Contra hanc inſolentem blaſphemandi ſuos legitimos ſuperiores audaciam, producit exemplum Michaelis, qui diabolo perditiſſimæ creaturæ, blaſphemiam nullam intulit. Profert autem hiſtoriam, quæ in Scripturis nō legitur: ſed veriſimile eſt, multa penes Hebræos fuiſſe ſcripto cōmendata, quæ perierunt. Sed non propterea minoris erit autoritatis præſens Epiſtola: non enim oportet Scripturam, ab Scriptura comprobari, ſed ab Eccleſia. Alioqui Paulus nonnulla produxit, quæ nulla Scriptura commendat: vt illud de Ianne & Mambre, qui reſtiterunt Moyſi; & de apparitione facta pluſquam quingentis fratribus, & de illa ſententia Domini: *Beatius eſt magis dare, quam accipere.* Obmuteſcāt ergo, qui propter hæc futilia, Scripturis ſanctis detrahere non verentur. Verum de hac re plenius paulo ante diximus.

Scriptura vnde aliqua comprobanda, ſeu diuina & canonica.

2. *Tim. 3.* 1. *Cor. 15.* *Ibidem 6.* *Act. 20.*

Si ergo Michael princeps Angelorum, diſputans cum diabolo, tanta verborum modeſtia vſus eſt, vt ei non maledixerit, ſed tātum dixerit: Imperet tibi Deus, ſiue vt Græca vox ſonat: Increpet te Deus (eſt enim *ἐπιτιμήσαι σοί*) & ita ſe legiſſe oſtēdit Hieronymus tomo ſecundo ſcribens in Ruffinum. Sunt autē hæc verba Domini apud Zachariam, cap. 3. *Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan; & increpet Dominus in te qui eligit Ieruſalem*: ad quæ verba Apoſtolus videtur alluſiſſe. Et quia Domini ſunt verba: *Et dixit Dominus: Increpet Dominus in te Satan*, videtur pater de filio dixiſſe, qui de mundo profligauit Satanam, & dixit illi. *Vade retro Satana.* Humana certè arrogātia inexcuſabilis eſt, & omnem ſuperat ſuperbiæ modum, vt humana creatura cōtra diuinam inſurgat poteſtatem, cornua rebellionis erigens in Deum ipſum, cum euomat conuicia, & blaſphe-

Hieronymus.

Matth. 4.

Tertullian. blaſphemias in eos,qui loco Dei ſibi præſident. Meminit huius loci Tertullianus in l.de habitu virginum,in arca olim eum dicens fuiſſe; ait enim ab hæreticis hunc librū de medio ſublatum,& Apoſtolis notum fuiſſe, quoniam teſtabatur de Christo & de his pſeudoprophetis. Origenes *Orig.to.2.* tamē l.3.c.2.Periarchon, librum hunc recenſet ſub titulo Aſcenſionis Moyſi,ait enim,quod liber Aſcenſionis Moyſi contineret hanc cōcertationem cum dæmone. *Gelaſ.1. diſt.15.* Et fortaſſis hic liber eſt ille,quem apocryphum declarauit Gelaſius.

Cur Michael Archangelus nominetur. Dicitur autem Michael Archangelus, quaſi dicas,Princeps Augelorum: quemadmodum etiam Archiepiſcopus,Archidiaconus,nomina ſunt honoris,nō ordinis. Et volunt nonnulli, hunc non eſſe ex numero Archangelorum, ſed principem totius militiæ cœleſtis. Cui ſententiæ ſubſcribit Eccleſia,quæ eum in officio de Angelis & in prefatione,quę præmittitur ſacrificio Miſſę vocat eum Archangelum,& in Hymno primatem appellat cœleſtis exercitus: apud Danielem etiam, dicitur *Dan.10.* vnus de principibus primis: quod ego ita intelligerem,vt eſſet vnus, ſcilicet primus inter omnes principes: & in Apocalypſi *Apoc.12.* Princeps innuitur cœleſtis militiæ in prælio cū dracone, & Angelis eius. In oratione etiam poſt communionē ſacrificij de Angelis precatur Eccleſia: *Repleti Domine benedictione cœleſti ſuppliciter imploramus, vt quod fragili celebramus officio, ſanctorū Angelorum,atq; Archāgelorum nobis prodeſſe ſentiamus auxilium*, non enim illos duos tantū ordines inuocat Eccleſia, ſed omnes, niſi velimus nomine Archangelorū intelligere ſupremos ſeptem illos velut aliorum omnium principes: nomine verò Angelorum, vniuerſos in nouem ordinibus conſtitutos intelligere.

De altercatione Michaelis Archangeli cum diabolo de Moyſi corpore quorundam opiniō. Quod attinet ad iſtam altercationem, Beda recenſet quoſdā extitiſſe,qui Moyſi corpus Iudaicā plebem interpretarentur, cuius ille in terris dux fuit:quemadmodū Eccleſia,Chriſti corpus dicitur. *Epheſ.1. Coloſſ.1.* Si autem de vero Moyſis corpore fuit altercatio cū Angelo; intellige Michaelem eius corpus ſuſtuliſſe,ne populus Iſrael ad Idololatriā procliuis illud coleret. Diabolus autē laborabat vt in terra remaneret,quò poſſet illud inuentū adorationi exponere vnde *Deut.34.* c.vlt. Deuteronomij habetur: *Et non cognouit homo ſepulchrum eius vſq; in præſentem diem*,quod certè hanc altercationē inſinuare videtur. Alioqui quid opus erat, Deum in vallem quandam prēaltam illud corpus *Ioſephus.* ſepelire, vt Ioſeph.libr.4.antiquit. tradit.

Bezæ hæretici hominis blaſphemia. Vt videas tamen inſignē Bezæ impuri hominis impietatē,ſcribit Deum noluiſſe,vt Hebræus populus intelligeret vbi eſſet;ne illi contingeret quod nobis, qui ex Martyrū corporibus facimus idola. Hæc ſunt egregia eius verba. Sed rumpitur hic ſermo inuidia, & tanto honore à Chriſto martyribus exhibito vritur. Nā ipſe Deus ad eorū corporū vel reliquias, vel imagines inſignia edebat miracula, expellebat dæmones, ſanitates cōferebat, vt illos ita nobis commēdaret, & honoratos redderet,& vt ad eos inuocādos accurreremus. Neq; bonus iſte vir, ac pius diſtinxit inter tempus Moyſi,& tempus Euangelij:nam eo tempore nōdum erat reſerata cœleſtis paradiſus,neq;animæ adhuc ad beatitudinem erāt euectæ; ideo ſanctorum corpora nō ſolebant tātopere à Deo honeſtari. Prærogatiua legis Euangelicæ. Secus eſt de ſtatu Noui Teſtamēti,in quo poſt apertam viam cœli à Chriſto, & animos in Dei gloriam receptos, decreuit illorum ſanctorum corpora abſq; vllo crimine idololatriæ à fidelibus coli,& veneratione ſuſpici, & in ſummo honore haberi, qui nouerunt aliud eſſe latria adorare,quod vni ſoli Deo præſtatur, & aliud honorare, ſiue venerari, quod præſtatur Dei amicis & ſeruis,quorum corpora tāta gloria ſuſcitata, & immutata cohoneſtaturus eſt:& hoc ipſum Chriſtus ſuo exemplo faciendum docuit. Latria & dulia differunt. Nam poſt reſurrectionem præbuit ſuum corpus adorandum ab Apoſtolis, & ab Angelis, & à mulieribus, quas ad pedes oſculandos admiſit. *Matth.vlt.*

Peruerſa hæreticorum dogmata, blaſphemiæ. Apud OEcumeniū. Subdit iam: *Hi autem quacunque quidem ignorant, blaſphemant: quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrūpuntur.* Interpretātur Græca ſcholia,has blaſphemias de dogmatibus intelligendas. Hi autem,inquiunt, de dogmatibus,quæ nō nouerunt, blaſphemos ſermones cōtexunt. Hæc ille. Quemadmodum nunc cum diſſerimus de Sacramētis, ac de eorū virtute, Dei ſapientiam in Eccleſia ſua, & virtutem ignorant hæretici: ideò impuris verbis, & maledicis illas veritates maculant, ſi tamen fœdari poteſt à luto tanta lux. ¶ *Quæ verò naturaliter muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Senſus eſt:ſicut muta animalia,quæ ſenſibus ſubiacent,& ad hanc præſentem vitam pertinent,nouerunt quidem,ſed in his eſt corruptio,nō deliberantes an ea liceant,necne. Hæreticorum impudicitia,& luxuria. Verbum autē ἐπίςανται,hoc eſt,ſciūt, ſiue norunt quidā vertūt,ἐφίςανται,id eſt appetunt. Vt ſit ſenſus:in his autē,quę naturaliter tanquā bruta animalia appetunt,

in his corrumpuntur, id eſt, abutuntur vſq; ad corruptionem animæ, & corporis interitum: ſectantur quoq; carnalia inſanientes ad fœminarum concubitum.

Geneſ. 4.
Num. 22.
Supra 16.

Quarto loco ait: *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam, mercede effuſi ſunt: & in contradictione Core perierunt. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore*, & reliqua. Horum quæ ſequuntur, interpretatio non minus in noſtri ſeculi moribus, & vita hæreticorum, quam in illis tempore Apoſtolorũ inſpici poteſt, in via Cain ambulans, qui per inuidiam fratres interimunt in corde, & in ſpiritu per prauas doctrinas, vt Græci docent, & vt ille agnum deſpexit Abel, & Deo ſe cum muneribus ſuis deſpectum agnouit; ita noſtri ſeculi hæretici agnum in Euchariſtia Deo Patri oblatũ impudenter deſpiciũt. Errore Balaam effuſi ſunt mercede, qui non ſe continent in officio, ac virtute, ſed aliquo falſo bono quaſi eſca allecti, in aliud ſe præcipitant, vt Balaam ad mercedem, cuius inſipientiam corripuit aſina: & ſimplices Catholici ſuis operibus reprehendũt Balaam. In contradictione autẽ Core perit ille, quem cogit ſuperbia, & elatio, vt cõtradicat principibus Eccleſiæ, & cum petra ipſa cõtendunt. Sed hoc cum ſua contradictione abſorbet terra, quia ſæpe miſerabiliter intereunt.

In via Cain ambulare, quid, & errore Balaam, effundi mercede.

Bedæ interpretatio eorum verborũ.

Iam vide quomodo Beda hoc explicet: *Via Cain abeunt, qui propter inuidiam meliorum nomen ſibi doctorum quo honorificentur, aſſumunt. Et errore Balaam effuſi ſunt, qui pro amore terreſtrium commodorum, veritatem quam ipſi norunt; impugnant. Contradictione Core pereunt, qui viui ad inferna deſcendunt & intereunt quicunq; appetitu indebiti primatus ſeſe ab vnitate ſanctæ Eccleſiæ ſecernunt, ſcienteſq; & prauidẽtes quãtum mali gerant, ad ſcelerum tamen tartara deſcendunt.* Hęc ille.

Addit deinde Apoſtolus multa epitheta, quæ hæreticis mirifice conueniunt; *Hi ſunt*, inquit, *in epulis ſuis maculæ, conuiuantes ſine timore ſemetipſos paſcentes*. Græce habetur. Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευοχούμενοι ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. Quæ ita vertit Io. Gagneus. *Hi ſunt in conuiuijs veſtris tanquam confragoſa in mari ſaxa, & cauernoſæ rupes, ac teniæ, vobiſcum intrepide conueſcentes, ſeipſos paſcentes.* Vbi videtur epulas Græce vocaſſe ἀγάπας, hoc eſt dilectiones. Et intelligebant ſobrias cœnas, & frugi conuiuia, dilectione dicta, ꝙ confirmandæ charitatis gratia conuiuarentur. Tertull. vero addit fuiſſe conuiuia publica, non priuata, vt habet in Apologetico c. 39. Et vocat fraterna Eccleſiaſtici cœtus conuiuia.

Ioan. Gagn.

Tertull.

Cauernoſas rupes & maculas hæreticos cur vocet Apoſtolus.

Verbum autem σπιλάδες legimus modo, cum interpres videatur legiſſe σπίλα, id eſt, macula: ſicut pro illo pronomine ὑμῶν legit αὐτῶν. Spilades vero ſunt ſaxa concaua, & rupes cauernoſæ, quæ ſub aquis maris deliteſcunt, & naufragium adferre ſolent incaute nauigantibus, de quibus Plinius ita ſcribit: Frequentes teniæ candicantis vadi nautas territant: fluctus enim ſcopulis allidentes candicant, & ſonitus edunt. Hęc ille. Quod verbum non ſatis aſſecutus fuit Eraſmus. Elegãter igitur iſtos impoſtores, cauernoſas rupes appellat Apoſtolus: quia ſimulata amicitia, intrepide Chriſtianorũ conuiuia adeunt: ac niſi prȩuideantur, & obſeruentur, periclitari, & naufragari faciunt conueſcentium animas, quia inter edendum multos euomunt errores, ex quib. multi audientes maculantur.

Plin. lib. 3. naturalis hiſt. in proœmio.

Cur nubibus inaquoſis eoſdem aſſimilet.

Altera metaphora eſt: *Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Recte nubibus inaquoſis hæretici comparãtur: vt quanto minus aquæ habent, tanto leuiores à ventis agitentur. Sunt ergo vacui fide, vel aqua ſapientiæ, qua poſſint alios fœcundare: eleuati per arrogantiam, ponentes in cœlum os ſuum: nec irrigant imbribus terras, quas pertranſeunt. Et merito nubes appellantur: quia ſe ipſos è terra eleuarunt, aſſumentes magiſterium: ſed caligine terram obtenebrant, & à dæmone agitantur.

Pſalm. 72.

Arbores autumnales hæretici vocantur.

Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ. Dicuntur arbores autumnales, quę ſerius frondeſcunt, quã vt poſſint fructus ſuos maturos edere. Et ſignificantur in eis homines ſegnes, & ad omne bonum opus tardi. Autumni enim tempore in Iudæa, & in alijs regionibus nulla poma extant, vtpote iam collecta: & ideo ſunt infructuoſę. At vt dixit Dominus; Omnis arbor, quę non facit fructum bonum, exciditur; & in ignem mittitur.

Ioan. 15.
Matth. 7.
Bis mortuæ.

Addit: *Bis mortuæ.* Sumpta metaphora ab arboribus, q̃ bis moriũtur. Primum, cum deſinunt ferre fructũ, deinde cum exciſæ ignibus traduntur. Ita (iuxta Clementem) ſemel moriuntur, ſcilicet quando delinquendo peccarunt. Secundò verò, quãdo ſupplicijs cõtradentur ſecundũ prædeſtinata Dei iudicia: mors quippe reputanda eſt etiã quando quiſq; hæreditatem non promeretur. Didymus vero bis mortuas exponit: primo quidem, quando ab infidelitate per pœnitentiã veluti reſurgunt accedentes ad Euangelium: deinde quando repetita malitia moriuntur.

Cle. Alex. in hanc Epiſt.

Alter ſenſus.

Didym. ib.

Tertius.

Eradicata. Id eſt: de quibus nulla eſt ſpes quod aliquando reuireſcant: quia præciſi à reliquo Eccleſię corpore. Bis & mortuę, quia fructu, & alijs carent. Et ita Hæretici corpore ſimul, & animo mortui: Vel, bis mortui ſibi ſcilicet & alijs. Sunt enim quidam qui licet ſibi mortui ſint, fructum tamen referunt Deo in alijs prædicatione, & Sacramentorum collatione.

Fluctus feri maris.

Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones. Feri nomen iungitur cum dictione fluctus, κύματα ἄγρια: nam tales inteſtino odio agitãtur, & iſti aſſiduè deſpumãt blaſphemias, libellos famoſos, paſquillos, extaſ[e]s, Babylonicas captiuitates, & omne genus maledicentiæ. Beda: *Fluctus*, inquit, *feri maris, ſunt peruerſi doctores, qui & in ſemetipſis inquieti ſemper, tumidi, tenebroſi, & amari ſunt, & pacẽ Eccleſiæ quaſi ſtabilitatem, firmitatemq́; obitum ſemper impugnare non ceſſant. Sed tales rectè dicuntur deſpumãtes ſuas confuſiones, quia inſtar tumentium vndarum quãto altius ſe ſuperbientes attollunt, tãto amplius cõfuſi quaſi in ſpumas leuiſſimas diſſoluuntur; & pereunt.* Hęc ille eleganter, q̃ noſtri ſeculi hæreticis mirificè quadrare videntur, quorũ libri, & errores, & conatus magna ex parte iam in ſpumas diſſoluta ſunt.

Beda quid per fluctus feros maris intelligat.

Sydera errantia.

Vtitur & alia metaphora Iudas: *Sydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Quod exemplũ ſic interpretatur Beda: *Sydera errantia, quæ ſunt ſeptem, nunquam in eodem loco, vbi pridie fecerant, ortum, vel occaſum faciunt: ſed modo ad infirma zonæ brumalis deſcendunt, modo ad alta zonæ Solſtitialis aſcendunt: modo mediam zonæ æquinoctialis lineam repetunt. Sic nimirum ſic ſunt hæretici, qui lucem veritatis promittentes, nunquam in eodẽ ſtatu docendi perdurant: ſed modo ſic, modo ſic, doctrinã ſuam informantes, ipſi vtiq́; quam ſit contemnenda lucis oſtentatio, quam pollicentur, inſinuant.* Hæc ille. Sydera ergo errantia, quod lucẽ promittant ſanctitatis, & pietatis, transfigurãtes ſe in Angelos lucis, Hæreticos Apoſtolus appellauit. Græca habent, ἀστέρες πλανῆται, h. e. ſtellæ errantes, ſiue errones. Quidam rectius putant dici planetas à ſeducendo, quod in dogmatis videlicet, & in vita errant. Ait enim Paulus, *Mali homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes.* Deinde quod vagi, & inſtabiles ſint ſedibus, quia extra firmamentũ Fidei Catholicę, atq; Eccleſię ſuos ſinguli tenentes errorum cœlos, aduerſo ferantur curſu in ſtellas firmamenti, id eſt, in homines rectæ fidei, & ſanctæ vitæ conuerſationis. Hinc Daniel. c. 12. ſtellis firmamenti comparat iuſtos.

2. Cor. 11.

2. Tim. 3.

Dan. 12.

Quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum. Auguſtin. lib. de fide, & operibus c. 25. ita ſcribit: Nõ itaq; promittitur pœna ignis tranſitoria turpiter ſceleratèque viuentibus, quia viã iuſtitiæ cognouerũt, quibus melius erat non cognoſcere.

Aug. tom.

2. Pet. 2.

Ad ſexto loco propoſita paulatim reſpondendum eſt: *Prophetauit autem de his ſeptimus ab Adam. Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millib. ſuis, facere iudicium contra omnes, de omnibus operibus impietatis eorum, &c.* Ex hoc loco offenſus Caietanus, accepit anſam negandi hanc epiſtolã Canonicã. Sed certè Iudas Apoſtolus non incertam, ac minimè probatã ab Apoſtolis citaſſet prophetiam: quæ propterea q́ in libro apocryppho legeretur, non cenſenda erat apocrypha, quam Chriſti Apoſtolus producit vt veram. Et ſi tolerabilius eſt citare apocrypha, quam Poetas, vt ait Caietanus, cur non etiam arguit Paulum citantem Epimenidem, Aratum, & Menandrum? Sed de his ſuperius ſatis dictum eſt. Dicitur autẽ ſeptimus ab Adam Henoch in ordine generationis humanę, vt patet Lucæ. 3. & Geneſ. 5. & 1. Paralip. 3. vt vaticinij autoritas cõmendetur, quod in priori mundo extitit. Non ſic locutus eſt Petrus de Noe, quem vocauit octauũ iuſtitiæ præconem: neque dixit, ab Adã, quia non erat octauus, ſed decimus. Hic autem, ſeptimus erat ab Adam. Reiecta porrò fuit illa Henoch hiſtoria ab Hebræis, quod, vt ait Tertullianus, Chriſto teſtimonium perhiberet: quemadmodũ etiam alias ſimiles Scripturas reſciderunt. Quid autem habet falſi, vel ridiculi hæc hiſtoria, vt propterea reijci debeat? *Ecce*, inquit, *venit Dominus in ſanctis millibus*: id eſt, cum Angelis, de quibus Matt. cap. 25. Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius, cum eo; & Daniel, cap. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, &c.* Et venit, ait, de præſenti, ob certum eius aduentum, & quia ex parte in ſingulis quotidie adimpletur, dum in hora mortis vocantur ad iudicium.

Leuis ratio Caietani ad probandum, hanc epiſtolam eſſe apocrypham.

Cur ſeptimus ab Adam Henoch appelletur.

2. Petr. 2.

Iudæorũ impietas in Chriſtum.

Matth. 25.

Dan. 7.

Subdit: *Hi ſunt murmuratores, querulosi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperbiam, mirantes perſonas quæſtus cauſa.* Repetit quod ſupra de his dixerat, quod eſſent maledici, & murmuratores. Nam iſti boni viri, vt oſtẽdimus, nec parcunt Imperatori, nec Regibus, nec Principibus, nec Põtifici Romano Chriſti Vicario, nec Epiſcopis, nec monachis, nec pręclaris Vniuerſitatibus, & benè de eccleſia meritis, nec deniq; viuis, aut mortuis, aut animis qui purgãtur, aut qui beã-

Hæretici murmuratores, querulosi.

Pſalm. 16.

tur: &

tur: & ſemper queruntur de Eccleſiæ decretis, de ſarcina ieiunij Quadrageſimalis, de cœlibatu, & ſe ab Eccleſia grauari prætendũt. Vnde orta illa centum grauamina, quæ deuitare volentes, in mille alia inciderunt. Recte Apoſtolus: *Omnes*, inquit, *quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.* Si n. quærerent quæ Chriſti ſunt prętextu onerum & grauaminũ, non inducerent hæreſes, ſeditiones, ſcãdala, ſed agnoſcerẽt hanc morbi plagã Dei prouidentię cõmendandã quia nõ poteſt Chriſtus eccleſiam, q̃ ſponſa ſua eſt, deſerere.

Philip. 2.

Epheſ. 5.

Hi ſunt, inquit, murmuratores, Queruloſi verò ſiue Græcè γογγυσταὶ. Tales ſunt, qui alios amant criminari, qui inter dẽtes, & apud ſeipſos indignantur. Iſti delectantur ſchiſmata, & factiones ſerere: qui nihil magis oderunt quam quietam, & pacificã vitam. *Secundum deſideria ſua ambulantes.* Hoc eorum deſideriũ proprium eſt patris eorum diaboli, quod eſt Chriſtianam veritatem ſepelire, vel ſubdole impugnare, cum lupo, & fure mactare & perdere.

Secundũ quæ deſideria ſua hæretici ambulent.

Ioan. 10.

Hæretici vt mirentur perſonas quæſtus cauſa.

Mirantes perſonas quæſtus cauſa. Nullum enim hominũ genus tam eſt maledicum, & blandicum, ac vt ſic dicam Gnatonicũ, quam hi miſeri, & infelices, qui à fide apoſtatarunt. Et perſonas per Antonomaſiam præpotentes, & magnificas mirãtur, illisq; adulantur, quo ſuis erroribus faueant: ac ita iudiciũ Scripturarum, & Sacramentorum adminiſtrandorum detrahũt Papæ, & Epiſcopis, quorum eſt propriũ, & Principibus ſeculi impudenter tribuũt Vnde impudentiſſimi nebulones vaniſſimæ mulierculæ ius cognoſcendi de fide, de Sacramentis, atque de Sacerdotibus, & Epiſcopis tribuerunt.

Ad reliqua pergamus: *Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Qui dicebant vobis, quoniam in nouiſſimis tẽporibus veniẽt illuſores ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, &c.* In quibus verbis, cum ait, Memores eſtote verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis, Petrum, & Paulum citare videtur, qui hos impoſtores venturos prædixerũt. Petrus quidem cap. vlt. poſterioris epiſtolæ, Paulus autem 2. Theſſalonicen. 2. & 1. Tim. 4. & 2. Tim. 3. & 4. & ad Titum. 1. Citant autem non libenter Apoſtolorum ſcripta, qui aliorum benedictis, & ſcriptis vti nolunt, ſed tantum, inuentis, & ſcriptis à ſeipſis, cum tamen, vt Comicus dixit:

Nullum ſit iam dictum, quod non dictum ſit prius.

Terent. in prolog. Eunuchi.

Secundum deſideria ſua ambulantes. Quiſq; enim ſua habet deſideria, & quiſque alijs excellere contendit & in vno tandem deſiderio conquieſcunt, quod eſt Chriſti Eccleſiam euertere, & veritatem nobis eripere. Reliqua vero deſideria peculiaria ſunt quibuslibet.

Deſideriũ hæreticorum.

Hi ſunt, inquit, *qui ſegregant ſemetipſos.* Hoc eſt, ſemetipſos ab Eccleſiæ conſortio prę́ſcindunt. Et licet per excõmunicationis ab Eccleſia ſententiam præcidantur: hoc ideo fit, vt confuſi reſipiſcant, & redeant ad gremiũ Eccleſiæ, q̃ aperta brachia habet ad eos recipiendũ, ſi velint redire. Prius tamen, quam corpore ab eis ſegregarentur, ipſi iam corpore & animo ſegregati erant oẽs, iuxta illud Dilecti: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis* (hoc eſt, eandem fidem tenuiſſent, atq; nos) *permanſiſſent vtiq; nobiſcum.* Hanc verbi ſegregandi ſeipſos proprietatẽ interpretans Bernardus ſermo. 1. in feſto S. Michaelis: *Vide*, inquit, *animam hominis quemadmodum vniuerſa corporis mẽbra viuificet cohærentia ſibi. Separa ergo quoduis à iunctura cæterorum, & vide an de cætero illud viuificet. Sic eſt omnis qui dicit anathema Ieſu: quod nemo dicit loquens in Spiritu Dei: quia anathema ſeparatio eſt. Sic & inquam, omnis qui ab vnitate diuiditur, ne dubites quin ab eo receſſerit Spiritus vitæ. Digne igitur contentioſos, & qui ſeparant ſemetipſos, Apoſtoli carnales vocant, & animales, ſpiritum non habentes.* Hæc ille ſatis eleganter. Tales autẽ ſpiritu deſtituuntur, quo poſſunt agnoſcere quæ Dei ſunt. Animales ẽt vocat, & ſpiritum non habentes, quia hic caro opponitur ſpiritui, ſicut 1. Corint. 2. *Animalis homo nõ percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* Et c. 15 *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale:* & Tertullianus ſcripſit contra Catholicos, quos Pſychicos vocauit.

1. Ioan. 2.

Egregia ſententia Bernardi.

1. Cor. 12.

Supra 2.

Infra 15.

Sequitur: *Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ noſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, voſmetipſos in dilectione Dei ſeruate, &c.* Contra tot hæreticorũ, & impoſtorum aduentus, monet nos in primis Apoſtolus vti ſuperædificemus nos, hoc eſt, ſuper fundamẽto Apoſtolorum, & Prophetarum, aſſidue creſcendo, in ſpiritu per merita bonorũ operum, & per preces in Spiritu ſancto fuſas: & maxime per dilectionem nos ipſos ſeruãtes, Si enim dilectionẽ ſeruabimus, ipſa dilectio ſeruabit nos; ſi iuges preces ad Deum fuderimus, ipſę nos ad æternam coronam participandam conſeruabunt: quas ſi vnquam profuit frequentare, nũc maxime, quia ecce tenebrę operiunt terrã, & caligo po-

Epheſ. 2.

Eſai. 55.

go populos. Si ergo in fide perſtiterimus, ſi in precibus, & dilectione Dei, certam reddemus ſalutem noſtram.

Subiungit: *Et hos quidem arguite iudicatos.* Hos intelligit, ſcilicet impoſtores, & illuſores. More enim Scripturæ hæreticus ſubuerſus eſt, & proprio iudicio condemnatus: Et, *Qui non credidit, iam iudicatus eſt.* De alijs vero admonet: *Illos verò ſaluate, de igne rapientes.* Vt nõ ſinant ſeipſos decipi, ſed conentur ad cauſas Domini reducere, eripientes illos de igne hæreſis, ac de igni inſtanti gehennæ, quos vero non poſſunt reuocare, eorum miſereantur. Qui enim nõ miſeretur aliorũ, qui ſuo vitio pereũt, tentabitur & ipſe, & ſuccumbet, vt diſcat miſereri. Quod vero poſſit facile in tentatione ſuccumbere qui ſuperbit, & nõ miſeretur, oſtenditur per illam maculatam tunicam, qua adhuc veſtiti ſumus. Hęc eſt caro noſtra ad peccata alliciens, & impellens, niſi illi obuiam eatur, nam in ea eſt peccati macula, & vitium. Vel maculata tunica eſt vetus homo, cui tunicæ opponitur nuptialis veſtis, vel candida, de qua in baptiſmo Accipe veſtem candidam, & immaculatã quam perferas in die iudicij.

Tit. 3. Ioan. 3.

Maculata noſtra tunica quænam ſit.

Matth. 22.

Poſtremo concludit: *Ei autem, qui potens eſt vos conſeruare ſine peccato, & cõſtituere ante conſpectũ gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſoli Deo ſaluatori noſtro, &c.* Quod ait, in exultatione, Hebraiſmus eſt, hoc eſt, cũ exultatione: nõ enim immaculati reddimur triſtes, aut mœrentes, cum ſcriptum ſit: *Iubilate Deo omnis terra; ſeruite Domino in lætitia. Introite in cõſpectu eius in exultatione. Lætamini in Domino, & exultate iuſti.* Optima eſt hęc promiſſio, & pręſtantiſſima, & ab eo, qui promiſſa omnia poteſt præſtare, profecta, & in qua maxime Chriſti mediatoris magnificẽtia ſplendet, & Pater in ſuis veris adoratoribus ac filijs glorificatur, & per quam Spiritus S. benignitas, & puritas quaſi in ſuis tẽplis illuſtris redditur in ſeculis ſempiternis. Amen.

Pſalm. 99.

Ioan. 4.

IN SACRAM IOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ APOCALYPSIN.

Præludia quædam generalia, ſiue obſeruationes minimè pœnitendæ.

Apocalypſis quanto lumine interpretationis egeat.

INDIGNVM ſanè eſſe videretur, in librum Apocalypſis obſcuriſſimum, qui præ cæteris omnibus noui Teſtamenti libris interpretatione indiget, nihil omnino dicere: non minus autem audax eſſet, & temerarium, exactam, & perfectam explicationem eius polliceri. Quis enim tantum in bonis ſe habere confidat? Et ingenue profiteor, in hoc libro potiſſimum me malle aliorum doctiorum virorum fieri auditorem & diſcipulum, quam interpretẽ, aut enarratorem. Dicam igitur quędam in genere: quæ hactenus de hac Reuelatione cognita atq; explorata habeo: reliqua vero parũ nota, aut de quib. vehementer dubito, valẽtiorib. ingenijs explicãda relinquam.

De illa quatenus agendum.

Apocalypſin ſacræ & diuinæ autoritatis eſſe librũ.

Sit igitur primum Præludium, tanquam certum, & exploratũ fidei articulũ, tenendum, hunc librum in Canonem ſanctorum, ac diuinorum voluminum reponendum eſſe, ac numerandum, etiamſi de eo aliquando à magnis viris in dubium reuocatum fuerit. Producam iam graues, & ſolidas rationes, quę ad hoc aſſerendũ, meum intellectum impellunt. Nam primum libri Canonici quibuſdam notis à cæteris diſtinguuntur: qui enim tanquam ſacroſancti in Eccleſia Dei leguntur, aut in diuino Miſſę ſacrificio, aut in ſacris Officij precibus quas fundũt Sacerdotes, aut in templis Dei coram populo Chriſtiano recitantur: ſi item communi omnium conſenſu illum ad confutandam aliquam nouitatem, vel falſitatem, aut ad aſſerendam aliquam Catholicam veritatem produci videamus: ſi magni, & præclari ſcriptores, qui in Eccleſia ſemper floruerunt, commentarios, aut paraphraſticas explanationes, aut Scholia ad eum explicandum ediderunt: ſi denique Concilia Oecumenica, & alia inferiora, vt Prouincialia, à Sede tamen Apoſtolica confirmata, eum cõprobatum, & omnib. legendum eſſe cenſuerunt: tanquam Canonicum eum accipimus, & veneramur. At verò ſi hæc omnia in hoc libro Apo-

Scripturæ canonicæ a cæteris, in quibus fere diſcrimen habeant.

I. Argum. ab eius multiplici vſu, &

calypſis amplè, & copioſè ſeruata videamus, erit igitur hic ſacroſanctus, canonicus, & diuinus liber. Quis n. neſciat, ex hoc libro multa leg. in Miſſæ ſacriſicio diuerſis anni temporibus, dum offerimus incruentam hoſtiam, multa ex huius libri volumine in octauis Paſchæ? vt tradunt Iuo. lib. 1. de libris ab Eccleſia receptis, & Gratianus in cap. S R.E. vbi prope finem libros Actor. Apoſtolicorũ, & ſacrę Apocalypſis inter Paſcha, & Pentecoſten aſſignat in Eccleſia relegẽdos. Quis præterea in lectione veterũ Patrum exercitatus negare poſſit, eos frequẽter huius libri ſententias adferre ad corroboranda fidei dogmata, & ad virtutũ officia cõmendanda, & ad vitiorũ, vel peccatorum viam declinandã? Deniq; quis tanta ignorantia laboret, vt non agnouerit pleroſq; ex antiquis, & primarijs Eccleſiæ D. D. iuſta, & egregia cõmentaria, aut breuiora Scholia in Apocalypſin promulgaſſe. vt & alios tam mediæ, quam poſtremę Eccleſię quã doctiſſimos viros, teſtatũ, & indubitatum reliquiſſe, hunc librum pro Canonico agnitum, & habitum fuiſſe? Quid dicam de Synodis, & Prouincialibus, & Oecumenicis, q̃ toties ſacrorum voluminum Canonem contexuerunt, nobis acceptandum tradiderunt, in quo peculiarẽ ſemper de hac Ioannis prophetia honorificã faciunt mentionẽ? Nam vt miſſa faciam, quæ Athanaſius Gregor. Nazianz. Damaſcenus, Hieronym. Auguſtin. in ſuis Catalogis docuerunt: conſiderent ſaltem quid Florentina & Tridentina Synodi definierint. Ecce tibi quarta Synodus Toletana quid de propoſito libro teſtatur: *Apocalypſis librum multorum Conciliorum autoritates, & Synodica ſanctorum Præſulum Romana decreta Ioannis Apoſtoli eſſe præſcribunt, & inter diuinos libros recipiendam eſſe conſtituerunt.*

Iuo Carno. *Gratianus.*

Magna Eccleſiæ lumina Doctores qui Apocalypſin vt ſacram & diuinam, & agnouerint, & acceptauerint.

Conc. Flor. in bull. vnio [illegible]. *Trid. ſeſſ.* 4.

Deinde ſolẽt interdum alia ratione dignoſci libri ſacri, & canonici à non ſacris, neq; canonicis. Nam etſi interdum de illis in Eccleſia dubitatũ fuerit à quibuſdam, & quorundam iudicio reprobati: non tamẽ ſtatim euincitur perpetuo eſſe de illis ambigendum, ſi vnus aut alter aliquando dubitauit: ſi tñ maior Eccleſiæ pars eos vt canonicos retinuerit, & vt tales venerata fuerit, ſolet, ac debet eiuſmodi refutatio, vel ambiguitas in maiorẽ eius libri confirmationem cedere. Nam etſi Marcion multas Pauli epiſtolas in dubiũ reuocarit, eaſq; reiecerit, vt teſtatum reliquit Tertullianus libr. 5. in eum conſcripto: nihil tamẽ illorum autoritati derogare potuit. Epiſtola quoq; ad Hebræos à multis fuit reiecta, non tamen propterea de numero ſacrorum librorum repudiata fuit. Simili quoq; ratione poſt multas altercationes. & cõtentiones cõſtabilita fuit fides quorundã dogmatũ, quę iam pro expreſſis fidei articulis habẽtur: vt Marię virginitas, diuinitas Chriſti, deſcenſus eius ad inferos, & Reſurrectio. Cum autem de hoc libro multi contradixerint, & Eccleſia non ceſſerit, nec adhuc cedat: ſolidum ac firmum gignere debuit in nobis aſſenſum, ꝙ Catholicus, & diuinus ſit habẽdus liber.

II. argum. A cõmuni Eccleſiæ conſenſu, & opinione.

Tertull. par. 2.

Quæ veritates ſacroſanctę, fideique dogmata olim controuerſa, demum poſtea in Eccleſia firmam ac ſolidam fidem, diuinamque autoritatem obtinuerint.

Tertia via comprobandi hunc librum Canonicũ, ſumitur à ratione prophetiæ: vt enim in veteri inſtrumento habemus legẽ in Pentateucho deſcriptam, & innumeras hiſtorias apud Ioſue, Iudices, Regum, & Paralip. voluminum; Eſdræ, Tobiæ, Iudithæ, & Eſther, & Machabæorum libros: porrò in ſcriptis Iobis, Dauidis, & Salomonis libros eruditione, & ſapientia plenos: at in quatuor Prophetis maioribus, & duodecim minorib. plurimas prophetias: ita etiã par fuit, vt in nouo Teſtamento, ne in hac parte ſuperaretur à veteri, pręter legem quatuor Euãgelijs deſcriptam, & volumen Actuũ Apoſtolorum, ꝙ eorũ hiſtorias recenſet, & pręter epiſtolas Pauli quatuordecim, & ſeptem Catholicas, in quibus ſapientia Dei reſplendet, eſſet aliquis Propheticus liber: non quidem qui de primo Chriſti aduentu tractaret: quia lex, & Prophetæ vſq; ad Ioãnem, vt dixit Dominus, ſed qui de ſecũdo eius in maieſtate aduentu ad iudicandũediſſereret. Decuit ergo, peculiarem eſſe aliquẽ prophetię ſcriptorem, qui maiores bellorum euẽtus, quam fuerũt illi veteris Synagogæ, prędiceret, vt ita impleretur verbum Chriſti propheticum: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatẽ: nõ enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis*: & Pauli verum redderetur dictũ: *Cum cõuenitis, vnuſquiſq; veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet*, & q̃ ſequũtur. Quod ſi pro peculiari euentu generalis famis futuræ ſub Claudio: præmiſit Dominus Agabum Prophetã eam pdicentem: quanto magis, propter alias maiores cauſas id putandum eſt fuiſſe factum? Adhęc ſi ante vrbis excidiũ Ieroſolymæ ſpiritu prophetico Dominus illud futurũ prędixit, & ad ſumẽdas pœnas de ingratis ciuibus Ieroſolymitanis, ex ciuitate oẽs Chriſti cultores in Pellã Agrippæ oppidũ expulit; & poſt ſumptã vindictã de obſtinatis Iudęis, ac perfidis, & vrbem exciſam, ac deuaſtatam, eos in eundẽ locum

Epheſ. 4.

III. argum. à ratione prophetię.

Vetus teſtamentũ quomodo diuidatur, & nouum.

Apocalypſis Ioannis quẽ Chriſti deſcribat aduentu.

Luc. 16.

Ioan. 16.

1. *Cor.* 14.

Actor. 11.

II. ratio, cur Nouo teſtamento hæc Ioannis prophetia deeſſe minime debebat.

cum reduxit: quid ergo pro vniuerſa Eccleſia Chriſti, & peculiaribus motibus, ac tribulationibus quas perpeſſa eſt tum à Iudæis tum ab hęreticis, & Saracenis Mahumeti cultoribus fieri oportebat? Nimirum peculiarẽ Prophetam ex Apoſtolico gradu ab eo deſumi, cõgruebat, qui illa euentura pręnuntiaret, vt ita ſe libro Canonico impleuiſſe oſtẽderet quę prophetauerat: (quemadmodũ promiſſionẽ de aduẽtu Spiritus S. in Apoſtolos, peculiari libro Lucę Euangeliſtæ, & Actuum Apoſtolorum ſcriptoris impleuiã oſtẽdit) quo interim pręmuniret, ac præmoneret ſuos fideles, ne in tãtis hęreticorũ, & Mahumetanorũ fluctib. à fidei cõſtantia caderent.

Act. 2.

IV. argum. à verbis comminatoriis prophetiæ huius.

Quarta via ſumitur à verbis huius libri, quæ c.22. continentur: *Conteſtor*, inquit, *omni audienti verba prophetiæ huius, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius; auferet Deus partẽ eius de libro Vitæ, & de Ciuitate ſancta, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Quod ſi hæc verba nõ eſſent alicuius ſcriptoris Canonici, & organi Chriſti per cũ loquẽtis, neſcio qua cõfidentia poſſet hic ſcriptor interminari plagas, & interitũ, niſi is qui cõminatur, tãtus eſſet, qui eas poſſet infligere. Vnde Deut. 4. *Nõ addetis*, ait Dominus, *ad verbũ quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Et Salom. Prouer. 30. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt omnib. ſperantibus in ſe. Ne addas quicquã verbis illius, & arguaris, inueniariſq; mendax.* Quibus in locis vides Deũ eſſe, qui eiuſmodi ſentẽtias pronuntiat: & ideò illę oſtendunt librum eſſe ſacrum, & canonicũ, & à Deo profectum. Ita ẽt verba dicta c. 22. huius libri, arguũt, autorem eius nõ eſſe alium quam Deum: & miniſtrum eius fuiſſe ex numero Apoſtolorum, per quos Chriſtus loquebatur. Quod ſi tanto ſupplicio dignus eſt, qui vnum addit verbum, vel ſubtrahit: quantis quæſo dignus erit ſupplicijs qui totũ hũc librũ in vniuerſum negauerit? Quod verò addit: *Si quis appoſuerit ad hæc*: intellige cõtrarium aliquid, quod verba Dei euertat, violet atq; corrũpat: ſecus autẽ eſt ſi expoſuerit, ſiue extra Textum poſuerit ad declarationẽ, & ad lumen verbis Dei ingerendũ. Vt ita intelligatur quemadmodũ in eclipticis, & defectiuis locutionib. facere cõſueuimus. Ita n. magnus Aug. lib. de Ciu. Dei 18. c. 4. interpretatur hunc locum. Quando enim rectus ſacræ Scripturæ ſenſus alium exitum nõ poteſt inuenire niſi additione aliqua, ſupplendum eſt aliquid, & ſubaudiendum, quo oratio conſtare poſſit.

Deut. 4.

Prouer. 30.

Diuinam negantiũ Apocalypſin, ac reiicientiũ quantum ſcelus.

Apponens aliquid ad verba Prophetię huius, quas plagas ibi ſcriptas non effugiet.

B. Aug. to. 5. Addere Scripturis ſanctis, qui minime cenſeantur ſecundum Auguſtinum.

Quintò, alia etiã ratione reddimus hoc ipſum liquidum. Traditio enim ſanctorũ Patrum, qui in Eccleſia Dei tanquam in firmamẽto fuere quaſi ſtellæ fulgentes in perpetuas æternitates, huius libri ſententias obſcuras declarant, & dicta eius non ſemel, ſed frequẽter; nõ ambigue, ſed cõſtanter, & apertè; nõ ad leuia cõprobanda ſed ad fidẽ ab hæreticis vindicandã, & ad mores rectè inſtituẽdos produxerunt; & quatenus opus fuit illuſtrarũt. Quis igitur reliquus eſſe poteſt dubitandi locus? Adferã igitur antiquiorũ ſentẽtias, quæ grauiſſimi ponderis; & autoritatis ſunt, quo Catholicus magis acquieſcat tãtę veritati.

V. argum. ab autoritate, & dictis Patrum.

Dan. 2.

Primus ergò Dionyſius Areop. Pauli diſcipulus li. de Eccl. Hierarchia: *Siue arcanam*, inquit, *illã ac myſticã omninò viſionem dilecti diſcipuli, diuinamq; Domini Ieſu, & altiſſimã Theologiã, eis, qui dij fieri merẽtur, exponit, eoſq; per myſteria ſacra, & diuina ſuſtollit, atq; cõfirmat.* Hęc ille, vocãs ſacrã Apocalypſim, & Myſticam viſionem Domini producens locũ illum: *Ecce ſedes poſita erat, &c.* de veritate fidei Chriſtianę. Secundus ſit Papias ſancti Ioannis Apoſt. auditor, & diſcipulus, vnde rectè potuit noſſe, an hic liber eius extiterit: *Et hic primus* (ſcilicet) *nouitatẽ mille annorũ inuenit, poſt quos Chriſtum denuo in carne regnaturũ cum electis ſuper terrã ſomniauit: quẽ errorem ex Apocalypſi deducentes, Chiliaſtæ (quaſi dicas, Millenarij,) appellati ſunt.* Tertius eſt Iuſtin. martyr, qui in Dialogo cõtra Thryphonæum Iudæũ ſic ait; *Et vir apud nos quidam, cui nomen erat Ioannes, è duodecim Apoſtolis Chriſti vnus, in ea, quæ illi exhibita eſt reuelatione; Chriſti fideles noſtros annos mille Ieroſolymis peracturos eſſe prælocutus eſt: ac poſtea vniuerſalẽ, & (vt ſemel dicã) ſempiternã omnium vnanimiter ſimul reſurrectionẽ, & iudiciũ futurũ.* Quartus ſit Irenæus diſcipulus Polycarpi, qui diſcipulus fuit Ioan. Euãgeliſtę, reddens rationẽ cur non fuerit expreſſum nomẽ Antichriſti: *Scientes*, inquit, *quoniam ſi oporteret manifeſte præſenti tẽpore præconari nomen eius per ipſum vtiq; edixiſſet, qui & Apocalypſin viderat. Neq; enim ante multum tẽporis viſum eſt, ſed penè ſub noſtro ſeculo, ad finẽ Domitiani imperij.* Quintus, Origenes to. 1. in Ioannem in fine, ait: *Itaq; inquit Apocalypſi Ioannes ille Zebedæi filius: Et vidi Angelum volantẽ per medium cælum, habentẽ Euangelium æternum, vt euangelizaret habitãtibus ſuper terrã* & quę ſequuntur. Sextus. Hippolyt. martyr Origeni æqualis, cuius marmorea ſtatua noſtro ſeculo Romæ inuenta eſt, &

Dio. Areop. cap. 3. p. 3.
Apocalypſis qualis viſio magno Dionyſio.
Apocal. 4.

Chiliaſtæ hæretici quare ſic dicti.

Apoc. 20.

Iuſt. tom. 1.
Luc. 6.

B. Irenæ. li. 5. c. 30. ſub fi.
Cur nomẽ Antichriſti non expreſſerit Ioannes.

Origen. to. 2
Apoc. 14.

Hyppol. martyr.

eam habuit Card. Marcell. Ceruinus, qui poſtea creatus Pontifex Maximus, vocatus eſt Marcellus II. huic tantæ veritati aſtipulatur; in cuius ſtatua illa marmorea ſcriptũ erat, quod in Euangeliũ, & Apocalypſin Ioan. Apoſtoli & Euangeliſtę ſcripſiſſet. De quo Hieronym. lib. de ſcriptor. Eccl. refert: *Hippolyt. cuiuſdam Eccleſiæ Epiſcopus (nomen quippe vrbis ſcire non potui) &* reliq. Gelaſius verò Papa lib. aduerſus Eutychetem, teſtatur fuiſſe Arabum Metropolis Epiſcopũ. Sed probabilius eſt, quod Zonaras hiſtoricus ſenſit, eum Romani portus Epiſcopũ fuiſſe. Citatur à Græcis, & Latinis ſub hoc nomine: Hippol. Romanus, vel Romæ Epiſcopus, & Martyr. Hieronym. verò in epiſt. ad Magnũ oratorẽ, cõmemorat inter eruditiſſimos Eccleſiæ Hippolyt. Romanũ Senatorem, & qui, teſte Trithemio, ſcripſit librũ in Apocalypſim, & eius hodie extat liber de aduentu Antichriſti. Septimus, teſtis eſt Melito, Eccleſiæ q̃ Sardis eſt, Epiſcopus, & Aſianus, qui ſcripſit in Apocalypſim Ioannis libros 4. quem Tertullian. ſcribit veluti prophetã habitũ fuiſſe. Sit octauus Victorinus Epiſcopus Pythabonienſis, qui tractatũ non contemnendum in Apocalypſim edidit, qui & in lucem hodie editus eſt: cui expoſitioni præfixa eſt epiſtola B. Hieronymi, qui creditur eius errorẽ de mille annis cõceptum correxiſſe, & emendaſſe. In poſtremis namq; verbis illius opuſculi cõtra Millenarios inſurgit. Octauum locũ habet Tertull. antiquiſſimus Eccleſię Latinę ſcriptor, qui in libro aduerſus Hermogenem citat illud ex Apocalypſi, *Et ſtella quidem de cælo ruent, ſicut ſici arbor, cum valido cõmota vento acerba ſua amittit. Montes ſicut cera liqueſcent.* In lib. etiam de Cultu fœminar. Meretricis magnæ, quod habetur Apocalyp. c. 17. myſterium pertractat, vt alios locos innumeros prętermittã, quos nõ opus eſt producere. Nonus eſt Methodius Tyri Epiſcopus, vir in Eccleſia Dei magnus, qui ſcripſit in Apocalypſim librũ vnum: cuius fragmenta leguntur in explanationũ rapſodijs Aretę in Apocalypſim. Adde decimo loco Cyprianum in epiſt. ad Nouatianũ in fine illud explicantẽ: *Cum aperuiſſet ſigillum ſextũ, vſq; ad id: Vidi thronum magnũ, & candidum, &, Aquæ quas vidiſti, populi multi ſunt.* Idem lib. 3. ad Quirinũ, citat hæc verba ex Apocalypſis c. 2. *Et ſcient oẽs Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis, & cordis*: & illa pleraq; profert teſtimonia in eodem volumine. Citat præterea in ſerm. De Mortalitate, & ſerm. De eleemoſyna, & in lib. de ſimplicit. Prę-

Zonar as.

Idem epiſt. 24. circa ſi. to. 2.

Trithe. in lib. de ſcriptor. Eccleſ.

Melito Epiſc.

Victori. Epiſc. Pythabonien.

Tertull. c. 34. tom. 3. apud Iacobum Pamelium.

Apoc. 6.

Method. Epiſc.

Cypria.

Apoc. 6.
Infra 20.
Supra 17.
Idem c. 56.

latorum. Vndecimum erit teſtimonium duorum inſignium Gręciæ doctorũ, Baſilij videlicet, & Gregorij Nazian. vt produxit eos Aretas, Cæſarien. Cappadociæ Epiſcopus, dicẽs in Prologo ſuper Apocalypſim: *De hoc autẽ libro à Deo inſpirato S. Baſilius, diuinoq; ſermone Gregorius (hoc eſt Theologus) & Cyrillus, Papias, Irenæus, & Photius Eccleſiaſtici Patres fide digni ſint, quib. ſine heſitatione credatur.* Hæc ille, declarãs ex quibus autoribus excerpſerit Cõmentarios. Duodecimus ſit teſtis Andreas Cęſari. qui ante Aretã floruit in eodẽ Epiſcopatu, & egregia Cõmentaria ex Patribus cõtexuit, & interdũ citatur ab ipſo Areta, vt poſteriori. Decimotertio loco poteſt produci Dionyſius Alexand. vir ſuo ſeculo præclarus, quia ea, quæ in Apocalypſi nõ intelligebat, dicebat ſe tamẽ venerari, & in pretio habere: de quo Euſeb. Cæſarien. lib. 7. Hiſt. Eccl. c. 13. verba facit: cuius ſentẽtias in alio Prælaudio adferemus. Decimuſquartus ſit Athanaſius, qui in ſua ſynopſi bis facit mentionem libri Apocalypſis, & in fine librorũ Noui Teſtamenti bis eam producit, vt à Ioanne Theologo, & Euangaliſta cõſcriptam. In illud quoq; dictũ: *Omnia mihi tradita ſunt a Patre meo. Neutiquam fas eſt dicere de Patre; Fuit quando non erat. Omnipotens Pater eſt. Omnipotens Filius eſt, atteſtante Ioanne, Qui eſt, Qui erat, Qui venturus eſt, qui omnipotens eſt.* Sermone etiã 3. contra Arrianos. Angelus quoq; Ioann. in Apocalypſi ſe adorare volentẽ: non admiſit, dicens: *Vide ne feceris: conſeruus enim ſum fratrum tuorum Prophetarum, & ſeruantium verba codicis huius.* Et in epiſtola Hęortaſtica, i. e. feſta, Ioanne Curtherio interprete, texit Athanaſius Catalogum canonicorũ librorũ, vbi enumeratis omnibus libris Noui Teſtamenti, ſubdit: *His additur & ipſa Ioannis Apocalypſis.* Decimuſquintus eſt B. Chryſoſt. dę quo ita ſcribit Suidas in verbo Ioannes: *Ioannes Theologus, & Euangeliſta, ab exilio reuerſus, cõpoſuit Euangelium centenarius, peruenit enim ad annũ ætatis* 120 *ſed dum ibi degeret, Theologiã conſcripſit.* Ioan. Chryſoſtomus etiam epiſtolas eius tres, & Apocalypſin admittit. Decimuſſextus Damaſcenus lib. 4. c. 18. Catalogum ſacri Canonis proponit, & vltimo loco Ioannis Apocalypſin ponit. Decimuſſeptimus Epiphanius Hæreſi 51. tradit, Alogianos, neq; Euangelium Ioannis, neque Apocalypſin recipere. Sentiunt n. non eſſe Ioannis, ſed Cherinthi hęretici. Idacius quoq; in Catalogo Hæreſeon c. 60. & Auguſtinus lib. ad Quoduultdeũ, hęre. 54. Decimooctauo & vltimo loco pro hac veritate

Baſil. Magnus, Greg. Nazianz.

Andreas Cæſarienſ.

Dionyſ. Alex.

Euſeb. Cæſar. tom. 1.

Athanaſ. tom. vlt.

Idem to. 1.

Matt. 11.
Apoc. 1.

Idem eodẽ.
Apoc. vlt.

Idem in fine operis.

Chryſoſt.
Suidas col. 677.

Epipha.
Apocalypſin cuius eſſe confinxerint Alogiani.
Idacius.

Hilar. ſtant Latini Patres. Nam Hilarius in Pſalmum 118.ex Apocalypſi nomine Ioan. in Prologo Pſalmorum producit nonnulla teſtimonia. Ambroſ. quoq; ex ca.8. Apocalypſis producit illa verba: *Væ habitantib. in terra*,lib 2.de Abraham, cap.7. Accedit Hieronymus,qui tũ in li. de ſcripto. Eccl. tum in epiſt. ad Paulinum, ait; *Apocalypſis Ioan.tot habet ſacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis. Laus omnis inferior eſt: in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.* Idem lib.1.aduerſus Iouin. *Petrus Apoſtolus tantum: Ioannes & Apoſtolus,& Euangeliſta, & Propheta: Apoſtolus, quia ſcripſit ad Eccleſias vt magiſter: Euangeliſta, quia librum Euangelij condidit: quod, excepto Matthæo, alij ex Apoſtolis non fecerunt. Propheta, vidit enim in Pathmos inſula, in qua fuerat à Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypſim infinita futurorum myſteria cõtinentem.* Præterea Auguſt.li.2.de Doct.Chriſt. c.8. texens Catalogum, inter Canonicas ſcripturas, vltimo loco ponit Apocalypſim: habet etiã in eundem librũ Annotationes quaſdam,quas Gennadius, & Zegherus tribuunt Tyconio Africano Donatiſtæ;& magnifaciunt eam expoſitionem Primaſius,&Haymo,& Beda.Scripſit præterea Rupertus Tuitien.Ricard. de S. Victore, & Abbas Ioachim, & permulti alij præclari viri,qui in eccleſia Dei floruerũt, & Scripturas ſacras interpretati ſunt. Addam præterea ex hæreticis noſtri ſeculi Auguſt.Marloratum,& Theodorum Bezam,qui cõtra ſententiã ſuorum Patriarcharum Lutheri, Eraſmi,& Caluini eiuſmodi librũ recipiunt, & interpretantur, quanquam hæc laus, & cõmendatio non tam à veritate extorta, quam quod c.17. ſub nomine Babylonis, & Meretricis magnæ multa acerba, ac dura in Eccleſiam Romanam ſuo temerario arbitrio ſcribi putant magni iſti nebulones. Quis ergo ex Catholicis tãtopere deſipiat, vt a torrente tot Patrum, Doctorum, Confeſſorum, Martyrum ſponte diſcedere velit, & cum paucis hæreticis, & excæcatis, ac profligatis hominibus conſentire? æquus ac pius vir iudex eſto.

Ambroſ. to. 4.
Hiero. in vita Ioan. Apoſt. to. 1.
Idem to. 3. in princ.
Idem to. 2.
Apocal. 1.
Auguſt to 3 ſub initiũ.

Diuinam Apocalypſin Ioann. qui interpretati fuerint ex Latinis Patribus. Eundem librum, ex Lutheranis qui recipiant, & quatenus inter illos Caluini ſucceſſor Theodotus Beza.

II. PRÆLVDIVM.

Quod Apocalypſin Ioannes ſcripſerit Apoſtolus,&Euãgeliſta nõ alius quiſpiã.

FIDE Catholica conſtituendum eſt, Apocalypſim verum eſſe fœtum Ioannis Apoſtoli, dilecti illius à Domino diſcipuli,& à nullo altero conſcriptum, neq; a Ioanne vllo presbytero, diſtincto à Ioanne Euangeliſta, neq; à Ioanne Theologo, vt diſtincto à Ioanne eodem Apoſtolo: neq; à Ioanne cognomento Marco, vt leuiter ſenſit Beza Caluini diſcipulus, ac poſtea (vt ille) falſitatis magiſter, ſtyli ſimilitudine, quę eſt in hoc libro,& cum B. Marco deceptus: neq; à Cherintho hæretico, vt ſomniarunt Alogi, ſiue Alogiani: ſed ab illo ipſo Ioanne, qui cõſcripſit Euãgelium,&epiſtolas,& dilectus fuit Domini diſcipulus. Quanquam enim hæc diſputatio tam coniuncta ſit cum priori, vt vix ab ea ſecerni queat: probato enim quod hic liber ſit Canonicus, neceſſario colligitur ab aliquo ſelecto organo Spiritus ſancti fuiſſe compoſitum, & exaratum; non tamen quod hic ſit, vel ille, cum conſtet multos libros Canonicos ab aliis, quam à B. Ioanne conſcriptos.

Nihilominus quo tantũ dogma magis confirmatũ reddamus, peculiaribus ac ſolidis rationib. cõprobare volumus, Ioan. Apoſtolum & Euangeliſtam certum eſſe, genuinum, ac legitimum huius libri autorem. Prima igitur probatio erit; quia ita inſcribitur: Apocalypſis Ioann. Apoſtoli: nam hoc titulo inſignitus fuit ab initio Eccleſię in hunc vſq; diem,& ſub nomine Ioann. Apoſtoli legitur in Eccleſia: nemo autem alius Ioann. nomine venire ſolet in Nouo Teſtamento, niſi aut Baptiſta, aut Euangeliſta. Conſtat autẽ, primũ Ioannẽ nihil in lucem edidiſſe. Si ergo alicuius eſt, erit eiuſdem Ioan. Apoſtoli, qui cõſcripſit Euangelium, & tres Catholicas epiſtolas. Neq; obiiciat mihi quiſquam ex cap. 12. Actuum Apoſtol. Ioannem quendam filium Mariæ extitiſſe, qui cognominatus eſt Marcus, nam ita ille nominatur Ioannes cognomẽto Marcus, vt etiam interdũ abſolute nominetur Marcus, vt Act.15.& ad Coloſſ.vlt.& 1. Pet.5. Hic vero Ioannes Apoſtolus filius Zebedæi,& frater Iacobi, & filius Salome, Ioannes ſimpliciter, ſine alio additamẽto vocatur. Hanc autem rationem confirmat ipſemet libri autor, qui in primo capite ter ſe Iohannem vocat: Mittens, inquit, per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni; &, Ioannes ſeptem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia, &, Ego Ioannes frater veſter,& particeps in tribulatione, & patientia in Chriſto Ieſu. Item c. 7. ſemel,& c.21. ſemel, & iterum c. 22. ait: *Ego Ioannes*: Quis autem alius à Ioanne dilecto diſcipulo auſus fuiſſet ſe ita nominare, niſi filius fuiſſet Zebedæi, & frater Iacobi, qui cum Ioanne cognomen accepit à Chriſto Boanerges, quique inſigni Chriſti fauore, familiaritate, & dilectione pollebat; vt propterea dignus eſſet, cui fides in his, quę docebat, aut ſcribebat, haberetur.

Secunda probatio ſit: quia ſe propter verbũ Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti in vnam

I. argum.

Ioannem cognomẽto Marcũ, autorẽ (vt quidam opinãtur) libri Apocalypſis minime fuiſſe.
Matth. 4.
Ibidem.

Ioannes Apoſtolus,&Euãgeliſta quanta fide dignus.
Marc. 3.

II. argum.

vnam ex Cycladibus inſulā nomine Pathmos relegatum fuiſſe teſtatur: at verò de nullo altero ex Apoſtolis legimus talē relegationem in eiuſmodi inſulā, niſi tantū de Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta, cuius meminerūt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, vt Euſebius, Hieronymus, Beda, atque alij permulti: nihil autē de Ioanne presbytero, vel de Ioanne cognomento Marco legimus.

Euſeb. Hiero Beda in Apocalyp. tom. 5.

III. argu.

Tertia ratio ex verbis eius vltimo capite ſcriptis deſumitur: *Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Et Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito.* Hoc a. ſolitus erat Ioan. facere, nam in fine Euāgelij habet: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimoniū perhibet de his, & ſcimus quia verum eſt teſtimoniū eius.* Idem ēt præſtitit in prima ſua epiſtola, nam procul à fine habet: *Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis quoniā vitā habetis æternā, qui creditis in nomine Filij Dei.* Non eſt ergo ouum tam ſimile ouo, quam ſunt hęc verba alijs duobus locis, vt inde colligamus alium extitiſſe autorē.

Phraſis Ioanni conſueta.

IV. argum.

Apoc. 11.

Quarta ratio ab eorum ſententia colligitur, qui ſentiunt adhuc Ioan. viuere, & cū Henoch, & Elia iterum ad pugnandū contra Antichriſtum redditurū: nam hoc & Gręci nonnulli, & Latini nō improbabiliter tenent. Vnde c. 10. dixit illi Dominus: *Accipe librū, & deuora illum, & faciet amaricari ventrē tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquā mel. Et accepi librū de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquā mel, dulce. Et cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt vēter meus, & dixit mihi, Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Deinde in principio ſequentis capitis ſubnectit: *Et dabo duobus teſtib. meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis.* Vt videantur iſti tres milites præmoniti. & pręmuniti contra Antichriſtum.

V. argum.

¶ Quinta ratio: Teſtantur Epiphanius, Philaſter, & Auguſt. in locis ſupra citatis, pro hæreticis eos eſſe habendos, qui negabāt Euangelium, & Apocalypſin eſſe à Ioan. Apoſtolo cōſcriptam.

VI. argum.

Diony. Areop. de eccl. Hierar. c. 3. par. 3. Iuſti. martyr. Orig to. 2. Aug. c. 27. tom. 9.

Sexta ratio idem oſtendit: nā Patres veteres hoc aperte tradunt, & Dionyſius, qui vocat Arcanā viſionē Dilecti diſcipuli. Iuſtin. martyr ait: *Et vir apud nos quidam cui nomē erat Ioannes, è duodecim Apoſtolis Chriſti vnus.* Orig. to. 1. in Ioan. *Itaq;* inquit, *in Apocalypſi Ioann. ille Zebedæi filius;* & Militonem dicunt ſcripſiſſe de Apocal. Ioannis. Aug. item in lib. de ſancta virginitate, ait: *Sic vos vidit in Apocalypſi quidam præceptoris dilectus agno, qui diſcumbere ſuper pectus eius ſolitus erat, & bibebat, & eructabat mirabilia ſuper cœleſtia.* B. quoque Brigitta libr. 6. in ſpiritu rapta cap. 89. interrogauit quis eſſet autor Apocalypſis? & reſponſum accepit: *Ego ſum Ioannes, cui in cruce aſſignaſti matrem tuam.* Et ſubdit: *Tu Domine inſpiraſti mihi myſteria eius, & ego ſcripſi ad conſolationem futurorū, ne fideles tui propter futuros caſus euerterentur.* Hæc ibi diuinus Ioan. alloquens Chriſtū. Et quendā F. Matthiam Sueciæ, qui ſibi erat à cōfeſſionibus egregios, & nō pœnitendos Cōmentarios ſuper Apocalyp. edidiſſe, ibidē S. Brigitta cōmemorat.

B. Brigitta.

Ioan. 19.

Ioannes cur diuinā ſcripſerit Apocalypſim, ipſo teſte.

VII. arg.

Idē ſeptimò probat antiquiſſimus liber tēpore Apoſtolorum editus. Nā cui alteri erat tribuendus quā vni ex antiquis, & primarijs Apoſtolis? Magnificentiſſima itē prophetia, atq; obſcura cui alteri, niſi habenti nomen Theologi, & presbyteri, vt antiqua, & vere Theologica appareat, cōpetere poteſt? In quo libro nō tātum Prophetarū veſtigia, ſed integræ ſententiæ, & verba manifeſte impleta oſtenduntur, q̄ de ſeptem Eccleſiarum Aſiaticarum exordijs p̄dixit. Conueniebat etiam, vt hæc Apocalypſis inter oēs Apoſtolos Ioanni amato Diſcipulo, & præſciēdi futura cupido explicaretur. Nā ꝓpterea Daniel vir deſideriorum dicitur ab Angelo, qui ei multa ſecreta futura patefecit.

Vni è duodecim Ioanni Apoſtolo cur tradita, atq; explicata Apocalypſis fuerit.

Ioan. 9.

Infra 10.

Amor Dei quid præſtet.

Ioan. 15.

Supra 14.

Supra 13.

Amor etiam viam aperit ad intelligenda myſteria. *Vos,* inquit, *dixi amicos: quia omnia quæcunq; audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Is etiā qui multa patitur propter fidem, dignus eſt, cui futura reuelentur: at de dilecto, & diligente ipſemet Ioann. refert Dominum dixiſſe: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo. & ego diligam eum, & manifeſtabo,* ſiue vt Græce dicitur *Inſinuabo ei me ipſum.* Sicut in cœna interrogauit de proditore, *Domine, quis eſt. qui ſcil. tradet te?* Et dignus fuit, qui exaudiretur ab eo. Seruis quoque ſuis in carcere poſitis multa cognoſcere cōcedit Dominus; quemadmodū fecit cum Ioſepho olim in carcerē cōiecto, & cum Daniele captiuo ſub Nabuchodonoſor; Ieremiæ quoq; reuelauit euerſionem Vrbis Ieruſalem, ac proinde Threnos, ſiue Lamētationes compoſuit. Ita etiam Ioan. in Pathmos inſulā relegato, dedit hanc præclaram reuelationem.

Gen. 40.

Infra 41.

Daniel. 2.

Infra 4.

Ierem. 1.

VIII. arg

Gelaſ. Pont. Max.

Octauò: Gelaſius Pontifex in Cōcilio 70. Epiſcoporum, vbi reprobauit reuelationem Pauli, & alterā, quæ appellatur Thomæ, & tertiam, q̄ dicebatur Stephani. reieciſſet etiam reuelationem Paſtoris, ſolam Apocalypſin Ioan. per contrarium ſtatuit legendam tanquam Canonicum, & tanquam verum Ioan. Apoſtoli fœtū.

Aduerſariorum ab inſcriptione Apoca-

¶ Quod vero contra hoc Præludium aſſerunt, non eſſe hunc librum inſcriptum; Apo-

lypſis Græca dictum argumentum proponitur. *Papias.*

calypſis Ioannis Apoſtoli, ſed ΑΠΟΚΑΛΥΨΙΣ τοῦ ἁγίου τοῦ Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. vbi rem hanc videtur in Ioann. Theologum transferre: & Papias Ioan. auditor in libro quē verborū Dominicorū expoſitionem attitulauit, duos extitiſſe Ioann. recenſet, alterum intra numerū Apoſtolorū alterū verò extra: qua diſtinctione Ioan. presbyterum appellauit Ioannem quem cum Ariſtone. magno quodam viro aſſociauit.

Euſeb.

Ex quibus verbis Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccle. c. 35. dubitauit. an Ioan. Euangeliſta eſſet autor Apocalypſis: & ex eo comprobat, quod duo Epheſi eſſent ſepulcra Ioannis nomine appellata, & li. 3. c. 23. ex ſententia Dionyſ. Alex. clare explicat, non tantum Apocalypſin non eſſe Ioannis, ſed id quoque adhibitis rationib. oſtendere nititur.

Propoſitū diluitur argumentum. Ioannes Euangeliſta cur Theologi cognomētum inuenit. *Dionyſ. Areop.* *Hippol. martyr.* *Idem.* *Cyrill. Hieroſ.* *Suidas.* *Gregorius item Nazianzenus quare Theologus nominatus.*

Verum illud primum de inſcriptione Græca, leuiſſimū argumentū eſt. Neſciūt enim, eundem Ioannem & Apoſtolū eſſe, qui Ioannes Euangeliſta nominatur, qui ob ſublimitatem Euangelij ſui in quo altiſſime de Verbi diuinitate philoſophatur, & idcirco præ cęteris Theologi nomē eſt cōſecutus. Quod ex Patribus ſic oſtendo. Nam Dionyſius Areop. 10. epiſtolam ſuam ad eum miſit eamq; inſcripſit: Ioan. Theologo, & Apoſtolo, & Euangeliſtæ in Pathmos inſula relegato: in qua cum veriſſimū Theologiæ facit autorē. Idē Hippolyt. Portuen. Epiſc. & martyr, in cuius marmorea ſtatua nuper Romæ (vti diximus) inuēta, erat, quod ſcripſiſſet in Euāgelium, & in Apocalypſin Ioan. Apoſtoli, & Euangeliſtæ: & Hippolyt. ipſe in Oratione de Conſumm. mundi: Prior, inquit, aduentus præcurſorem habuit Ioannem Baptiſtam; poſterior autem, quo venturus eſt in gloriam, Henoc, Eliam, & Ioannem Theologum exhibebit. Ita etiam Cyrillus Ieroſolymit. Catecheſi 2. initio ſcriptum reliquit: *Ioanni Theologo credamus: qui enim dixit: In principio erat Verbum, &c.* Quartus teſtis ſit Suidas nō ignobilis autor in verbo Ioannes, dicens: *Ioan. Theologus, & Euangeliſta, ab exilio reuerſus, compoſuit Euangeliū centenarius.* Simili ratione Greg. Nazianzenus; vt in eius vita legitur, Theologi cognomentū habuit, eo quod Trinitatē Perſonarum, & Diuini Verbi rationem aduerſus hæreticos aliter docentes defenderit, vt Elias Cretenſ. atq; eius explanator tradidit. Nomen igitur Theologi nō ſolum Ioanni Euangeliſtę non obſtat, ſed etiam magis ipſum confirmat.

Quale & quantum ſit Theologi cognomentū.

Alterum autē Ioannem, quem ſuppoſititium putamus, par eſt credere, Theologum nominatum non fuiſſe; & ideo nihil legimus, ob quod tam pręclarum cognomentum conſecutus fuerit, quo certè non eſt auguſtius, aut maius.

Tit. 1.

A nomine etiā Ioannis presbyteri non abhorret Ioannes Apoſtolus: nam idem in 2. & 3. epiſtolis ſuis ſe presbyterum denominauit, imo Petrus in priori ſua Canonica c. 5. compresbyterum, ſiue Græcè συμπρεσβύτερον ſe nominauit, cū alloqueretur presbyteros, hoc eſt, Epiſcopos. Sic enim & Act. 20. c. presbyteri primo dicūtur, quos poſtea vocat Epiſcopos: ſicut ēt Paulus ad Titū, eos quos ſuperius vocauerat presbyteros: per ciuitates ab ipſo conſtituēdos, paulo poſt Epiſcopos nominat.

Bezæ Theodori quo probat Marcū cognomento Ioannem (vt putat) & Euangeliſtam Apocalypſin ſcripſiſſe, argumentum refellitur triplici ratione.

Quod verò Theodorus Beza ex ſtyli ſimilitudine cōiectat hunc librum ſpectare ad B. Marcum, qui Act. 12. vocatur Ioannes, notum eſt, & parum firmum argumentum: quia nemo ex ſcriptorib Eccleſiaſticis, antiquis, & nouis, tale aliquid illi tribuit. Vt enim ſuperius diximus ſtyli diuerſitas nō arguit diuerſos ſcriptores, vt cōſtat ex duabus Petri epiſtolis, quarum vnus & idē eſt autor; & tamē ſtylus longe diuerſus, ob diuerſos amanuenſes. Idem etiā de Pauli epiſtola ad Hebræos cōprobatum reliquimus, etiamſi charactere dicendi à reliquis ſit diſtincta. Adhæc Ioan. ille Mariæ filius cognomē Marci habuit; qui verò hanc reuelationē accepit, nomine proprio Ioannis ſæpius ſe nominat, & nullū cognomentū Marci habere dignoſcitur. Præterea Marcus Euangeliſta octauo Neronis anno paſſus eſt Alexandriæ: at hic Ioannes ſub Domitiano longe poſt paſſus eſt relegationē in Pathmo.

Quam ſtulte, & inſipienter impie quæ Cherinto Apocalypſin tribuere auſi ſint Alogiani hæretici.

Stultiſſimum porrò dictum Alogianorum fuit, hunc librū affingere Cherinto, & illi tanquam verum fœtū adſcribere. Fuit enim ille inſignis hæreticus, qui in more habebat Scripturis ſacris abuti, & ad carnales ſenſus trahere, vt mihi videātur inſanire, qui opus longe inſigne, & nobiliſſimum Spiritus S. viro ſanctiſſimo, & puriſſimo adimant, & illud impuriſſimo Satanæ organo, apertiſſimoque ſanctitatis, & veritatis hoſti tribuere non vereantur.

III. PRÆLVDIVM.

Hæreticorum in cōtrarium rationib. reſpondetur. *Euſeb. Cęſarien. de Apocalypſi, an Ioannis eſſet Euangeliſtæ quare dubitauerit.*

Omnia argumenta quæ ad hunc librū quaſi minus Catholicū refellendum atq; repudiandum, ab hæreticis hactenus producta ſunt, infirma eſſe, ac facile diſſolui. Quod ergo in primis producūt, Euſebiū Cęſarien. de hac re dubitaſſe: reſpōdemus hoc eum feciſſe, cū aliorū ſententias recitaret li. 3. c. 35. & li. 7. c. 23. vbi ſub nomine Dionyſ. Alexādrini: *Nonnulli, ait, ex præceſſorib. noſtris penitus libellū hunc refutandum,*

tandum, & à Canone ſcripturarum abiiciendum putarunt, ſingula quæq; eius capitula arguentes: & dixerunt prætitulationem libri non eſſe veram, ſed alienæ ſcripturæ Ioann. tantum nomen impoſitũ vnde neq; Ioan. hunc eſſe librũ, nec reuelationem videri poſſe, quæ craſſo quodã velamine ignorantiæ cõtegatur. Addiderunt etiam hæc, quod nihil dignum in ea grauitate Apoſtolica cenſeatur. Sed ne alicuius quidẽ Eccleſiaſticorum ſaltẽ virorum ſcripturam eſſe dixerunt, ſed Cherintum quendam autorẽ Cherinthianæ hæreſeos, volentẽ dogmatis ſui fidem, Apoſtolici nominis opinione firmare, libello à ſe conſcripto, Ioan. titulum prætuliſſe. Deniq; inquiunt, Cherinthi dogma hoc cõtinet, in terris futurum eſſe regnum Chriſti. Hieron. quoq; epiſt. ad Dardanum, docet Apocalypſin à multis Græcorum Eccleſijs non recipi. Hæc & ſimilia ſunt quæ obijciuntur.

Hiero. epiſt. 129. circa med. to. 3.

Quamobrem Apocalypſis olim (vt plerique alii ſacri canones) diu in Eccleſia latuerit.

Reſpondendum tamen eſt, grauiſſimas in Eccleſia primitiua extitiſſe perſecutiones, & non ſolũ in bona, & fortunas Chriſtianorum fidei hoſtes inuolaſſe, ſed etiã in vitas eorum & ſanguinem acerbe ſęuiſſe, & ſacros eccleſię libros corrupiſſe, quos per hæreticos, & falſos Prophetas deprauabant. Cum autẽ ſub graui Imperatoris Domitiani perſecutione in Pathmos eſſet relegatus, ibiq; Apocalypſin cõſcripſiſſet, ſolebãt tunc libros qui edebãtur, propter metum perſecutorum, qui attentiſſime illis inuigilabãt, in ſecreta loca abdere, certum timẽtes ſcribentiũ illos exilium. Vnde fiebat, vt cum poſtea libris in publicũ prodire liceret, autores in eis nomina ſua prodidiſſe inuenirẽtur, agnoſcerẽturque libri quorũ eſſent autorum, & inde autoritatem ſuã conciliarent, vt fecit Ioan. in Apocalypſi; quod tamen nec in epiſtola ſua prima, nec in Euangelio ſuo fecit. Scripta ergò eſt hæc Epiſtola ſæuiente Domitiano, & eius perſecutione durante; quo tẽpore liber à Ioanne editus, in vulgus prodire nõ potuit, ſed conſeruatus eſt à veris, & fidelibus Chriſtianis, & paucis proditus ante obitũ, ſeu ante translationẽ eius: poſt illam verò manifeſtatus eſt. Et cum non eſſet ſatis illuſtris, & perſpicuus, ſed obſcuriſſimus, & impenetrabilis, ab omnibus acceptari non potuit: imo etiam noſtri de eo ambigere cœperunt.

Apocalypſis quando ſcripta.

Ea quãdo innotuerit; ac ne tum quidem cur non ab omnibus recepta.

Acceſſit poſtea altera perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano crudelior, quæ in Chriſtianos libros, & maxime in hanc Reuelationem ſæuitum eſt. Diuinę tamẽ, & ſingularis prouidentiæ fuit, quod hic liber non intercideret. Hinc Laodicena ſynodus paulo poſt ſubſecuta, hunc librũ inter canonica volumina non annumerauit: ſed vbi poſtea per Patres in examen venit, in pretio eſſe cœpit, & commentaria in eum magni Patres ediderunt, vt Iuſtinus martyr, Irenæus, Victorinus, Hippolytus, Papias, Melito quoq; Sardenſis Epiſcopus, Methodius, atq; Andreas Cęſarien. atque alij Patres, ac ita obtentum, quod eſſet ſacer & canonicus.

Vnde factum ſit, Laodicena vt ſynodus Apocalypſin Diuinis libris minime inſeruerit. Eam qui ſcholiis Græci Patres illuſtrauerint.

Quod autem hic liber olim fuerit controuerſus, nõ arguit hodie eſſe de eo ambigendum, ſed potius oppoſitum: quia Eccleſia, non obſtantibus in contrarium tot dubitationibus, & controuerſijs, eum acceptauit vt legitimum. Hinc Niceph. lib. 2. de hiſt. Eccle. de his ediſſerens libris, ita ſcripſit: *Sed etenim libri ii, tametſi controuerſi ab antiquis ſint habiti, poſtea tamen in omnibus, quæ ſub cælo ſunt eccleſiis, autoritatem ſacroſanctam, & irrefragabilem obtinuerunt, & tanquam principia atq; elementa paruitatis noſtræ ſempiterna permanſerunt.* Hæc ille. De hoc itaq; libro dubitarunt Euſeb. Cæſarienſ. & Hieronym. in epiſt. ad Dardanum tantũ ait, ab eccleſiis Græcorũ non recipi, & inſinuans Eccleſiam Latinã acceptaſſe. At vero Dionyſ. Alexand. ſuperius allegatus aperte fatetur ſibi videri librum canonicum: *Ego vero*, inquit ibidem, *quantum ad meam ſententiam pertinet ſpernere, aut abiicere ſcripturam libri huius, nullatenus audeo, maxime cum multi ex fratrib. ita mecum ſentiant. Sed hoc magis de eo iudico, quod excedãt atq; emineant quæ de eo ſcripta ſint, humanæ cõditionis modum, eſtq; in eo arcanus quidam, & reconditus, atq; admirandus omnib. ſenſus, quem & ego admiror, & veneror.* Hæc ille. Dubitauit tamen hic Dionyſ. Alexand. an Ioan. Apoſtolus, an alius quiſquam à Ioan. illo fuerit eius libri autor, & ſcriptor: in quam ſecũdam partem magis inclinauit, quod in Euangelio nunquam ſui fecerit mentionem; hic autem ſexies, aut eo amplius ſe Ioannem prodit, & ex ipſo Scripturæ ſtylo diſcretionem fecit.

Ad illud: Olim de Apocalypſis, libro dubitatũ eſt, ergo recipiendus nõ eſt.

Nicephor. Calliſt. c. vlt.

B. Hieron. epiſt 129. tom. 3.

Euſeb. li. 7. cap. 23.

Dionyſ. Alexandrinus de Apocalypſi quã præclare & ſenſerit, & ſcripſerit.

Eius quẽ faciat autorem.

Secundum arg. proponitur ex ſtyli diuerſitate inter Euangelium, & Apocalypſin, ex qua diuerſitate ſolẽt Nouatores futilia argumẽta cõnectere aduerſus ſacros libros. Sed hoc argumentum leue videri poſſet, cum oporteat pro argumẽti diuerſitate characterem quoq; dicendi varium inueniri. Et certe in genere non admodũ diſcrepant. Ambo enim cõmuni dialecto, & eiuſdem Græcæ linguæ communibus phraſibus, & idiotiſmis cõſtant. Poſſumus etiam aliter ſatisfacere, quod attinet ad hanc ſtyli diſſimilitudinẽ, quam Dionyſ. Alexand. tribus argumentis refellit, vt teſtis eſt Niceph. lib. 6. hiſto. Eccleſ. cap. 23.

II. argum. Aduerſariorum ad probandum, Apocalypſin non eſſe Ioannis Apoſtoli, diluitur. Altera ſolutio.

Niceph.

Apocalypſis quod ad ſcribendi rationem attinet, ab Euãgelio & Epiſtolis Ioannis in tribus differt.

Primò ex tota orationis indole, & ductu. Deinde quod cum Euangelio Epiſtola Ioann. Catholica multa habeat cõmunia; at cum hoc libro ne ſyllabam quidẽ communem habet. Tertiò, quia cum ſermonis dono, & ſapientiæ excelluerit Ioannes, alicubi barbariſmis & ruſticis ſolœciſmis vtitur. Verum hæc diſſimilitudo miranda non eſt in tam diſſimili rerum argumẽto.

Vnde hæc ſtyli diſſonantia.

Nam etſi in Euangelica hiſtoria, & in Epiſtola impulſu Spiritus S. tantum ex ſuo ſenſu loquatur; hic tamẽ audita, & dictata tantum excepit; illic partim narrat rem geſtam, partim docet; hic autem de rebus futuris agit, & quidem preſcriptis verbis. Et miramur non eiſdem ſententijs vſum, & eadem phraſi locutum fuiſſe? Quid ꝙ pleraque ipſis ſuperiorum Prophetarum, Ezechielis, Danielis, & Zachariæ vtitur teſtimonijs, & verbis dictatis ab eodem Spiritu, qui quondam per eos, licet rudi, & inculto ſermone, hæc eadem erat locutus: quare mirum non eſt, vt diximus, ſi non ita culto ſermone, & limato noſter Ioannes eloquitur.

III. argu. Eraſmianum ſcilicet.

Tertiò argumentatur Eraſmus opponens Dorotheum Epiſcopũ Tyri, & martyrem in cõpendio vitarum Apoſtolicarum, vbi tradit, Ioann. in Pathmos inſula Euangelium ſuũ cõſcripſiſſe, Apocalypſis verò ne meminit quidem. Sed hoc leue, quia nec etiam Athanaſius in Synopſi meminit Epiſtolarum eius. Et licet ſuſpectus eſſet hic liber, ab alijs tamen, vt Baſilio, & Gregorio Nyſſeno tribuitur, qui perinde ſunt boni autores, atq; Athanaſius. In Epiſtola etiam, quã Athanaſius heortaſticã vocat Curterio interprete, Apocalypſis honorificam mentionẽ facit. Gregorius etiam Nazianz. in Carmine heroico de libris Canonicis, non fecit mentionem Apocalypſis, ſed in Catholicis epiſtolis finit libros noui Teſtamenti.

Athanaſ. in fine operum.

Greg. Nazianz.

Solutio argumẽti.

Reſpondemus producẽdo Aretam, qui teſtatur Gregorium Theologũ tribuiſſe hunc librum vt Canonicum Ioanni Euangeliſtæ, & ſuper illum ſcripſiſſe: vnde & eius ſententias in ſua conſarcinatione applicat.

Ad illud: Amphilochius Apocalypſin vt librũ ſacrum nõ agnoſcit.

Præterea Amphilochius in ſuis Iambis ad Seleuchum, vel Serenum, negat Apocalypſim legitimum, & canonicum librũ. In promptu eſt reſponſio, olim à quibuſdam fuiſſe receptum, à quibuſdam verò repudiatum: & Epiphanius aperte inter hæreticos nominat eos, qui hunc librum repudiant. Dionyſius vero Alexandrinus tradit Apocalypſin fuiſſe Cerinthi, ſicut olim Caius quidam ſcriptor teſte Euſebio Cæſarien. dixerat. Sed certe hoc tanto minus credendum erat, quanto nec ſecum Autores cõcordant.

Epiphan. in Hæreſin 51.

Euſeb. lib. 3. c. 35.

II. reſponſio.

Item ſi grauitatis Apoſtolicæ nulla in hoc libro veſtigia Patres agnouiſſent, quomodo eum tales pro Ioan. vero, & legitimo libro vſurparunt? vt Gregorius, Baſilius, Cyrillus, Epiphanius, Irenæus, Hippolytus. & Aretas.

Quam leue illud etiam Eraſmi: In Apocalypsi præter morẽ, frequens ſuum nomen inculcat Ioannes

Vrget Eraſmus, quod hic ſolicite ſuum nomen inculcauerit, perinde ac ſi ſyngrapham ſcriberet, non librũ, præter ſuum, & Apoſtolorũ morem. Sed certe etiam in Euangelio notulis quibuſdã ſe ipſum deſcripſit Ioannes Apoſtolus, velut cum ait: *Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*: Paulus quoq; coactus fuit ſuas viſiones, & reuelationes patefacere, rem ſub alterius perſona exponens. Quod autẽ hic cum Angelis referens colloquia, ſępè inculcet: *Ego Ioannes. Ego Ioannes*: hoc imbecillum eſt ac debile argumentum, non enim aduerterit Dionyſius ille Alexandrinus, aliud eſſe hiſtoriã, aliud prophetiam conſcribere.

Ioan. 21

2. Cor. 12.

Aliud hiſtoriam, aliud eſſe prophetiam ſcribere.

Hiſtoriæ veritas aliunde pendet quã ex ſcriptore: in Prophetia vero quia res futuræ pronunciantur, nonniſi Dei pronunciãtis, & reuelantis Prophetæ autoritati innititur. Ideo in Prophetarũ libris non tantum initia, ſed etiã ſingulę ferè viſiones Dei dictantis, & Prophetæ ſcribentis ponuntur cum nomine. Quare frequenter legimus: Hæc dicit Dominus exercituũ: & in vno Ieremia centies, & vigeſies nomen proponitur: & in c. 7. Danielis, ſingulis viſionibus ponitur: Ego Daniel: Eſaias filius Amos, ꝙ tamen non conſueuit Ioannes facere, quia hiſtoriã, non prophetiam texebat, in qua de ſe multa dicere cogebatur.

Quoties ſui nominis vnus Ieremias mentionẽ fecerit.

Eſai. 1.

IV. argu.

Quartò obiicitur, quod in multis deprehendatur mẽdax hic liber Apocal. ſcriptus ad quaſdam Eccleſias, quæ non ſunt, aut fuerunt ait enim: *Et Angelo Eccleſiæ Thyatiræ, ſcribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet*, & quę ſequuntur. hęc autem vrbs eſt in Myſia ad ſiniſtram fluminis Caici, in qua templum Ioan. nulla fuit in Chriſtum credentium Eccleſia: Quomodo ergo ad nõ exiſtentem Eccleſiam ſcribere potuit Apoſtolus.

Apoc. 2.

Thyatira ciuitas vbi ſita.

B. Epiphanii ſolutio.

Reſpõſio eſt, quoſdam ex antiquis hoc olim obiecisse, vt teſtis eſt Epiphan. Hæreſ. 51. & reſpõdit egregie huic obiectioni, his verbis: *Si dixerint, Non eſt nunc Eccleſia in Thyatiris. oſtendunt vaticinatũ eſſe Ioannẽ. Cũ enim inhabitarint hi iſthic, itemq; Phryges, inſtarq; luporum rapuerint mẽtes ſimplicium fidelium, tranſtulerũt totam ciuitatem in ſuam hæreſim: & qui negãt Apocalypſim verbi huius, in ſubuerſionẽ contra illud tempus arma mouerunt. Nunc autẽ propter Chriſtum in hoc tẽpore poſt tempus centum & duodecim annorum. eſt*

Phrygarũ hæreſis quando exorta, ſecundum Epiphanium.

Eccleſia, & augeſcit, & alia quadam iſtic ſunt: tunc verò vniuerſa Eccleſia euacuata erat in hereſim ſecundum Phrygas appellatam. Quapropter etiam Spiritus ſanctus ſtuduit reuelare nobis, quomodo erratura eſſet Eccleſia poſt tempus Apoſtolorum, tum Ioannis, tum deinceps ſequẽtium, quod erat tempus poſt Saluatoris aſſumptionem, per nonaginta tres annos errorem, a cõfuſionem paſſura iſtic Eccleſia in Phrygaſtarũ hareſi. Sic enim ſtatim redarguit dominus: Scribe Angelo Eccleſia Thyatirẽſis. Hæc dicit qui habet oculos velut flammam ignis, & pedes eius ſimiles Chalcolibano, &c. & ſubdit: Habeo autẽ contra te, quod permittis vxorem Iezabel decipere ſeruos meos, qua ſe dicit propheti ſſam, & docet comedere ea, qua ſimulachris immolata ſunt, & ſcortari, &c. Nõ videtis, ô boni, quod de mulieribus dicit in prophetia opinione deceptis, & multos decipientibus, de Priſcilla inquã, & Maximilla, & Quintilla, quarum fraus non latuit Spiritumſanctum, ſed prauaticinatus eſt propheticè per os ſancti Ioannis: quod factum eſt poſt ſancti Ioannis dormitionem. Hæc ille.

Apocal. 12. Iezabel ſe dicens prophetiſſam, & docens ſcortari vt in Apocalypſi dicitur, quæ myſtice.

Cæterum Apollonius doctor clariſſimus, & in Eccleſia magnus, vt teſtatur Hieronymus in l. de Script. Eccle. egregia volumina ſcripſit in Montanum, & inſanas vates ſuſpendio perijſſe: & multa cõtra illas obijcit, vt quod acciperent munera, quod crimen fucarẽt, quod ſtibio oculos linirent; quod gemmis ornarentur; quod tabula luderẽt, & teſſeris fœnus acciperent. Quod ſi quicquam illorũ negarent, ait ad illa certis, ac omni exceptione maioribus teſtibus cõprobanda ſe paratum eſſe. Scripſit contra hunc Catholicũ virum Tertullianus hæreticus, & nominatum ſeptimum librum de extaſi in fauorem hæreticorum Montaniſtarum.

Hier. tom. 1. Appollonius de Montano hæreſiarcha, eiusq; vatibus, quas circumducebat, qualia commemoret.

Poſſumus etiam his adiũgere, eo tempore quo Ioannes Apocalypſin edidit, fuiſſe quoſdam Chriſti cultores, & profeſſores ex Thyatirenſibus, cum Act. 16. legamus Lydiã purpurariam, hoc eſt, purpurarum venditricem, in Chriſtum à Paulo prædicatum credidiſſe, dum eſſet apud ciuitatem Philippos. Facile itaque, etſi eo tempore nulla eſſet Eccleſia, ex his tamen, qui extra eam verbum Dei audierant, & crediderant, poſteà conſtitutam fuiſſe Eccleſiam.

Altera ſolutio.

V. Argum.

Quinto obijcitur, partem quandam huius libri fuiſſe à peſſimo quodã nebulone & hæretico, hoc eſt à Cherinto conſcriptam. Continet enim inſtaurationem regni in Ieruſalem, & Templi, & Feſtiuitatum Iudaicarum. *Ego*, inquit, *Ioannes vidi ſanctã ciuitatem Ieruſalem nouã deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Et infra: *Ambulabunt Gentes in lumine eius, & Reges terra afferẽt gloriam ſuam, & honorem in illam. Et porta eius non claudentur per diem.* Continet item ciborum ſatietatem: *Non eſurient*, inquit, *neque ſitient amplius*, infra: *& deducet eos ad vita fontes aquarum*: & iterum: *Vincenti dabo edere de ligno vita, quod eſt in paradiſo Dei mei* (vel vt Græca habent) *in medio Paradiſi Dei mei.* Rurſus: *Dabo manna abſconditum*: Futuras item nuptias, & coniugales generationis actus: *Gaudeamus*, inquit, *& exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptia Agni, & vxor eius praparauit ſe.* Et paulò poſt: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Quare Hieronymus lib. 17. commentariorum in Eſaiam rectè ſcripſit: *Apocalypſim Ioannis ſi iuxta literam accipimus, Iudaizandum eſt; ſi ſpiritualiter vt ſcripta eſt, diſſerimus, multorũ veterum videbimus opinionibus contraire Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantij Gracorum, vt cateros pratermittam, Irenai, tantum Lugdunenſis Epiſcopi faciam mẽtionem, aduerſum quem vir eloquentiſſimus Dionyſius Alexandrini Eccleſia pontifex elegantem ſcribit librum, irridens mille annorũ fabulã, & auream atq; gemmatam in terris Ieruſalem, inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, otium Sabbathi, circumciſionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationẽ, epularum delicias, & cunctarũ Gentium ſeruitutem, rurſusq; bella, exercitus, ac triumphos, & ſuperatorum neces, mortemq; centenarij peccatoris. Cui duobus voluminibus reſpondit Apollinarius: quem non ſolum ſua ſecta homines, ſed & noſtrorum in hac parte duntaxat plurima ſequitur multitudo.* Hæc Hieronymus.

Apocal. 21.

Ibidem.

Supra 7.

Ibidem 17.

Supra 2.

Ibidem.

Infra 19.

B. Hieron. in præfat. ſub initium, tom. 5. Apocalypſis iuxta literam accipere, quid Hieronymo.

Idem lib. de Script. Eccleſ.

Eſai. 63.

Reſpondemus tamen, quod etſi Chiliaſtæ nõnullis huius libri teſtimonijs abuſi ſint; non propterea tamen eſſet vlli hæretico hic liber adſcribendus, niſi eos locos adferat, quos aliter commodè accipi non poſſe quiſpiam oſtendat: alioqui aſſerimus, illos alio ſenſu eſſe accipiẽdos, quam volunt ipſi, ſicut viri ſanctiſſimi atq; doctiſſimi iampridem iudicarunt. Vt huic libro planè acciderit quod accidit Epiſtolæ ad Hebræos, quam propterea pertinaciter nonnulli repudiant, quod facilè à Nouatianis recipiatur: quin ipſi potius ſuam ignorantiã debuerant accuſare. Deinde cũ Cherinthi alia fuerint, vel illa dogmata: nã Deum Cherintiani negant mundi conditorem: aſſerunt Chriſtum ex Maria, & Ioſeph natum, & more cæterorum hominum genitum: Chriſtum, & Ieſum, vt diſtinctas ſeparant perſonas: Cur etiam alia ſua dogmata huic libro non inſperſit, quod non ſolum non fecit, ſed etiam cõ-

Ad V. arg. reſponſio.

Quam leui de cauſa quidam reiecerint Epiſtolam ad Hebræos.

Cherintianorum hæreſes.

trarium præſtitit? Vt contra eius errores hinc efficacia deſumi poſſint argumenta vt omninò appareat hæc à Cherinto proficiſci non potuiſſe. Ideò damnantur ab Epiphanio hæreſi 51. Alogiani, quod hãc Apocalypſin Cherinto tribuerent. Deinde vbi de mille annis verba fecit c. 20. nihil eorum narrat, de quibus Cherinthus tam impia dogmata vomebat. ¶ Illud verò: *Beatus & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima, &c. regnabunt cum eo mille annis*, Auguſtinus refert ad reſurrectionẽ illam ſpirituum, & animorum noſtrorum ad Deum quæ nunc contingit per gratiã, numero verò millenario, plenitudo temporis notatur, vt Andreas, & Aretas Græci interpretantur, & ex Latinis Ambroſio inſcriptus liber in Apocalypſin, & Primaſius, atque Beda.

Mag. Epip. ad Apocalypticos: Regnabũt cum eo (ſcilicet ſancti cũ Chriſto) mille annis, quo ſenſu accipiendum. *B. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei, c. 20. tom. 5. Andreas. Aretas. Ambroſ. Primaſius. Beda. to. 5. Apoc. 21.*

Nec pro illis facit quod ſequitur: *Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo*, in terram ſcilicet, vt inquiunt: quia non eſt ſermo de Ieruſalem terrena, nec de illa, quæ glorioſa in cœlo regnat: quia Apoſtolus indicat ſe aperte loqui de noua, & ſpirituali Eccleſia, cuius Dominus Deus templum eſt, & Agnus eius lucerna: cuius ciuitatis duodecim ſunt fundamenta Apoſtolorum, & de qua ait Paulus: *Illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Et templum*, inquit, *non vidi in ea:* Et cuius politia, ſiue municipatus in cœlis eſt.

Ciuitatẽ Ieruſalem nouam deſcendentẽ de cœlo quam viderit Ioannes Apoſtolus. *Apoc. 21. Galat. 4. Apoc. 21.*

Porrò illis verbis: *A Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo:* ad illud alludere videtur, quod videlicet non ſit maius ornamentum ſponſæ, quam vir eius, neque viri glorioſius ornamentũ, quam ſponſa eius. Vnde Eſaias: *Induit me* (Deus) *veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decoratũ corona; & ſicut ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Ergo per nuptias Agni, delicias ſpirituales intellige: nam & Ioãnes ipſe à principio fuit in ſpiritu in die Dominica, vt habes cap. 1.

Quid itẽ ſit: a Deo paratam ſicut ſpõſam ornatam viro ſuo. *Eſai. 65.*

Deliciæ agni quænam illę.

VI. argum.

Sexto obiicitur de die Dominica, quæ tempore Ioannis nondum erat inſtituta; quomodo ergo dicere potuit: Fui in ſpiritu in Dominica die? Nec ſatis conſtat de tẽpore, in quo Ioannes Apocalypſin ſcripſerit: nam Irenæus c. 30. editionis nouæ, ſub finem 5. libri temporibus Domitiani viſam Apocalypſin tradit: cui conſonat Euſebius in chronic. At verò Epiphanius, & Hieronymus lib. de viris illuſtrib. aſſerunt, Ioannẽ Apocalypſin in inſula Pathmos edidiſſe. Dorotheus tradit, Apocalypſin in Pathmos ſcripſiſſe, Euangelium vero pòſt. Verum hæc diſſonantia non ſa-

B. Irenæus. Epiphan. in hæreſin 51. Hier. to. 1.

Reſpõſio.

uet ad negandã Apocalypſin: ſicut etiam non conuincit, ab Homero Iliada editam non fuiſſe, quia dubium eſt quo tempore, & quo loco illam cõdiderit Homerus: ſicut etiam nõ tollit, Homerum non fuiſſe, ꝙ ſeptem eſſent ciuitates, quę de eo quaſi ſuo ciue efficiendo certabant, iuxta illud:

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri:
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

Septem vrbes Gręciæ quæ ſibi Homeri ortũ vindicarent olim. *Daniel 9.*

Adhæc dubiũ eſt de 70. Hebdomadibus Danielis à quo tempore ſint enumerandæ: nam ſane multæ ſunt opiniones, & quiſq; ſuam ſequitur: nec tamen tollit veritatem ſeptuaginta hebdomadarum à Daniele prædictarum.

Circa vero diem Dominicam, in qua ſolebant conuenire Chriſtiani populi ad verbum Dei, & ad participanda ſacramẽta; dicendum eſt, eam fuiſſe inſtitutam ab Apoſtolis: nam multo tẽpore ſuperuixit omnibus Apoſtolis Ioannes. Vocatur autem vna Sabbati Act. 20. & 1. Corinth. 16. & Apoſtoli ſua autoritate illum ſubſtituerunt, & conſecrarunt in diem Sabbati religioſa pietate colendum: quia primum in eo Chriſtus natus eſt: deinde in eodem à mortuis reſurrexit, & in eodem Spiritum ſanctum miſit in Apoſtolos. Lege librum ſeptimum conſtitutionum Apoſtolic. ca. vigeſimo ſeptimo, & librum quintum capite vlt. *Reus*, inquit, *peccati erit, qui Dominico die ieiunauerit, cum ſit dies Reſurrectionis.* Teſtatur etiam de Melitone Sardenſi Hieronymus, in lib. de vir. illuſtr. quod librũ ſcripſerit de die Dominico: Ignatius quoque epiſt. 6. ad Magneſianos: *Pro ſabbatizatione*, inquit, *diem feſtum celebret omnis Chriſtianus, Dominicam Reſurrectionem regalem eminentiſſimam omnium dierũ.* Vides igitur antiquiſſimam fuiſſe conſuetudinem diei Dominicæ. Erat ẽt in more poſitum, vt Prophetæ non tantum tempus, quo prophetias colerẽt, ſed etiam locum vbi prophetarent, exponerent: quod obſeruant omnes Prophetæ, & præſertim Ezechiel. A quo quidem more non videtur abhorruiſſe Iohannes, dum in Pathmos inſula quam narrat prophetiam, ſe vidiſſe teſtatur. Atq; hæc ſint ſatis pro argumentorum diſſolutione.

Dies Dominicus ab Apoſtolis fuerit inſtitutus quando, & quibus de cauſis.

Clem. Rom. Hieron. in vita Melit. tom. 1. B. Ignat.

Dominica dies B. Ignatio qualis dies.

Prophetæ duo obſeruabant.

V. Prælvdivm.

NE enim videamur fortiſſimũ argumentũ cõtra librũ Apocalypſis diſſimulare, quod colligitur ex illius obſcuritate, & difficultate, quã nullus hactenus expli-

Obſcuritas libri Apocalypſis qualis merito videri poſſet.

explicare ita potuit, vt omnes eius latebras, & nodos aperiret: & videri poſſet hic liber à Deo minimè profectus, atq; illi cõtigiſſe quod dici ſolet de circuli quadratura, quam poſſe quidẽ cognoſci, & apprehendi nouimus; eius tamẽ ſcientiam non dum hactenus inuentam, liquidò videmus: Nihilominus aſſerẽdum eſt, librum hũc miris quidem tenebris obſitum eſſe, & impeditum, ſed non ſine multis, ac magnis vtilitatibus: & aliquãdo futuris ſeculis in Eccleſia certam eius notitiam, & intelligentiam habendam.

I. Ratio huius obſcuritatis, ab internis principijs deſumpta.

Hoc autem præludium etſi per ſe notum eſſe videatur ijs, qui librum à principio in finem vſq; perlegerint: poſſumus tamen illud nonnullis ſolidis rationibus confirmare. Et prima quidem via à priori ſumitur. Omnis enim liber hiſtoricus res geſtas præteritas tractat, quæ ſi dilucido, & aperto ſermone explicentur, facilè ab intellectu humano percipiuntur, & comprehenduntur: at propheticæ ſcripturæ quæ de futuris cõtingentibus, & ſuo tempore ventura prænunciantur, quamdiu illa non ſunt completa, vix poſſunt à nobis percipi, nec niſi diuinando intelligentia noſtra illa aſſequi valuit, aut antequam à Deo explicationẽ acciperent. Quæ enim Deus loquitur, lõgè ſunt ab humana diuinandi ratione ſepoſita, & illa quę ſupra rationẽ ſunt, ratione attingere velle, non niſi inſipientis eſt, & in vanum conantis.

Daniel. 2. Infra 7.

Hoc cõſtat de Daniele, qui cum à Domino accepiſſet reuelationem occultiſſimam de monarchijs, ſimul & ab eo accepit prophetiam, & explicationem eius. Adde etiam illud, quod hęc ipſa futura, quæ prophetantur, nonniſi ſub obſcuris inuolucris, & ſub metaphoricis verborũ integumentis ita inuoluuntur & implicantur, vt agnoſcatur, illum, qui illas prædixit, dediſſe operam, vt homines laterent, & omnibus lectoribus occultæ abderentur.

Prophetas voluntariè obſcuritatem affectaſſe, vnde manifeſtum ſit.

Libri veteris legis qui minus obſcuri, qui magis.

Hoc autem diſcrimen, libri veteris legis facilè oſtendunt. Nam hiſtorici ſpem aliquam pollicentur intelligentiæ; Prophetici verò nullam prę ſe ferunt interpretationis lucem, iuxta illud: Poſuit tenebras latibulum ſuum in circuitu eius tabernaculum eius; tenebroſa aqua in nubibus aeris. Hinc in ore Prophetarum frequens illud præceptum; vt claudant ſermones, & libros inuoluant, vt non niſi magno ſtudio, & diligentia ad eos legendos, & conſulendos accedant.

Dan. 12.

Quare Danieli capite decimoſecundo dicitur: *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Nam is eſſe ſolet ſermonis ambigui, & perplexi fructus, vt ingenium hominis, & deſiderium accendat ad agnoſcendum quod dicitur, & ad orationis ſtudium impellat, vt per eam obtineat quod per ſe non poteſt.

Sermo obſcurus ac difficilis quam in primis vtilitatem adferat.

Iacob. 1.

Quare frater Domini ait: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat,* & cum Apoſtolis facit cõfugere ad Chriſtum, dicẽtibus, *Ediſſere nobis parabolam iſtam*: ſicut etiam Danielem fecit ad Dominum accedere capite primo & ſecundo, quo ſolutionem ſomnij, & ęnigmatis obtineret: & capite nono ad tempus aduentus Meſſiæ per hebdomadas expreſſum compulit. Seruit etiam ad multiplicem ſenſum eruendum, vt dixit Daniel.

Matth. 15.

II. Vtilitas obſcuri ſermonis.

Præſtat hanc quoq; vtilitatem, vt ſerui Dei, & Prophetæ, impiorum Regum, & principum, qui in eos debacchari ſoliti erant, perſecutionum ſæuitiam, & necem euaderent. Vnde illud apud Ieremiã: *Formido, & laqueus facta eſt nobis vaticinatio & contritio.* Adeò enim obſcurè, & perplexè futura pręnunciabant, vt præſentes nõ intelligerent, & mortem ab impijs præſentibus inferri ſolitam effugerent, vt ita dicendo, nihil dicere, & reuelãdo nihil reuelaſſe viderentur.

Threnor. 3.

Quare in parabolis Chriſtus alloqueretur Iudæos.

Ad quẽ etiam modũ Dominus Ieſus cernens Iudæos moleſtè ferre Euangeliũ, ne illos offenderet, ac exaſperaret magis, ſub parabolis, & ſimilitudinibus illud inuoluit, & implicauit, quia non merebantur, vt explicitè illud traderet.

Ad quod vſq; tẽpus ſtatutum Daniel claudere ſermones, & ſignare librum debebat.

Dan. 12.

B. Hirenæus.

Vocat autem Daniel dicto capite tempus præſtitutum, id eſt, tempus conſummationis, aut tempus Meſſiæ, in quo omnes promiſſiones impletæ ſunt, & veterũ Prophetarum oracula explicata, & Moſaica ænigmata illuminata, & quæ olim erãt veluti tenebræ, vmbræ tenebroſæ, & veluti mortuæ, viuificata. Hinc B. Irenæus l. 4 contra Valentinum, c. 43. producto hoc loco Danielis, & altero ex ca. 23. Ieremiæ: *Propter hoc*, inquit, *Daniels Propheta dicebatur: Muni ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus cõſummationis, quo adusq; diſcãt multi, & adimpleatur agnitio. In eo enim cũ perficietur diſperſio, cognoſcẽt omnia hæc. Sed & Ieremias ait: In nouiſſimis diebus intelligẽt ea. Omnis enim Prophetia, priuſquã habeat effectũ, ænigmata & ambiguitates ſunt hominib. Cum autẽ venerit tempus, & euenerit quod prophetatum eſt, tunc prophetia habent liquidam, & certam expoſitionem. Et propter hoc quidẽ Iudæis cum legitur lex, in hoc nunc tempore fabulæ ſimilis eſt. Non enim habent expoſitionẽ omniũ rerum pertinentem ad aduentum Filij Dei, qui eſt ſecundum hominem: A Chriſtianis vero cum*

Quid illud: Plurimi pertrãſibunt, & multiplex erit ſcientia, ſecundum Irenæum.

Prophetia omnis quando ænigmata, & ambiguitates ſint hominibus.

Matth. 13.

legitur,

Prophetia Chriſtianis quid ſecundum Irenæum.

legitur: theſaurus eſt abſconſus in agro: cruce vero Chriſti reuelatus eſt, & explanatus, & ditãs ſenſus hominum, & oſtendẽs ſapientiam Dei, & eas quæ ſunt erga hominẽ, diſpoſitiones eius manifeſtans. Hæc ille. Simile quid etiã B. Paulus in poſteriori ad Theſſalon. c. 2. ſub inuolucris, & per ænigmata prędixit Romanis, qui tum rerum omnium potiebãtur, ne ſeuerius in Chriſtianos graſſarentur, Romanum enim Imperium breui excindendum præſignificauit: ſicuti etiam Dominus Matth 24. obſcure admodum atq; perplexè de aduentu Antichriſti, & euerſione vrbis Ieroſolymorum locutus eſt. Simile quippiam in huius libri ca. 5. teſtatur Ioannes, nã librum ſcriptum intus, & foris, ſigillis ſeptem ſignatum cõmemorat, quẽ nullus dignus erat aperire: & vnus & ſenioribus ad Ioannem plorantem dixit. *Ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius* id eſt, primaria Chriſti myſteria. *Hic eſt qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Septem autem myſteria, ſunt illa magna ſacramenta, quæ ad Chriſtum ſpectant: vt Incarnatio, Natiuitas, Baptiſmus, mors crucis, Reſurrectio, Aſcenſio, & Spiritus ſancti miſſio. In capite etiã 17. præſentis libri ſatis tectè, & inuolutè de vrbe Roma loquens, quæ ſeptem montibus nititur, & in ea omnis ſanguis Prophetarum qui ſparſus eſt ſuper terram, inuentus eſt, Idololatriæ, & Paganiſmi, & imperij euerſionem proteſtatur.

Apoc. 5.

Quid ſoluere ſeptem ſignacula libri ſignati intus, & foris.

Supra 5.

Vrbem Romanã, eiusq; idololatriæ euerſionem Ioannes quomodo deſcribat.

III. Vtilitas obſcuritatis ſacrarum literarum, & Apocalypſis potiſſimum.

B. Brigit. li. 6. cap. 110.

Accedit & alia commoditas ex ſermone obſcuro & perplexo: quia vt Dominus dixit ad ſanctã quandã fœminã: Ioannes ex inſpiratione mea vidit futura Eccleſiæ pericula ſub ſpeciebus corporalibus: quæ ſi ſcripſiſſet ad certa tempora auditores omnes horruiſſent: & expectando, præ timore, diſſoluti fuiſſent. Propterea præceptũ fuit ſibi quod ſignaret quæ vidit, ſed non ſcriberet. Nam vbi aliquid ſignatur, ſignum eſt alicuius rei futuræ incutientis timorem Sic eſt in vocibus tonitruorum, fulgurum, & ventorum Nã ſignificabantur comminationes tyrannorum conturbantium Eccleſiam meam, quas ita vehemẽtes Ioãnes videbat in ſpiritu, quod potius erant ſignãdæ quam ſcribendæ. Sicut enim ille qui ſcribit, vel dicit vnam paruã parabolam grandia denotantem, vt audientes habeant occaſionem timendi futura, ſic ego oſtendi futura; ſed non expoſui, vt homines timeant, ſed quia nõ erat tempus vt frangeretur teſta, & eliceretur nucleus: Ideò oſtendi futura ſub obſcuritate, quia prius debet parari vas, quã infundatur potus. Hæc ibi diuina ſapientia. Et hactenus quidem via à priori oſtendimus difficiles eſſe Prophetas, & obſcuros, ac per hoc Apocalypſim profundam eſſe nobis, & inacceſſibilem.

Quod ſignatur, cuius rei ſignum eſſe ſolear.

II. Ratio obſcuritatis Apocalypſeos, extrinſecus petita.

Idem iam à poſteriori conabimur cõprobare. Nam & ipſamet Apocalypſis ſe obſcuriſſimam eſſe prodit, & omnes talẽ eſſe pronunciant, & idem oſtendunt permulti graues autores, quos habuit interpretes, & enarratores, qui omni ferè ſeculo, & ætate eam conati ſunt ediſſerere, & elucidare. Et ſub initiũ vt primum in lucem prodijt, dubitatũ eſt an eſſet liber canonicus, & an eſſet verus fœtus Ioannis Euãgeliſtæ, an alterius Ioãnis; deinde quo tempore ſcripſerit. Adhæc antiquiſſimi, vt Iuſtinus martyr, deinde Papias Ioannis auditor Hierapolitanus Epiſcopus, & Meliton Sardenſ. Aſiæ Epiſcopus, Iudaicam mille annorum δευτέρωσιν introduxerũt, quam ſecutus eſt Irenæus, & Lactãtius. & Victorinus Pyctabon. Epiſcopus: quanquam ille tractatus diligentia Hieronymi emendatus, & correctus eſſe videatur, quod in fine cõtra Millenarios ſcribat. Illi autem Chiliaſtæ nimis carnaliter in articulo illo Apocalypſim interpretati ſunt: ex Latinis verò Tyconius Africanus in Apocalypſin ſcripſit: cuius commentaria Gẽnadius, & Zegherus Minorita laudant: quẽ imitati ſunt Primaſius Auguſtini diſcipulus, & Beda, & Caſſidorus in contractionibus ſuper Apocalypſin. Quod ſi hic Ticonij commentarius alius non eſt, quã ille qui habetur in tomo nono operũ Auguſtini, profectò mirari ſatis non poſſum quid illud ſit tam eximiũ in illa expoſitione. Rupertus Tuitien. ante 500. fere annos libros 12. in Apocalypſim exarauit: ſed illud videtur vitioſum in eo, quod prophetica Ioannis dicta tãquam hiſtoricas res geſtas explanare conatur: ſicut etiam è cõtrario vitiũ eſt hiſtorias quaſi prophetias rerũ futurarũ interpretari Prodijt noſtro ſeculo explanatio Ambroſij in Apocalypſin: ſed reuera nõ eſt Ambr. Romani, ſed Ambroſij cuiuſdã Ansberti iunioris, qui in eo opere B Ambroſiũ, & alios Ambroſio Roma. iuniores interdũ producit. Prodijt quoq; noſtro ſeculo cõmentarius in Apocal. titulo B. Thomæ, quã quidam putant eſſe ſuppoſititiã. Scripſerũt etiam Aprigius Placen. Hiſpaniæ Epiſc. Iſidorus Hiſpalen. Haymo Alberſtatenſ. Rabanus Maurus, Henricus de Aſcia Carthuſianus. Scripſit & ante Innocentium Abbas Ioachim, qui eiuſmodi reuelationes permultis ſuis inuẽtionibus, & cõiecturis impleuit.

Iudaicam mille annorum fabulam, Chiliaſtarum, videlicet inuẽtum, & ſomnium, qui ſuſceperint ex noſtris, & approbauerint.

Apoc. 20.

Apocalypſin Latini qui interpretati fuerint.

Ruperti Tuitienſis quanus probabilis eã interpretandi methodus.

De Ambroſij in Apocalypſin opere quid ſentiant viri docti.

Abbas quoq; Ioachim in eo explanando quod pec-

cauerit, iuxta B. Thomam.

B. Aug. ca. 52. tom. 5.

nit. De quo vt intelligas iudiciũ B. Thomæ Aquinatis, audi quid ille in quarto ſententiarum, diſt. 44. art. 3. qu. 2. ad 3. tomo 7. ſcribat: *Auguſtinus 18. de ciuitate Dei reſpondet quibuſdã, qui volebant accipere numerum perſecutionũ, quas Eccleſia paſſa eſt, & paſſura, ſecundum numerũ plagarum Aegypti, dicens: Ego per illas res geſtas in Aegypto iſtas perſecutiones propheticè ſignificatas eſſe non arbitror, quamuis ab eis qui hec putant, exquiſite, & ingenioſe illa ſingula his ſingulis comparata videantur, non prophetico ſpiritu, ſed coniectura mentis humanæ, quæ aliquando ad verum peruenit, aliquãdo fallitur. Et ſimiliter videtur eſſe de dictis Abbatis Ioachim, qui per tales coniecturas de futuris aliqua vera prædixit, & in aliquibus deceptus fuit.* Hæc Thomas. Prætermitto pleroſque alios noſtri ſeculi, qui commentaria iuſta, aut breuia ſcholia in hanc reuelationem Ioannis ediderunt, & non dubium quin futuris ſeculis permulti orituri ſint, qui ab elucidando hoc libro non ſe continebunt, præſertim ſi maius aliquod lumen affulgeat.

Apocalypſis quando erit demum omnibus perſpicua, & aperta.

Dubium autem nõ eſt, quin ante Domini aduentũ dilucidus, & perſpicu⁹ redditus erit hic liber, à Chriſto, & Apoſtolis, & multis Patribus illuſtratus. Nec enim libri Canonici pro iam vita functis, ſed in vtilitatem fidelium viuẽtium & ſcribuntur, & eduntur. ¶ Quod ſi quis opponat, nihil eſſe in hoc libro hactenus intellectũ aut compertum: Reſponſionem accipiat quiſquis is eſt qui cõtradicit, præſtare vel probabiliter aliquid de his futuris euentibus noſſe, quam per demonſtrationem multas veritates de creaturis ſcientia apprehendere, & nũquam mundus fuit, aut erit ſine Prophetis, per quos quæ inſtant, & neceſſaria ſunt ad ſalutem, reuelet Deus. Fruſtra etiã tot Eccleſiæ lumina laboraſſent hactenus, ſi nihil ſua opera, & diligentia explicaſſent, & nunquam ex eo libro aut ſcriptores veteres teſtimonia pro ducerent ad fidem faciendam, aut verbi Dei miniſtri & prædicatores locos ad ædificandum populũ producerent: fruſtra etiam in Miſſæ ſacrificio, & in diuinis officijs multa in Eccleſia legerentur.

Aſſerenti Apocalypſin æque modo, ac vnquam olim intelligibilẽ videri, quid obijciendum ſit.

Eiuſdem libri intelligentiam non plenam, & perfectam cum cæteris quoque ſacris voluminibus eſſe communem.

Nec obſtat quod minus exactè & luculenter hactenus hæc Apocalypſis intelligitur: quia nec in lege veteri Prophetæ, neq; Apoſtoli, & Doctores tam perſpicue omnia dicta Domini Euangelica perceperunt, nec Apoſtolicæ ſententiæ ita explicatæ ſunt, quin aliquid amplius deſideremus. Patienter itaque agamus, meliora expectemus, & maius intelligẽtiæ lumen ab autore luminum petamus. Hæc enim obſcuritas, & rerum perplexitas non tam à Ioanne procurata eſt, quam à Deo, qui per ſeipſum eam dictauit ad reprimendã noſtram ſuperbiam, & leuem celeritatem intelligendi. Sanè Ariſtoteles refert, Socratem lecto Heracliti, qui dictus eſt Σκοτινὸς, libro dixiſſe: *Laudo quæ intelligo, laudo etiã quod non intelligo.* Dicebat etiam, ſcripta Heracliti Delio natatore indigere. Ita tu etiã lector, ſi ſapis, lauda Ioannis Apocalypſin, etiamſi tibi inacceſſa, & impenetrabilis videatur. Audi etiam quod Euſebius Cæſarienſ. l. 7 hiſtoriæ Eccleſia. c. 23. de Dionyſio Alexandrino, viro eloquentiſſimo verba faciens, referat eum de Apocalypſi ſenſiſſe, & ſcripſiſſe: ego verò (quantum ad meam ſententiam pertinet) ſpernere, aut abijcere ſcripturam libri huius, nullatenus audeo, maximè cum multi ex fratribus ita mecum ſentiant. Sed hoc magis de eo iudico, quod excedant, atque emineant quæ in eo ſcripta ſunt, humanæ auditionis modũ, & ſit in eo arcanus quidam, & reconditus, atq; admirandus omnibus ſenſus, quem & ego admiror, ac veneror, etiamſi non intelligo. Hæc ille magnus in Eccleſia Dei vir, inſtituens omnes qui lecturi ſunt hanc Prophetiam, quali animo, & affectu eſſe debeãt, etiamſi eius ſenſum non aſſequantur. Tertius accedat teſtis Epiphanius, qui hæreſi 51. contra Alogianos negantes Apocalypſin, ſic alloquitur: *Dicunt autem, contra Apocalypſin hæc negantes: Quid mihi, inquit, prodeſt Apocalypſis Ioannis, quæ dicit mihi de Angelis, & ſeptem tubis? Et non ſciunt qui talia dicunt, quod neceſſaria & vtilia huiuſmodi ſunt in prædicationis rectitudine. Quæ enim erãt in lege ac prophetis obſcura, & in ænigmate dicta, ea Dominus diſpenſauit, vt per Spiritumſanctũ ad noſtrã ſalutem ſeruo ipſius Ioannis reuelarẽtur: quæ illic obſcura erãt, hic in ſpiritualia ac manifeſta prædicans. Spiritualiter autẽ nobis eadẽ diſpenſauit. Et ex pellibus quidẽ tunc tabernaculũ conſtruxit, rubeo ac hyacinthi colore infectis, &c. vt oſtenderet, tabernaculũ illic quidẽ tabernaculum eſſe, verum perfectiſſimũ tabernaculum Chriſti repræſentare, pellis enim à corpore fit, quæ mortua eſt velut vmbra corporis viuentis, vt oſtenderet corpora eſſe tabernaculum Dei. Quandoquidẽ enim in ſanctis corporibus habitat Deus, vt impleatur dictũ illud: Habitabo in ipſis, & obambulabo.* Hæc ille ſubtiliter, & doctè. Et hactenus de difficultate huius libri.

Ariſtot. li. 3. Rhetor. De Heracliti libro dictum Socratis.

Euſeb. Cæſar. Dionyſij Alexandrini de Apocalypſi tãto digna viro & libro ſententia.

B. Epipha. ſub finem. Apocalypſin obijcienti ob ſuam obſcuritatẽ, vanam eſſe, & inutilẽ, quid reſpondeat magnus Epiphan.

Exod. 36 Quid ex pellibus arietum rubricatis, nec non de pellib. hyacinthinis conſtructum tabernaculum figurauerit, teſte Epiphan.

2. Cor. 6. Leuit. 26.

V. PRÆLVDIVM.

Apocalypſis quod epiſtola quædam ſit.

PRæſentem librum & epiſtolam quandã eſſe, & prophetiã ſiue reuelationẽ à Chriſto conſcribi præceptam: & beatũ

Apoc. 1. Ad quos ſcripta.

eum prædicari, qui legit, vel audit verba eius. Eſt enim in primis epiſtola Ioannis nomine ad ſeptem Aſiæ Eccleſias ſcripta, quas nominatim enumerat, nempè Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardos, Philadelphiã, & Laodiceam. Cõtinet ſalutationem egregiam, & præclaram, continentem nomen ſcribentis, & nomina Eccleſiarum. Et in fine operis ponitur ſalutatio altera, quam in fine epiſtolarum ſuarum Apoſtoli apponere ſolent: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnib. vobis, Amen.*

Cur ſcripta.

In illis autem ſeptem Eccleſijs Aſiæ prædicauerat Ioannes; in illis etiam verſatus fuerat, & miraculis prædicationẽ cõfirmauerat. Voluit etiam certo genere prophetandi eis prælucere: & in illis ſignatis Eccleſijs, vniuerſas Gentium Eccleſias alloquitur: quia in Spiritu prænouerat Synagogas Iudæorum non diu permanſuras. Libri quoq; Canonici non niſi ad credentes mitti conſueuerunt. Cum his autem ſeptem Aſiæ Eccleſijs, intellige vniuerſas Gentium (vt dixi) congregationes: quemadmodũ Paulus ad ſeptẽ Gentium Eccleſias ſcripſit: niſi quod ille ſeptem epiſtolas diſtinctas miſit, hic autem Ioannes vnicam ad eaſdem Eccleſias nominatas ſcripſit.

In ijs quare eccleſias Gentium, & non Iudæorum ſynagogã alloquitur Ioannes.

Huius argumentum epiſtolæ, ex Victorino.

Quanquam Victorinus martyr teſtetur, in hunc librum, ad hos ſeptem Eccleſiarum Epiſcopos vnas & eaſdem miſiſſe, in quibus erudiuntur, inſtituunturq; de futuris euẽtibus eorum, quæ prænouerat militantem Eccleſiam inuaſura; donec Chriſtus ad electos eruendos, & ad ſe recipiendos reuertatur.

Epheſus, qualis ciuitas. *Act. 20.* Smyrna, Pergamus & Thyatira.

Epheſus, metropolis erat Aſiæ minoris, in qua templum Dianæ Epheſiæ conſtructũ erat toto orbe celeberrimum: de qua in Actis Apoſtolicis eſt ſermo. Smyrna, quã Meles fluuius interfluit, cuius Epiſcopus fuit ſanctiſſimus martyr Polycarpus. Pergamus, clariſſima Troadis vrbs quam Silenus fluuius interſecat: vnde natus eſt Galenus Pergamenus. Thyatira, vrbs Aſiæ minoris in Lydia, templo Aſclepiadij famoſa, vnde nata erat mulier illa Lydia purpuraria, qua de in Actis fit mẽtio. Sardis verò, ciuitas erat, & Lydiæ caput, & Regia: cuius Epiſcopi fuerunt Papias Ioannis auditor, & Melito ille, qui vt Propheta habebatur. Philadelphia, vrbs eſt in Myſia, quæ terræmotibus concuſſa fuit. Laodicea, ciuitas erat in Aſia minori, cuius meminit Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes, ad quam etiam quædam Epiſtola Pauli conſcripta legitur. Sed reuera non fuit ſcripta ad Laodicenos à Paulo, ſed ex Laodicea ad Epheſios, vt ſuo loco proba-

Supra 16.

Philadelphia & Laodicea.

Coloſſ. vlt.

Secundi argumentum capitis.

tum reliquimus. ¶ Has autem ſeptem Eccleſias, poſt cuiusque illarum laudes enarratas, blandè reprehendit Dominus de vitijs, quæ vel eo tempore vigebant, vel longè poſtea futura erant, vt in Thyatirenſibus eum feciſſe admonuimus: vt in ea quoque Prophetam egerit Ioannes. Et nota, ouium vitia ipſi paſtori, ſiue rectori tribui: ponit enim peccata non ſua, ſed aliorum; & tamen dixerat, *Habeo aduerſum te pauca, quia charitatem tuam primam reliquiſti*, vt dixit Epheſijs: vel quod dixit Pergami Angelo: *Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, &c.* quæ diligenter ſunt ponderanda, vt Epiſcopi, qui nunc Eccleſias regunt, ſui muneris admoneantur, & retineant quæ laudat in illis, & vitupetent ea, quæ vitare debeant. Nec eſſet ab re ex antiquis Patribus, vt Ignatio, Polycarpo, & alijs, qui eo tempore floruerunt, hoc illuſtrare, vt illi agnoſcant Spiritum ſanctum per Ioannem in quibuſdam laudaſſe, & in quibuſdam vituperaſſe: indicarent enim quædam veſtigia eorum, quæ in eis commendantur, vel vituperantur.

Ouium vitia vnde paſtorum eſſe conſtet. *Apoc. 2.*

Ibidem.

Quid Epiſcopi obſeruare debeant.

Addit: *Septem Eccleſiis quæ ſunt in Aſia:* ad differentiam ciuitatum, quæ earum nomina habebant, in alijs tamen prouincijs ſitarum. Hanc autem laudem & commẽdationem tribus primis capitibus abſoluit. Quare placere non poteſt ſententia Origenis, qui hos Angelos non putat eſſe Epiſcopos, ſiue paſtores officio, & munere, ſed etiam natura. Debent igitur Epiſcopi hæc tria capita diligenter legere, & intelligere, quo tempeſtiuè dent operam tollendis de ſuis diœceſibus, quæ eas inficiunt, & demoliuntur, hæreſibus vel abuſibus, ne illi in paſtorum ſuorum, in ſua videlicet capita, recidant.

Expenditur dictũ: Septem Eccleſijs quæ ſunt in Aſia.

Origenis de Angelis ſeptem Eccleſiarum opinio confutatur. *Orig. hom. 13. in Luc. tom. 2.*

Eſt autem egregia Procopij in Danielem Prophetam regula nobis tradita. Prophetas, qui in longa tempora aduentum Meſſiæ prænũciarunt, veros Dei Prophetas cognitos fuiſſe: quia dum vixerunt, quædam ſuo tempore, aut proximè ſecuturo prædixerunt, atque etiam illa ſtatim completa viderunt: ac proinde cognoſcere potuiſſe illos vera prænũciaſſe de futuris ſeculis. Erat etiam moris ire ad videntes, ſeu ad Prophetas conſulendos, vt ſcirent quæ ignorabant: vt Saul cum ſeruo patris ſui Cis quærens aſinas, venit ad Samuelem: & Azarias, ſiue Ochozias Rex miſit ad Eliam, vt noſſet ſi eſſet mortem inſtantem euaſurus. Ita hic Ioannes alloquitur illas Eccleſias, & earum capita, & quid eſſent paſſuræ ab hoſtibus Fidei, vt

Dei Prophetas vnde conſtet veraces extitiſſe, ac vt tales agnitos fuiſſe. *Procop. Gazæus.*

1. Reg. 9.

4. Reg. 1.

inde certam comprehenſionem habe-rent,vera eſſe, quæ de venturis poſt longa ſecula prædixerant.

Expenditur hæc ſalutatio: Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, & qui erat,& qui venturus eſt. *Exod.* 4.

Hæc epiſtola habet ſalutationem ampliſſimã,ac vere Apoſtolicã: *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Vbi in lingua Græca ſolœciſmus eſt apertus,nam habetur: Ἀπὸ τῦ τὸ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Et ſignificat Deum omnipotẽtem,qui dixit:Ego ſum,qui ſum, qui & omnipotens eſt,& non venit à non eſſe ad eſſe, vt cæteræ creaturæ, & qui ſemper per æternitatem fuit,& futurus eſt.

Septem Spirituum Deo aſſiſtentium officium. *Tob* 12. Angelorũ officium bifariam diuiditur. *Oecum.* Septem ſpiritus improprie quid.

Sequitur: *Et à ſeptem Spiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt.* Aſtant ante Deum ſeptem præcipui, & primarij Angeli,qui omnium curam, & gubernationẽ ſub Deo gerunt,quorũ vnus dixit ad Tobiam; *Ego ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptẽ qui aſtamus ante Dominum.* Diuiduntur enim in miniſtrantes,& aſſiſtentes Daniel.ſeptimo. Eſt autem aſſiſtere, hypoſtaſis, ſiue ſubſiſtentiæ integræ. Et ideo teſte OEcumenio in Apocalypſin, & aliis Patribus, non tam commode interpretamur de ſeptem donis Spiritus ſancti, quæ qualitates ſunt, & formæ ſpirituales, ſed minime ſubſiſtentes.

Septem Spirituum nomine qui veniãt hoc loco tantummodo. De illis proxime poſt Deumnẽtio cur facta. *Pſal.* 102. 1.*Tim.* 5.

Et ſeptem iſti ſpiritus non ſignificant, vt in alijs locis,vniuerſos,bene autem ſeptem primarios Angelos,qui vniuerſis prę-ſunt. Nec etiam nominãtur quaſi iſti ſeptem pares ſint Deo,Patri, Verbo,& Spiritui ſancto,& illis æquales in maieſtate,aut potentia, vel honore;ſed quod famulẽtur & obſequantur, iuxta illud: *Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute,facientes verbum illius.* Simili ſchemate gaudet Paulus ad Timotheum. *Teſtor,* inquit, *coram Deo,& Chriſto Ieſu,& electis Angelis.*

Ieſus Chriſtus cur teſtis fidelis appelletur. 1.*Tim.* ult. *Ioan.* 18.

Deinde ſubdit: *Et à Ieſu Chriſto,qui eſt teſtis fidelis.* Qui teſtimonium reddidit (vt ait Apoſtolus) ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionẽ. Intellige ergo de Chriſto vt homine incarnato, & per generationẽ ex Virgine edito, nam vt talis,teſtificatus eſt corã Pilato,cum dixit: *Regnum meum nõ eſt de hoc mundo.* Deinde etiam teſtis fidelis dicitur, quia non ita locutus eſt, vt gloriam propriam quæreret.

II. Ratio. *Supra.* 8. Idẽ quare Primogenitus mortuorum dicatur. *Matth.* 28. Vt ſit etiã princeps Regũ terræ. *Apoc.* 17. 1.*Tim.* 6.

¶ Primogenitus autẽ mortuorum dicitur, quia primus ad vitã immortalem ſurrexit: & Princeps Regũ terræ: quia data eſt ei omnis poteſtas in cœlo,& in terra,ſuper Reges,id eſt,paſtores, & prælatos gregibus ſuis à Deo præfectos. Vnde & Rex Regum, & Dominus Dominantium bis vocatur in hoc libro.

Quomodo dilexit nos Chriſtus, & lauit ſanguine ſuo. *Apoc.* 5.

Adiungit: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Actum ſummę dilectionis ſuæ oſtendit fundendo exterius ſanguinem,quo lauaremur à maculis peccatorum: & ita lotos, ac redemptos fecit nos regnũ, & ſacerdotes Deo & Patri ſuo,vt poſſimus alios ſanctificare,& regere in ordine ad remiſſionem peccatorum,gratiam,& vitam æternam. Et ita ſatis conſtat,hoc volumen Epiſtolam eſſe.

Cur fecit nos reges, & ſacerdotes apud Deũ. Apocalypſin etiam librum prophetiæ appellari poſſe.

Secundo etiã dici poteſt liber Prophetię. Vnde in principio ait: Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius; Et capite poſtremo: *Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius.* Eſt autem hęc prophetia vnica, & ſingularis Noui Teſtamenti. Et ſicut prius multi fuerunt prophetiæ apud Hebræos,& Sibyllæ plurimę apud gẽtes prę-nunciantes primũ eius in carne aduentũ ad doctrinã,& redemptionẽ omnium:ita hæc vna Ioannis Euangeliſtæ prophetia pnunciat ſecundũ eius ad iudicium aduẽtum,& ad cõdigno præmio iuſtos remunerandos. Oſtendit etiã hanc Prophetiã tẽpora omnia attingere, quæ inter primũ & ſecudũ Dñi aduentum euentura erant.

II. Ratio.

III. A nomine, Apocalypſis *B. Hieron. tom.* 9.

Dicitur & voce Græca Ἀποκάλυψις, quæ tam ob myſterium, quã ob ſenſus dignitatẽ in Latinum non eſt conuerſa, quemadmodũ aliæ voces Hebrææ, vt Alleluia, Sabaoth,& reliquæ. Teſtatur item Hieronymus in c.1. Epiſt. ad Gal. in illud verbũ, *Sed per reuelationem Ieſu Chriſti,* hãc vocem adinuentã à 70. interpretibus,& in Scripturas inuectã: vnde quo rarior eſt apud pfanos autores,eo frequentior eſt in Scriptura, vt huic libro vt titulus attributa. Et alibi ait Apoſtolus; *Cum cõuenitis, vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet,* & iterum, *Veniam autem ad viſiones,& reuelationes Domini.*

Vox Apocalypſis à quibus adinuenta teſte Hieronymo. 1. *Cor.* 14. 3. *Cor.* 12.

Deus quãdo quid reuelet. Reuelatio quid Hebræis. *Eſaiæ.* 1. *Matth.* 1. *Eſai.* 1.

Cum ergo Deus velum earum rerum, quibus futura tecta ſunt, & velata, tollit, ac detegit,tunc dicitur reuelare. Ponitur aũt more Hebræo reuelatio pro re reuelata: quemadmodum viſio Eſaiæ, eſt res viſa ab Eſaia;& auditio pro re audita,oblatio quoque pro re oblata. Supplendum etiam ex tropo Hebræo aliquid,vt verbum ſubſtantiuum,eſt:ſicut cum dicitur: *Liber generationis Ieſu Chriſti,* ſcilicet, hic eſt: *Viſio Eſaiæ filij Amos,* videlicet eſt iſta. Similiter *Apocalypſis,* intellige,eſt hæc.

In quem ſenſum reuelatio dicitur data Ieſu Chriſto à Deo.

Ac ſubdit: *Ieſu Chriſti*: Nõ quaſi aliquid fuerit detectum Chriſto ſedẽti ad dexteram Patris,quod illi nunc patefecerit, ſed reſpectu noſtri ita locutus eſt, quia illam Dominus non vt alienam, ſed vt ſuam, à Patre tamẽ cum eſſentia acceptam, Ioanni per Angelorum miſterium patefecerit ad Eccleſiæ ædificationem, vt in Prophetiis ordo ſeruetur, quẽ Deus ſeruare ſolet.

Quo ordine reuela-

tionem hanc dederit Deus.

Primo enim ponitur Pater reuelās primarius: deinde filius non vt inæqualis, vel ſeparatus, ſed vt vnus & idem Deus ſubſtātia coniunctus, perſona tamen, ſiue hypoſtaſi diſtinctus: ac vt Filius tanquam mediator Eccleſiæ apud Patrē conſideretur, & per quem olim Pater ſe Eccleſiæ patefaciebat, antequam caro fieret: ex quo autem ſe in cœlum recepit, agente, & moderante Spiritu ſancto, qui eſt vna eſſentia cum eis, nec à Patre, aut filio ſeparari pōt, nec debet. Secundū locum habent Angeli, qui miniſtrant, & ſpiritualia reuelant: Deinde ponitur Propheta ſanctus, qui accepit ab Angelis, non vt in ſe ſolo ſiſtat reuelatio, ſed vt effundat illam in eos, qui credunt, ac timent. Vnde vltimo loco ait: Palam facere ſeruis ſuis. Non ait, Philoſophis, aut ſapientibus huius mundi; ſed ſeruis ſuis, vt correcti, & emendati, æterna ſupplicia, aut temporalia detrimenta euadant, aut vt præuiſa tela minus feriant, aut maiori patientia illa tollerare valeant. Adde, quod vt multa olim per Prophetas ſanctos ſuos de aduentu ſuo in carnem, ſatis perplexe, atq; inuolute prædixit, & tempore quo tandem expectatus, & promiſſus venit ac proſpexit ſibi de Ioanne Baptiſta, qui ipſum voce, atq; adeo digito indicaret, ne errarent alterū pro Chriſto ſuſcipiendo: & ad idem venerunt Simeon, & Anna, & Apoſtoli, qui omnia oracula Prophetica de Ieſu, atq; eius doctrina, & miraculis, in morte, ac reſurrectione oſtēderent: ita ab huius ſanctæ Prophetiæ impletione de Elia, & Henoch, atq; adeo Ioanne Euangeliſta nobis proſpexit, ne poſſent credentes excuſationem vllam obtēdere, quod eſſent perplexę, impeditæ, atq; adeo obſcuriſſimæ iſtæ reuelationes: qui non tantum viua voce, & ſignis, ſed etiam ſanguine, & morte teſtabūtur impleta, & exitum eſſe ſortita, pręter paucula quę ſupererant. Mittet igitur ſuo tēpore ipſum Henoch ex lege naturæ, Eliam ex veteri Teſtamento, & Ioannem Euangeliſtam ex Nouo, autorem, & conſcriptorem huius ſacræ Reuelationis: qui & ſeruos Dei in fide confirment, & contra potentes Antichriſti machinas, & pernicioſiſſimas fraudes corroborent.

Quare ſeruis ſuis, nō aliis, hanc reuelationem voluerit manifeſtari.

II. Ratio.

Ioan.1.

Luc.2.

Apoc.11.

Chriſtus cur Henoch, Eliam, & Ioannē Euangel. præmittit ad iudicium.

VI. PRÆLVDIVM.

Satisfaciet dubitationi cuidā, Cur ſcilicet inter cunctos libros Noui Teſtamenti vltimum locum teneat, & quale extiterit Dei conſilium, vt hic ordine vltimum locum ſortiretur. Reſpondeo, nonnulla occurrere, quæ hunc nodum facile diſſoluant. Nā hoc in primis adſcribi poteſt aut tempori quo ſcripſit, quia poſt omnes alios Noui Teſtamēti libros editos, & fere ab omnibus receptos, hic poſtea comparuit. Nam peruenit vſq; ad ætatem Traiani, vt ex hiſtoriis conſtat, quo tempore omnes Apoſtoli morte ſua iam Dominū glorificauerant, & tempore Domitiani in Patmos fuerat relegatus, vbi reuelationem accepit: De quo libro etſi nonnulli dubitauerint, tamen hic tandē in Eccleſia robur, & autoritatem obtinuit.

Quare Apocalypſis, vltimus ſit liber Noui Teſtamēti.

I. Ratio.

Deinde videtur conſilio Spiritus ſancti factum, vt quoniam in veteri Teſtamēto poſt legem, & hiſtorias innumeras, & libros ad Sapientiam ſpectantes, vt Iobis, Dauidis, & Salomonis, vltimū locum habēt Prophetica ſcripta, nimirum quatuor Prophetæ maiores, ac duodecim minores: ita in Nouo Teſtamento poſt legem Euangelicam quatuor libris conſcriptam, & hiſtoriam Apoſtolorum, & libros ad Sapientiam ſpectantes, qui in Epiſtolis Pauli quatuordecim, & in ſeptē Canonicis Apoſtolorum continentur, poſtremo ſuccederet Prophetica reuelatio ſancti Ioannis Euangeliſtæ. Ac vt inter quatuor Prophetas maiores vltimum locum tenet Daniel, obſcuriſſimus ſane propheta, & multi temporis hiſtoriam cōplectens: & inter Prophetas minores pene vltimum locum habet Zacharias, perplexas ſane, atq; difficiles viſiones continens: ita plane Ioānes in hac Reuelatione perobſcura, ac multa tempora complectente, nempe à primo Chriſti aduentu vſque ad ſecundum, & quam plurimas, & inuolutas viſiones fere inexplicabiles continente, aptiſſime illis reſpondere videtur.

II. Ratio.

Qualis Propheta Daniel.

Tertio reſponderi poſſet, merito extremum locum hunc librum accepiſſe: quia, ſicut vetus Teſtamētum de aduentu primo Chriſti prophetauit, ita Ioannes de ſecundo, hoc eſt, de poſtremo eius ad iudicandum aduentu, vt locus quadraret his quæ tractauit, quæ poſtremo tempore contingent. ¶ Voluit etiam Deus omnia, quæ in Eccleſia ſuis temporibus euentura erant, hac reuelatione prædicere, non tantum vt tela magis præuiſa minus ferirent, & maiori patientia, ac fide aduerſa tolerarent, ſed etiam vt illud impleretur Prophetæ Amos: *Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas.*

III. Ratio.

Amos 3.

¶ Quarto etiam nec incōmode fortaſſis, dici poſſet, hunc librum tardius plane, & exacte intelligendum, & ita perinde ſcriptum eſſe quodammodo, ac ſi nō fuiſ-

IV. Ratio.

ſet, cum ab aduentu prędicta vera eſſe deprehendantur, nam ſine dubio quædam eius pars vſq; hodie quibuſdã ignota permanet, etſi Deus poſſit eius etiam rei nõdum impletæ tribuere intelligentiam.

Alfonſi Toſtati, Apocalypſin minus neceſſariã præ cæteris Scripturis aſſerentis, dictum improbatur.

Quod ergo Epiſcopus Abulen. tom. 1. ſuper Matthæum ſcripſit, hunc librum minus neceſſarium eſſe inter alios omnes Noui Teſtamenti: quia in eo non eſt aliquid de fide credendum de pręſcriptis viuendi: falſum eſſe exiſtimo: nã multa tradit de Diuinitate, & magnitudine Chriſti, & multa de morte, reſurrectione & imperio eius, & aduentu ad iudicium, qui ſunt articuli fidei: multa etiam de vitiis, & peccatis fugiẽdis, de virtutibus amplectẽdis, multa de ſancto timore, & prudentia vitandi Hæreticos. Cum igitur multæ ſint reuelationes in Nouo Teſtamento in eo libro conſcriptæ, non ſatis aſſequor qua ratione illud aſſeruerit.

VII. AC POSTREMVM PRÆLVDIVM.

Apocalypſis à Deo nobis cur tradita.

APeriet præclaræ huius reuelationis ſcopum, & quid in ea contineatur; & quem in ea ordinẽ obſeruet. Propheta: quæ ſane poſſunt non parum lucis adferre ad illuſtrãdas huius prophetię tenebras. Quod ad primum attinet, diuinæ prouidentiæ munus eſt, ita ſe cum homine gerere, vt eius ſalutem quærere, & promouere videatur. Hæc autem promotio inde potiſſimũ deriuatur, ſi homo intelligat Deũ omnia prouidere, atq; præcognoſcere, etiam futuros euentus: atq; hoc quidem certa notitia. Et hinc eſt, quod futurorum omnium cõſcium ſe eſſe Deus proteſtatur. Hinc Eſaias: *Annuntiate*, inquit, *quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* Quare ſemper in Eccleſia aliquos eſſe voluit, qui dono prophetiæ ornati eſſent, & Deum futurorum omnium prædicarent præſcientem, vt inde fidem Diuinæ ſuæ exculperet maieſtatis, timorem item, & religionis cultum Deo teſtarentur, & ſpem, & charitatem hominum in Deum exigerent.

Hominis ſalutem procurandæ ratio diuinæ prouidentiæ qualis

Eſai. 41.

1 *Cor.* 12. *Epheſ.* 4.

Apocalypſis reuelatio quanęę fidei, & autoritatis ſit.

Cum igitur multæ ſint reuelationes in Nouo Teſtamento, vt Apoſtolus dixerit: *Prophetias nolite ſpernere*, & iterum, *Cũ conuenitis, vnuſquiſq; veſtrum pſalmũ habet, Apocalypſin habet*: ad hanc tãtam propheticam reuelationem credẽdã nos arctare voluit, quæ ſcripta eſt in hoc canonico libro, & per electum, & puriſſimum organũ Spiritus ſancti, id eſt, Ioannem Euangeliſtam Theologum, & diſcipulum Chriſto dilectum.

1. *Theſſ.* 5. 1. *Cor.* 14.

Ioannis Euangeliſtæ cum Petro, & Paulo cõparatio:

Ita vt ſicut Petrus primatu, & petra fundamẽtali nomine, & clauibus peccata remittendi inſignis fuit: & Paulus ſapiẽtia Dei, & prædicandi efficacia, & diſputatione admirabilis extitit: Ita Ioannem in peculiari dilectione, & Matris ſanctiſſimæ commendatione, & Euangeliſtæ dignitate, & futurorum præſcientia præcellere voluerit Dominus Ieſus.

Matth. 16. 2. *Pet.* 3. 1. *Cor.* 2. *Actor.* 9. *Ioan.* 19.

Eiuſdem cum Ioanne Baptiſta Chriſti præcurſore contentio.

Si vero præcurſorem Ioannem Baptiſtã cum Ioanne Euãgeliſta conferamus, ſane inueniemus, non minus Chriſti præcurſorem eſſe Ioannem Euangeliſtam. Nam priorem aduentum præcurrit Baptiſta, poſteriorẽ Euangeliſta. Vterq; eſt vox clamantis in deſerto; & ideo Euangeliſta, filius tonitrui, id eſt Chriſti iudicis appellatus eſt, qui tonitru ſuæ ſententiæ vniuerſum perterrefaciet orbẽ, cum tonabit in cęlo: *Surgitẽ mortui, venite ad iudiciũ*, &, *Diſcedite à me maledicti, in ignẽ æternũ.* Baptiſta Herodi dixit: *Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui*: Euangeliſta dicet Antichriſto, Nõ licet tibi occupare Eccleſiã, & Spõſam alterius. Chriſto teſtificatus eſt Baptiſta vſque ad mortẽ; poſterior etiam vſque ad mortẽ teſtificabitur, & quaſi digito oſtẽdet, dicẽs: *Ecce leo de tribu Iuda*, ſicut prior dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.* Fuit Baptiſta ſicut Lucifer mane oriẽs: erit Euãgeliſta quaſi Heſperus in nocte tenebroſa aduẽtus Chriſti ad iudiciũ.

Ioan. 1. *Eſai.* 40. *Marc.* 3. *Ioan.* 5. *Matth.* 15. *Supra* 14. *Ioan.* 3. *Epheſ.* 5.

Apoc. 5. *Ioan.* 1.

In Apocalypſi quæ nobis documenta traduntur.

Continet porro hic liber Chriſti diuinitatem, æternitatẽ, magnitudinẽ, & alios permultos honorificos eius titulos, & maxime poteſtatem Regiam, & iudiciariam: quia Rex eſt Regũ, & Dominus Dominãtium. Deinde ſtatum Eccleſiæ militantis, quæ tota in caſtris verſatur, & contra hoſtes, qui ſub aſpectum nõ cadunt, militat, & pugnat. Ita vt recte dictũ ſit de Eccleſia, *Dabit illi* (ſcilicet Chriſto Meſſiæ) *Dominus Deus ſedẽ Dauid patris eius.* Nõ ſedẽ Salomonis, inquit, pacificam ſcilicet, & tranquillam, ſed Dauidis, inquietam videlicet, ac turbulentam, & quæ cœpit ab iis, qui erãt (vt Samuel ait) in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo. Sunt enim fugitiui, expulſiq; à patria ſua. Sunt & amaro animo, qui prorſus æs alienum contraxerũt, & ſoluere de ſuo nõ poſſunt: & propterea pœnitentiam, & dolorem de peccatis concipiunt. Item diſcimus ex hac prophetia iugem cacodæmonis malitiã. Nã regnũ Chriſti dæmonũ tentationibus & fraudibus, & impiorũ hominũ deprecationibus cernimus eſſe ſubiectũ, vt vere militia ſit vita hominis ſuper terrã. Docet præterea fideles, vt nullam magis ſolidam pano-

Actor. 17. *Infra* 19. II. documentum.

Luc. 1. Sedes Dauid quæ myſticè. 1. *Reg.* 22. Qui ſint amaro animo.

Tertium.

Iob. 7. Quartum.

panopliam habeant, quam vnam fidẽ, patientiam, perſeuerantiam, & charitatem: vt qui ita militauerit, certam ſibi æternæ remunerationis mercedem polliceri poſſit. Aperit etiam impiorum hominũ ſupplicia, & tormenta, in quæ ſuis peccatis ſe coniecerunt. Poſtremo detegit cœleſtem iuſtorum gloriam, ac beatitudinem, certiſſimam quoque eius ſpem, & vniuerſæ carnis bonorum reſurrectionem, & glorificationem. Quę omnia pulchre ſuis coloribus depingit, ac proponit, vt magis ſpectari, atque oculis perſpici videantur, quam audiri, aut legi.

Quintum.

Sextum & vltimum.

Quantum vero ad ordinem ſcribendi ſpectat, Ioannem Apoſtolum fertur à Nerone Imperatore in Patmos relegatum eo tempore, quo Petrũ, & Paulum Apoſtolos primarios, alterum cruce alterum gladio interemit. Id namq; in duobus locis aſſerit antiquiſſimus Tertullianus, & Euſeb. lib. de Demonſtrat. Euangel. Etſi in Chronic. & lib. Hiſtor. Eccl. id ſub Domitiano contigiſſe aſſerat, quem ſecutus eſt Hieronymus, & alij permulti. Verum his libris tanquam prioribus annis ſcriptis, non tanta tribuitur autoritas, quanta libris demonſtr. Euangelic. vt poſterius, & accuratius conſcriptis.

De eo, qui Ioannem Apoſtolũ in Patmõ relegauit duplex Patrum traditio.
Tertull. lib. de præſcriptio. adu. heret. circa finem.
Euſeb. lib. 1
Idem lib. 3 cap. 8.

Eo igitur poſito, quod in Patmo inſula ſcripta ſit hæc ſacra Apocalypſis ante Ieroſolymorum excidium per Titum Imper. ac Veſpaſianum, poteſt in quatuor capita diſtribui hic liber. Ab exordio enim ad 6. vſq; caput, inſtitutiones ac documenta ſeptẽ Eccleſiarũ Aſiæ intermiſcet. & quædã de varijs hæreſibus diſſerit, de quib. ſcripſit Epiph. A. 6. vero cap. vſq; ad 12. Synagogæ, & Iudaiſmi abrogatio explicatur. A. 12. vſq; ad 17. excidiũ Gentiliſmi, ſiue Paganiſmi, ſub typo pręſertim Babylonis, ſiue Meretricis purpuratę, hoc eſt, Romæ, quę habebat ſeptẽ montes, deſcribit: *Aqua, inquit, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & lingua.* Et hãc mulierẽ ait eſſe ciuitatẽ, quæ habet regnũ ſuper Reges terræ. Eandẽ habere tradit ſcriptam in fronte blaſphemiã. De qua Hieron. lib. 2. aduerſus Iouin. in fine. *Sed de te, inquit, loquar (ô Roma) quæ ſcriptã in frõte blaſphemiam Chriſti confeſſione deleſti. Vrbs potẽs, Vrbs orbis domina, vrbs Apoſtoli voce laudata. Interpretare vocabulũ tuum. Roma, aut fortitudinis nomẽ eſt apud Græcos; aut ſublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris: virtus te excelſã faciat, non voluptas humilẽ. Maledictionẽ quam tibi Saluator in Apocalypſi cõminatus eſt, potes effugere per pœnitentiã, habens exemplum Niniuitarũ.* Et reliq. Hæc autem

Hieron. lib. de ſcripto. Eccle. in vita Ioannis Euang. to 1.
Libri Apocalypſis partitio, ſcribendique ratio, & ſeries qualis.

Apoc. 17.
Roma vbi figurata.

Hiero. to. 2.
Roma quã habuit ſcriptam in fronte blaſphemiam, qua ratione deleuerit, teſte Hieronymo.
Rom. 1.
Iona 3.

blaſphemia, de qua hic loquitur Hieron. erat, vt ipſemet in epiſtola ad Algaſiam declarat, *Vrbs æterna.* Et poſtq̃ deplorauit, & planctu magno proſecutus eſt eius interitum Ioan. ca. 18. in fine ſubdit. *Et in ea ſanguis Prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.*

Idem Hier. epiſt. 151 q. 11. à med. tom. 3

Græci ergo, vt hic Aretas tradit, etſi per meretricem magnã non intelligant vrbẽ Romã, ſed mundum hunc, qui & multis ſanguinib. & innumerabilibus Regibus abundat: nonnulli tamen Gręci, & multi Latini, vt Tertullianus c. 4. in Iudæos, & Hieron. libr. 2. aduer. Iouin. & Paulinus ad Alethium, & Paula, & Euſtochiũ in epiſt. ad Marcellam, & alij permulti de Roma accipiunt. Neq; hoc quicquam obeſt dignitati, aut poteſtati, quã habet à ſummo Paſtore, & Epiſcopo, qui illi præeſt: quia non loquuntur de Roma Chriſtiana, in qua regnat Chriſti Vicarius; & fides eius ab Apoſtolo c. 1. ad Rom. laudatur: ſed typice ſermo eſt de Roma ſub titulo Babylonis: quo modo etiam vocauit eam, Coelectam Eccleſiã beatus Petrus in priori ſua epiſtola, ſed de ea, quæ erat ſub impiis, & idololatris principibus, à quorum poteſtate ſæuitum eſt in omnes Chriſti fideles, qui per ſuos Præſides, & p̃curatores mũdum gubernabant: & tunc ſanguine Martyrum ebria erat, & omnium populorum falſos deos, & ridiculos colebat, omniaq; eorum ſimulacra in templo Pantheon venerabiliter amplectebatur, vt eos ſibi placatos redderet. A capite autem 19. vſq; in finem agitur de Chriſti regno in præſenti Eccleſia ſpiritualiter regnantis: & duobus poſtremis capitibus de Eccleſia in cœlo poſt tot labores & perſecutiones, quas perpetuo agitata, & vexata ſuſtinuit.

Meretrix magna in Apocalypſi, an mundum hũc, vt Græci, an vero vt Latini interpretantur; vrbem Romam ſignificet.
Aret. Epiſc.
Tertull.
Hiero to. 2
Pauli. Epiſ.
Roma ſi meretrix appelletur nihil in omnes Eccleſias eius primatui derogare.
1. Pet. 5.

Vrbis Romæ nondum Chriſtianæ vanitas, & ſuperſtitio quanta.

Verum antequam his finem imponam, dicendũ mihi eſt prius aliquid de iſto numero ſeptenario, & duodenario, quo frequenter Ioannes vtitur in hoc libro. Deinde an hic fecerit mentionẽ Apoſtolus de Imperio Turcarũ iam per multa ſecula (Deo id iuſte noſtra propter peccata p̃mittente) in Eccleſia per impuriſſimum Mahometum inuecto, & vbi. Tertio de nomine Antichriſti Apocal. 13. quod illis literis cõſtat, quæ in lingua Græca reddũt numerum 666. Dubitari poſtremo poſſet de autore huius libri Ioãne, qui Idololatriæ crimen cõmiſiſſe videtur, non ſemel, ſed bis in terram proſtratus Angelũ adorans; cum ſcriptum ſit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

Difficultates quatuor inferius explicandæ.

Deut. 6.
Matth. 4.

Quod ad primum attinet, numerus ſeptenarius frequẽtiſſimus eſt in ſacris literis, &

Septenarius numerus quid denotet.

Gen. 1.

ris,& vniuerſitatis eſt ſignum, tribuiturq; Spiritui ſancto ab Eſaia. Septem enim diebus mundus conditus eſt. Vna quoque dierum ſeptimana, hebdomada conſtat: ſeptem ętatibus mundus voluitur: ſeptem climatibus terra componitur: ſeptem planetis cœlum regitur: ſeptem columnis domus Eccleſiæ ſuſtentatur: ſeptem Sacramentis, quaſi totidem medicamentis Eccleſia ſanatur: ſeptem panibus paſcitur: ſeptem Spiritibus Eccleſiam viſitat Spiritus ſanctus,& ita hic numerus frequenter in hoc libro poſitus, aperte oſtendit librũ eſſe diuinum, atque adeo Spiritus ſancti. Intelligunt ergo viri doctiſſimi, tempus Chriſti vſq; ad iudicium, in ſeptem ſtatus diſtribuendum, vt primus quidem ſit Apoſtolorum; ſecundus Martyrum; tertius Doctorum; quartus Monachorum; quintus, Mendicantium; ſextus Reformatorũ; & ſeptimus Quieſcentium. Quanquam & aliter hi ſeptẽ ſtatus numerari poſſint, & quiuis incipit in fine pręcedentis ſtatus: ſicut puer antequam naſcatur, in vtero formatus eſt: ſextus autem ſtatus plus aliis duraturus probabiliter creditur; ſeptimus vero minus durabit.

Status Eccleſiæ ſeptem ad iudicium vſque.

Illorum qui magis qui minus durabunt.

In hoc ergo libro ſunt ſeptem Spiritus, ſiue Angeli, qui aſtant ante Deum: ſeptem candelabra aurea, id eſt, Eccleſiæ, ſeptem ſigillorum liber, id eſt, ſeptem ſignis clauſus, vt teſtamentum ſignari ſolet ſeptem teſtibus, qui ſignatores dicuntur: ſeptem cornua, ſeptem phialæ iræ Dei, ſeptem tubæ, & viſio mulieris amictæ Sole, in qua eſt damnatio. ¶ Numerus etiam duodenarius frequenter celebratur in hoc libro. Nam legimus duodecim Apoſtolorum nomina, duodecim fundamenta, duodecim portas ciuitatis ſanctæ Ieruſalẽ, duodecim lapides pretioſos, & Lignum vitæ afferens fructus vitæ duodecim per menſes ſingulos, & in capite mulier s amictæ Sole, corona erat ſtellarum duodecim. Nam hic numerus cum ſit abundans, & excedens perfectum, optime quadrat æternæ,& cœleſti gloriæ.

Septenarius numerus quam frequens in hoc libro.

Duodenarius item quam celebris ibidem.

Quod attinet ad ſecundam dubitationem, de Turcico Imperio, dicẽdum, aperte c. 13. Ioannem locutum, cum ait, *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et beſtia quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnã.* In his verbis depingitur aduẽtus Machometi. Et recte videtur beſtia; ob beſtialem legem, quam tulit, & ob mores eius barbaros,& belluinos. Dicitur habuiſſe capita ſeptem,& cornua decem, propter Reges Arrianos, qui illam ſectam fouerunt,& blaſphemias, ob quas in ſanctã Trinitatem iniurius extitit. Ac dicitur beſtia ſimilis pardo diuerſicolori: quia varias hęreſes amplexata eſt illa ſecta execrabilis. Nã ex Iudæis habuit peſſimos quoſque ſectatores, ceu Samaritanos olim, qui ſecus ſentiebãt, atq; veri Iudæi. Ex Chriſtianis aſciuit Sergium monachũ, & alios hęreticos comites. Ex Gentibus vero ſortita eſt viliſſimos quoſq;, & ignorantiſſimos. Porro ſimiles pedes eius pedibus vrſi,& os eius ſimile ori leonis eſſe perhibẽtur; ob infinitam eius rapacitatem, & voracitatẽ, qua homines,& regna, præſertim Eccleſiæ ſibi ſubijcere, ac ſuæ tyrannicæ ditioni mancipare nunquã deſinit. Subdit poſtremo, draconem virtutem ſuã,& poteſtatem magnam illi dediſſe: quia dęmon eius partes fouebat. Et propterea ſubiungit, quod adorauerunt draconem, qui illis vires ſuppeditabat. Datum eſt etiam os loquens magna,& blaſphemias in Deum, & in nomen eius & tabernaculum eius,& eos qui in cœlo habitant. Datum eſt etiã illi bellum facere cum ſanctis, & vincere eos. Vbi videmus, ingentes illum iactaſſe blaſphemias, etiam in cœlites, & ſanctos: & in bello etiam Catholicos non ſemel proſtrauiſſe, certum eſt: ex quo multi à fide apoſtatârunt. Ex quibus cernere potes, bone lector, non prætermiſiſſe Ioannem aduentum Machometi, ſed eius non obſcuram mentionem feciſſe.

Quibus verbis Mahometi aduentum deſcripſerit Ioannes.

Mahometum cur beſtiam appellauerit.

Pedes eius ſimiles pedibus vrſi, & os eius quare ſimile ori leonis eſſe prædicatur.

Eidem vt datũ bellũ facere cũ ſanctis & vincere eos.

Iam de nomine Antichriſti (quod tertio propoſuimus loco) dicẽdũ nobis eſt. Sciendum igitur, morem hunc, nomẽ alicuius per numeros deſignandi, non eſſe ſumptum à conſuetudine Hebræorum, quia nullibi (quãtum meminiſſe poſſum) Scripturarũ illum legi. Etſi aliquo modo id accidat, ꝙ nomen Regis Babel per inuerſionem Hebraici alphabeti, vt vltimũ elementum, id eſt, taf, ſumatur pro primo, id eſt Alef, penultimum Sin pro beth, antepenultimũ, id eſt, Res, pro tertio gimel, coph pro lamed, & ita de aliis. Dicitur autem fuiſſe Rex Seſach Ierem. 25. qui non fuit Ægypti, vt Lyra. putat, ſed, teſte Hieronymo, pro Rege Babel accipi debet. Ita etiã dicitur Chriſtus Alpha,& Omega: vt enim illa ſunt principiũ, & finis alphabeti, ita ipſe eſt & principium rerũ omnium, & finis. Etſi ergo in Scripturis non extet exẽplum huius rei, id eſt, nomen ſumptũ per comparationem ad numerum, quem faciunt literę: legi tamen apud B. Auguſt.

Inſuetum eſſe Hebræis, cuiuſquam nomen proprium per numeros deſignare, atq; d. ſcribere. Regis Babel nominis præpoſtera illorum deſcriptio. quædam. Lyran. Hieron. to. 5.

B. Auguſt.

tract.9.in Ioannem, tomo 9. qui tractans illa verba: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum, hoc in nomine Adã, quod quatuor literis conſtat, ait ibi ſignificari quatuor partes mundi, nempe Ἀνατολὴν, Δύσιν, Ἄρκτον, & Μεσημβρίαν: id eſt, Ortum, Occaſum, Septentrionẽ, & Meridiem: aitque in illis quatuor Elementis ſignificari numerum quadragenarium ſenarium. Legi etiã apud Iulianum in Dialogo, qui inſcribitur Ἀλέξανδρος ἢ ψευδόμαντις. Oraculum tale editum ex literis, & numeris, quæ continent eius nomen:

Numericum nomen Luciani oraculo redditum.

Εὐξείνου πόντοιο παρ᾽ ᾐόσιν ἀγχὶ Σινώπης
Ἔσται, τὶς κατὰ τύρσιν ὑπ᾽ Αὐσονίοισι προφήτης,
Ἐκ πρώτης δεικνὺς μονάδος τριακοντάδα, τε,
Πένθ᾽ ἑτέρας μονάδας, καὶ εἰκοσάδα τρισάριθμον,
Ἀνδρὸς ἀλεξητῆρος ὁμωνυμίην πτερύχλυνον.

Quæ Latine ſic reddunt quidam.

Ad maris Euxini pontum, iuxtaq; Sinopẽ,
Tyrſide erit quidam Romana ex gente propheta,
Qui prima ex monade, tribus ac decadis reſerabit
Quinq; alias monadas, vicinaq; ter repetita,
Quadrobem numerum referentem nomina diui,
Qui veniet laturus opem mortalibus agris.

Eiuſdem nominis explicatio.

Primę enim quatuor literę vocis Ἀλεξ, continet vnam monadem: deinde λ, tres decades, & ε, valet quinque decades, ξ vero valet ſex decadas, & hic eſt quadrobis numerus. Quod vero adiũgit, Ἀνδρὸς ἀλεξητῆρος, expreſſit nomen integrum Ἀλέξανδρος, & vim eius in propulſandis malis, & morbis hominum, nam tales Ἀλεξίκακοι vocantur.

Antichriſti nomen ex numero 666. conſtitutum explicatur Apoc.3.

Ad ſimilem modum Spiritus ſanctus prodit literas nominis Antichriſti reddituras numerum ſexcentiſexagintaſex. Nã in Græco alphabeto ab alpha ad 10. currunt prius decem vnitates: à iota ad literã rho, ſunt decem denaria: reliquæ decem literæ ſequentes efficiunt decem centenaria. Eſt enim ρ elementum denotans 100. ς, 200. τ. 300. υ. vero 400. φ. 500. χ. 600. ψ. 700. ω. 800. Rurſus redeunt ad millenaria per repetitum aſt initio alphabetum: ita hic Ioannes expreſſit, Ὁ ἔχων τὸν νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου. Ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστι, καὶ ὁ αὐτοῦ χξς. Hoc eſt: *Qui habet ſenſum, ſeu intelligentiam, cõputet numerum literarum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt 666.* Et cum ſenarius ſit numerus perfectus, & ſex anni, & ſexaginta, & ſex centenaria annorum computentur, hoc triplo ſenario oſtenditur Antichriſtus ter perfectus in malitia, & iniquitate, & fraudibus, quę dicitur ſimul beſtia, & homo, hoc eſt, beſtia ſub ſpecie humana. Hæc tamen numerorũ ratio nõ aperte indicat nomen Antichriſti, ſed occultat potius, quia plurima ſunt nomina, vel ꝓpria, vel appellatiua, quæ hunc numerum reddere poſſunt. Vnde ex monumentis Andreæ Archiepiſcopi Cæſarien. accepimus hæc verba: *Exactam numeri notitiam, quemadmodum quæ de ipſa ſcripta ſunt, tempus, & experientia reuelabunt his qui vigilauerint. Nam ſi expediret, vt volunt nonnulli autores, eiuſmodi aperte cognoſci nomen, is vtique, qui ipſum vidit, reuelaſſet. Sed non placuit diuinæ gratiæ, vt nomen peſtiferi hominis in diuino libro referretur in ordinem. Attamen exercitij gratia multa poſſunt inueniri nomina, iuxta B. Hippolytum, alioſque multos, quæ hunc contineant numerum, tam propria, quam appellatiua.* Hæc ille.

Nomen Antichriſti iis literis numericis, nimirũ 666. quare ſignetur.

Antichriſti nomina ex ſanctis Patribus collecta cenſentur breuiter, & explicãtur.

Vt ergo imitemur veteres Patres, qui exẽpli, & exercitij gratia hæc nomina inuenerunt, dicamus nomina quę produxerunt. Primum attulit Irenæus libr. 5. ca. 30. Εὐαν. Sic enim habetur in Codicibus excuſis. Sed numerus, & vetus codex arguũt eſſe mendum, & reſtituendum Εὐανθας, cuius elementa prædictũ numerum conficiunt. Secundum, quod cum Irenæo agnoſcit Aretas, fuit ΛΑΤΕΙΝΟΣ, qui 666. perficit. Et nomen veriſimile, quia extremo hoc tempore tenent Latini. Tertium nomen, vt Aretæ in ca. 13. Apoc. & Irenęo placuit, eſt, ΤΕΙΤΑΝ, conſtans ſex literis. Quartum poſt Hippolytum martyrem Primaſius aſſerit eſſe, ΑΡΝΟΥΜΑΙ, hoc eſt, NEGO. Negabit enim Chriſtum veniſſe. Sed eodem numero non videtur cõſtare. Quintum, eſtq; Aretę Cappadocis: ΛΑΜΠΕΤΗΣ, id eſt, Illuſtris; cõſtat octo literis. Sextũ poteſt eſſe, Ο ΝΙΚΗΤΗΣ, id eſt, VICTOR, eodẽ autore Areta. Septimũ eſt apud eundem Aretã, ΚΑΚΟΣ ΟΔΗΓΟΣ, id eſt, MALVS DVX. Octauum ab eodẽ aſſignatum, eſt ΑΛΗΘΗΣ ΒΛΑΒΕΡΟΣ, hoc eſt, VERE NOCENS. Nonũ, ΠΑΛΑΙ ΒΑΣΚΑΝΟΣ, id eſt, IAM OLIM INVIDVS. Decimũ addit: AMMOS ALICOS, hoc eſt, AGNVS nocens. Vndecimũ accepit Primaſius ex Tyconio, ANTEMOS, id eſt, HONORI cõtrarius, & habet ſeptẽ elementa. Duodecimum nomen eſt Ruperti, ΓΕΝΣΗΡΙΚΟΣ. Quidam etiam noſtro ſeculo dixerunt, MARTIN LAVTER. Conſtatque duodecim elementis. Omnes enim Hęretici ſunt Antichriſti inſignes; quos interfuit Mahometes ſiue Moamotis, vt ſcribũt Euthymius, Zonaras, & Cedrenus, cõficiunt enim illæ octo literæ dictũ numerũ 666. Nã ſignis, & prodigiis mẽdacibus, qualia Paulus tribuit filio perditionis (ſcilicet

Primum nomen ex Irenæo.
Secundum nomen ex Areta.
Tertium ex iiſdem autoribus.
Quartum ex Hippolyto.
Quintum ex Areta.
Sextum.
Septimũ.
Octauum ex eodem.
Nonum.
Decimum.
Vndecimũ Primaſij ex Tyconio.
Duodecimum ex Ruperto, in Apocalyp. cap. 13
Decimum tertium recentiorum.
2. Theſſ. 2.
De nomine Mahometi,

quorundā obſeruatio non inutilis, nec inepta.

licet Antichriſto) munitus atq; inſtruct⁹ fuit Mahometus, vt indicat liber generationis ſuę. Commentarij Saracenorum,& Chronicō genealogiam ſuā vſq; ad Seth, & Adam, monſtroſis fabulis & mēdacib⁹ contexunt: vt ꝙ ſine dolore matris ex vtero prodierit, circumciſus, & hilaris; in ei⁹ natali omnia orbis idola corruerit Lucifer arreptus ab angelis, profundo maris fuerit immerſus, Alcazum venti, & aues, & nubes de educatione eius decertârint: Aſina voce humana vocârit illum ꝓphetarum ſigillum: atra nubes cœlo quantūuis ſereno ſupra caput ipſius ſemper conſpecta ſit: Lunam bipertito diuiſam coniunxerit,& compegerit. Paulus Diac. libr. 18. hiſt. to. 3. Annal. & Zonaras referunt, eum comitali morbo, ſeu epilepſia laboraſſe:& excitatum poſteà alijs perſuaſiſſe, ſe ſe tùm cū Archangelo Gabriele fabulatum fuiſſe. Hippolyt. Epiſco. & martyr de conſumatione mundi, Antichriſti nomen explicans, eiuſq; ſigillum, ita loquitur: *Sigillum illius tam in fronte, quā in dextera manu, eſt calculus x. ξ. ς. ac vt opinor, neq; certo ſcio, quod in ſcriptura qua eſt in illo calculo, permulta reperiantur nomina, qua numerum illum habeant.* Ac dicimus, fortaſſis Scripturam illius ſigilli eſſe ΑΡΝΟΥΜΑΙ, id eſt, NEGO, quòd Antichriſti miniſtri hortabātur Martyres, vt negarent Deum ſuum crucifixum. Tale erit tempore illi⁹ tempeſtatis omnis oſoris ſigillum dicens: NEGO Creatorem cœli,& terræ; Nego baptiſma, Nego adorationem à me Deo præſtari ſolitam, tibi adhæreſco, in te credam. Hæc ille.

Quo morbo Mahometus laborauerit, quoque eum texerit mendacio nebulo.
Paul. Diac. Zonaras.

Ad illud vero, quod vltimo loco propoſitum fuit, vt vindicemus Ioannem à crimine idololatriæ, ꝙ bis ſe proſtrauerit ante Angelum, dupliciter hunc nodum diſſolui poſſe oſtendemus. Primùm quidem aſſerendo, Apoſtolum extra ſe poſitum, cultum latriæ Angelo Dei impēdiſſe, putantem Deum eſſe illum quem adorabat. Et confirmatur: quia reprehenſus fuit ab Angelo, dicente: Vide ne, ſiue grecè Ὅρα μὴ,& ſupplendum eſt v̄bum, feceris. Et duplex ratio ſubiungitur. Prima: *Conſeruus enim tuus ſum*; altera, *Deū adora, qui ſolus eſt dign⁹ omni latria ſeruitute, & adoratione.* Videtur ꝙ reprehendatur de cultu maiore, q̃ Angelo competeret, impenſo: maximè quia Cyprianus lib. de Bono patientię legit: *Ieſum Dominum adora.* Auguſt. verò libr. de Vera religione, docet, Angelum latriam prohibuiſſe, nec ꝓpterea tamē idololatram Ioannnem extitiſſe quia putabat Angelum eſſe plus q̃ creaturam; ideò ſine culpa voluiſſe adorare. Quare Cornelius plus quàm hominem putans eſſe Petrum, voluit ꝓſtratus eum adorare. Cui Petrus: *Surge, & ego ipſe homo ſum.* Nam ſi Paulus non audebat arcana ſibi oſtenſa efferre, ne quis exiſtimaret ſupra id quod videbat in eo, aut audiebat (ſcilicet ſupra hominem) aliquid ex ipſo vt dixit ipſe de ſe. Quid mirum ſi Ioannes idem fecerit? Et ita Cornelius Petrum putauit plus quàm hominem, vt idem teſtatur Auguſtinus lib. 1. Quęſtionum in Geneſim. Nec obſtat, quòd hominem prohibuit Angel⁹ adorare, & monet vt Deus potius adoretur. Talis enim apparuerat Angelus, vt pro Deo poſſet adorari, & ideò debebat adorator admoneri, & corrigi. Paulus etiam, & Barnabas à Lycaoniæ ciuibus cultum latriæ ſibi exhibere, vel offerre ſacrificia volentibus, interdixerunt, dicentes; Viri q d hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.

Ioannis Euangeliſtæ proſtrati ante pedes Angeli futurorum prænuntij qualis fuerit adoratio.
Apoc. 19. Infra 22.
D. Cyprian.
Aug. c. vlt. tom. 1 finem verſus.
Act. 10.
2. Cor. 12.
Cornelius centurio procidens cur Petrū adorauit.
Act. 14.

Altera reſponſio exhibetur, quæ mihi probatior, & præſtantior ſemper viſa eſt: nimirùm Ioannem cultum latrię Angelo minimè impendiſſe, ſed δυλεία honorem & venerationem, qui Angelo Dei, & iam beato debebatur. Primò, quia textus aptè ait: Et cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum. Et dicit mihi; Vide ne feceris. Conſeruus enim tuus ſum,& fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu, eſt Spiritus prophetiæ. Et cap. vlt. *Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat. Et dixit mihi, Vide ne feceris. Conſeruus enim tuus ſum, & fratrū tuorum, prophetarum, & eorum qui ſeruant verba prophetiæ libri huius. Deum adora.* In hoc ergo vtroque loco vides Ioannem nouiſſe Angelum, qui loquebatur. Et cū nouiſſet, ſcriptum eſſe: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſerues*, non eſt ꝓbabile, tantum virum latriæ cultum Angelo creaturæ Dei tribuiſſe. Deinde, quia Chriſtus Dominus p̄dixit, venturos veros adoratores, qui in ſpiritu, & veritate Patrem adorarent: at qui nam magis veri adoratores quàm ipſi Apoſtoli, quique in ſchola Chriſti per triennium exercitati fuerant? Et quomodo in gratia ab Spiritu ſancto confirmati, crimen horrendum idololatrię admittere potuiſſent, maximè Ioannes, qui hoc ipſo libro Deum ſolum adorandum non ſemel docet? Tertiò minimè probabile redditur, magnum Domini Apoſtolum,& dilectum diſcipulum bis impegiſſe ad eundem lapidem, cùm iam de eo defectu admonitus fuiſſet.

Probabilior altera ſolutione Angelica Ioannis.
Deut. 6. Matth. 4.
Ioan. 4.
Apoſtoli quales adoratores Dei extiterunt.

Angelis qualis adoratio debeatur.

Meritò ergo creditur, & explicatur hæc adoratio de δυλείας adoratione, cuius Angelus capax eſſe non poteſt. Cumque Angeli olim eiuſmodi honorem ſibi ab hominibus exhiberi ſolitum, acceptare conſueuiſſent, neque eos ab huiuſmodi honore exhibendo prohiberent, vt conſtat Geneſ. 18. & Iud. 13. vbi ſe venerantes non correxerunt, idcircò dicendum: ex quo natura humana per Chriſtum DEI Filium fuit exaltata, & conſors diuinæ naturæ facta, cœperunt abſtinere ab iſto honore recipiendo. Erat enim Ioannes & Apoſtolus, & Euangeliſta, & Theolog⁹, & Propheta, & dilectus Domini diſcipulus, & peculiaris D. Virginis filius: ob quos titulos, etſi natura eſſet inferior, gratia tamen maior angelo aut ſuperior poterat eſſe Ioannes. Ac vt Angelus Gabriel honorificentiſſimè, & cum magna veneratione allocutus fuit B. Virginem mox Verbi matrem futuram; ita hoc loco Angelus (quicunq; ille fuerit) videns Ioannem organum Spiritus ſancti, & tantùm Chriſti Apoſtolum, noluit ſibi honorem impenſum admittere, ſed illum in Deum, ac Dominum transferri voluit, vt in omnibus honorificetur Deus, qui ſolus eſt omnis boni autor, nimirum Pater per Filium in Spiritu ſancto.

Qui cum alloquebatur, Angelus cur Ioannem ſe prohibuit adorare.

Luc. 1.

Quid ſignificet Angelus his verbis: Teſtimonium enim Ieſu eſt Spiritus prophetię. *Ioan. 15.*

Porrò Angelus cùm dixit: *Teſtimonium enim Ieſu eſt Spiritus prophetia*: commendat huius libri prophetiam: & Ioannem in numero, & albo prophetarum reponit. Eſt autem Spiritus qui teſtificatur de Ieſu in lege, & Prophetis. *Ille*, inquit, *teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitu, quia ab initio mecum eſtis.* Hæc pauca ad huius libri intelligentiam dictare volui. Peculiarem tamen illam curam ſingula ſingulis myſteria applicandi, op⁹ fuiſſe agnoſco ſuper humeros facultatis meæ. Non diffido tamen de Domini bonitate, quin ſuo tempore prodituri ſint, qui diuino lumine illuſtrati, omnia præſtare poſſint, quæ deſiderantur, ad gloriam Chriſti Domini Saluatoris noſtri, & ad honorem Dilecti diſcipuli, qui primus hanc Apocalypſin à Deo acceptam, ad confirmandos fideles conſcripſit.

EPISTO-

EPISTOLÆ ALIQVOT P. ALFONSI SALMERONIS QVIBVS AD NONNVLLA DE SCRIptura ſacra interrogata reſpondet.

AD LECTOREM.

ALFONSVS Salmeron, vt erat vir multæ, variæ, atque exquiſitæ eruditionis, & Theologus omnibus numeris abſolutus ac præſtantiſſimus, ita ad illum, tanquam ad Oraculum, multi ſuas dubitationes referebant, illum conſulebant, illi quæſtiones de diuina Scriptura, de moribus, de hiſtoria, tum Eccleſiaſtica, tum humana proponebant: idq; faciebant ſæpenumerò viri doctiſſimi, Principes ſapientiſſimi, Epiſcopi grauiſſimi, deniq; S. R. E. Cardinales ampliſſimi: vt intelligas, amice Lector, quanta eſſet in homine doctrinæ vis, quæ ſapientiæ opinione, quæ apud eruditiſſimum quemque exiſtimatione floreret. Itaq; inter Salmeronis ſcripta permultas inuenimus, vel illuſtrium virorum ad illum epiſtolas grauiſſimis de rebus ipſum interrogantium, vel ipſius ad illos propoſitos nodos diſſoluentis, atq; implexas quæſtiones explicantis. Ex hiſce epiſtolis paucas in lucem damus, quas tibi & gratas, & non inutiles fore exiſtimamus. Lege igitur, & fruere: noſque, vt facis, ama.

Agit gratias pro officio, & mouet dubitationem ſuper locum 1. Cor. 14. de eo qui loquitur linguis, & non poteſt explicare auditoribus.

Admodum Reuerendo Patri Alfonſo Salmeroni

Antonius Cardinalis Carafa S. D.

LITERAE tuæ ſummam mihi iucunditatem attulerunt, ex quibus te ab illa rerum moleſtia liberatum eſſe comperi, nec cœptum laborem interruptum, te optima valetudine poſthac fruiturum confido; Deus namque opus ſuum foucbit. Gratum etiam admodùm mihi fuit, omnium quæ ſuperioribus diebus iſthic acciderunt certiorem eſſe factum; ſimul ac elegantia, & ſuauiſſimis moribus illius Principis magnoperè gauiſus ſum. Quod illius noſtri negotij tractationem in commodius tempus diſtuleris ſicut D. Conſaldus mihi retulit, vehementer conſilium tuum probo, ne illius inurbanitatem, & intemperiem illuſtrem faciam, & aliquid ſatisfactio leuitatis habere videatur. Quæ ſuper decimum quartum caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios ſcripſiſti, ob acceptum mea cauſa laborem, humanitati tuæ vel inprimis gratias ago: tu me ſacrarum literarum cognitione, tua vbertate ditare nunquam deſinis. quas vtinam tibi, vt debeo, referre aliquando poſſim: ſed iam profectò laborum omnium tuorum cumulatiſſimum fructum à Deo, omnium bonorum largitore percipere incipis, cùm diuinarum rerum cognitione ad Creatoris contemplationem, ſicuti eſt, iamdudum affectes viam; ſemper enim ſecus pedes Domini ſtas, verbumq; illius dulciſſimum audis; vnde mũdi huius figuræ contemptus mirificam tibi tranquillitatem parit, quod vnum in tantis tuis ſpiritus pignoribus tibi vel maximè inuideo. Locum illum doctiſſimè, vt tua ſunt omnia, enucleatum video; ſed huc vſq; ſcrupulus mihi reſtat, quem ex mente mea ab humanitate tua remoueri cupio. Nam quomodò fieri poteſt, vt qu donum linguarum conſecutus ſit, illas auditoribus nequeat explicare, te enim profectò Græca & Hebraica lingua p̄ditum eſſe nemo credet, niſi quibus volueris valeas exponere; neq; dici arbitror poſſe, eum, qui tantum inanem profert vocẽ, linguarũ donum poſſidere; ſi eum, q̃ donũ linguarũ ſine auditorum ꝓfectu habet, tibiæ inanẽ ſonitũ danti Apoſtolꝰ com-

1. Cor. 14. comparat, ſubdens: *Si ergo neſciero virtutẽ vocis, ero ei, cui loquor, barbarus*, & reliqua: vnde donum linguarum ab illarum cognitione ſeparari non poſſe iudico; quod ſi ita eſt, huiuſmodi locus qua ratione conſiſtet cum ſequentibus: *Et ideo qui loquitur lingua, oret vt interpretetur*, adhuc non video. Hac me ſollicitudine, quæ tua eſt humanitas, obſecro liberes. Nos in hiſce partibus Dei beneficio adhuc valemus; itaque horum dierum aſſidua pluuia non modo æſtiuum calorem amiſimus, ſed in hyemis frigus incidimus. Quòd ſi hæc noſtra epiſtola minus elegans, aut incultior tibi viſa fuerit, illa, quam ex Gallia miſſam mihi ſuperioribus diebus demonſtraſti, ſaltem candidiori papyro, & meliuſculis, vt credo, characteribus, exarata. Vale, & me tuis, fratrumque omnium Collegij tui precibus commendo, quos meo nomine humaniſſimè ſalutes, velim. Ex Oppido S. Angeli 12. Kalend. Septembr. M. D. LXXI.

1. Cor. 14.

Ratione reddita de negotio commendato, ac de ſalute, explicat locum Pauli, quo dicit: *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat, &c.*

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Antonio Carafæ, S. R. E. Cardinali

Alfonſius Salmeron è Societate Ieſu S. D.

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine.

ELEGANTES ſanè, humanitatiſque tuæ, ac beneuolentiæ plenas, atque adeò perelegantibus characteribus ſcriptas, mundaque ac nitida exaratas papyro illuſtriſſimæ Dominationis tuæ literas accepi: vt planè nihil ſit opus in re tam manifeſta ampliſſimum illum ac opulentiſſimum Cardinalem cum harum ſcriptore decertare: omnia enim tam culta erant, elaborata, atque perpolita, mihi vt ad reſpondendum multum faceſſerint negotij, ſerioque aliquid cogitandum eſſe neceſſariò duxerim. Verùm vtcunque res cedat, me abs te vinci, non ſolum non moleſtum, ſed gratum etiam, & iucundum, adde etiam, glorioſum, duco. Nudius tertius occurri illi bono viro, cumque cœpiſſem cum eo inire ſermonem, nouo aduentu cuiuſdam proceris ac primarij viri interpellatus ſum. Cœpi apud me cogitare, conſilio Dei id eueniſſe, ne ſermo cum eo vltra progrederetur meus: quòd alijs vijs ac rationibus nobis non ſatis cognitis, ac præmeditatis, nouerit Deus falſos, qui malitioſe, aut imprudenter à quibuſdam ſparguntur, rumores extinguere: quare diuinæ prouidentiæ impedimentum illud non dubitaui adſcribere, quippe mendacia atque obtrectationes eius ſunt ingenij vt per ſe ipſas facilè ruant, ac concidant, nulla noſtra adhibita opera aut diligentia. Hinc Moyſes filijs Iſrael de Ægypto eductis rectè ſuadebat: *Vos tacebitis*, inquit, *& Deus pugnabit pro vobis*; quò minus enim nos ipſos tuemur, eò magis à Deo protegimur, atque ita fit, vt ſagittæ paruulorum fiant plagæ aduerſariorum. Ego etſi nonnihil ſim Dei beneficio à renum dolore, quo his diebus laborabam, ſubleuatus, adhuc tamen cum reliquijs eius aliquantulum conflictor, illæ tamen à conſueto, & iuſto labore, in quo verſor, me auocare nequaquam poſſunt. Semper mihi negotium eſt in explicanda acerbiſſima illa ac fœdiſſima Seruatoris noſtri Chriſti Domini nece, quam fortaſſis cùm fueris reuerſus, ſi non planè, at propè expeditam inuenies. Magnus ille Romanus Gregorius, vt tute probè noſti, dum libros Iob explanandos ſuſciperet, magno ſe ſtomachi dolore, ac corporis totius debilitate affectum teſtatur, quo (vt ipſius verbis vtar) flagellati Iobis mentem melius per flagella ſentiret. Vtinam tale aliquid mihi ſentire liceret, vt Chriſti flagellati, virique dolorum, ac ſcientis infirmitatem, verba, ac ſententias tantillo hoc dolore corporis afflictus perſentiſcerem. Cæterum vehementer gratulor illuſtriſſimæ Dominationi tuæ, quod locũ ad arcendos aliquo modo, ac declinandos huiuſce temporis æſtus aptum, appoſitumq; inuenerit. Nos certè, etſi nonnihil de æſtu iſto per pluuias hiſce diebus crebriores ſit remiſſum, adhuc tamen cum Solis ardoribus, matutino exceptis, & veſpertino tempore, decertamus. Dominus Ioañes Auſtriacus ante triduum nauigationem Meſſanam verſus inſtituit, à nobiſq; diſceſſit magno ſui apud omnes deſiderio relicto; atq; hactenus quidem proſpero vento vſus eſt, putamuſq; illum iam eò perueniſſe, quò cogitabat. Proximè conſequentur triremes Neapolitanę numero 30. & nauiũ multarum apparatus, quæ militem, bellicaq; inſtrumenta, inſtructiſſimamq; armorum ſupellectilem ſecum aduehunt. Quò tendat tanti belli ſignificatio, atq; apparatio non ſatis omnibus compertũ eſt. Res ipſa breui ſe prodet, ac nos diuinandi ſolicitudine liberabit. Sed ridebis fortaſſe, quod hæc ad te de his per multos magnos viros certiorẽ factum ego ſcribam, qui vix cubiculi mei anguſtijs, vt ſcis, egredi ſoleo. Venio ad locũ Pauli ad Cor. quẽ à me exponi poſtulas, & qui magis in cella cogitando, quã in plateis verſando intelligi poteſt. Scribis, reliqua omnia tibi eſſe indubitata, tantũ te vnum

Exod. 14.

vnum ſcrupulum vexare, qua ſcilicet ratione fiat, vt is dicatur conſecutus donum linguarum, illas tamen alijs explicare non valeat; cùm apud nos ille dicatur aut Hebræam, aut Græcam, aut Latinã linguas callere, qui eas alijs tradere nouerit. Hic ſcrupulus facilè eximitur, ſi accipiamus ex Paulo, non eodem modo dici aliquem habere donum linguarum, qua ratione apud nos dicitur aliquis noſſe linguas: non enim dubium eſt, Paulum conſtituere, tanquam duo dona diſtincta, donum linguarum, & interpretationem ſermonum: ait ſiquidem 1. Cor. 12. *Et quoſdam poſuit in Eccleſia primum* 1. Cor. 12.
Apoſtolos, ſecundo Prophetas. Et infra: *Nunquid oẽs linguis loquuntur? nunquid oẽs interpretantur?* Et 1. Cor. 1. Cor. 14.
14. *Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur*; nã etſi ſimul eſſe poſſint, non ſunt tamen neceſſariò cõiuncta; nam poteſt quis dono linguarum potiri, abſque interpretatione ſermonum, vt docet Apoſtolus: poteſt & aliquis interpretari ſermones diuinos, qui tamen linguarum, quibus ſcripti ſunt, penitus ſit ignarus. Nam cùm Eunuchus ille Candaces Reginæ Æthiopum legeret Eſaiam in cur- *Actor. 6.*
ru, nouerat quidem linguam, at interpretationem ignorabat, ac in quem illa verba quadrarent, minimè intelligebat, vt dixit Philippo; ita etiam multi ex noſtris nouerunt quidem linguam Latinam, in qua ſacra ſcripta ſunt Biblia, verùm earum ſenſus & interpretationes, neque ſibi, neque alijs valent porrigere; quod aliud ſit noſſe linguam, aliud interpretari myſteria in verbis illius linguę incluſa. Multos præterea linguarum trium peritiſſimos noſtro ſeculo vidimus, qui in Scriptura exponenda falſos, hæreticosque ſenſus protulerunt, quòd deſtituti eſſent illo dono, quod dicitur interpretatio ſermonum, ſiue prophetia: vnde pro eodem accipit interpretari ſermones, & prophetare; nec enim quæuis interpretatio verborum facit Prophetam, aut habere interpretationis donum, ſecundum illud: *Maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, vt* 1. Cor. 14.
Eccleſia ædificationem accipiat. Et ſuperius: *Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem*; hi autem ſunt qui obſcuros ac difficiles ſcripturæ locos ad ædificationem fidei, vel conſolationem futurorum bonorum, vel exhortationem morum ediſſerunt, atque explicant. Similiter qui loquitur lingua, non eſt omninò rudis & ignarus linguæ in qua loquitur. Alioquin quomodo diceret Apoſtolus: *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat*; & rurſus: *Maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur lingua, niſi fortè interpretetur, vt* *Ibidem.*
Eccleſia ædificationem accipiat? Et vt exemplo rem illuſtrem ac perſpicuam reddam; magnum Eccleſiæ lumen Hieronymus, videtur vtroq; dono cumulatus fuiſſe; nam & linguarum multarum peritiam poſſidebat, & eas ſcienter, ac doctè enucleare, & ad ædificationem explicare nouerat, vt conſtat ex eius in Prophetas commentarijs, quare ſi diligenter attendam*, vtrumq; donum in ſcripturis explanandis neceſſarium eſt: ſed illud linguarum, quod in ſonitu verborum conſiſtit, & propria tantùm intelligentia, minus eſt interpretatione ſermonum, quæ Eccleſiam ædificat, & conſolatur. Hæc mihi occurrebant; an apte dicta ſint, tuæ prudentiæ iudicandum relinquo, meq; cum toto hoc Collegio, quod tibi & meritò quidem eſt deuinctiſſimum, Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ precationibus maiorem in modum commendo. Illuſtriſſimum Marchionem meis verbis ſalutatum vehementer cupio. Vale Illuſtriſſime Domine. Neapoli.

Gratis oſtendit officium pro ſe præſtitum. Petit vt ſaluti conſulat, atque adhuc dubitationem circa reſponſionem in Pauli locum de dono linguarum proponit.

Admodum R. P. D. Alfonſo Salmeroni in Chriſto obſeruantiſſimo

P. N. D. Antonius Carafa Cardinalis S. D.

ADMODVM R. P. Eò me tuarum literarum ſuauitas & elegantia redigit, vt tibi, hoc maximè tempore, grauiſſimis ſtudiorum occupationibus diſtento, minimè parcendum putem; quo enim ſæpius eas perlego, eò ſemper doctior, hilariorque diſcedo: quorum alterum ſibi totum prudentia tua & doctrina vendicat, perficitur alterum vrbanitate atque lepore: cuius ſi particulam amori te noſtro condonare volueris, accipiam equidem libentiſſimè, in quo me abs te vinci nunquam patiar; in reliquis erit non difficile me ipſum, qui præſtantiſſimos quosque longè antecellis. De impoſtore illo, quòd ſcribis te non longiùs proceſſiſſe, mihi gratum vehementer fuit, tibique aſſentior maximè, qui Dei hoc benignitati acceptum iri vis, ſed nos in Dei militia tyrunculi, leuibus illis in nos iactatis telis paululum commoti initio fuimus, neque illa Apoſtoli doctrina adhuc confirmati eramus, qui nos per infamiam, & bonam famam vt ſeductores & veraces exemplo ſuo militare iubet. De prope iam confirmata tua valetudine magnoperè gratulor, ne tamen eius, tuis aſſiduis laboribus vigilijsque periculum ſæpius facias, ſumme tibi cauendum erit: ſed tibi aliquantulum parce, diuturnosque ſuſceptos labores reſpice: magnum enim 2. Cor. 6.
opus

opus & graue complexus es, quòd tu profectò citius abſolues atque commodius, ſi breui tibi aliqua intermiſſiuncula vtendum cenſebis: cùm verò nullum remittas tempus, indefatigatos huiuſmodi curſus maiorem, quod minimè vellem, interruptionem minitatur. Licèt enim animi vires tui ab ipſa quam tractas re nouum quotidiè incrementum ſumant, vix tamen fractum corpus adeò graue onus ſuſtinere poſſe video: nam theſaurum quidem habes, ſed illum vaſe fictili contineri memineris. Nec verò te hiſce doloribus indiguiſſe arbitror, quò faciliùs, vt aſſeris, Chriſti Saluatoris noſtri Crucem ſentires, cùm iam inde ab ineunte ætate animo tuo illam conceperis, poſtquam Religionis ſuauiſſimo iugo ceruicem alacri animo ſubmiſiſti, Chriſto confixus Cruci, non amplius tibi viuens, ſed ei qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit. Nouis rebus quas ad me ſcripſiſti, magnoperè ſum delectatus, nec tam ipſis, quàm à te ſcriptis; erant enim valde ſtylo tuo perpolitæ, & eloquentiæ ſapore conditæ: auget prætereà iucunditatem ſolitudo hæc & quies.
2. Cor. 14. Καὶ τὸ ςέγη, Πυκρῆς ἀκύσαι ψικάδας ἐνδύσι φρενί. Locum Pauli mira eruditione, & plena manu explanatum accepi, non equidem præter opinionem meam: ſed adhuc me vrget ſcrupulus, quem mihi non doctrinæ tuæ obſcuritas (ſunt enim omnia tua perplana & expedita) ſed ingenij mei ruditas iniecit: caput enim totius tuæ explicationis eſt, cum qui donum linguæ habet, noſſe quidē linguam illam, verùm myſteria in ea contenta non callere, exemplo illorum, qui linguę Latinę peritiſſimi ſunt, nec tamen Bibliæ myſteria norunt, quos ſemetipſos, non Eccleſiam ædificare aſſeris. Cupio igitur ab humanitate tua ſcire, qua ratione fieri poteſt, vt qui linguam norit, & myſteria neſcit, ſe ipſum poſſit ædificare? nam Bibliæ lectione, qui eius myſteria non nouerit, non modò nō alios, ſed nec ſeipſum ędificabit; ſi verò nouerit, & ſeipſum, & alios: inanes enim linguæ voces non ædificant; nec dici poterit, quod tu etiam attingis, eum qui donum linguæ habet, pro ædificatione ſui ipſius tantùm ſcire, & non Eccleſiæ; nam illud ipſum quod ſibi ſcierit, linguam callens, pro aliorum ædificatione profectò explicare poterit. Hæc ad te ſcripſi, non ignarus tibi iamdiu comperta eſſe iſta omnia, earumque explicatione delectari; qui tuus eſt in me amor ſingularis. De reditu iam cogitamus, nec nos tam tempus ipſum allicit, quàm tu, ad quem cum ſuauiſſima conſuetudo, tùm doctrinæ fructus vberrimus iam dudum vocat. Accedit etiam deſideriū incredibile operis tui incrementum videndi, necem potiſſimam Saluatoris noſtri cùm tractes, ex qua in nos aliqua non mediocris redundabit vtilitas. Marchio noſter ſalutem tibi cumulatè impertit. Deus tuum deſiderium, totiusque Collegij tui ſecundùm diuitias ſuas in gloria, in Chriſto Ieſu, adimpleat. Vale, noſtrique ſemper in tuis precationibus memineris. Ex oppido ſancti Angeli, poſtridie Kalendas Septembris M. D. LXXI.

Adm. R. P. V.

Vti filius in Domino obſequentiſſimus,
A. Card. Caraſa.

Gratias agit pro cura ſalutis ſuæ, & propoſitam in locum Pauli dubitationem diſſoluit.

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Antonio Caraſæ, S. R. E. Cardinali

Alſonſius Salmeron. S. D.

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine.

Luc. 2. QVAMPRIMVM ſuauiſſimas tuas literas accepi, illa ſubijt animum cogitatio meum, Dominum Ieſum in tenella illa, ac puerili ætate inuentum fuiſſe à parentibus in Templo, in medio Doctorum, audientem illos, atque interrogantem, ſuoque eos auditu, atque interrogationibus eruditionis, ac ſucci pleniſſimis, modeſtè, ſummaque cum eorum voluptate inſtituentem aptè, atque erudientem. Profectò, ampliſſimè Cardinalis, tuæ modeſtiſſimæ interrogationes, acutæ, ſolidæ exiſtunt, ac graues, vt me ad maiores indies progreſſus in ſacris Scripturis plenius ac luculentius intelligendis faciendos vehementer permoueant, mihique ſtimulos addant acriores. Miſſam interim faciam mundam, Latinam, ac terſam dictionem, orationemque ſplendidam, omniſq; fuci expertem, atque ſignificantem, quam mihi adhibere tuis interrogationibus viſus es. Hęc ſanè me tacitè admonere videntur, vt in reſpondēdo non tantùm rationem habeo eius, quam debeo tuo ampliſſimo gradui, cum ſumma prudentia, atque ſpectata virtute coniuncto, obſeruantiæ; ſed etiam perſpicacis tuæ doctrinæ, quam percontando prodis, cultusque atque candoris ſermonis,

monis, quo me affari voluiſti. Paulo antequam tuas acciperem, honeſtiſſima mihi ſeſe obtulit occaſio virum illum conueniendi, quem à me volebas ſuperioribus literis blande, & amice admoneri;liberius fortaſſe,ac minus quam debebat, honorifice, de ampliſſimo illo Cardinali, quem tu probe noſti, locutus fuiſſet. Cæterum non poterat maior, aut temporis, aut loci oportunitas deſiderari. Venerat ille in cubiculum meum mei gratia inuiſendi: ibi captata per me anſa, locus datus eſt libere inter nos colloquendi, atque vt paucis multa complectar, plurimus, & is quidem perquam honorificus de illo magno viro ſermo habitus eſt; illeque nonniſi præclare, ac magnifice de eius amplitudine ſentire viſus eſt, tametſi nonnihil muſſitare videretur, illum minus gratia & autoritate valere apud Pontificem Maximum: cætera omnia cum honorificentia eius, bonique nominis opinione cohærebant. Ego nactus opportunitatem, quam expetebam, ad id, quod obijciebat, non putaui magnopere referre vt reſponderem, tantum contentus cauſas diſceſſus eius ab hac vrbe, atque conſilia aperire, nec ille quicquam reluctari viſus eſt. Quod autem me ſerio de ſtudiorum intermiſſione meorum, atque moderatione admonendum duxiſti, quoniam ex charitate erga me tua, ſingularique beneuolentia profectum eſt; quas poſſum cumulatiſſimas tibi gratias ago. Certe ea ipſe die qua has ad te dedi, ab omni alio grauiori ſtudio feriatus ſum, vt intelligas quanti ſint ponderis atque momenti ſaluberrima monita tua, ac præcepta: quanquam ne quid diſſimulem, agnoſco vim aliquam mihi ipſi eſſe inferendam, vt hoc præſtare valeam: tanto enim ardore ad ſuſcepti muneris metam perueniendi incendor, vt omnis, vel minimi momenti, temporis iactura negotium mihi faceſſat, ſcrupulumque non mediocrem mihi ingerat, quoniam, vt ille inquit, Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus. Patres qui penes me ſunt, idem pro ſua charitate vrgent, moderationemque aliquam, ac remiſſionem meis ſtudiorum laboribus interponi vellent. Nec tam rudis, aut ignarus ſum ego, vt non intelligam illos prudenter me exhortari: ſed hoc ita natura comparatum eſt, vt qui alijs recta conſilia dare valemus, nobis tamen ipſis conſulere, aut neſciamus, aut ægre patiamur. Ante paucos dies rumor ſparſus eſt, dominum Abbatem Portium ad munus Latine conſcribendi literas Apoſtolicas, quæ Breuia nuncupantur, à Pontifice deſignatum fuiſſe, atq; aſſumptum. Gauiſus ſum communem amicum ad illum gradum euectum, ne Romæ ſemper nihil agere, aut otiari videretur. Etſi autem plurimam in eo agnouerim eruditionis ſupellectilem, literarumque tam diuinarum, quam humanarum cognitionem; mihi tamen ſatis exploratum non eſt, quantum ille aut ſcribendi, aut dicendi facultate valeat, munus quippe eiuſmodi ſuſceptum exercitationem magnam in hac parte exigere videtur. Verum dubitare non poſſum, quin ſi ille, ſi minus forte exercitatus exiſtat, facillimo negotio eiuſmodi orationis facultatem breui ſit comparaturus, cum & præclaro præditus ingenio, & linguarum cognitione cumulatus exiſtat. Num illuſtriſſimus Cardinalis Sirletus ad te aliquid ſcripſerit, ex quo abeſſe cœpiſti à nobis, & an aliquid reſponſi dederit ad propoſitam ex libro Iudith quæſtionem, magnopere cupio intelligere. Sed iam ad Pauli locum reuertor. Illud tãtùm à me explicari poſtulas, qua ratione is, qui donum linguæ habet, atque ea myſteria quæ illo continentur, minime intelligat, ſeipſum valeat ædificare? Si vero myſteria quæ delitefcunt, aſſequatur, ac ſe ipſum ædificare poſſit, quid impedit quo minus Eccleſiam ædificare valeat? Nec enim, vt recte ais, inanes linguæ voces quenquam ædificare poſſunt, niſi adſit vis intelligendi. Huic acutæ ſane dubitationi puto me prioribus literis aliquid reſpondiſſe, ſed id nunc, quoniam ita vis, vberius præſtabo. Poſſet fortaſſe aliquis exiſtimare, hanc loquendi rationem, nimirum ædificandi ſe ipſum, non eſſe illi abſimilem, qua Paulus vtitur ad Philippenſes capite ſecundo: Omnes quæ ſua ſunt quærunt; vt perinde ſit ædificare ſeipſum, ac quærere quod ſuum eſt; at quærere quod ſuum eſt, nihil aliud eſt, quam in ſuum compendium, ac lucrum; vel in gloriam, ac præclaram ſui nominis famam incumbere. Nam qui linguarum dono, ſine Eccleſiæ ædificatione ad oſtentationem vtebantur, ſe ipſos prædicare, & non Chriſtum; ſuamque potius gloriam, quam aliorum ædificationem, ac conſolationem quærere videbantur. Quod ſi hoc ſit ædificare ſeipſum, planus erit ſenſus: Qui loquitur lingua, ſe ipſum ædificat (id eſt, ſuæ tantum gloriæ, ac vtilitati ſtudet) Qui vero interpretatur, Eccleſiam ædificat, quam prophetandi munere in fide illuſtrat, myſteriorumque explicatione conſolatur, & exhortatione ad ſtudium bonorum operum incendit. Verum hic ſenſus meo iudicio nequit conſiſtere: nam quæ ſua ſunt quærentes, quoniam ab Apoſtolo diſtinguuntur contra eos, qui quærunt quæ ſunt Ieſu Chriſti, neceſſario in malam partem accipiendi ſunt; at hic ædificare ſe ipſum, non opponit tanquam extremum aliquod vitioſum, ſtudio ædificandæ Eccleſiæ, ſed hæc duo tanquam maius bonum, & minus bonum opponuntur; donum ſiquidem linguarum cum ex Deo ſit, ex ſuo genere non inhoneſtum eſt, ſed officioſum potius, atque ſtudioſum, ſi quis eo legitime vtatur, inter bona Dei dona computandum venit; at Prophetia, ſiue donum interpretationis ſermonum, maius eſt bonum, & priori præſtantius, vt Apoſtolus hoc loco illa inter ſe componens aperte teſtatur: nam hoc ſecundum prius continet, & adiungit præterea gratiam interpretandi ea, quæ latitabant in linguis myſteria, ad audientes ædificandos. Cum igitur hæc ſolutio minus ad rem faciat, &

1.Cor.14.

Philip. 2.

conſtare non poſſit, dicendum eſt, eum qui habet donum linguarum, propterea dici ſe ipſum ædificare, quod vim verborum; & myſteria, quæ loquitur, omnino intellectu aſſequatur: at vero quod ea quæ ipſe intelligit, nequeat alijs communicare, & ad aliorum ædificationem proponere, non aliunde oritur, quam quod interpretandi dono ſit deſtitutus: nonnullos quippe reperire licet, qui & acute quædam excogitant, & ſapienter multa intelligunt, qui tamen animi ſui ſenſa, atque cogitationes nequeant exprimere: ſiue quod linguæ impedimentum habeant aliquod; ſiue quod in dicendi facultate minime ſint exercitati, vt perinde ſit illos dicere (quoniam dure admodum, & inconcinne loquantur) ac ſi prorſus linguarum vſu eſſent deſtituti: nec enim quiſquis vnam, aut alteram periodum in linguam, quam alter qui audit, poſſet intelligere, tranſtulit, ſtatim dicendus eſt donum interpretandi habere, ſed ille qui prompte, copioſe, ornate, erudite, atque perſpicue de quouis myſterio Dei propoſito nouit diſſerere, quique orationis ſuæ ſplendore & auditores ſiſtere, & allicere, & in admirationem inflectere, & in quemcunque velit animi affectum promouere valeat. At quam rari exiſtunt, qui hoc præſtare poſſint, nemo non videt. Hoc autem ita ſe habere, ex ipſis Pauli verbis elicimus, qui diſtinctam plane eſſe vult interpretandi gratiam à dono linguarum, atque hoc habentem tantum poſſe ſe ipſum ædificare, nos alios, illo vero exornatos poſſe & ſeipſos & alios ædificare: quare recte exhortatus eſt, vt qui loquitur lingua, oret vt interpretetur: ex quo colligimus, eum, qui quouis modo explicare nouit, illaque tradere, atque in aliorum mentes transfundere, non iam ſimplici linguarum gratia, ſed etiam interpretandi inſtructum exiſtere. Et confirmatur hic ſenſus: nam linguas habens, ſe ipſum ædificare in eo oſtendit, quod ait: Vtentem linguis Deo loqui, quod eſt orare, ac Deo in Spiritu benedicere, illique pro acceptis beneficiis Deo gratias agere. At preces fundere ad Deum, illique benedicere, & gratias agere, neque ſine intellectu, neque ſine fructu fieri contingit, ſi vti decet fiat: atque in hunc modum qui loquitur lingua, ſe ipſum ædificat, quanquam myſteria quæ per linguas nouit, interpretari ad alios ædificandos minime nouerit. Hoc ipſum etiam veteres Pauli interpretes mihi non obſcure indicare videntur, præſertim vero ex noſtris Ambroſius: ex Græcis Oecumenius: prior quidem in prædicta Apoſtoli verba, in hunc modum ſcribit: *Qui loquitur lingua, ſe ipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat: per id enim quod forte ſolus ſcit, quod loquitur, ſe ſolum ædificat, nam qui prophetat, omnem plebem ædificat, dum intelligitur ab omnibus quid loquatur.* Poſterior vero Oecumenius in eadem verba ita habet: *De his loquitur qui nouerunt quidem ea, quæ loquuntur, ſed alijs interpretari non norunt: qui vero prophetat, Eccleſiam ædificat: Quantum ergo diſcrimen eſt eius quod eſt vni afferre vtilitatem, ab eo quod eſt Eccleſiæ illam afferre, tantum diſcrimen eſt linguarum à prophetia.* Hæc ille, quæ ex Chryſoſtomi officina deprompſiſſe videtur illud idem aſſerentis. Ex quibus perſpicuum redditur, linguarum cognitione conſpicuum aliquem eſſe poſſe, atque eorum quæ dicit minime ignarum; explicandi tamen atque interpretandi facultatem minime eſſe conſecutum. Hæc ſi tuæ prudentiæ loco propoſito explorando apta, appoſitaque videbuntur, magna voluptate me afficient, ſin minus, aut rei ipſius difficultati, aut potius noſtræ imbecillitati adſcribere ne dubita; ſi tamen cito ad nos, vt tuis indicas, rediturus es, coram fuſius ac plenius de his, atque alijs, ſi videbitur, licebit inter nos agitare: nam vt ex mutua ferri cum ſilice colliſione ignis ſcintilla prodire ſolet, ita ex mutua diſceptatione, ac veluti dimicatione, conſueuit veritas ſplendeſcere. Vale illuſtriſſime Domine, meque tuæ ſalutis in Chriſto, & nominis quam maxime ſtudioſum, vt in ſanctiſſimis precibus tuis commendatum aſſiduo habeas, etiam atque etiam rogo. Neapoli die octauo Septembris, Mariæ Virginis Natiuitati ſacro, anno M. D. L X X I.

Ambroſius. *Oecumen.*

Narrat feliciſſimum Pij V. obitum, & Gregorij XIII. creationem.

Admodum R. P. Alfonſo Salmeroni

Antonius Caraſa S. R. E. Cardinalis S. D.

ADMODVM Reuerende Pater. Etſi meus in te amor ſingularis non extaret, qui quicquid egiſſem, improbatum apud te eſſe non ſineret, res tamen ipſa me tibi ſatis excuſatum redderet, quod nihil de his nouitatibus adhuc literarum dederim. Nec enim vacante Sede, ijs qui in hoc dignitatis gradu conſtituti ſumus, à publicis muneribus vacandum fuit, nec electo Pontifice, aut priuatis amicorum ſtudijs, aut publicæ vtilitari, non omni cura & diligentia inſeruiendum. Quamuis autem cum rumore ipſo, tum amicorum literis, quæ hic geſta ſunt, ad te allata eſſe intelligo, tamen ex me ipſo puto te ea velle cognoſcere, quæ breuiter exponam. Pius V.

P. M.

P. M. qui æterna quadam,& prope diuina ſui nominis relicta memoria, ſuperioribus diebus, corporis emiſſus carceribus,in cœlum recta migrauit, quadraginta primo totos dies, aſſiduis acerbiſſimiſque vrinæ doloribus vexatus eſt. Qui cum morbi ſui initijs, iam iam diem ſuum aduentare proſpexiſſet,ab omnibus ſe negotiis prorſus abſtinuit.Die Iouis in cœna Domini (vigeſimaſeptima ante eius diſceſſum die (ſanctiſſimo Chriſti corpore, vt breui morituri viatico, ſumpto, mortem intrepido animo & in acerbo dolore patientiſſimo expectauit:quæ omnia ex Marci Antonij Mureti oratione in eius funere habita, fuſius & dilucidius multo cognoſcere poteris, in qua (mihi crede) nulla ei viro tributa laus eſt,quam non eius virtus longe ſuperaret. Deuoti autem ſui Deo animi,tum vel maxime manifeſtum edidit ſignum, cum ſeptem præcipuas Romæ ſacras ædes iam grauiter affectus viſere inſtituit, à quo nullis vnquam ſuorum precibus,aut lacrymis potuit dimoueri.In harum ſingulis adeo prolixe, intenteque orabat, adeo lacrymas ex intimo erutas corde fundebat, ita humiliter & demiſſe terram oſculabatur, vt perfacile eſſet ijs qui aderant intueri, his locis quæ dum viueret, omni pietate coluerat in cœleſtem patriam euolaturus,ſempiternum vale dixiſſe.Auxit non mediocriter acerbitatem morbi, die illo animi, corporiſque ſuſcepta contentio, nam decimo poſt die, ipſis Calendis Maij, duobus ante Solis occaſum horis, non ſine ingenti noſtrorum omnium mœrore deceſſit, cum tamen quinque fere dies, agens animam antequam vltimum efflaret ſpiritum, perſtitiſſet: tantum in eius animo roboris erat & neruorum. Cuncta in tempore Eccleſiæ Sacramenta percepit,quin & illud Extremæ Vnctionis ſua ſponte biduum ante petiuit; fuit eius omni tranquillitate, & felicitate plena migratio.Contigit enim ei (quod & ipſum feliciſſimum eſt & raro Pontificibus euenire ſolet) inter ſui amantiſſimos, ſciens ipſe prudenſque mortem obire. Toto hoc tempore Pontifici præſto fui, tum vero & Generalis ordinis Prædicatorum Boſchi Prior, pater Seraſinus, Cardinalis Alexandrinus,Ruſticuccius, Aquauiua, Cubicularij eius intimi, Capellanique duo; ſimul lacrymantes aderant, circumque eius lectum aſtantes, precibus,lamentis, & gemitu ſumus abeuntem proſecuti. Venit eo, animam emittente Pontifice, Cardinalis Placentinus,qui demortui oculos clauſit.Deinde cadauer in ſecretius quoddam ab ipſo nuper extructum cubiculum,tulimus. Fuere de exſecti corporis veſica tres elati ea granditate calculi, vt mirum ſane videretur, tam diu male affectum corpus vitam ducere potuiſſe. Adeo tranquille & placide hæc geſta ſunt omnia, vt ne minima quidem populi motibus tumultuoſe quicquam audendi(vt aſſolet)facultas data ſit, atque adeo,quod caput eſt,Pontifex ille vere Pius, eam quam pene afflictam, & in deterius labantem accepit Eccleſiam, firmiſſimis aduerſus immanes Turcas, & Hæreticos Catholicæ fidei impugnatores, perditeque & ſcelerate viuentes, munitam præſidijs,religione,ſanctitate, diuitijs,& omni ornamentorum genere auctam, recreatamque reliquit.Conſecuta eſt Sedes vacans, nonnullis à plebeis tantum hominibus,interque ſe ipſos rumoribus concitatis, quo tempore illud vere dicam, tum Cardinalium, tum vero meorum familiarium plurimos, mihi teſtimonio eſſe poſſe, quibus plane totius euenti rationem prædixerim: ſic enim exiſtimabam, ſpe quantumuis minima reliqua illi, quem homines multum ſemper dignitatis,& in hoc ordine autoritatis habere intellexerant, Pontificem creari non poſſe,eo ſublato, hunc continuo ſententiis omnium creatum iri.Neque enim difficile erat Cardinalium animos in hanc procliues partem, in reliquas longe diſſidentes cernere; iam vero Conclaue,ingreſſi, in ipſo primo ſcrutinio,quem Spiritus ſanctus elegerat, aperte oſtendebat. Vix itaque duarum horarum ſpatio Pontificem Maximum elegimus, cuius quidem bene geſtæ rei gloriam, non iniuria Cardinalis Alexandrinus,cæterique omnes, qui à Pio Quinto huic ſumus ordini aggregati, nobis poſſumus vindicare.Quibus ſic à principio conſtitutum fuit, Dei Eccleſiam, eius redemptam ſanguine, non cuiuis temere committendam,ſed ei demum,qui inſigni pietate,ſapientia & integritate,præter cęteros eluceret; quem ſi nacti eſſemus, propria vtilitate neglecta, in eam pedibus,manibuſque eſſe eundum.Ecce autem voluntas Dei fuit vt is nobis occurreret, quem tota hæc Vrbs multis ab hinc annis virum integerrimum, Iuris vtriuſque doctrina excellentem, rerum omnium peritia inſignem eſſe cognouit. Nos igitur noſtra præſtitimus,de reliquo ipſe viderit,in quem tota Chriſtiani nominis machina inclinata recumbit. Nos ſane ſic exiſtimare debemus,cui ſeptuageſimum primum ætatis annum agenti,tot virtutes ſtrenue famulatæ ſunt,nunc cum vel maxime opus eſt, eum minime defecturas.Nec incerta quidem adhuc huius rei nobis pignora dedit, nam & his orbis terrarum partibus, vbi Catholica Religio oppreſſa iacet,omne ſuum præſidium, opemque laturum, & ſacroſancti Concilij Tridentini decreta ad vnguem executurum, & ſanctiſſimum à Pio Quinto coactum fœdus opportuno auxilio futurum,& mores tam priuatim,quam publice,tam domi,quã foris,ad exemplar veræ, ſolidæque religionis effícturum eſſe promiſit,in primo Conſiſtorio ſe obſeruationi Pij Quinti bullę de nõ alienandis,&c.ſolenni iureiurando deuinxit.Poſteaq; vt nos ſemper in officio contineremus, & in primis vt libere & ſincere interrogati ſententias diceremus, cohortatus eſt.Reliquum eſt vt cum Dauide petamus: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. In proxime habito Conſiſtorio, poſtridie Calendas Iunij, fratris ſui filium in Cardinalium *Pſalm.67.*

Collegium Pontifex aſciuit, qui galero biduo poſt inſignitus eſt, aſſueto prius iureiurando præſtito (nec enim annus experiendi regulam ad hanc religionem nomen dantibus tribui conſueuit.) Sed de his rerum mutationibus crebris perbella illa certe eſt (quam noſti) Eccleſiaſtici ſententia.
Eccleſ. 14. Omnis caro ſicut veſtimentum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi; alia generantur, & alia deijciuntur, ſic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur. Noſtræ vero nunc partes erunt, vt ſummis precibus à Deo contendamus, vt ei quem ouibus ſuis præfectum conſtituit, veſtigiis ſuis inſiſtere ſua benignitate concedat, vitæque eius curſum ad ſui nominis gloriam protrahat, cuius rei vel præcipua quidem Cardinalibus cura debet incumbere; nam & quot mutationes, tot caſus eſſe ſolent, & difficile ac laborioſum profecto eſt, tam debitum conſcientiæ officium exequi conantibus, quam proprijs affectibus inſeruire cupientibus, in re ſimili, ſibi ipſis plene cumulateque ſatisfacere. Vale, meque tuis, fratrumque tuorum precibus maiorem in modum commenda. Romæ, die primo poſt feſtum Chriſti corpori dicatum. M.D.LXXII.

Adm. R. P. V.

V. ri filius in Domino obſequentiſſimus,
A. Card. Caraſa.

Gratias agit pro libro Græco, Agones Petri & Pauli continente, miſſo: & quæſtiones mouet ſuper Petri peregrinatione, & chronologia, quas rogat diſſolui curet per Card. Sirletum.

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Antonio Caraſæ, S.R.E. Cardinali

Alfonſus Salmeron è Societate Ieſu S. D.

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine.

PER BREVES quidem, atque Laconicas Amplitudinis tuæ literas inſigni illo munuſculo græce conſcripto, quod Apoſtolorum Petri & Pauli agones continebat, ornatas ante paucos dies accepi, Quibus maiorem in modum exhilaratus ſum, quod putabam, illo ſcripto meos omnes ſcrupulos, ac dubitationes, quibus ſæpe agitatus ſum, in eo quod ad beatorum Petri & Pauli conſummationem attineret, euacuandas penitus, atque amouendas. Etſi vero, quantum poſſis autoritate, & gratia apud Illuſtriſſimum Cardinalem Sirletum, ſatis hoc ipſo declaraueris, meamq; prorſus fidem confirmaueris (nihil enim putaui, tibi, tali ac tanto viro, ac de illo tam bene merito ab eo denegandum) in his tamen quæ ad dubitationes meas ſpectabant, omnino falſus ſum, ſpeque mea atque expectatione fruſtratus, vt dici ſolet ἄνθρακες θησαυρός. Nam vt intelligas, Illuſtriſſime Domine, quid ego adipiſci ex hoc ipſo ſcripto me poſſe exiſtimabam, illud erat: Noſſe in primis veras ac legitimas cauſas, quibus impius ille Cæſar permotus fuit, & accenſus, vt ſanctos Dei Apoſtolos internecioni daret. Non enim ignoras, vir prudentiſſime, quoſdam ex veteribus Patribus teſtatum reliquiſſe, ob ademptas Apoſtolorum opera illi pellices ac mulierculas quaſdam, Neronem tantopere in eos ſæuijſſe: hoc enim & Chryſoſtomum in libris contra Vituperatores vitæ Monaſticæ, & Linum tradidiſſe, exploratum eſt, atque compertum. Alij vero, inter quos eſt Ægeſippus qui circumfertur; cuius autoritas apud eruditos viros minus recepta eſt, talem Imperatorem tanta rabie in Apoſtolos armatum ferunt, quod Simonem Magum ſibi gratiſſimum, & amiciſſimum virum, precibus ſuis, & autoritate præcipitem dederint, & ad animam infeliciter exhalandam compulerint. Sunt qui rurſus odio Chriſtianæ pietatis, atque doctrinæ, cuius illi primi autores, & fundamenta in Vrbe fuere, martyrium Apoſtolorum adſcribant: quæ ſententia veritati, ac pietati fidei magis conſona videtur. Nam illum Simonis Magi interitum tempore Claudij Imperatoris accidiſſe per complures annos ante Neronis principatum, nonnulli fide digni Scriptores tradidere. Quod ſi verum eſt, non eſt cogitandum verum eſſe quod à nonnullis ſcribitur, Petrum & Paulum ſimul contra Simonem Magum decertaſſe, & Paulum Petro dixiſſe: *Tuum eſt*, inquit, *imperare; meum orare*, cum ſcilicet illum glorioſum, artibuſque dæmonis & viribus volantem præcipitem dare vellent. Equidem ex certis autoribus nouimus, nunquam Paulum Romam veniſſe niſi ſecundo Neronis anno, & tunc quidem non ſine vinculis, in quibus per biennium, etiã in Vrbe moratus eſt, & vt teſtatur Lucas, cum cuſtodiente ſe milite. Deinde etiam putabam, illo ſcripto meam ſitim extinguendam, earum cauſſarum cognitione, quæ Petrum ac Paulum ad reditum in Vrbem impulerint. Exploratum eſt enim, Petrum tempore Claudij Romæ aliquot annis egiſſe; deinde eius edicto & iuſſu expulſum fuiſſe. Conſtat etiam, Paulum, poſtquam cauſam dixit, & abſolutus eſt

à Nero

à Nerone, poſt quartum eius Imperij annum, ad prædicandum Euangelium in Occidentis partes profectum fuiſſe: iam vero quæ cauſa extiterit illorum reditus, mihi omnino ignotum eſt atque incompertum, nihilque potui deprehendere, quod animo ſatisfaceret, etiamſi curioſe communes hiſtoricorum libros lectitauerim. Accedebat tertio & ratio temporis, quæ plus cæteris me cruciauit. Lego enim apud Euſebium, Hieronymum, ac Damaſum, Petrum ſecundo Claudij anno Romam veniſſe, & ab eo tempore vſque ad mortem, ſedem ſuam ibi fixiſſe. Hoc autem ſcrupulo non caret: quia Petrum legimus Actor. 12. ab Herode in diſcrimen vitæ perductum fuiſſe. Quod cum paucos ante dies ante obitum Herodis ab Angelo percuſſi, vt teſtatur Lucas, euenerit; illum autem conſtet tertio anno Claudij obijſſe, vt teſtantur Ioſephus, & Euſebius (nam ille ſeptem tantum annos regnauit, quatuor ſub Caligula, & tres ſub Claudio:) colligimus, Petrum duodecimo anno poſt Chriſtum aſſumptum, & tertio anno exacto Claudij Ieroſolymis fuiſſe. Quomodo igitur Romam profectus eſt ſecundo Claudij anno, ſi tertio eiuſdem anno erat Ieroſolymis? Vix enim annus integer ſatis erat ad hoc vt expeditiſſime Romam viſitaret, & Ieroſolymam regrederetur. Præterea dubium eſt, quo tempore Petrus Antiochiæ prædicauerit, & Sedem tenuerit. Deinde quando diſperſis Ponti, Galatiæ, & Cappadociæ, Bithyniæ, atque Pamphyliæ euangelizauerit: nam ante duodecimum annum Apoſtolos ſimul verſatos fuiſſe Ieroſolymis, & in Iudæa, teſtatur Euſebius, producens traditionem Thraſeæ cuiuſdam martyris, qui pro fide occubuit: hic enim à maioribus ſe accepiſſe dicebat, Apoſtolis Dominum ſuo verbo præcepiſſe, ne ante duodecimum annum ab ſe inuicem prædicandum Gentibus diſcederent: & totum illud temporis ſpatium Ieroſolymitanæ, & alijs Iudæorum Eccleſiis in fide inſtituendis impenderent. Quam traditionem confirmat Beda in cap. 13. Actuum. Si igitur hæc vera ſunt; quando ille diſperſis Iudæis per minorem Aſiam Euangelizare potuit? Niſi dicas, illum vrbe pulſum in illas Aſiæ prouincias euangelizandi gratia perueniſſe. Hæc pauca ſunt, quæ animum meum excruciabant, & quæ etiam nunc ambiguum, & ſuſpenſum tenent. Te igitur, Illuſtriſſime Domine; pro tua erga me incomparabili beneuolentia, & pro tua etiam inſigni prudentia, communicare hæc cum illuſtriſſimo Sirleto ne pigeat: nam cum ille Marcellum Petri diſcipulum & hiſtoricum penes ſe Græcum habeat, & qui congreſſibus Simonem Magum inter & Simonem Petrum interfuit, fieri nequit, quin ille tempus illius conflictus tradat, & pleraque ex his, quæ dicebam eſſe ambigua, explicet. Certe Abbas Trithemius in principio libri ſui de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, tradit, Marcellum olim Simonis Magi, poſtea Petri diſcipulum, de conflictu Simonis Magi librum vnum ſcripſiſſe, alterum de actibus Petri & Pauli, & alium de artibus Simonis, & quædam alia de obitu Sanctorum quorundam: hos vero libros etiam Latinos extare, illud perſuadet, quod citantur ab Antonino Archiepiſcopo Florentino, & Ioanne Trithemio Abbate; quos Græcarum literarum peritos fuiſſe, vt hæc in fontibus Græcis legiſſe ſit veriſimile, non conſtat: nec dubium eſt ſitu, & carie eiuſmodi libros Latinos alicubi ſepultos deliteſcere. Quod ſi diligenter Bibliothecæ explorentur, fortaſſis ſeſe proderent, & in lucem emergerent, eſſetque opera & diligentia in illis inueſtigandis, & in lucem excitandis bene collocata, ſi tales apocryphi non eſſent; quod tui erit iudicij, & doctiſſimi Cardinalis Sirleti: nam ego nuſquam illos libros vidi, nec ab aliquo reprobatos eſſe legi. Cæterum, ne virum doctiſſimum, & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimũ, tot ſimul difficultatibus propoſitis obruas; magnopere cuperem, vt tuo quaſi nomine magis quam meo (ne forte reluctetur, vt ſolet) ſenſim ac paullatim cum illo conferas; cum locus, & tempus opportunum dabitur. Dabiſque operam, vt quid in quaque ex propoſitis quæſtione vel ſtatim, vel præmeditatus reſponderit (cum harum quædam, pro ſua grauitate, maturius ad reſpondendum tempus exigere videantur) diligenter annotare velis, mihique ſuo tempore per literas ſignificare. Quod ſi ille forte tantum laborem detrectat, & otio ſuo, & quieti (cuius eſt amantiſſimus) conſulere volens, nihil reſponderit; & tuæ prudentiæ cogitandum relinquo, an cum alio viro doctiſſimo, & in hiſtoria Eccleſiaſtica exercitato (quorum plures Romæ verſari ſolent) haſce noſtras dubitatiunculas conferre velis; & earum ſolutionem excipere. Vide quantum amor erga te meus audeat, qui tantam tibi ſarcinam imponere non reformidet. Verum cum te mei amantiſſimum pro tua benignitate non vulgaribus argumentis intellexerim; ac te harum rerum cupidum non minus quam eſſe me cognouerim; putaui huiuſmodi laborem fructu, & præmio ſuo apud tuam Amplitudinem non cariturum. Et niſi me mea fallit opinio, hæc bene cognita ac comprehenſa, ad multa vtilia eſſe poſſunt. Proinde excuſatus eſſe apud te cupio ſi plus quam par ſit, audax eſſe videar. Remitto tibi opuſculum illud Græcum, vt inſtiſti, quod cum incerti ſit autoris, minus firmam reddit Lectoribus fidem. Videtur autem præ ſe ferre ſpeciem cuiuſdam homiliæ, vt finis eius indicat, & ab aliquo Latino ſcriptore, aut Græco, Latinas voces libenter vſurpante, conſcriptum. Eo porro animo à me mittitur, vt illi cuius eſt, cum ampliſſima gratiarum actione, & officioſiſſima ſalutatione reſtituatur: meque eius gratiæ, ac beneuolentiæ, quam quidem ego ſemper maximi feci, commendatiſſimum reddere cures: ad quem ego literas interdum darem libentiſſime, cumque in nonnullis arduis Scripturarum quæſtionibus conſulendum putarem, niſi meliora

Euſeb. lib. 2. cap. 14.
Hieron. in vita Petri.
Damaſus in vita Petri.
Ioſeph. li. 19 Antiq. c. 7.
Euſeb. lib. 2. cap. 10.
Euſeb lib. 5. Eccleſ. hiſt. cap. 18.

eius ſtudia,& ſerias cogitationes meis ineptis,& fortaſſe curioſis interrogationibus interpellare vererer. Mitto ad te quas accepi à primario ordinis Principe. & Collega, literas prioribus non diſſimiles,ita tamen vt lectas,quo commodius illis reſpondere valeam,quamprimum ad me remittas: Vale ampliſſime Cardinalis,tuumque per omnia Alfonſum conſueta humanitate proſequere.

Locum difficilem Stephani Actuum 7. declarat, à Cardinali propoſitum.

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Antonio Carafæ, S. R. E. Cardinali

Alfonſus Salmeron è Societate Ieſu S. D.

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine.

ERVDITISSIMIS ſane ac pientiſſimis literis tuis maiorem in modum me oblectaſti: tui namque perpetui, & inexhauſti conatus, & labores in purganda, & emaculanda lectione 72. Interpretum, quos indies ſubire cogeris, in cauſa ſunt, vt Epiſtola tua nihil aliud mihi, quam eruditam quandam pietatem, ſiue piam eruditionem ſpirare videatur. Quod vero noſtra de 72. Interpretum autoritate ſententia tibi quoque perinde, atque mihi probata fuerit, libentiſſime legi: noui enim, quanto, & quam acri iudicio ſis præditus; vt proinde mihi gratulari queam, cum video abs te confirmari, quæ mihi non ſine aliqua formidine, quaſi magis probabilia, & veritati conſentanea videbantur. Dum vero in Epiſtolæ tuæ coronide, ad obſcuriſſimum locum, ac denſiſſimis tenebris obſitum explicandum inuitas, qui in Protomartyris Stephani concione continetur, vehementer admiratus ſum. Video enim in primis in te inexplebile quoddam diſcendi deſiderium, & incredibile Sacrarum literarum ſtudium, vt Iſocratis ſententiam commode tibi adaptare poſſim: ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς ἔσῃ πολυμαθής. Vt enim alimenti appetitio, certum ſignum eſt bonæ corporis temperaturæ; at cibi, & potus abominatio, infirmum corporis habitum oſtendit: ad eum plane modum, apertum eſt ſani animi argumentum, cibum ſpiritualem verbi Dei & eſurire, & ſitire. Et dum tanto deſiderio accenderis ſacra Dei eloquia ſcrutandi, in te impleri video illud Spiritus ſancti per Salomonem dictum: *Quoniam dignos ſe, ipſa* (ſcilicet Sapientia) *circuit quærens, & in vijs oſtendet ſe* *Sapien. 6.* *illis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis. Initium enim illius veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.* Deinde maiorem mihi attulit admirationem, quod mea oratione poſſe illum locum illuſtrari atque elucidari exiſtimaueris, in quo video magnos ac doctiſſimos viros aut certamen detrectando ſiluiſſe; aut poſt promiſſa, deterritos loci difficultate, periculum ſui facere non voluiſſe. Poſſem itaque magnorum virorum exemplo, à Gordiano iſto nodo diſſoluendo me excuſare, & imperitiam meam profiteri; & rogare, vt in alios valentiores humeros tantam ſarcinam reijceres. Sed quid faciam? Cum te id impenſe poſtulantem, & expetentem intueor, compellor à mea ſententia diſcedere: & profecto tibi tanto in Eccleſia Dei viro, ſacrarum literarum ſtudioſiſſimo, ac tot modis de me benemerito, negare quicquam non audeo, etiamſi non ignorem, vbi multa inſulſe de hoc loco dixerim, meam me nihilominus proditurum imperitiam: maluique abs te deſiderari prudentiam, ac ſcientiam meam, dum tuæ obſequor voluntati, quam ſi id facere detrectem, beneuolentiam. Dicam igitur quid ſentiam; ſed ita, vt alijs, qui plus ingenij viribus, & doctrinæ opibus pollent, locum relinquam, & modeſtiam Chriſtiano viro dignam adferre conabor: nihil hic per contentionem, nihil per inanem gloriam, nihil denique per contradictionis ſpiritum, quo, vt dici ſolet, altercando veritas amitti ſolet dictum inuenietur. Sed iam mihi verba attexenda ſunt, ſu- *Actor 7.* per quorum intellectu erit diſceptandum. Ait ergo magnus Stephanus: *Et deſcendit Iacob in Aegyp-* *Geneſ. 46.* *tum; & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri; & tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro quod emit A-* *Infra 49.* *braham pretio argenti à filiis Hemor patris Sichem.* Multæ in his paucis verbis exiſtunt dubitationes, quæ non tantum Delio natatore, ſed diuino aliquo cœlitus dimiſſo interprete indigent: inter quæ *Geneſ. 50.* primum dubium erit, quomodo docet Stephanus, Patriarchas tranſlatos fuiſſe ex Ægypto in Ter- *Exod. 13.* ram Chanaan, cum Moyſes nonniſi Ioſeph commemoret mandaſſe fratribus de transferendis oſ- *Ioſue 24.* ſibus ſuis, Geneſ. 50. & Exod 13. recenſeat tranſlata; & idem aperte Ioſue vltim. executioni manda- *Exod. 1.* tum legamus, nulla aliorum fratrum ſuorum facta mentione. Imo Exodi 1. vbi mortuus Ioſeph, & vniuerſi fratres eius narrantur mortui, nihil de ſepultura eorum, aut corporibus transferendis *Geneſ. 49.* narratur.

Infra 50. Secundum dubium: Quomodo Stephanus Iacob recenſet ſepultum in Sichem, cum aperte Geneſ. 49. ipſe præceperit ſe ſepeliri in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi contra

Mambre in Terra Chanaan, & Geneſ. vlti. referatur id executioni fuiſſe mandatum. Et confirmatur hæc dubitatio: quia codex Syriacus Act. 7. ita ad verbum habet: *Proinde deſcendit Iacob in AEgyptum, & mortuus eſt illic ipſe & patres noſtri. Et tranſlatus eſt in Sichem, poſituſq́; in ſepulchro, quod emerat Abraham, &c.* Hæc enim apertè pugnare videntur cum verbo Dei. Et in hoc dubio aliud inuoluitur, vbi ſcilicet ſepulti ſint Patriarchæ? nam teſte Ioſepho libr. 2. Antiquitat. cap. 4. ſepulti ſunt in Hebron, non in Sichem. Huius tamen oppoſitum videtur hîc tradere Stephanus, & B. Hieronymus non vno in loco: quia illud: Tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro, vt habent Græca, & Latina exemplaria, potiùs ſpectat ad Patriarchas, qui plures extiterunt, quàm ad Iacob qui vnus fuit.

Act. 7.

Tertium dubium: Quomodo aſſerit Stephanus, agrum illum emiſſe Abraham à filijs Hemor, filij Sichem; cùm reuera Abraham Geneſ. 23. ſpeluncam duplicem emerit in ciuitate Cariatharbe, quæ alio nomine dicitur Hebron, ab Ephron filio Seor Hethæo, in qua Sara ſepulta fuit cum Abraham, & Iſaac cum Rebecca, & Lia cum Rachel & vt aiunt Adam cum Eua: quæ ob eam cauſam dicitur Cariatharbe, hoc eſt Ciuitas-quatuor, & Hebron rectè interpretatur Societas, ſiue Coniugium: nimirum quia Patres ibi ſepulti erant cum coniugibus ſuis. Inuoluitur in hoc dubio aliud, Quomodo ſcilicet Stephanus referat eum agrum redemptum fuiſſe pretio argenti, cum textus noſter, & Septuaginta interpretes aſſerant emptum centum agnis Geneſ. 33. ſiue centum nouellis ouibus, vt legimus Ioſu. vlt. Rurſus aliud hîc dubium concluditur, Quomodo dicat Stephanus emptum pretio argenti, & ipſemet Iacob Geneſ. 48 referat ſe tuliſſe de manu Amorrhæi in gladio, & arcu ſuo?

Gen. 23.
Ibid. 19.
Infrà 25.
Infrà 49.
Hier. lib. de optimo genere interpretandi hæc tangit.
Gen. 33.
Ioſue 24.

Quartum dubium eſt: Quomodo Stephanus concionatur emptum agrum illum à filijs Hemor filij Sichem, cum conſtet ex verbis apertis Geneſ. 33. & 34. Hemor patrem fuiſſe Sichem, non autem filium eius.

Quintum & poſtremum dubium: Cur Stephanus hanc veterum Patrum curam, & ſtudium in ſeruandis oſſibus ſuorum maiorum, ac progenitorum tantoperè commendauerit, & Scriptura in nonnullis locis commemorauerit. Quod igitur hæc perobſcura ſint, ac difficillima, nemo, vt puto, qui ſenſu vigeat, negabit, & qui intellectu apprehendere valeat, verbum Dei non minus verbo Dei repugnare non poſſe, quàm Deus ipſe ſibi aduerſari non valeat. Deinde idem colligere poterit ex eo, quòd magnus Hieronymus de huius loci nodis diſſerens tùm in libr. de opt. gen. interpret. ad Pammachium, & libr. de Hebraicis quæſtionibus inſoluta hæc omnia reliquit, & in alium locum diſtulit explicanda: quod tamen nullibi præſtitiſſe videtur. Alij verò ad memoriæ lapſum Stephano impingendum confugerunt, vt has tenebras euadere poſſent; plerique verò alij corruptionem Textui noſtro affingunt, vt aliquid lucis his tenebris adhibere videantur. Sed nos peculiarem diligentiam in enodandis ſingulis quibuſque dubitationibus, & quæ inter alias magis probabilis, & veritati conſentanea appareat, polliceri tantùm poſſumus;

Hiero. to. 2 in fine.
Idem to. 3 à med.

Ad primam igitur dubitationem aſſerimus, tantùm à Moyſe nominatim fieri mentionem Ioſeph præcipientis oſſa ſua in Terram Chanaan transferri: quod honoris gratia factum videtur. Et certè quod fecit Ioſeph, veriſimile eſt alios eius fratres feciſſe, & æmulatos pietatem, & fidem tam parentis Iacobi, quàm fratris Ioſeph, idem ſuis poſteris mandaſſe: ad quod comprobandum ſatis eſſe nobis debet vel hoc ſanctiſſimi Stephani teſtimonium, qui aſſerit, eos tranſlatos in Sichem, & poſitos in ſepulchro: id etiam nouerant Iudæi tanquàm in traditione publica repoſitum. Poſſumus etiam Stephani dictum per figuram Synecdoches tueri, vt in vno Ioſepho de ſuorum oſſium tranſlatione mandante, intelligamus & reliquos eius fratres idem præſtitiſſe, ſuo tamen tempore, & ætate; accipiendo ſingulare pro plurali, iuxta morem Scripturarum. Et hæc ſint ſatis.

Gen. 50.

Ad ſecundam vero dubitationem, vbi ſcilicet ſepultus ſit Iacob, & vbi filij eius Patriarchæ, maius eſt opus. Indubiè tamen affirmandum eſt, quod attinet ad Iacob, ſepultum fuiſſe in Hebron in ſpelunca duplici, vt ipſe præcepit, & completum recenſetur Geneſ. vltim. at Stephani verba non aſſerunt Iacob ſepultum in Sichem, ſed in plurali de Patriarchis iam mortuis dixit, quod tranſlati ſunt in Sichem. Quod etiam indicat, quod Ioſu. vltim. id apertè de Ioſeph Patriarcha in Sichem ſepulto Scriptura commemorat, vt idem intelligamus de fratribus. Accedit certus teſtis & oculatus beatus Hieronymus, & eorum locorum olim incola. Ita enim in epitaphio Paulæ, eius pietatem, & religionem commemorans, ſcriptum reliquit: *Tranſiuit Sichem* (ſcilicet Paula) *non vt plerique errantes legunt, Sichar, quæ nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim extructam circa puteum Iacob intrauit Eccleſiam. Atque inde diuertens, vidit duodecim Patriarcharum ſepulcra.* Idem alio loco ad Pammachium in epiſt. De opt. gen. interpret. *Abraham non emit ab Hemor patre Sichem, ſed ab Ephron filio Seor: nec ſepultus eſt in Sichem, ſed in Hebron, quæ corruptè dicitur Arboch. Duodecim autem Patriarchæ non ſunt ſepulti in Arboch, ſed in Sichem, qui ager non eſt emptus ab*

Gen. 49.
Infrà 50.
Ioſ 24.
Hiero. to. 1. à medio Epiſt. 27. circa prin.
Gen. 33.
Ioan. 4.
Idem. Epiſt. 101. non procul. à fine to. 2. in fin.

Abraham, ſed à Iacob. Differo ſolutionem & iſtius quæſtiunculæ, vt obtrectatores mei quærant, & intelligant, non verba in Scripturis conſideranda, ſed ſenſus. Hæc ille: quæ propterea fuſius produxi, vt Ioſephum omninò deſeramus, qui libr. 2. Antiquit. cap. 4. oppoſitum omninò ſcripſit, Patriarchas videlicet in Hebron fuiſſe ſepultos, quod cum hoc teſtimonio Stephani, & tanta affirmatione Hieronymi ſtare non poteſt: & ſcriptura Ioſu. vltim. affirmat Ioſeph patriarcham ſepultum in Sichem, in quo per Synecdochen intelligere poſſumus fratres eius ibidem fuiſſe ſepultos. Quod verò ex Syriaco

Gen. 33.

codice produximus: *Et translatus eſt, & poſitus in Sichem*, &c. quoniam apertè pugnat cum verbo Dei deſcribente ſepultum Iacob in Hebron: non eſt illa lectio aliquo in pretio habenda, quæ in ſingulari habet quaſi de Iacob: *Translatus eſt, & poſitus*: niſi quis fingere velit, ad tanti viri cohoneſtandas exequias, ductum primum fuiſſe à Ioſeph funus patris Iacob ad Sichem vſque, vtpotè locum, in quo ipſe olim habitaſſet, & peculiare prædium habuiſſet; deinde verò Hebronem ad patrium monumentũ ab Ephrone Hethæo emptum translatum fuiſſe. Sed quoniam venientibus ex Ægypto in Terram Chanaan, prius occurrit Cariath-arbe, quæ eſt Hebron, ideo hæc meditatio locum habere non poteſt: & Græca lectio (ex qua profecta eſt illa Syriaca) præferenda eſt, quæ habet in plurali, Translati ſunt, & poſiti ſunt, vt ad Patriarchas qui præcedunt, non ad Iacob referatur. Et hæc de ſecundi dubij euacuatione.

Ad tertiam difficultatem explicandam, quæ maioris videtur momenti, præfandum putaui; Quemadmodum vbi ſacræ literæ textus ſenſum facit abſurdum; aut impoſſibile, aut carnale aliquid inſinuare videtur, recurrimus ad metaphoricum, ſiue figuratum ſermonem, quò illa vel abſurditas, vel impoſſibilitas tollatur: ita, cùm textus aliquis Sacri codicis ſecum, aut cum alijs ſcripturæ locis aduerſatur, nec alia ſuppetit via dubitationem diſſoluendi, confugimus ad coniecturas, & ſuſpiciones, quòd aliquis error inſit in ipſo textu, aut aliquod eius verbum ſit additum, vel ſubtractum, vel certè in aliud vicinum, & proximum commutatum; vel ad lapſum memoriæ, & negligentiam loquentis; ſi homo ſit, cui conuenire queat: quæ omnia exemplis facilè illuſtrari poſſent, ſi opus eſſet. Ita planè in hac tertia difficultate eueniſſe comperimus. Nam alij vt hunc locum enodent, affingunt Stephano loquenti lapſum memoriæ; Alij verò, errorem eſſe in textu, contendunt, atque illum emendare nituntur. Producam igitur verba Bedæ, qui in

Venerabil. Beda in c. 7. Act. to. 5 circa fin. Act 6.

hunc locum nodum propoſitum diſſoluit: *Verum B. Stephanus vulgo loquens, vulgi magis in dicendo ſequitur opinionem. Duas enim pariter narrationes coniungens, non tam ordinem circumſtantiæ hiſtoriæ, quam cauſam, de qua agebatur, intendit. Qui enim inſimulabatur aduerſus locum ſanctum, & legem docuiſſe, pergit oſtendere quomodo Ieſus Chriſtus ex lege monſtretur eſſe promiſſus, & quod ipſi nec tunc Moyſi, nec Domino nunc ſeruire maluerint. Hæc vt potui, dixi, non præiudicans ſententiæ meliori, ſi adſit.* Hæc Beda. Ex cuius verbis Melchior Canus lib. 2. de locis Theologicis, cap. vltim. colligit, Stephanum in tam longa & ſubita narratione confudiſſe nonnulla, & miſcuiſſe; in quibuſdam etiam, cauſæ principali intentum, memoria lapſum fuiſſe: Lucam verò hiſtoriæ veritatem retinere volentem, nec iota quidem mutaſſe, ſed rem vt ab Stephano narrata erat, expoſuiſſe. Nos autem, inquit, non Ste-

Iudic. 11. Hieron. in c. 2. Matth. to. 9. initio, & in cap. 5. Mich. to. 6.

phanum, ſed Euangeliſtam vindicare debemus. Nec à ſacris autoribus alienum eſt enarrantium quoque verba referre: vt Iephte 300. annos poſſeſſionis prætendit, cùm reuera 300. non fuiſſent; & tamen Sacer hiſtoricus 300. retulit. Ad eum modum Matthæus, ſi Hieronymo credimus Michææ prophetiam exponenti, non vt à Michæa ſcripta erat, vel in Hebræa veritate, vel in 72. Interpretum editione, ſed vt à ſcribis erat renuntiata, retulit: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda*: quæ ſanè lectio aliena eſt ab Hebræa veritate, & ab editione Septuaginta. Hæc eſt illius ſententia, & nodi propoſiti ſolutio. Verùm profectò, ſi liberè agendum eſt vt ſentio, non ſolùm nouitatis, & temeritatis plena eſt hæc expoſitio, ſed & iniuria in Stephanum, & contumelioſa in Spiritum ſanctum. Nouum quippe eſt in primis, Apoſtolis, ſiue Apoſtolicis viris lapſum memoriæ tribuere, vbi aut ſeriò res Sacras concionando docent, aut ſcribendò commemorant. Et ſi Euangelium conſulamus, certiores ſumus quod illis adſtiterit Spiritus ſanctus prædicantibus, quàm ſcribentibus: nam de prædicando multæ extant promiſſiones, de ſcribendo verò nulla, etiamſi Catholici conſtanter aſſerere habeant,

Matth. 10.

aſſiſtentiam Spiritus ſancti in ſcribendo minime illis defuiſſe. Ait enim Dominus: *Cum tradent vos nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Ad quod aliud modò accedit, quàm vt Stephanus raperetur ad Concilium Principis Sacerdotum & ſeniorum? Non ergo ipſe locutus eſt, ſed Spiritus ſanctus: quod qui negaret, manifeſtè ſe proderet hæreticum. Quòd ſi quis contendat, Christi verba dicta eſſe Apoſtolis ſolis: planè reuincitur, non ſolum ex eo, quod etiam cum Septuaginta diſcipulis loquebatur, & alijs, qui cum illis erant, ſed ex eo etiam quòd verba ad Apoſtolos prolata, in omnibus omnium temporum paſtoribus, & Apoſtolorum ſucceſſoribus locum habuerunt, habent, & in finem vſque habitura ſunt, ſecundum illud: *Ecce ego*

Matth. 28. Ioan. 14.

vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi: & alio loco, *Ego rogabo Patrem, & alium Para-*

Paracletum dabit vobis,vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis. Quòd ſi vrgeas; Aliter
loquitur Spiritus ſanctus per Prophetas, & Apoſtolos, aliter per Concilia generalia, & Ponti-
fices Romanos, aliter per Doctores, vt Ambroſium, Hieronymum, Athanaſium, Baſilium;
Non diffitebor. Sed planè non intelligo quòd aliter locutus ſit per Petrum Apoſtolum, & ali-
ter per Stephanum protodiaconum,& protomartyrem: eadem enim fuit vtriuſq; autoritas, idem
fidei pondus, idem Spiritus ſanctus parem doctrinæ veritatem, & æqualem dicendi libertatem
omnibus impertiens. Deinde, antequam ſcriberetur Euangelium, nemo negabit, Eccleſiam Dei
verum Dei verbum habuiſſe: at hoc quî contingere poterat, ſi prædicatores eius primarij, & Apo-
ſtoli labi memoria potuiſſent, aut vnum pro altero tradidiſſent? Tale erat tempus illud, quo hæc
concio habita eſt ab Stephano. Ad hæc, magna feneſtra multis veritatibus inficiandis,& erroribus
confirmandis aperiretur, ſi liceret in his, quæ referunt ſacri autores in perſona Apoſtolorum, aut
aliorum Apoſtolicorum virorum, illos memoria dilapſos fuiſſe, aſſerere: quod ſanè ſummum eſt
abſurdum. Nam quoties Apoſtoli, aut alij ſacri autores in Nouo Teſtamento citant ex Veteri,
& quæ apertè aliter habentur in Veteri, quàm producuntur in Nouo: hac aperta feneſtra prom-
ptum eſſet affirmare, illos memoria defeciſſe: vt etiam Hieronym. non ex ſua, ſed ex quorundam *Hier. tom. 6*
aliorum ſententia, ſcribens in cap. 5. Michææ tradit. His accedit: quod peculiariter Stephanus nar- *Act. 6.*
ratur plenus fide,& Spiritu ſancto, gratia, & fortitudine, & quòd non poterant reſiſtere ſapientiæ, *Ib. 8. & 7.*
& Spiritui qui loquebatur: iniuriam igitur facit non ſolùm Stephano, ſed etiam ipſi Spiritui ſan-
cto, qui eius aſſiſtentiam, & protectionem illi adfuiſſe denegauerit, aut illi detinctum vllum, aut
mendacij, aut lapſus memoriæ tribuerit, cùm etiam poſt concionem illam aſſerat Lucas: *Cum au-* *Act. 7.*
tem eſſet plenus Spiritu ſancto, intendens in cœlum, vidit gloriam, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei: p̄-
ſertim cum coram tam docta corona audientium verba faceret, quæ parata erant omnia, etiam be-
nè dicta, in calumniam rapere, nedum ſi in quibuſdam ipſe memoria excidiſſet. Prætereà, non ſatis
meo iudicio defenditur Lucas à mendacio, vel defectu memoriæ, dum verba Stephani minus fide-
liter ab eo allata recenſet. Nam etſi fidelis hiſtorici ſit ea recenſere, quæ ab alijs dicta ſint, ſiue vera,
ſiue falſa; ſiue cum defectu, ſiue ſine defectu prolata extiterint: illud tamen de alijs autoribus intel-
ligendum eſt, qui non habebant certam Spiritus ſancti promiſſionem: vt erant Ieplite, & Scribæ *Iudic. 11.*
illi, qui ſecùs quàm ſe in Græco, vel Hebræo haberet, prophetiam Michææ retulêre. Nam ita dixit *Matth. 2.*
Propheta in perſona inſipientis, *Non eſt Deus*: Et Euangeliſta refert Petrum dixiſſe: *Quia non noui* *Micha 5.*
hominem. At quod de hominibus Spiritu ſancto ad inſtituendam Eccleſiam confirmatis ſacri auto- *Matth. 26.*
res referant aliquid dixiſſe minus veritati conſonum, aut prudenter fallere volentes, aut inprudē-
ter per memoriæ lapſum docentes; nihil eſt aliud, quàm ipſi Chriſto per vtroſque loquenti defe-
ctum affingere, aut Spiritu ſancto, qui Spiritus eſt veritatis, & qui promiſſus eſt docere omnem ve- *Ioan. 14.*
ritatem, & qui commonefaceret de omnibus, ne memoriæ vitio deficerent, profectò contume- *infrà 16.*
liam irrogare cenſentur. Denique Melchior Canus cùm ipſe moleſtè ferat aliorum ſolutiones, qui
vt dictas controuerſias expediant, exiſtimant contextum eſſe deprauatum, aut Scribarum negli-
gentia vitiatum: eo quòd inde ſequeretur, Eccleſiam vera Scriptura deſtitutam fuiſſe per tot ſecu-
la: ſolidum non eſt. Quia dum ſcripturæ ſacræ in manibus hominum verſantur, ac teruntur, ac de
vna lingua in aliam transferuntur, ſemper accidere ſolent vitia, & corruptiones; tales tamen, quæ e-
mendari poſſint, & diligentia atq; induſtria adhibita purgari: ſicut ſemper in ea re a Patrib⁹ labora-
tum eſt, vt puram, putam, & omni ex parte caſtigatam nobis ſcripturam redderent. Fruſtra etiam
tu illuſtriſſime Domine, tot labores ſuſtineres in emendanda & corrigenda lectione 72. interpre-
tum, ſi vitia & mendæ nullæ eſſent, & caſtigari aut purgari non poſſent. Nec ſine cauſa Concilium *Trident.*
Tridentinum perſcripſit, vt editio Vulgata ſacrorum Bibliorum, quam maximè emendata, & ca- *Synod. ſeſſ.*
ſtigata in publicum prodiret, & vel hic vnus locus id ſuo iure poſcebat: at ſacris autoribus defectum *5 paulò à*
memoriæ tribuere; intolerabilius eſt multò, quàm defectum adſcribere librario. Alij igitur alia ra- *medio.*
tione hanc difficultatem expedire ſtudentes, alio modo docent. Etenim Auguſtinus Eugub.
& Aloyſius Lippom. ſcribentes in cap. 33. Geneſeos, duobus verbis immutatis totum negotium
abſoluunt. Aiunt enim, pro Abraham, legendum eſſe, Iacob: & loco, filij Sichem, legendum eſſe,
patris Sichem: quibus fauet quod Hieron. lib. De opt. gen. interp. affirmat, Abraham non emiſſe *Hiero. to. 2.*
agrum à filijs Hemor, ſed Iacob. Beza quoque, homo hæreticus, tractans hunc locum Act. 7. putat *in fin.*
nomen Abrahæ ab aliquo poſitum fuiſſe in margine, & ex margine in textum introductum, vt
compleret orationem: quia non videbatur ille, qui agrum illum emerat. Quod ſi de textu aufera-
tur, opus eſt ſubaudire aliud nomen quod clauſulam perficiat, nimirum, ille, vel ipſe, ſcilicet Iacob
qui præceſſerat, & qui emit agrum illum à filijs Hemor, vt Gene. 33. habetur: quod maximè vulgò *Gen. 33.*
notum erat, vt habes Ioan. 4. Hic autem defectus relatiui dicti, *Ille*, vel *Ipſe*, frequentiſſimus eſt in *Ioan. 4.*
ſcriptoribus Hebræis. Confirmat autem Beza additionem illius vocis ex margine in textum, qui-
buſdam exemplis. Nam ſimili, ait, temeritate poſitum Matth. 27. nomen Ieremiæ pro Zacha- *Mat. 27.*
ria, cùm priùs neutrum eſſet. Et Matth. 13. pro eo quod habemus: *Vt impleretur quod dictum erat* *Zach. 11.* *Mat. 13.*

Pſ.77. *per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum*, aliqui Græci textus habebant: *Per Prophetam Eſaiam*; Alij poſteà, *Per Prophetam Aſaph*: quæ ex margine in textum Græcum interiecta erant: vt etiam Hieronymus annotauit ad Pammachium, cùm modo neutrum in Græcis textibus melius habeamus.

Andreas item Maſius ſcribens in Ioſue, atque hunc nodum diſſoluere tentans, putat pro eo quod dictum eſt: *Translatus eſt in Sichem*, legendum, *Translatus eſt in Hebron*: & illud, *quod emit à filijs Hemor filij Sichem*, legendum cenſet, *à filijs Ephron filij Seor*, ſi eſt ſermo de Abraham, & de ſpelunca illa duplici, quam emit ab Ephron. Et ſi legendum ſit, *Hemor*, contendit fuiſſe parentem, vel auum
Gen.23. Ephronis, qui vendidit ſpeluncam duplicem Abrahæ. Si autem ſermo Stephani ſit de ſepultura Ioſeph; emendari codices Græcos oportere, vt pro Abraham, ponatur Iacob, & illud; *Filij Sichem*, expungatur vt ſuperuacaneum, vt ſcienter omiſſum eſt à codice Syriaco Actor. 7. Hæc Andræas Maſius fuſiori ſermone perſequitur.

Dices; In tanta opinionum ſylua quid cenſes eſſe tenendum? Reſpondeo, hunc locum planè corruptum eſſe, & vix poſſe conſiſtere, niſi aliquid mutetur. Porrò corruptionem manifeſtè multa indicant. Primùm, lectio Syriaca quæ habet: *Translatus & poſitus eſt in ſepulcro*: & illa verba, *filij Sichem*, omninò expuncta ſunt. Deinde Hieronymus loco citato tradit, Stephanum dixiſſe: *Quod emit Abraham pretio argenti à Filijs Hemor patris Sichem*. Non ait (inquit) filij Sichem; ſed, patris Si-
Beda to.5. chem; cùm tamen modò legatur: *filij Sichem*, & non, *patris Sichem*. Beda quoque in hunc locum an-
Idem to.6. notauit, Græcè non haberi: τοῦ Σιχὲμ ſed, ἐν Σιχὲμ: vt ſit ſenſus, A filijs Hemor qui fuit in Sichem. Porrò in Retractationibus in Acta Apoſtolica, annotat Græcè haberi: *Quod emit pater noſter Abraham*: Et ſtatim ponderans ſubdit, quod ipſe beatus Stephanus, auditoribus blandiendo, vt diutius, ac libentius audiretur, illud adiecit. Tot ergo, ac tam varias lectiones conſultò producimus, vt quiſque ſibi facilè perſuadeat, non eſſe hunc locum abſque vitio, ſiue corruptione, & ille in interpretando palmam alijs præripiet, qui quam minimum corruptionis in his verbis conſtituerit. Vt igitur quod ſentio, explicatius tradam, vel hic textus propoſitus, videlicet tranſlati & poſiti ſunt accommodandus eſt ad Iacob tantum; vel ad Iacob ſimul, & ad Patriarchas; vel ſolum ad Patriarchas. Si igitur primo modo referas ad ſolum Iacob, tunc multa eſſent emendanda, & reponendum Hebron pro Sichem: & pro illis verbis, *à filiis Hemor*, legendum eſſet, *ab Ephron filio Seor Hethæo*: & fruſtra in plurali diceretur, *Translati & poſiti*, ſi in his verbis tantùm eſt ſermo de vno Iacob: quæ prorſus ſunt abſurda; & ideo hæc expoſitio deſerenda.

Si autem ſecundò conſtituas, hæc verba referenda tam ad Iacob, quam ad Patriarchas, vt ex-
Caiet. in c 7. Act. ponit Caietanus ponderans verbum, translati ſunt, referendum ad Patriarchas, id eſt, Ioſeph, &
Hier. in Epitaphio Paulæ, & libr. De opt. gen. interp. fratres eius, qui ſepulti ſunt in Sichem, vt tradit Hieronymus: Particula autem, *Et poſiti ſunt in ſepulcro*, referatur ad Iacob poſitum in monumento Hebron, & ad filios eius ſecundum Ioſephum, qui id affirmat, adhuc non quadrabit, etiamſi ſubiungant; Nec enim paſſi ſunt, inquit, filij Hemor, memores acceptæ iniuriæ à filijs Iacob, Patriarchas tam honorificè ſepultos in Sichem manere, ſed inde iterum tranſtulerunt eos filij Hemor, & ſepelierunt eos in Hebron, ſepulcro ab Abraham pe-
Gen.34. *Suprà 23.* *Ibid. 8.* cunia redempto. Quod ſi conſtaret, proculdubio tolerabilis eſſet hæc ſolutio: addendo etiam, quod venditor ſepulcri fuit Ephron filius Seor ſic vocatus in Geneſi: qui tamen hoc loco dicitur Hemor. Sæpè enim plura nomina idem homo ſortitur. ¶ Non deſunt etiam qui dicant, hunc agrum, cùm primùm Abraham ex Charan Meſopotamiæ veniſſet in Sichem, vt habetur Geneſ. 12.
Suprà 12. *Act.7.* redemptum ab eo pecunia fuiſſe ad habitationem, vel ſepulturam, vel ad victum ſibi, & ſuis ex eo comparandum, cùm inter initia vocationis ſuæ haud ſatis intelligeret quorſum euaderet diuina vocatio. Sed cùm ex præſenti quiete locum ex loco mutare iuſſus, & deſcendere propter famem
Gen.12. in Ægyptum coactus fuiſſet, reliquiſſe tunc agrum, quem poſteà 110. plus minus anno nepos eius Iacob reuerſus ex Syria Meſopotamiæ, ob memoriam agri longa ceſſione abalienati iterum recuperauit: vt bis ille ager fuerit emptus & Stephanus martyr prioris tantum emptionis ab Abraham factæ fecerit mentionem. Iudæi autem audientes Stephanum irritati non ſunt, nec auſi eum reprehendere, quod ex maiorum traditione illud accepiſſent. Hæc Iacobus Ziglerus in deſcript. Terræ ſanctæ.

Verùm huic ſolutioni obſtat, quod ea quæ probabiliter narrantur, nullo teſtimonio com-
Gen. 23. probantur: & quod non ſine violentia, ac duritia illud, Translati ſunt, diſtinguitur ab eo: Et poſiti ſunt; vt de diuerſis intelligantur. Obſtat etiam illi primæ Abrahæ emptioni quæ fingitur, quòd rediens Abraham ex Ægypto, mortuaque Sara vxore, ſpeluncam duplicem iuxta conuallem Mambre redemit. Et ita non aptè accommodantur hæc verba ad Iacob, & ad Patriarchas. Cæterùm; ſi tertio modo referamus hæc verba ad ſolos Patriarchas, planior erit textus, & ſolutio veritati magis conſentanea. Nam vbi eſſet ſepultus Iacob, non erat ignotum, ob Scripturam ſacram id apertè teſtificantem: vbi verò Patriarchæ eſſent ſepulti, præter Ioſeph, ex-

preſſum

preſſum non erat. Ideo Stephanus quod expreſſum non erat in Scriptura, declarauit fuiſſe in Sichem, vbi eorum frater Ioſeph fuerat ſepultus Ioſue vltim. De fratribus verò id teſtatur ex traditione Hieronymus, & Paula, quæ ſuis oculis vidit duodecim Patriarcharum ſepulchra in Sichem. Et *Hierony in Epitaphio Paulæ to. 1* ita ſenſus eſſet verborum Stephani, quòd Iacob defunctus eſſet in Ægypto, nihil de tranſlatione, aut ſepulchro eius amplius loquens. Et ſubdit: *Defuncti ſunt & patres noſtri*, id eſt, Patriarchæ, ſuo quiſq; tempore: qui & poſiti ſunt in ſepulcro, quod à filijs Hemor emit Abraham. Vnum tantum huic expoſitioni vehementer obſtat verbum, nimirum Abraham, cùm dicendum eſſet Iacob, vt ſacræ tradunt literæ. Sed dupliciter reſpondere poſſumus: aut expungendo nomen Abraham, tanquàm inſertum in textum ex margine, & ſupplendum eſſet ἐκεῖνος vel αὐτὸς, id eſt, ille, vel ipſe, ſcilicet Iacob qui præceſſit in præcedentibus, vel vox, Abraham, legenda eſt in caſu Genitiuo cum articulo τοῦ Ἀβραὰμ, vt ſit ſenſus: in ſepulcro quod emerat Abrahæ filius, vel Abrahæ ſemen, ſcilicet Iacob, à filijs Hemor. Et hæc ſolius articuli additio, quam annotauit Robertus Stephanus, perſpicuum facit totum hunc locum: & quia quàm minimum recedit à litera, meritò reliquis ſolutionibus præſtare debet. Alia rurſus quæſtio hinc oritur, quomodo videlicet Abraham redemiſſe fertur *Gen. 23.* 400 ſiclis ſpeluncam duplicem, Iacob verò hunc agrum emiſſe centum agnis, vt habetur Geneſ. *Infrà 33.* 33. vel 100. nouellis ouibus, vt legimus Ioſ. vlt. non ergo pretio argenti, vt hîc ait Stephanus; ac pro- *Ioſu. 24.* inde hîc non eſſe ſermonem de agro empto à Iacob centum agnis, ſed de ſpelunca duplici, quæ pretio argenti eſt redempta. Et confirmatur: quia græcè Septuaginta verterunt ἑκατὸν ἀμνῶν vel ἑκατὸν ἀμνάδων. Dicendum tamen eſt, leue eſſe argumentum: & pretium argenti eſt, quod pretium argenti valet. Vnde & pecunia dicta eſt à pecoribus, in quibus olim facultas poſita, ante argenti & auri vſum erat. Certè Hebræa vox, quæ Gen. 33 habetur קשיטה propriè certum nummi genus eſt, vt Rabbi Dauid in lib. Radicum teſtatur. Et facilè fuit, hanc monetam ouis vel agni imagine inſigniri, vt ouis, vel agnus, vel ceſſita vocaretur: Quemadmodum apud Baſilienſes denarius & apud Siculos aquila moneta eſt corui vel aquilæ imagine inſignita, & coruus vel aquila vocatur. Hoc dixerim, ad tuendum noſtrum interpretem, qui apertè ſecutus eſt Septuaginta interpretes, & Chaldæam paraphraſim, non tantùm hoc loco Geneſ. 33. & Ioſu vlti. ſed etiam Iob 42 vbi eadem vox, ouis voce à Hieronymo vertitur. Non ſupprimam tamen, quod quidam putârunt, Septuaginta facilè corrumpi potuiſſe; & pro ἑκατὸν ἀμνῶν legendum eſſe, ἑκατὸν μνῶν; id eſt, pro centum agnis centum minas, vel mnas; de quibus Luc. 19.

Noua alia dubitatio hoc loco ſeſe ingerebat, Quomodo videlicet emerit agrum pretio argenti, quem Iacob ipſe, cùm eum filio ſuo donat in cumulum maioris hæreditatis, ſe ſuo gladio, & arcu ab Amorrhæis eripuiſſe tradat. Hæc enim ſunt verba Iacob iuxta noſtram verſionem: *Do tibi partem* *Gen. 48.* *vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Septuaginta verò habent: Ἐγὼ δὲ δίδωμι σοὶ Σίκιμα ἐξαίρετον ὑπὲρ τοὺς ἀδελφούς σου, ἣν ἔλαβον ἐκ χειρὸς Ἀμοῤῥαίων ἐν μαχαίρᾳ μου καὶ τόξῳ. Hoc eſt: *Ego autem do tibi Sichimam præcipuam ſuper fratres, quam accepi de manu Amorrhæorum in gladio meo, & arcu.* At Chaldæus paraphraſtes: *Ego autem do tibi partem vnam præcipuam ſuper fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in oratione mea, & deprecatione.* Omnes eius loci præcipuas verſiones produxi, vt inuicem collatæ, plus illuminetur locus, & verus ſenſus magis appareat. Et vt omittam ſenſum Hieronymi in lib. Quæſtionum Hebraicarum ſuper Geneſin, & Rabbinorum A- *Hier. to. 3* brahæ fratris Eſdræ, & Leui Gerſon, qui putant hoc à Iacob κατὰ πρόληψιν dictum eſſe, vt à vate, *à medio.* quam tuli, id eſt, auferam, quia ipſius poſteri olim eſſent eum agrum cum vniuerſa terra Chanaan armis erepturi de manibus Amorrhæorum, id eſt Chanaam ſobolis, ponendo ſpeciem pro genere. Tamen rectiùs & faciliùs explanaueris, ſi dixeris, quòd etſi olim ipſe Iacob redemit primum pretio ab Hemoris filijs, ſiue ciuibus exiguum fundum, in quo cum ſuis manere poſſet, centum nummis: tamen deinde paulatim ex vicino agro vltra Iordanem veniſſe Amorrhæos palabundos, qui non iure, ſed armis eripuerant Sichimam, & fundum illum: quem rurſus armis recuperauit Iacob. Nec enim ait Iacob, ſe eum agrum ab Hemoris filijs gladio, & arcu quæſiuiſſe, ſed ab Amorrhæis. Hemor autem, & Sichem Heuæi fuerunt, non Amorrhæi, vt habes Gen. 34. Et ita cùm dicitur pretio argenti emptus ager, vt Stephanus tradit; non pugnat cum verbis Iacob, qui amiſſum agrum pretio olim redemptum iterum recuperauit, vt ille ager duplici iure ad eum, & emptionis titulo, & iure belli ſpectaret. Et dixit, Extra, id eſt, ſuper fratres: quia ille ager non obuênit illi ſorte ſed gratuito patris munere, ne poſteà fratres pro eo acquirendo inter ſe pugnarent. Ex quo colligere potes, multa olim bella geſſiſſe Patriarchas, quæ ſcripto conſignata non ſunt. Nam vt de Abraham legimus cum 318 vernaculis dimicaſſe contra quinq; reges, & eos fugaſſe, & prædam factam; & Loth ne- *Gen. 14. & ſeq.* potem in captiuitatem ductum recuperaſſe, vt habes Gen. 14 ſcriptum: ita hoc bellum geſtum per Iacob ſuppreſſit Scriptura. Iam pro textu Græco interpretando, in quo dicitur: *Do tibi Sichimam præcipuam ſuper fratres*, &c. nonnulla ſeriò dubitari poſſent, Quomodo ſcilicet pro parte vna verterint Septuaginta, *Sicima præcipuam*? quid Sicimis cum parte? & quid vni cum præcipuo? & quid Sicima pluralis numeri in neutro cum ἐξαίρετον ſingulari voce.

Ad primum dicimus, vocem Hebræam שׁכם eſſe inprimis nomen ciuitatis dictæ Sichem; deinde eſſe quoque appellatiuum nomen, & ſignare humerum, angulum, latus, & partem: hoc verò loco appellatiuum eſſe, probat adiectiuum, vnam Hebraicè, ſiue præcipuam Græcè: ita enim vnum apud Hebræos pro excellenti, & præcipuo ſumi ſolet. Ambiguitas ergo nominis huius in cauſa fuit, vt à Septuaginta expoſitum ſit, Σίκιμα, ab Hieronymo verò, partem, quæ lectio plana eſt, & facilis. Si verò legamus cum Septuaginta, Sicima, poſſet eſſe ſenſus: *Do tibi Sichimam electam*: vel præcipuam, ſcilicet vrbem, per Appoſitionis figuram: & ſignificaretur, ipſam Sichimam eſſe illam partem, quæ data eſt à Iacob: præſertim ſi verum eſt, quod quidam docent, direptionem vrbis Sichimorum factam à filijs eius Simeon, & Leui; quæ contra parentis mentem fuit, probatam fuiſſe poſtea à Iacob per Spiritum ſanctum: & propriam ſibi factam illam vrbem, vt illam donare poſſet cui vellet ex filijs in teſtamento. Sed quoniam beatus Ioannes cap. 4. recenſens hoc factum, indicat à Iacob datum eſſe prædium Ioſepho filio iuxta Sichar; intelligimus non vrbem Sichem datam Ioſeph, ſed prædium iuxta Sichem (eo quòd erat ante portam Sichem) vt dicitur Geneſ. 33. at Ioan. 4. in idem recidit quod dicitur, ciuitatem Sichem eſſe iuxta prædium quod dedit Iacob filio ſuo Ioſepho. ¶ Si igitur non poteſt ſic accipi ille locus, intelligimus lectionem Septuaginta, Do tibi Sicima, per Synecdochen, id eſt, partem agri Sichem, ponendo totum pro parte, vt etiam è contrario pars pro toto ſumi conſueuit. Quòd verò ſequitur, ἐξαίρετον in neutro ſingulari, non coniungerem cum Sichimis in plurali, quod ratio Grammaticæ non admittit, ſed interpretarer, præcipuum quid ſuper fratres ſuos; vel, tanquàm primarium quid, & præcipuum ſuper fratres Nam & Caph litera, quæ poſita in principio dictionis, & denotat, ſicut, ſiue tanquàm, omitti ſolet apud Hebræos, & tamen ſupplenda eſt, vt dixi ſuperius de relatiuis,
Pſ. 72. quæ ſæpe omittuntur, & ſupplentur. Dicitur enim iuxta Hebræum: *Iumentum factus ſum apud te*;
Pſ. 10. &, *Tranſmigra in montem paſſer*; &, *Catulus leonis Iudæ: Iſſachar aſinus fortis*; &c. pro eo quod inter-
Gen 49. pres vertit: *Vt iumentum: ſicut paſſer*, & dicendum erat; ſicut catulus leonis Iuda, & Iſſachar, ſicut
Ibid 14. aſinus fortis. Ita in propoſito: *Do tibi Sichima*, tanquàm quid præcipuum ſupra fratres. Et hæc dixerim, vt tuear lectionem Septuaginta: & nullus ei detrahat, & Græca conſonent Hebræis. ¶ Quod præter ſenſum ad voces attinet, miratus ſum valdè. Primum, quod illi vni dictioni He-
Pſ. 59. brææ Sechem tot voces reſpondeant, Sichem, Sichima in plurali (vt ex Salem Solyma) & Sichi-
Pſ. 107. ma Sichimæ in ſingulari, iuxta illud: *Lætabor, & partibor Sichimam*: &, *Exultabo, & diuidam Sichi-*
Iudic. 9. *mam*: & liber Iudicum, *Tetendit inſidias iuxta Sichimam*. Dicitur etiam Sichar Ioan. 4. Sed hanc vo-
Ioan. 4. cem corruptam eſſe, tradit Hieronymus & in quæſtionibus in Geneſim, & libr. De opt. gen. in-
Hier. tom. 3. terpr. Et ratio etiam id docet: quia Sichar, interpretatur inebriatio, ſiue merces, vnde etiam ſice-
à medio. ra, id eſt, omne quod valet inebriare. Aliud autem ſignificare Sichem, ſuperius diximus. De-
Idem to. 2. inde miror, cùm ſcribitur à 72. modò cum cappa, vt hîc. & Eccleſiaſt. 50. factum eſt: interdum per
in fine. χ, nam Actorum 7. Συχὲμ bis habetur, & ſemel Geneſ. 33. & ſepties Geneſ. 34. Niſi dicamus, ele-
Eccl. 50. mentum Hebræum כ Caph vtroque modo poſſe reddi: nam כּ daghesſatum aſperius ſonat, vt κ.
Gen 33. Græcum. Poſtremò mirari ſatis non poſſum, quomodo hæc vox Græcè dicitur modò cum du-
Gen. 48. plici iota Σίκιμα, vt Geneſ. 48. Eccleſiaſtici 50. & Pſalm. 59. & 107. modo verò cum duplici η. Σήκημα, vt Geneſ. 33. habetur; modò cum vno iota & ηta Σίκημα, vt duodecies habetur Iudicum 9. & Actorum 7. bis: nunquam tamen Latinè legi cum ypſilon, ſed cum iota tantùm. Hæc videri poſſent ridicula, vel minutila, & à me curioſe animaduerſa, niſi tibi veram lectionem Septuaginta interpretum reſtituere conanti, & cupienti, vtilitatem aliquam præſtare poſſent. Quod verò Chaldæus ait: *Quam tuli de manu Amorrhæi in oratione mea, & deprecatione*: indicat Iacob, virum leniſſimum, & pacis amatorem, non tam armis gladij, & arcus ſidiſſe in eripienda Sichima de manu Amorrhæorum, quàm precibus & orationibus. Ita enim Poetę præſtantes, Latinus, & Græcus, de magnis bellatoribus referunt in haſtis iactandis, aut ſagittis iaculandis in aduerſarios, opem di-
Exod. 17. uinam imploraſſe, vt votorum ſuorum fierent compotes, & ſcopum attingerent. Hinc orante Moyſe, & manus leuante ad Deum, populus Iſrael pugnans vincebat, & vt ex externis aliquid adferam, orabat Æneas Phœbum in ſexto:

Virg. lib. 6. Æneid. ſub initium.

Phœbe, graues Troiæ ſemper miſerate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manuſque
Corpus in Æacidæ.

Fuit porrò mens Iacob in donando hoc prædio filio ſuo Ioſeph in locum ſepulturæ, vt modis omnibus ab Ægyptiacis rebus abalienatum animum Ioſeph, in Terrę promiſſę à Deo cogitationem, & ſpem eius inflecteret; & vno pro illo optimo agro poſſidendo, qui ſuper fratres illi gratuito munere paterno contigit, inter ſe fratres poſt eius mortem non diſceptarent. Sed iam ad alias explicandas quęſtiones deſcendo.

Quartum dubium euacuandum erat, Quomodo dixerit Hemor filium Sichem, cum Sacra Scriptura tradat, Hemor fuiſſe patrem Sichem. Sed hoc meo iudicio non admodum vrget, Nam ſi cõſulamus Hieronymum libr. de optimo genere Interpret. non ait, à filiis Hemor filij Sichem, ſed à filijs Hemor patris Sichem, & ita dixiſſe Stephanum. Et falſum eſt quod ait Melchior Canus, illam lectionem non tam eſſe Hieronymi, quam Eraſmi, cum res ſecus habeat: & manifeſte ponderat Hieronymus Stephanum dixiſſe, non filij Sichem, ſed patris Sichem. Si vero coſulamus Syriacum textum, profecto illa verba filij Sichem, non habentur, ſed omnino ſunt expuncta, vt diximus. Si autem ad Bedam ſpectemus, ille annotauit, in Græcis non legi, τὸ Σίχεμ, ſed ἐν Σίχεμ. Et ita nullam patiemur anguſtiam in exponendo. Si vero iuxta Græcos codices τοῦ Σίχεμ legamus in Genitiuo, non omnino efficeret, filij Sichem: nam iuxta Græcam phraſim, ille articulus Genitiui non tantum filium ſignificat, ſed etiam parentem, quanquam iuxta Hebræam phraſim ſemper ſignificet filium. Hieronymus enim ex illis verbis, τοῦ Σίχεμ, accepit, non filij Sichem, ſed, patris Sichem, Lucas enim ea, quæ Stephanus Hebraica dialecto perſecutus eſt, oratione Græca explicauit quæ capit tam filij Sichem, quam patris Sichem. Si quis vero reluctetur, & aſſerat legendum, filij Sichem; nihil contra Sacram Scripturam diceret. Potuit enim Hemor habere patrem ſuum nomine Sichẽ, vt hic dicitur; & rurſus Hemor habere filium, quem nomine parentis ſui denominauerit: nam ita moris eſt parentum filiis indere nomina ſuorum progenitorum: vt auus, ſit Sichem, cuius filius eſt Hemor, & filius illi rurſus Sichem. Quemadmodum Carolus V. Imperator filius fuit Philippi Regis Hiſpaniarum, qui rurſus filium habuit Philippum, qui nunc rerum potitur. Illud aduertendum hoc loco, Sichem æquiuoce accipi, nimirum pro ciuitate illa, quam filij Iacob deleuerunt, & de qua dicitur: *Translati ſunt in Sichem*: deinde accipitur pro patre Hemor, vel pro filio eius, vt explicatum eſt. Si igitur pro verbo Abraham, legamus, filius Abraham; omnia quæ ſibi aduerſari videbantur, in concordiam, & pacem rediguntur.

Gen. 33. *Gen. 34.*

Quintum vero, & poſtremum dubium non eſſe difficile abſoluere: Quoniam enim Abraham curam habuit ſepulchri, & commodum ſpeluncæ duplicis locum comparauit pro ſepultura ſui, & Saræ, & ſuorum in Terra Chanaan, plane proteſtatus eſt fidem reſurrectionis, & aduentum Meſſiæ de cœlo in eam Prouinciam. Qui enim ne veſtigium quidem pedis in promiſſa Terra eſſent aſſecuti; attamen in ipſa quaſi iam adepta, & poſſeſſa ſepeliri voluerunt, atque ſuis poſteris in mandatis reliquerunt, vt eos in ea reconderent, certi omnino quod hæreditas eius Terræ poſteris obuentura eſſet: quod nihil aliud erat, quam etiam in ipſo funere fidem atque ſpem ſuam in Deo ſitam eſſe profiteri. Hoc pietatis exemplum ſecutus eius nepos Iacob, agrum emit in Sichem ad ſepulturam ſuorum, & qui ad vitam hanc præſentem ducendam, ac tuendam agros, aut domos non leguntur redemiſſe, de loco tamen ſepulturæ comparando erant ſoliciti, quo videlicet nos inſtituerent, aliam meliorem vitam nobis expectandam, quam ſit hæc præſens, quæ plena eſt calamitatibus, & ærumnis, illam vero omnis mali expertem, & omnibus quæ expeti poſſunt bonis affluentem, atque cumulatam. Iacobus Edeſſenus, nobilis apud Syros ſcriptor, & magni quondam præceptor Ephræm, Eccleſiæ Edeſſenæ diaconi, memoriæ prodidit (vt eum producit Andræas Maſius in Ioſue) oſſa primi parentis Adami Noe religioſe in arcam ad ſe recepiſſe: & poſt ſiccatum à diluuio terrarum Orbem, illa in tres ſuos liberos cum ipſo orbe diſtribuiſſe: & filio Sem, quem cæteris libris anteferebat, Caluariam donaſſe, & cum ea, regionem illam, quam Iudæam appellamus: quæ à priſcis Syris tanquam per manus tradita fuiſſe, admodum ſit credibile. Cui etiam narrationi proximum eſt quod Hieronymus ait in illa ad Epheſ. verba: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*. Scribit enim, quendam pro concione ita fuiſſe interpretatum: Teſtimonium hoc, inquit, ad Adam dicitur in loco Caluariæ ſepultum: vbi crucifixus eſt Dominus. Qui Caluariæ idcirco appellatus eſt; quod ibi antiqui hominis eſſet conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus ſuper eius pendebat ſepulcrum, hæc prophetia completa eſt dicens: *Surge Adam qui dormis, & exurge à mortuis*, & non vt legimus, ἐπιφαύσει σοὶ ὁ Χριστός, id eſt, Orietur tibi Chriſtus; ſed, ἐπιψαύσεται, id eſt, Continget te Chriſtus. Quia videlicet tactu ſanguinis ipſius, & corporis dependentis, viuificetur atque conſurgat: & tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Heliſæus mortuus, mortuum ſuſcitauit. Hæc vtrum vera ſint, necne, lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plauſu, ac tripudio ſunt excepta. Hęc ille; de quibus nunc non exiſtimaui eſſe diſceptandum: ſatis eſt, à quamplurimis Patribus fuiſſe recepta, & comprobata.

Gen. 33. *Andr. Maſi. in ca. vlt. Ioſue. §. 32.* *Gen. 8.* *Hiero. in ca. 5. ad Epheſ. paullo ante medium in tom. 9.* *Epheſ. 5.* *4. Reg. 13.*

Hæc ſunt illuſtriſſime domine, quæ in his paucis Stephani verbis ſe mihi dicenda obtulerunt: patienter, vt ſoles, quæſo, legito, & noſtrum de te bene merendi ſtudium boni conſulito. Gratiſſimis autem auribus exciperem, ſi quis aliud probabilius, aut prædicto loco explicando conſentientius proferret, quodque omnes eius nodos diſſolueret: & magna me gratia abs te cumulatum exiſtimauero, ſi ex Doctore, quem tua autoritate coactus egi, me diſcipulum reddideris. Vale.

Se quæſtionibus, & interrogationibus proficere fatetur, locumq; Eccleſiaſtici: *Poſt concupiſcentias tuas ne eas*, erudite declarat.

ACCEPTIS Laconicis literis tuis (nam votis meis omnia, quæ tu ſcribis, Laconica ſunt) mirifice ſum exhilaratus: vellemque ſi fieri, poſſet totidem perſtringere verbis, quæ ad tuarum ſpectant reſponſum. Equidem tu s ſemper proficio interrogationibus, multaque pulſando, & quærendo doces, quæ pro tua modeſtia interrogas; pro tua ſapientia & charitate diſſoluis & explicas: quid poteſt cuiquam, aut ſuauius, aut gratius contingere, quam tu acerrimus percontator mihi? Qui in profundis, obſcuriſque Scripturarum ſenſibus eruendis, & pulſando aperis: & percontando, quod inueniri poteſt, detegis: & petendo, illa quæ accepiſti communia, mihi facis. Scribis D. Abbatem Portium magno in pretio, & exiſtimatione haberi apud omnes, adeo vt nonnihil timeas, ne tantis virtutum ſuarum præmijs, mercedem hic ſuam videatur accipere; aut ſaltem partem eius, quæ in alio ſeculo futura eſt, ſibi præripere: næ tu mihi anguſtus rerum ponderator, parcuſque virtutis remunerator videris: an ignoras eos qui bene præſunt breſbyteros, 1.Timot. 5. duplici honore dignos exiſtere Apoſtoli teſtimonio? & pietatem, promiſſionem habere vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ? Hoc proprium eminentis virtutis eſt munus, vt præter ineffabilem in futura vita remunerationem, ſua quoque apud optimos quoſque non careat in præſenti iuſta laude, Eccl.18. ac retributione. Venio ad locum Eccleſiaſtici: quem magis mihi exponere, quam à me exponi voluiſti: qua in re magnam apud me gratiam iniuiſti. Sed ne ἀσύμβολος tibi videar, dicam in primis, locum mihi pe. obſcurum videri, non ſolum in editione noſtra, ſed etiam in ipſo Græco fonte, etſi in hoc clarior, & apertior exiſtat; quem quidem tu pro tua ſingulari eruditione conſulendum decreuiſti. Nec dubito, ſi Hebræus huius voluminis codex extaret, quem ſe vidiſſe teſtatur B. Hieronymus, quin magna laboris huius loci explicandi parte nos leuare potuiſſet. Deinde illud occurrit, in illis verbis nos ad temperantiam in voluptatibus & delectationibus captandis, ſeruandam admoneri; quod mihi non obſcure indicare videntur & quæ præcedunt, nimirum: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluptate tua auertere*; &: *Si praſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et rurſus illa quæ ſequuntur: *Operarius*, inquit, *ebrioſus non locupletabitur, & qui ſpernit modica, paulatim decidet. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*: &c. nam vt tu, prudentiſſime vir, noſti, ex circumſtantijs alicuius loci, verus eius ſenſus plerumque indicatur. Tertio, recitabo Græca, deinde vero Latina, & quem ſenſum faciant, indicabo. Græca ergo ita habent, Μὴ εὐφραίνου ἐπὶ πολλῇ τρυφῇ προσδεθῇς συμβολῇ αὐτῆς μὴ γίνου πτωχὸς συμβολοκοπῶν ἐκ δανείσμου ᾗ οὐδὲν σοί ἐστιν ἐν μαρσυπείῳ. Hæc ad verbum ſi reddas, interpretabere: *Ne delecteris multis delicijs, neque earum conſortio deuinciaris. Caue pauper euadas concinnandis de mutuo conuiuijs, donec tibi nihil ſit in ſacculo.* Quis horum verborum exiſtat ſenſus, non eſt difficile intelligere, quamquam difficile, ſit illum cum editione vulgata conciliare: hortatur enim Sapiens, ne ita multis delicijs incumbamus, neque ita alligemur earum conſortio (id enim nomen συμβολῆ ſignificare videtur, hoc eſt, ſoliditas conuiuiorum, in qua ſinguli σύμβολα conferebant) ne videlicet ita fias pauper ſingula diuidens, & conuiuia faciens, fœnus quoque in pecunia quærenda contrahens vt tibi nihil maneat in marſupio, id enim ſignificat συμβολοκοπῶν ἐκ δανεισμοῦ vt tu eleganter adnotaſti: & habetur hoc idem verbum Deuteronom. 21. συμβολοκοπῶν οἰνοφλυγεῖ, vbi nos habemus; *Comeſſationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuiis.* Et capit. 9. eiuſdem libri, nimirum Eccleſiaſtici, ſic habetur Græce, μετὰ ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθου τὸ σύνολον κ. μὴ συμβολοκοπῆς μετὰ αὐτῆς ἐν οἴνῳ, id eſt, *Cum coniugata aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & ne altercaris cum illa in vino:* Melius dixiſſet, Ne producas cum illa longa conuiuia, vel, ne frequentia & ſumptuoſa; quia ita diripitur patrimonium. Adde, quod, vt annotauit vir quidam eruditus, hæc verba iuxta aliam verſionem ex Græco, multo clarius habent: *Noli iocundari in multa epulatione, ne fias pauper collationem faciens ex mutuo.* Certe hæc lectio præclara eſt, & interpretatione non eget. Latinam vero lectionem nonniſi duriuſcule, & cum aliqua violentia trahere poſſumus: tentabo tamen explicare, quomodo ad Græcam lectionem accommodari queat. Sed prius audi, quæſo, qua ratione quidam non ignobilis, neque obſcurus autor exponat: *Ne oblecteris*, inquit, *in turbis, id eſt, multitudine familiæ: nec in modicis, id eſt; in minori familia: aſſidua enim eſt commiſſio illorum, id eſt, frequenter peccant & perturbant dominum, vel impediunt à bono, ſi bonus ſit.* ¶ *Ne fueris mediocris*, id eſt, negligens, & remiſſus. ¶ *In contentione ex fœnore*: id eſt, contende ſuperare alios in datione eleemoſynæ, qua qui miſeretur pauperis, fœneratur domino. ¶ *Et non eſt tibi nihil in ſeculo*, ſed aliquid; quia duæ negationes æquipollent vni affirmationi. Et eſt ſenſus. Ex quo habes bona huius ſeculi, non debes eſſe negligens in danda eleemoſyna. Eris enim inuidus animæ tuæ, ſubtrahendo illi bonum miſericordiæ. Habes egregiam & elegantem expoſitionem: vide quid ſit ex lacunis haurire, & non ipſos fontes conſulere. Eo igitur poſito, quod illis verbis dehortatur Sapiens à ſectandis ſplendidis conuiuiis, ne inde quis cogatur ſub vſuris pecuniam accipere, & crumena exhauſta ad inopiam

piam redigatur. Primum quidem ait: *Ne oblecteris in turbis, nec in modicis*; vbi pro voce τρυφῇ videtur interpres legiſſe τύρβῃ. Ne oblecteris in turbis; atque hoc explicans, Non delecteris, inquit, in immodicis rebus, ſumptuoſis videlicet, & immoderatis conuiuijs, vbi magna eſt & ſuperflua ciborum copia & turba: nouum quippe non eſt, turbam accipi pro multitudine, & quidam non putant legendum eſſe: In modicis, ſed Immodicis vt ſit vna dictio: quæ etſi Græce non habeatur, ad explicandam tamen vocis turbæ ſignificationem additam eſſe ab interprete veriſimile eſſe: nam in illis immoderatis delicijs multa male committuntur plerumque, dum aut bona multa exhauriuntur, aut frequentes accidunt contentiones, quibus homines inter ſe committuntur, dum per crapulam aut inebriantur, aut detegunt ſecreta, aut mutuo ſe cædunt. Sed licet in modicis legamus, id hac dictione indicatur, vt ne modicis quidem aſſueſcamus conuiuijs, in quibus non minus ea incommoda reperiuntur; quando magis immodica vitanda. Subdit: *Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & non eſt tibi nihil in ſacculo* (nam lectio *In ſeculo*, prorſus vana eſt, & à Græca fide aliena) id eſt: Caue, ne qui ſectatus es conuiuia, fias mediocris, & pauper, dum ex mutuo accepto pro alendis conuiuijs contentiones ſuſtinere à fœneratoribus cogaris: & nihil tibi ſit in crumena, per immodicum ſumptum exhauſta: nam per duplicem negationem, Non eſt tibi nihil: non poſſumus colligere more Latino affirmationem, ſed more Græco tantum poſitum eſt ad fortius negandum, etiamſi in Græca lectione tantum vna ſit negatio, vt & in correctioribus Latinis. Quod vero ſubdit in textu: *Et eris enim inuidus animæ tuæ*, vel vt alij vertunt: *Alioqui inſidiator vitæ tuæ famoſus eris*. id ſignificat: Declarabis te non bene proſpexiſſe, & fauiſſe vitę, dum cogeris & famere, & erubeſcere apud homines, nam ſolent qui bona ſua ita dilapidant, famoſi & notabiles exiſtere; etſi quidam codices Græci verba hæc poſtrema non habent, tamen codex Hiſpanienſis illis verbis non caret ἔστι γὰρ ἐπίβουλος τῆς ἰδίας ζωῆς λαληθεὶς: id eſt, Eris dignus qui dicaris propriæ vitæ inſidiator. Quod ſi obijcias Tridentini Concilij decretum, quod vult à nobis per omnia lectionem noſtræ editionis retineri: id quidem ita fieri oportet, vt ſenſus congruus ex litera eruatur: & rurſus Concilium ipſum vult Biblia ipſa ab omnibus mendis, & corruptionibus expurgari, ita vt quam emendatiſſima illa habeamus. Et certe, vt libere, quod ſentio, loquar, nullus æque in tota librorum, vel veteris, vel noui Teſtamenti ſtructura, ita eſt corruptus, atque hic liber Eccleſiaſtici, qui vt dicitur à Patribus πανάρετος; ob omnia virtutum officia, quæ in eo commendantur; ita ob incommoda, adde mendas, additamenta, detruncationes, & infinita fere vitia, quorum correctionem propediem expectamus, poſſet non immerito vocari πάγκακος. Habes ἀσιατικῶς, quæ tu ad me λακωνικῶς, tu ſchema βραχυλογίας, ego μακρολογίας ſiue περιφραστικῶς adhibui: etſi autem multa paucis, & pauca multis poſſe dicere, paris eſſe eloquentiæ exiſtimet noſter Hieronymus: tamen ille apud me maioris, & efficacioris habetur, qui cum multa paucis contrahere nouerit, de illo tamen dici non poteſt: Breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Tuę erit prudentiæ, quæ hic ſuperflua ſunt, reſecare, aut emendare aut obeliſco iugulare: nõ enim minus te timeo, quam ille olim vnguiculos, & miniatulas ceras Bruti. Egregio ſane & aureo xenio me donaſti, dum me ad huius loci meditationem ſcriptis incendiſti tuis, quod ego omnium antiquorum xenijs facile præfero; pro quo ego dominam Iſabellam inuiſere tuo nomine non grauabor. Et vbi primum occurret communis ille amicus, dominus Abbas Portius, mearum ſalutationum facies participem, aut potius integrum poſſeſſorem, cui ego ante paucos dies reſpondi: ſed facilius ab Hercule clauam, quam ab illo literas extorſeris: tantus eſt in magnorum Principum, & pręſertim purpuratorum animis demerendis, vt nos tenues, & pauperculos contemnere videatur, cumque tam acer ſit, & egregius virtutis cultor, quantum tu tuis literis ſignificaſti; fieri nequit, quin omnes, quibus cum illi arcta eſt amicitia, non poſſint recti atque honeſti, quod in illo eſt, ſpecie capti virtutem amplecti. Quod ſcribis noſtros labores iam prope ad metam perueniſſe; vtinam id tam verum eſſet, quam fuit pro tua erga me ſingulari beneuolentia abs te profectum; longiores enim ſumus, quam tu poſſis exiſtimare, deque illis ita ſentio, vt putem dignos illos eſſe, qui in ſpongiam incumbant. Tu fortaſſis etiamſi maxime teipſum mihi tegas (quanquam aliquando nonnihil mihi communicaueris) & ſolidiora & pleniora cudis, & ad finem perfectionemque adducis, ſi tamen non adduxiſti. Fac vt ego, qui nunc horum laborum odore recreor ſapiendi quoque ſenſu deguſtem, vnde meas ineptias corrigere valeam, teque celebrari ab optimis & eruditis viris magna cum animi mei voluptate percipiam. Vale plurimum, & tuis me precibus atque ſacrificiis apud Deum iuuare non deſine. Neap. 18.

Ian. 1572.

Laudat librum de beato Ioanne, & accendit animum ad abſoluendum librum de Virgine Deipara, ſeque, & ſuos excuſat, quod non poſſint aduerſus hæreticos ſcribere.

Admodum R. P. Petro Caniſio è Societate Ieſu Alfonſus Salmeron. S. D.

Admodum reuerende & chariſſime Pater.

SI ſerius, quam par eſt, & ſtudium atque obſeruantia erga te mea poſtulat, tibi reſpondere videor, id mihi adſcribendum non eſſe, vel ex eo facile intelligere potes, quod literæ tuæ octauo Octobris die conſcriptæ, nonniſi appetente iam Natalis Domini feſto, magna tabellariorum negligentia mihi redditæ ſunt; in quibus ſane, ne quicquam diſſimulem, plurima ſunt, quæ me maiorem in modum oblectarunt. Nam vt illa prætermittam, quæ nonnihil animum meum offendere poſſe non ignorabas, quod videlicet ab initio literarum tuarum, celata nonnihil arte, in mearum laudum præconia excurreris, ac profuſis eloquentiæ tuæ viribus (quæ neque profecto vulgaris eſt, nec prudentia, aut modeſtia Chriſtiana deſtituta) in me exornando vſus fueris, eaque mihi tribuere volueris, quæ nonniſi maximis, & clariſſimis viris, doctrinæque arcem tenentibus concedi ſolent: iſta tamen omnia nobis deuoranda, ac boni conſulenda eſſe ob eam potiſſimum cauſam duximus, quod videlicet à Patre Caniſio, id eſt, à viro candidiſſimi, ac ſynceriſſimi pectoris eſſent profecta. Fortaſſis etiam eo tuus ſpectauit animus; vt non tam qualis ego reipſa eſſem; ſed qualem me per ætatem ac ſtudiorum meorum rationem eſſe oporteret, deſcriberes: aut illud cogitabas, virtutem laudatam creſcere, & ita me ampliores progreſſus facturum tibi pollicebaris. Adde, quod his laudibus, veluti quibuſdam calcaribus promptum tibi fuerit eo reſpicere, me ad operis cœpti, quod præ manibus habeo, molitionem, perfectionemque tacitis ac modeſtis incitares vocibus, atque inflammares. Sed vtcunque hæc ſe habeant, omnia tuæ epiſtolæ verba officij, beneuolentiæ; ſingulariſque tui erga me amoris certiſſima ſunt argumenta, nec in his quicquam eſt ab ingenij tui candore, lenitate, atque modeſtia alienum; vt omnes proinde rationes quouis modo tibi iure ſuccenſendi, mihi viſus fueris amputaſſe. In tuum illum, De corruptelis verbi Dei, librum quem, cum prius tibi literas darem nondum attigeram; tandem mihi inueſtiganti incidere contigit; quem magna cum animi mei voluptate ad calcem vſque perlegi, & ſi quid eſt in me iudicij (quod ſentio quam ſit exiguum) aliud profecto mihi nihil ſpirare videtur, quam meum Petrum Caniſium id eſt, ſingularem & miram pietatem, reconditam eruditionem, Patrum diligentem lectionem, ſpectabiles cum hæreticis congreſſiones, germanam & orthodoxam verborum Dei interpretationem: quæ omnia ita tu eleganti ſtylo, perſpicua atque polita oratione perſequeris, lectores vt moreris, afficias, mirificeque oblectare videaris. Et vt ingenue, quid ſentio, fatear, cum hactenus multorum Catholicorum non contemnendæ elucubrationes contra Centuriatores in lucem prodierint; nullæ, meo iudicio, tuis, aut iucundiores, aut vtiliores, aut, quod maximum eſt, nullæ ad aduerſarijs perſuadendum magis appoſitæ, atque accommodatæ hactenus extitiſſe viſæ ſint. Tam blanda enim dictione illorum plagas contrectas, molliaque adhibes medicamenta, ab omnique conuitij ſpecie, & aſperiori verbo ita abſtines, plane vt docere magis præteferas, quam reuincere, ſanareque potius, quam vulnera refricare videaris. Cum enim Ioannem Baptiſtam tuendum ſuſceperis; ita eius virtutes detegis, detectas commendas, & commendatas lectorum cordibus infigis, vna vt opera, & Ioannem in cœlum vſque efferas, & hæreticum conficias, & verbum Dei à praua & detorta Nouatorum intelligentia vindices, & ad amplectenda virtutum officia, cultu ſermonis, perſpicuitate, atque breuitate Lectorem cohortari coneris. Multa ſane te beato Ioanni Baptiſtæ propterea debere intelligo, qui tibi talem (vt mihi pium eſt credere) inſpirauit ſcribendi rationem, quo bene fauente, tam gratam Deo, & Eccleſiæ eius ſalutarem operam impendiſti. Sed iam maiora moliris, & pro beatæ Deiparæ gloria calamo decertare fortiter contendis, & glorioſe. Macte virtute eſto, & macte ingentibus auſis. Spem magnam concipio, qua interim quodammodo lætor, & exulto, te, qui priori libro cæteros omnes viciſti; hoc poſteriori facile teipſum ſuperaturum. Nam ſi pro Chriſti ſeruo, etſi magno, tam feliciter dimicare tibi datum eſt: quid pro eius ſanctiſſima, atque integerrima Genitrice, quæ ſua ſalutatione Ioannem in vtero ſanctificauit, & præ gaudio exilire fecit, te non producturum ſperare, ac polliceri nobis debeamus? Nec enim illa pudiciſſima Ieſu Chriſti mater, noſtrique omnium pientiſſima parens, tibi eam deprecanti, atque viriliter propugnanti cui peculiari pietate es affectus, deeſſe poterit; quæ omnibus fidelibus, etiam de ſe minime cogitantibus, ſe ſolet propitiam aduocatam, protectricemque præſtare?

ſtare? Certe quanto acriori in prælio cum hoſtibus verſaris, ac pro ampliori re inis certamen, & contemptius Hæretici, atque abiectius de Diua Virgine, vel ſentiunt, vel prædicant, vel ſcribunt, tanto tu præſentiorem eius opem, & patrocinium experieris, quo eam ab omnibus contumelioſis Hæreticorum cogitationibus vindices, eiuſque dignitatem, gloriam, illuſtres denique, atque ſplendidos titulos in lucem eruas, atque tueare. Ingens, crede mihi, exinde meritis tuis fiet acceſſio, magnumque propterea ex tam glorioſo certamine laudum cumulum reportabis. Quod ſi veteres Patres, qui ſimpliciter pro virginitate inter fideles ſeruanda laborarunt, tantam ſunt laudem apud poſteros conſecuti, eorumque ſcripta, tanta cum autorum gloria lectitantur: quos putas edituros fructus, & promerituros laudum titulos, & triumphos, qui non tantum pro Genitricis Dei virginitate, ſed etiam pro aliis e us ampliſſimis dotibus, & plane diuinis muneribus dimicant? Beatus Illephonſus, Eccleſiæ Toletanæ Antiſtes, cum pro tuenda Diuæ Mariæ virginitate, contra quoſdam ſui temporis hæreticos librum edidiſſet, hoc ille dignum ſuorum laborum præmium conſecutus eſt, vt Beata Deipara magno Angelorum comitatu ſtipata, illi apparuiſſe feratur: & ſacra veſte, quæ in Miſſæ myſterio peragendo reliquis omnibus de more ſuperponi ſolet, illum induiſſe: quæ veſtis in hodiernum vſque ad diem magna religione in Templo Ouetenſi aſſeruatur. Vides in hoc exemplo quam mercedem tuis elucubrationibus polliceri poſſis. Donatur enim immortalitate libri pro Virginis matris gloria conſcripti: igni exuruntur Hæreticorum opera, ſi quæ forſitan contra illos prodierint: tu vero illud poteris de tuo melius dicere, quod iactabundus quidam Poeta de ſuo cecinit opere.

Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas,

Gratiſſimum, crede mihi, & commendatum reddes, & Matri & Filio tuum Sacerdotium; ſuſcipiet de manu tua, quas illi obtuleris in ſancto Altari hoſtias, tuumque proinde nomen, vel nolens, & inuitus immortalitati conſecrabis. Eſt enim honeſtiſſimum, laudiſque, & gloriæ plenum munus, illos propugnare, qui nos propugnant; illorum patrocinium ſumere, qui ſemper nobis patrocinantur; eorum iuſtiſſimam cauſam apud homines agere, qui noſtram plerumque minus iuſtam (tantum illi gratia valent) apud Deum agunt. Denique vt Euangelice loquar, illos confiteri coram hominibus, qui volunt, & poſſunt in poſtremo illo & contremiſcendo iudicio nos confiteri coram Angelis Dei. Quare non erat, cur apud me, te tantopere abijceres, & hominem craſſum, rudem, tardum, denique Germanum, & humi reptantem appellares; res enim ipſa aliud lõge indicat; te videlicet acutum virum eſſe, acrem promptum, & cœleſtia diuinaque myſteria penetrantem: nec tamen per Tapinoſis figuram Rhetoribus notam, te loqui, quam per ſummam animi tui ſubmiſſionem, Chriſtianamque modeſtiam: in qua nihil eſt fictum, nihil callidum, nihil fucatum. Agnoſco te præterea verum Germanum, probeque germanizantem; ſiue illa vox Latina ſit à Germano, quo cæteros quaſi fratres complectuntur amore, ſiue propria illa, ac gentilitia, & à veſtris maioribus excogitata, atque vſurpata vos ipſos compellandi ratio exiſtat, vt admonuit Tacitus: nam vel ſic, quid eſt Germanus, niſi integer, ſiue totus homo, hoc eſt, integra humanitate præditus, ſiue omnimoda fortitudine cumulatus, in qua nihil eſt debile, aut infirmum, nihil puerile, aut muliebre: vnde quo magis te deprimere conaris; eo te altiorem, ac proinde commendabiliorem cunctis efficis; qui de te tam ſubmiſſe ſentias, tam modeſte loquaris, teque in oculis tuis extenues, prorſuſque vili pendas. Benedictus Deus, qui te, pro ſua incomparabili bonitate, & Beatæ Deiparæ, & magni Domini præcurſoris rara quadam, & admirabili humilitate præſtantium, imitatorem prius reddidit, quam eorum verbo, & oratione propugnatorem. Poſtremo videris me impellere ad excitandos eos, qui ex noſtris fratribus, vel dicendi ſtylo valent, vel doctrinæ opibus florent, vt arma pro Dei Eccleſia in Gallia, & Germania vehementer laborante capiant. calamoque diſtricto contra tot ſæuientes hæreſum peſtes dimicent. Quod ſane conſilium zelo gloriæ Chriſti, atque eius doctrinæ vindicandæ à te præſtitum eſſe non dubito. Verum non ignoras, vir prudentiſſime, quanta ſit inter nos & illos locorum intercapedo, vt quæ apud illos gerantur, vix noſtri cognoſcere poſſint, aut ſerius quam opus eſſet, & opportuna pugnandi ratio poſtularet; quæ hæreſes potiſſimum ſerpant, quæ ſectariorum opiniones regnent; qui libri in vulgus ſeducendum ſpargantur, nemo nouit. His enim, aut prorſus ignoratis, aut tardius cognitis, atque perſpectis, quid ſolidum, aut quid egregium, & laudabile ſcribi poſſit, tibi cogitandum relinquo. A paucis retro annis, quam arctis legibus in Italia viuamus, ignorare non potes: quam difficilis hæreticorum aditus in has Prouincias exiſtat; quam interdicta nouorum librorum in eas importatio; quanta difficultate legendi hæreticorum libros facultas impetretur, etiam ab eis, qui cum Chriſti gloria, & Eccleſiæ fructu illos legere poſſunt, ambigere non vales. In cauſa igitur hæc eſſe poſſunt, vt pauciſſimi exiſtant, qui eius rei ſolicitudine, & cura tangantur; & in id magis ſtudioſi omnes propendent, quod legibus quodammodo caueri & non vetari perſpiciunt.

Quo fit vt paucos Italia hæreſum expugnatores habeat. Vt autem ad fortem militem ſpectat, dum in acie verſatur, manus cum hoſte conſerere, illique minime parcere, ſed cæſim & punctim dimicare; ita ad eum extra aciem poſitum pertinet otioſum eſſe, & quæ pacis ſunt tantum meditari, conſectarique. Vos igitur, qui in Germania, id eſt, in omnium hæreſum colluuione agitis, in acie poſiti eſtis, hoſtes ceruicibus veſtris impendent, veſtrum eſt impigre decertare, & nouas quotidie pugnas ſuſcipere, & ſuperbum, & ferocientem hæreticum, & inſtar Goliath ad pugnam prouocantem, mucrone ſuo, hoc eſt, verbo Dei, quod ab illo pro tuenda ſua falſa opinione producitur, eum confodere, atque iugulare, noſtrum vero eſt, qui in pace degimus, Catholicos in auita fide & Patrum doctrina conſeruare, & vobis belligerantibus, fauſta omnia atque proſpera comprecari, quo victoria parta ſolidum triumphum de domitis hoſtibus, & de Chriſto paſtori recuperatis ouibus agere poſſitis. Non deſunt tamen in Italia quidam, quos Deus peculiariter ad hoc munus ſcribendi contra hæreticos euocauit, etiamſi illi ex noſtris non ſint: certe inter fratres Franciſcus Turrianus (vt optime noſti) veteranus miles, nunquam ceſſat, aut dormit, noua indies opera meditatur. Ego vero, vt ingenue loquar, nouus tyro adhuc exiſto, ad hanc ſcribendi prouinciam (quæ excelſa plane eſt, atque ardua, ac proinde perpaucorum) nonniſi vt ſerus hoſpes, ac peregrinus acceſſi; quam exiguum in illa præſtare valeam, quantumcunque tu mihi blandiaris, & pro tua in me pietate lumina, præſidia, & ornamenta neſcio quæ mihi tribuas, ipſa experientia, cum calamum ad ſcribendum arripio, aperte edoceor: quicquid tamen ego in oculis tuis, aut meis ſim, in me recipio, laborem vllum me non recuſaturum, quoad poſtremam manum noſtro operi impoſuero (quod plane incultum eſt, impolitum, & rudis inſtar materiæ, informe) vt tibi efflagitanti, & tam anxie exigenti, & peramanter me excitanti morem geram. In te enim promerendo amãdo, atque etiam colendo, profecto cedo memini. Illud vnum te admonitum volo, noſtra hæc ſcripta tam multa eſſe, & tam rudia, vt non breui aliquo temporis interuallo, neque leui aliqua opera, ſed ſeria, & graui, ac veluti vrſorum more fœtum lambentium indigere videatur. Quamobrem à te magnopere contendendum eſſe exiſtimaui, vt huius rei melius, faciliuſque præſtandæ gratia, vota tua, atque pias preces; & eorum, qui tecum ſunt fratrum, ac patrum, pro tua erga me charitate apud Deum interponere minime graueris: ſpero enim quod expeto facile hac ratione à Deo me conſecuturum, ac te tua ſponte in hoc ſatis propenſum, benigne meis poſtulatis aſſenſurum. Bene vale, chariſſime pater; meque, ſi moleſtum non erit, certiorem reddas, an opus, quod de tuenda Virgine conſcribis, ad vmbilicum perduxeris, & quando putas illud in lucem proditurum. Caue autem, ne poſthac patiaris me tanto tempore tuorum, quos edis, librorum lectione, & fructu priuari: ſed vbi primum editi fuerint, cura, vt ad vrbem, vnum aut alterum exemplum, noſtris mittatur impenſis, nam inde facili negotio ad me, vbicunque ego fuero, ſtatim tranſmittetur.

De nominis Miſſæ ratione ac Etymologia.

VIDI Locos illos Caſſiani, quos D. Petrus Chiaconius communis amicus ad te ex Vrbe miſerat, vt ex illis plane coniectare valeres, Miſſæ vocem apud illum autorem vſurpari ſolitam pro Diuini officii celebratione, quod olim Monachi die & nocte recitare ſolebant, quemadmodum & à noſtri ſeculi Monachis horæ Matutinæ, & Veſpertinæ cum Prima, Tertia, Sexta & Nona, & aliis horis ſolenniter decantari conſueuerunt. Sane à principio in eandem ſuam ſententiam adducebat me acerrimum doctiſſimi illius viri iudicium, cui ego multum, vt noſti, tribuere ſoleo. Nam putabam miſſam recte accipi iuxta morem Hebræum pro ſacrificio ſpontaneo: at preces, & orationes, quæ Deo exoluuntur, per metaphoram apte ſacrificia & oblationes vocari poſſunt, iuxta illud; *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* (*Pſalm.* 140) Tu vero, qui proprie Miſſam accipi pro ſacroſancto Euchariſtiæ ſacrificio contendebas, quod non minus noctu, quam luce olim offerri conſueuerit, rogaſti vt nonnihil vellem ſuper ea re ſerio cogitare, & propoſitos Caſſiani locos diſcutere, vtrum magis tuæ, an D. Petri ſententiæ quadrarent, & cuius nam opinioni illi loci magis patrocinarentur. Cum igitur animum ad has cogitationes intenderem, incidi in tertiam quandam vocis illius ſignificationem, cui omnes illi loci facilius, & verius mea ſententia accommodarentur, quam tibi examinandam, & niſi fallor, etiam tuo iudicio comprobandam offerre conſtitui. Inuenio igitur apud veteres Patres, Miſſam dici ſolitam pro miſſione; hanc autem pro dimiſſione, ſiue pro facultate abeundi: quemadmodum declarauit Rhenanus apud Tertullianum li. 3. in Marcionẽ. (*Rhenan. apud Tertullian.*) Quod enim miſſio pro dimiſſione accipiatur, nemo in lingua Latina eruditus negabit. Nam in re militari miſſiones erant militum diuerſæ: Vel honeſtæ, quando emeritis ſtipendijs ab Imperatore concedebantur; vel ignominioſæ, cum quis propter ſcelus inſigne ſacramento ſoluebatur, vel denique ob cauſam aliquam, vt propter infirmitatem,

vel

vel quid ſimile: atque hi tales apud Liuium milites cauſarij appellabantur. Vnde habeo miſſionem accipi conſueuiſſe pro dimiſſione. Quod etiam confirmat quòd remiſſa peccatorum & apud Tertullianum libr.4. in Marcionem, & B. Cyprianum in epiſtola ad Fidum de Baptizandis infantibus, & in ſermone de oratione Dominica, & in epiſtola ad Iubaianum de hæreticis baptizandis, pro remiſſione peccatorum accipi conſueuerit. Ait enim in poſtremo loco Cyprianus tractans illud: *Accipite Spiritum ſanctum: ſi cuius remiſeritis peccata, remittuntur: ſi cuius tenueritis, tenebuntur: Vnde intelligimus, nonniſi in Eccleſia præpoſitos, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatos licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid poſſe, nec ſolui.* Hæc ille. Cyprianus.

Quòd verò Miſſa pro miſſione, ſiue pro dimiſſione capiatur, his rationibus comprobo: quoniam in primis ſi remiſſa pro remiſſione accipitur, vt probatum reliqui, poterit & ſimplex vox Miſſa pro miſſione, ſiue dimiſſione accipi. Deinde quoniam olim Catechumeni, qui Audientes dicebantur, in templo permanere poterant, dum Euangelium caneretur, & Epiſcopus illud populo explanaret, & tunc clamabat Diaconus: *Catechumeni exeunto*: vel, *ſi quis Catechumenus remanſit, exeat*, vel, vt eſt apud Gregor. lib.2. Dialog. c.23. *Si quis non communicat, det locum.* Sicut in Gentilium ſacrificijs lector clamabat: *Exito hoſtis, victus, mulier, virgo.* Inde apud Patres legimus, Miſſas Catechumenorum diſtinctas à Miſſis fidelium. Nam in illis licebat manere vſq; ad Offertorium, deinde mittebantur; in alijs verò fideles permanebant vſque in finem, donec fieret facultas abeundi. Ita Innocentius tertius libro 6. de Officio Miſſæ, cap.12. ſecutus in hoc ſententiam Iſidori libr. de officio, & Remigij in lib. de officio Miſſę; aſſerens, Miſſam dici ab emittendo, quòd Catechumeni foras de Eccleſia emitterentur. Quare Dionyſ. Areopagit. cap.3. de Eccleſiaſt. hierarchia, part.3. poſt Pſalmodiam decantatam, & diuinam ſanctarum Scripturarum lectionem vult Catechumenos, & Energumenos, & eos, qui in pœnitentia verſantur; de Eccleſia eijci: vtpote indignos, qui eorum, quæ in ſalutaris hoſtiæ oblatione geruntur, ſpectatores exiſtant. Ita etiam Ambroſius libro 5. epiſt.33. ad ſororem Marcellinam, id ſe feciſſe teſtatur, dicens: *Sequenti die (erat autem Dominica) poſt lectiones atq; tractatum, dimiſſis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in Baptiſterijs tradebam baſilicæ.* Et narrato tumultu, ſubdit: *Ego tamen manſi in munere, Miſſam facere cœpi.* Et infrà: *Amariſſimè flere, & orare in ipſa oblatione Deum cœpi, ne cuius ſanguis in cauſſa Eccleſiæ fieret.* Si ergo Miſſa Catechumenorum erat eos mittere, ſiue dimittere, quid mirum, ſi Miſſa pro dimiſſione accipiatur? Tertiò, idem ſolidius confirmo quia peracto ſacrificio, Diaconus in Eccleſia Romana dicere ſolet: *Ite, Miſſa eſt*: id eſt: Diſcedere vobis licet, quia facta eſt legitima populi fidelis dimiſſio: ſicut dimittitur concio, dum finem ſermo vel lectio accipit. Et dixi, Legitimam dimiſſionem: quia ſacrificio nondum peracto, fidelibus egredi non libet, ſed detinentur lege Eccleſiaſtica, qua cautum eſt, ne quiſquam ante ſacerdotis benedictionem diſcedat: ad quod etiam Chryſoſtomus elegantibus, & grauibus verbis exhortatur homil.83. in Matthæum; & confirmat Agathenſe Concilium Can. 47. *Miſſas*, inquit *die Dominica ſecularibus totas audire, ſpeciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat: qui ſi fecerint, publicè ab Epiſcopo confundantur.* Et Athanaſius epiſtola ad ſolitarios: *Pleriq; populorum, miſſione è ſacris facta, abierant, aliquot mulierculis remanentibus, &c.* Et Chryſoſtomus homilia de Eccleſia non contemnenda, & myſterijs: *Ingreſſus es in Eccleſiam, ô homo: ne exeas, niſi dimittare ἐὰν μὴ ἀπολυθῇς ἑαυτὰς περὶ τῆς ἀπολύσεως, ἐξελθῇς, nam ſi ante dimiſſionem exieris, perinde ac fugitiuus canis repoſceris.* Ex quibus habes, non minus in Græca Eccleſia, quam in latina, in fine ſacrificij facultatem concedi abeundi. Et olim in ritibus paganorum dici conſueuerat, Ilicet; quod per ſyncopen idem eſt, ac, Ire licet. Nam vt teſtatur Donatus, Iudices de Concilio dimittebantur, cùm præco pronunciaſſet ſuprema dicta, & Virg. 6. Æneid. de funere Miſeni: Innoc. III. Dion. Areo. Ambroſ. Athanaſ. Chryſoſt. Donat. in Phorm. Terent.

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ:
Luſtrauitq; viros, dixitq; nouiſſima verba.

Virgilius.

Seruius, *Ilicet*, Actum eſt, Ilicet. Græci verò poſt peracta ſua ſacra dicere ſolebant: λαοῖς ἄφεσις, id eſt, Populis datur dimiſſio, ſiue abeundi facultas, vt ex Apuleio Beroaldus, & Alciatus libro ſeptimo capite decimo. Parergon explicant. At noſtri, ne in voce communicarent cum paganis, non ἄφεσις, pro dimiſſione illa. ſed ἀπολύσει, vtuntur, qua etiam Lucas vtitur Actor.13. Confer hanc noſtram ſimplicem explicationẽ illius verbi, *Ite, Miſſa eſt*, cum alijs & videbis quanto iſta cæteras excedat, in quibus ſemper aliquid eſt ſubaudiendum, vt conſtet oratio: in hac vero noſtra nihil. Poſtremò hoc ipſum confirmo ex poſtremo Caſſiani loco, qui ſumitur ex libro vndecimo, capite decimo quinto, vbi ſenex ſanctus, qui viſitandi gratia ad alterum venerat curioſius ad oſtium auſcultare cœpit quid recitaret. Et reperit huius ſpiritus impugnatione pellectum, vt in Eccleſia facere ſe crederet exhortatorium plebi ſermonem. Caſſian.

Cumque ſubſiſtens ſenex audiſſet eum finijſſe tractatum, & mutato rurſus officio celebrare velut diaconum Catechumenis Miſſam, tunc demum pulſauit oſtium. Et poſt pauca:

 Modo,

Modò, inquiens, *veni, quando tu Miſſam Catechumenis celebrabas: id eſt, quando ſermone ad oēs habito dimittebas Catechumenos, ne Euchariſtiæ aſsiſterent ſacrificio.* Idem etiam eſt quod dicitur libr. 2. de inſtitut. Monach. c. 7. (Nam in 6. & 13. eiuſdem libri capitibus nomen Miſſæ non inuenio) *Finito*, inquit, *Pſalmo non ſtatim ad incuruationem genuum corruunt, quemadmodum facimus in hac regione nonnulli, qui nedum bene finito Pſalmo in orationem procumbere feſtinamus, ad celeritatem Miſſæ quantocyus properantes, id eſt, ad ſoluendam congregationem, & Miſſam faciendam, vt poſsit diſcedere in cellam.* Ita lib. 3. cap. 5. Ægyptios ait ſolitos certis anni temporibus, etiam ante gallorum cantum ſurgere, Miſſa Canonica celebrata, id eſt, dimiſſione congregationis ſoluta, & canonicè celebrata, & non furtim, & proprio arbitrio: quia ſubdit: *Poſt hæc vigilias extendunt, vt eos ſuperueniens lux matutina in hoc feruore ſpiritus reperiat conſtitutos.* Hæc ille. In quo loco cauenda eſt mala interpungendi ratio, quàm meus paruus Caſſianus habet, nempè: *Miſſa Canonica celebrata vſq; ad lucem*: quæ mala eſt lectio; & ita legendum eſt: *Miſſa Canonica celebrata*, & ibi punctus ponendus, vt ſequatur: *Vſq; ad lucem poſt hæc vigilias extendunt.* Quod verò in ſecundo capite eiuſdem libri habetur: *Vt qui tardius venerit poſt cœptū primum pſalmum in tertia, ſexta, vel nona, antequam tamen finiatur poſsit ad orationē introire: Qui vero poſt finitum Pſalmum primum ad orationem venerit, vlterius oratorium introire non audeat, nec ſemetipſum admiſcere pſallentibus, ſed congregationis Miſſam ſtans pro foribus præſtoletur, donec egredientibus cunctis ſub miſſa in terram pœnitentiam negligentiæ ſuæ, vel tarditatu impetret veniā.* Vides hoc loco quid eſſet congregationis Miſſa: nihil certè aliud quam dimiſſio, ſiue ſolutio congregationis: quia in illa egrediebantur omnes de oratione, & ille qui tardius veniebat, humilis ſuæ negligentiæ pœnas dabat. Quæ verò cap. 8. eiuſdem libri habentur, eadem ſunt quæ cap. 5. eiuſdem libri dicuntur, & hæc illa interpretantur. Nam illic monachi poſt vigilias nocturnas vigilabant, vt dæmonis illuſionem per aliquid quod pollueret corpus vitarent; hic verò poſt vigiliarum Miſſam vſque ad lucis aduentum ſomnus monachis conceditur, quò ita reficiant corpora ſua, vt nequaquam per totum diei ſpatium ſomni torpore marceſcant. Et vt illud erat difficilius præſtare, ita hoc erat remiſſius, & facilius, quò melius poſſent diurni temporis officia præſtare. Certè in his omnibus locis nulli magis conſentire aut fauere videtur ſententiæ, quam illi quæ nomine Miſſæ miſſionem, ſiue dimiſſionem ſignificatam accipit, quemadmodum & in illa Abdiæ libr. 7. hiſtor. Apoſtolicæ, in vita B. Matthæi, vbi habetur: Cumque reſpondiſſent Amen, (ſcilicet ad benedictionem Apoſtoli conſecrantis Iphigeniam & alias virgines) ſubditur, & myſteria Domini celebrata, & Miſſam ſuſcepiſſet omnis Eccleſia, retinuit ſe. Hæc ibi: quæ magis ad Latinam ſpectant phraſim, quàm ad Hebræam, vel Græcam: & diſtinguit Miſſam à myſterijs Domini celebratis.

Iuxta hæc non erit difficile beati Iſidori locum explicare. Sic enim habet ille in Regula ſua, capit. 12. *In quotidianis*, inquit, *officijs vigiliarum primum tres Pſalmi Canonicè recitandi ſunt, deinde tres Miſſæ Pſalmorum, quarta Canticorum, quinta Matutinorum officiorum: In Dominicis vero diebus, vel feſtiuitatibus Martyrum, ſolennitatis cauſa ſingulæ ſuperadijciendæ ſunt Miſſæ.* Etſi liber Iſidori mihi non ſuppeteret, quò ex eius præcedentibus, vel ſequentibus verbis, autoris mentem certiùs aut clariùs apprehenderem: quia tamen huic ſanctiſſimo Patri ignota non fuit vocis Miſſæ etymologia, quam ab emittendo, vel mittendo dictam putauit, quemadmodum Innocentius Tertius libro 6. de officio Miſſæ, capite 12. eum producit; idcircò explicare locum non erit difficile, retenta in eo ſignificatu Miſſæ voce pro miſſione. Eſt ſiquidem ſenſus Iſidori: *In quotidianis vigiliarum officijs*, quæ noſtris tribus Nocturnis reſpondent, tres Pſalmos Canonicos recitandos eſſe; (id eſt conſuetos & ordinarios) in quolibet Nocturno: quibus decantatis, cum ſuis Lectionibus & Reſponſorijs, quod per Synechochen intelligi voluit, dabatur licentia abeundi. Cumque in ſingulis fieret miſſio, ex tribus Nocturnis colliguntur tres Miſſæ, ſiue Miſſiones. Quarta porrò Canticorum erat, hoc eſt, Laudum, vt puto: quia Laudes maximè Cantica continent. Vt enim olim milites in exercitu, & nautæ in naui, noctem in quatuor vigilias diſtribuebant; de quibus Marc. 13. & Luc. 12. fit mentio: ita Eccleſia acies ſuas ſpirituales orationibus, & laudibus diuinis inſtructas contra dæmonum inſidias & phantaſmata obſeruari mandabat. Sequitur officium Matutinorum, quod in matutina, ſiue in aurora celebrabatur; quam puto Primam apud nos appellari, & quæ

D. Cypria. poſt tertiam, ſextam, & nonam Horas in Eccleſiam introducta eſt: vt aſſerere videntur Cyprianus,

D. Iſidorus. & Iſidorus: ille quidem in ſermone de Oratione Dominica, dicens: *Sed nobis fratres dilectiſſimi, propter horas antiquitus obſeruatas, orandi nunc & ſpatia, & Sacramenta creuerunt. Nam & mane orandum, vt Reſurrectio Domini in matutino celebretur*: per quam matutinam intelligo, Primam. Hic vero libr. de Offic. capite vigeſimo tertio. *Sciendum*, inquit, *hanc matutinam, quæ obſeruatur in Occiduis vel maximè regionibus, Canonicam functionem noſtro tempore, noſtroque monaſterio primitus inſtitutam.* Sic ille, deſignans horam quam nos Primam vocamus: qua completa, fiebat quinta Miſſa, ſiue miſſio. Poſtremò, quod addit Iſidorus, in officio diei Dominicæ, vel in feſtiuitatibus Martyrum ſingulas alias adijciendas Miſſas, intelligo vel tertiam, ſextam, & nonam horas ſimul celebrari ſolitas, & vna miſſione terminatas, quod alijs diebus profeſtis non

obſer-

obſeruabatur: vel præter illas quinque miſſas iam explicatas, ſolitos fuiſſe conuenire ad templum ad orationem vel vocalem, vel mentalem ad aliquod tempus nocturnum, quo completo fiebat miſſio. Et quod ait, ſingulas Miſſas ſuperadijciendas, intelligo, alteram in Dominicam, alteram in Martyrum ſolennitatibus, quas alijs diebus ſeruare non conſueuerant. Quòd ſi obijcias, nomen Miſſæ verè Hebræum eſſe, & ſpontaneam oblationem, quæ Domino manibus fit, & in altum eleuatur, propriè ſignificare, & hæc omnia mirificè Euchariſtiæ conuenire, quæ verum eſt ſacrificium, & manibus in cœlum eleuatis Deo offertur, ac proinde etymologiam à verbo Latino mittendi, & miſſione minima quadrare. Reſpondebo, huic voci Hebrææ contigiſſe, quod nonnullis alijs euenit. Nam cùm nomen Ieſu, & Paſchæ merè ſint nomina Hebræa, & conſtet primùm à radice Iaſſa Saluatorem, ſeu ſeruatorem ſignificare: poſterius verò proprié tranſitum denotare, Patres tamen veteres non ſunt dedignati nomen Ieſu à verbo Græco ἰιάομαι, μέλλων ἰάσομαι quod eſt curare, vel ſanare, deducere, ita vt Ieſus ſit medicus, vel ſanator: vt tradunt Cyrillus Ieroſolymitan in Catech. 10. & B. Baſil. à quibuſdam Græcis citatus. Vocem etiam Paſchæ Lactantius & Ambroſ. à voce Græca, πάσχειν, paſſionem denotare contendunt. Ita Miſſa cum ſit Hebræum nomen, mirum non eſt, ſi Latini ob vocis Latinæ cum Hebręa affinitatem, & ob effectus peculiares, quos in ſacrificio Miſſæ obſeruari viderunt à verbo Latino deriuauerint, & peculiarem etymologiæ rationem reddiderint. Si tu tamen pro tua inſigni ſapientia, ac prudentia aliud ſolidius & accommodatius inueneris, & admoneri me perlubenter patiar, & diſcere abs te firmiora non grauabor. Vale.

Ad tria interrogata reſpondet, de ſacrificio pro peccato, an eſſet in præcepto, & num quis poſſet prius offerre ſacrificium pacificum, quam pro peccato: & de nomine Euchariſtiæ.

D. Doctori Aſtudillo Alfonſus Salmeron è Societate Ieſu S. D.

SI ſeriùs, quàm vellem, literis tuis videor reſpondere, mirum tibi viro prudentiſſimo, aut nouum, id eſſe minimè debet; non enim ignoras, alijs ſanè grauibus, ac moleſtis occupationibus ita nos eſſe diſtrictos ac præpeditos, vt non mediocriter ſi nobis laborandum, quò ab ſtudijs noſtris animum auocemus, & in alias, nouaſque cogitationes diſtrahere valeamus. Accedit quoque tua diligentia, ac ſedulitas in perobſcuris, ac intricatis Scripturarum quæſtionibus mihi proponendis; præſertim vbi tu aſymbolus accedis; & tantùm interrogas, tuumque de propoſitis quæſtionibus iudicium, aut conſultò celas; aut tanquam ex academiæ ſchola profectus ſuſpendis. Tantus prætereà tuus in interrogando Laconiſmus interdum nos moratur, & cunctabundos reddit, vt cogamur transformari ex Dauis, in Oedipos, & moram aliquam temporis ad cogitandum nobis aſſumere, quo melius, & tua penetrare, & commodius tibi poſſimus reſpondere. Erat in animo tibi Laconicè interroganti, conciſum quoque, ac Laconicum reſponſum mittere: quanquàm olim ſecundùm leges Athenienſium duplex reo clepſydra ad obiecta crimina abluenda meritò concederetur. Verùm ego, qui rei partes ſuſtineo; iuri huic; quod in fauorem meum cederet, prudens, ac lubens renuntiarem, ſi id tibi gratum eſſe intelligerem, & id me magis poſſe aſſequi. quam polliceri ſperarem. Ero igitur tibi diligenti tardus; Laconico Aſiaticus, Academico Phyſicus, qui omnia ænigmata diſſoluere me poſſe profiteor; deniq; tibi prudenti in dubitando, ſtultus ego in reſpondendo: ad id enim me cogunt eruditiſſimæ literæ tuæ. Ex tribus igitur interrogationibus, quibus me adoriris, prima erat; An in Lege ſacrificium pro peccato eſſet in præcepto, an cuiuſque voluntate ſitum. Reſpondeo: Non ignoras, legem à B. Petro vocatam iugum, quod nec nos, nec pâtres noſtri portare potuimus; conſtabat enim ſexcentis ac tredecim præceptis: atque huic iugo minimè ferendo oppoſuit Chriſtus Dominus ſuaue legis Euangelicæ iugum: quod igitur ſacrificium pro peccato, & illud quidem non ſimplex, ſed multiplex, præceptum exiſteret: mittendum te decreui ad 4. & 5. caput Leuitici, vbi talia ſacrificia inſtituuntur; vbi dicitur: *Anima cum peccauerit per ignorantiam, & de vniuerſis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit, &c.* Quo in loco cum ſacrificia inſtituat pro peccato turbæ filiorum Iſrael delinquentis aut pro peccato principis, aut pro peccato cuiuſuis priuati; nullum tamen pro peccato Sacerdotis, ſuo exemplo populum ad peccandum incitantis, inſtituit ſacrificium; quia cùm omnibus illis tribuat ignorantiam, illa ſola in Sacerdotem cadere non debet, ſacrificium igitur non pro peccato ex malitia voluntario, quod die decima Septembris, aut pœnitentia tantùm abluebatur, ſi erat occultum, aut in iudicium non veniſſet; ſed pro peccato ex ignorantia admiſſo ibi tantùm inſtituitur: & quia ignorantia non eſt de præceptis Decalogi, quæ ipſa lex naturæ prædicat, neque rurſus de iudicijs, quibus quiſquam proximum offenderit, à quibus nemo abſolui poterat, niſi parti læſæ ſatisfaciendo, vt traditur 5. Num. ſupereſt, vt ſa-

Leu. 4. & 5.

vt ſacrificia, quæ ibi Dominus inſtituit pro peccato ex ignorantia admiſſo, intelligantur de præceptis ad ceremonias ſpectantibus, quia innumeri erant ritus contrahendi immunditias, & ſe ab illis purgandi, & in his errare poterat totus populus, & princeps, & priuatus quiſque, de quibus à capite 11. Leuitici, vſque ad decimum ſextum, ad hæc peccata expiandi inſtituuntur ſacrificia pro peccato. Si pergas, qua igitur pœna punitur, qui pro peccato expiando præſcriptum ſacrificium non offerebat? Reſpondeo, cap. 5. Leuitici apertè ſtatuitur: *Anima ſi præuaricans ceremonias per errorem, in his quæ Domino ſuo ſunt ſanctificata, peccauerit; offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis, iuxta pondus ſanctuarij; ipſumq; quod intulit damnum, reſtituet, & quintam partem ponet ſupra, tradens Sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.* Vides igitur in hac lege tradi modum expiandi peccatum, in ipſis ceremonijs, ſiue ſacrificijs admiſſum. Vbi etiam damnum illatum Sanctuario iubet reſtitui. Adhæc opus non erat, vt cuicunque legis præcepto certa mulcta præfigeretur ſatis enim eſſe debet in genere quod Moyſes dixit, atque ex eo accepit Apoſtolus: *Iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea*, hoc eſt, præſtabit commodam, beatam atque omnibus bonis affluentem temporariam vitam. Eſaias quoque breui ſermone, & præmia legem obſeruantium, & præuaricantium ſupplicia præſcripſit dicens: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* Deinde cùm quiſque Dei præcepto, à peccato recedere, & ad iuſtitiam amplectendam accedere teneatur, etiam tempore reuelatæ gratiæ, nec ſatis ſit ad iuſtificationem fides, niſi certis ſenſibilibus ſignis, ac Sacramentis proteſtata, atque exercitata: ita olim ad remiſſionem peccati ſimplex Meſſiæ venturi fides non ſufficiebat, niſi illam certis ſacrificiorum ritibus exteriùs profiterentur, in quibus deliteſcens adumbrabatur Meſſias: itaque lege ad illa ſacrificia cogebantur; ita vt qui contemnerent, aut negligerent, apertè in Deum peccarent: qui verò eius præceptis parerent, ſi ex fide offerebant, peccati ſui remiſſionem adipiſcebantur, ſi verò citra fidem & timore legis ſacrificarent, pœnas lege interminatas non incurrerent; & noui peccati culpam declinarent. Neque huic doctrinæ verbum Dauidis obſtat: *Quoniam ſi voluiſſet ſacrificium, dediſſem vtique, holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*: Nam eiuſmodi verbis Propheta noluit, præcepta per Moyſen data infringere, aut ad illorum violationem quenquam cohortari, ſed tantùm more prophetarum, qui plerumque ad nouum Teſtamentum reſpiciebant, & ad Chriſtum in illo reuelatum; ex quo vno benedictio, gratia, & ſalus omnibus oritura erat, veterum infirmitatē ſacrificiorum explicare, quæ ex ſeipſis infirma erant, & egena elementa ad iuſtificandum, teſte Apoſtolo. Habes igitur, ſacrificium pro peccato in præcepto fuiſſe, & qua ratione, timore legis illud offerentes ad præmium propoſitum in lege Deus acceptaret; quomodo etiam per fidem Meſſiæ & Euangelicè oblatum, peccatum extingueret. ¶ Quæris ſecundò, num quis poſſit priùs offerre ſacrificium pacificum, quàm victimam pro peccato? Ad hoc dubium nonniſi diſtinguendo reſponderem: nam qui nulla peccati ſtimulatur conſcientia, quemadmodum nunc liberè, & cùm fructu accedere poteſt ad Euchariſtiam, quæ hoſtia eſt ſalutaris, & pacifica, ita tunc integrum erat iuſto, ſacrificium offerre pacificum, neque lege aliqua (quod ſciam) id facere vetabatur. Si autem quis peccato aliquo animum excruciante premeretur, non puto illi fas fuiſſe, prius ad ſacrificium pacificum offerendum accedere, quòd ſolum ad iuſtos ſpectabat, quàm delictum expiaſſet ſuum: nam alioqui non ſolum non litaſſet, ſed etiam Deum ſua oblatione magis irritaſſet, cum animo hoſtili, & peccatis grauato, ſacrificium iuſti offerre tentaret. Quemadmodum apud nos nulli ad ſacram Euchariſtiam percipiendam legitimus, ſiue ſalutaris patet acceſſus, niſi præcedente delicti exomologeſi, Deoque per contritionis, & ſatisfactionis ſacrificium prius placato; id quod etiam in ſymbolis, ac typis ſacroſanctæ Euchariſtiæ olim fuit adumbratum: namque ad panes Propoſitionis edendos, Summus ſacerdos Achimelech Dauidem cum pueris ſuis non admiſit niſi prius interrogaret, an mundi eſſent pueri, maximè à mulieribus, & etiam illi Panes ſacrificati erant, & in ſymbolum Euchariſtiæ in menſa Domini repoſiti. Vides igitur munditiam exactam fuiſſe olim ad ea edenda, quæ repræſentabant menſæ noſtræ ſacrificium: & ſi Dauid, ac pueri eius immundi extitiſſent, profectò alio ſacrificio expiante, quo ſanctificarentur, indiguiſſent. Sed alio exemplo rem magis illuſtrabo: Nemo ignorat, agnum quotannis in lege immolari ſolitum, non modò primum extitiſſe legis ſacrificium, ſed etiam pacificum, ſiue gratiarum actionis fuiſſe, ad memoriam populi de Ægypto egredientis ac ſeruitute Pharaonis à Deo inſtitutum, recolendum; quod holocauſtum, aut ſacrificium pro peccato propriè non erat, ſed tantùm pacificum, ſiue gratiarum actionis: quod ex eo liquidum redditur, quod agnus ille totus in eſum veniret, cùm tamen holocauſtum ad Dei laudem totum incenderetur: Hoſtiæ verò pro peccato oblatæ tres partes efficerentur, quarum vna in cibum Dei cederet edentis per ignem, altera verò in vſum cedebat Sacerdotis, tertia pertineret ad offerentem, quod nimirum in remiſſione peccati (vt hoc obiter explicem) partem ſuam, & illam quidem potiſſimam habeat

beat Deus, cuius proprium erat, autoritate ſua peccatum remittere; partem quoque haberet Sacerdos, qui vt miniſter orabat, & pro offerente ſacrificabat: denique ſuam quoque habebat portionem offerens peccator, qui tum deteſtando delictum tum legi obediendo, expenſaſque ſacrificij faciendó, atque illud ad Templum adferendo meritum aliquod ſibi comparabat: cùm igitur agnus Paſchalis, more ſacrificij pro peccato, aut holocauſti non tractaretur, cogimur confiteri illum fuiſſe in ſacrificium pacificum, ſiue gratiarum actionis oblatum: & tamen ex Euangelio conſtat, ad eius eſum homines non eſſe ſolitos accedere, niſi prius ſeipſos purificarent, ſanctificarentq;. Lege 12. cap. Ioannis, & ſub finem inuenies, inſtante Paſcha multos Iudæorum aſcendiſſe de regione ante paſcha, vt ſanctificarent ſe ipſos Lege quoque cap 9. lib. Numerorum, vbi Moyſes conſulto Domino ſtatuit, vt homini qui immundus ſuper animam, ſiue in via procul in gente ſua, liceret facere phaſe in menſe ſecundo quarta decima die menſis, ad veſperam, &c. Ex his habes quid ad ſecundo loco propoſitum dubium occurrerit mihi dicendum. *Num 9.*

¶ Tertiò loco percunctaris, an Euchariſtia nomen ſit ſacrificij, vel in antiquo, vel in nouo Teſtamento, & ſi in neutro, vnde ergo hæc vox vim habuit, vt ſacrificium altaris ſignificaret? Rectè dubitas; nam & aliquando ea animum meum excruciauit dubitatio: verum nihil ſolidi potui inuenire, in quo quieſcerem: nam quod Origenes contra Celſum ſcribens, Euchariſtiam bonam gratiam interpretatur; & noſter Bernardus, *Panis*, inquit, *iſte per excellentiam Euchariſtia dicitur, id eſt, bona gratia*; in hoc enim Sacramento non quælibet gratia, ſed ille à quo eſt omnis gratia, ſumitur. Et Chryſoſtomus in priorem ad Corinthios: *Si igitur ad Euchariſtiam accedis, quæ gratitudo & gratiarum actio eſt*: hæc, inquam, non ita implebant aures meas; quia nulla ineſt ſacrificij notio in illa voce: nunc audi, quantum tua interrogatione cogitando profecerim. Diligentiam nonnullam adhibui, inquirendo, an vox εὐχαριστίας, olim apud Ethnicos, ſiue Græcos, ſiue Romanos, pro ſacrificio eſſet vſurpata gratiarum actionis, & hactenus nihil certi deprehendere valui, tantum producam coniecturas quaſdam, quas ex quodam loco Valerij Maximi, & altero Ouidij colligere potui; ille etenim lib. 2 exemplorum Moralium: *Conuiuium*, inquit, *ſolenne maiores inſtituerunt, idque Chariſtia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: vt ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta, apud ſacra menſa & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordia adhibitis tolleretur.* Ouidius verò libr. 2. Faſtorum, & ſacros dies cuiuſque menſis pertractans, ait: *Origen.* *Bernardus.* *Chryſoſt.* *Valerius. Max. lib. 2.* *Ouidius 2. Faſtor.*

Proxima cognati dixere Chariſtia chari:
Et venit ad ſocios turba propinqua deos,
Scilicet à tumulis & qui periere propinquis
Protinus ad viuos ora referre iuuat.

Et infrà:

Dijs generis date thura boni: Concordia fertur,
Illo præcipuè mitis adeſſe die
Et libate dapes: vt grati pignus amoris.
Nutriat incinctos miſſa patella cibos.

Hæc illi: vbi planè videntur deſcribere formam quandam ſacrificij, quæ ad opprimendas ſimultates & diſcordias ſedandas inſtituta erant: vnde ſacram menſam illam vocat Valerius, & illic aderant concordiæ fautores, qui ſimultates omnes extinguerent. Erant igitur chariſtia ſolenne feſtum, quo ſympoſia agitabant vna propinqui, & dona vltro citroque tranſmittebant: mortui quoque ad hæc conuiuia inuitabantur. Dices; Quid chariſtijs, cum Euchariſtia? Dicam. Voces hæ valdè propinquæ ſunt, & noſtra Euchariſtia, quantum ad nomen, non addit niſi aduerbium εὖ: appoſitum, vt puto, ad deſignandam ſacram & præſtantiſſimam conuiuij rationem, vt præ illa nihil fuiſſe videri poſſint Ethnicorum Chariſtia. Quod ſi rurſum mireris, chariſtia Græcis neutrius eſſe generis, Euchariſtiam noſtram fœminini; leuiſſimum id videri debet; nam & Cantic. 13. Concilij Niceni τὰ εὐχαριστήρια in neutro genere ponitur. Cęterùm, ſi rem ipſam ſpectemus, ego aliud in illo conuiuio iam dicto cernere non poſſum, quam vmbram quandam noſtræ Euchariſtiæ quæ ſacrum eſt conuiuium, vt Eccleſia vocat: nam hæc proculdubio Euchariſtia inſtituta eſt à Deo, ad mutuas querelas, & quotidianas offenſiones, quæ nobis cum Deo Patre, & cum proximis, quaſi cum fratribus noſtris intercedunt, terminandas prorſus atque extinguendas, quaſi inter domeſticos, ne in iudicium externum illæ quoquomodo veniant! Vnde Dominus concordiæ autor & amator, illam legem ſanctiſſimam in Euangelio inſtituit, alludens ad Euangelicā Euchariſtiæ menſam: *Si offers*, inquit, *munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, vade prius reconciliare fratri tuo, & poſteà offeres munus tuum.* Aderant præterea in illis conuiuijs concordiæ fautores: adſunt & in noſtra Euchariſtia Sacerdotes, qui Euchariſtiam conficiendo, atque diſpenſando, & eos, qui eam participare debent, à peccatis abſoluendo, quaſi quidam concordiæ conciliatores atque fautores intercedunt. Defunctorum quoq; animæ vocabantur

bantur ad illud conuiuium: noſtra quoq; Euchariſtia non tam pro viuorum, quam defunctorum peccatis expiandis, quo Deo planè reconcilientur, offertur: mittebant quoq; ad abſentes munera: & Euchariſtia, vt teſtatur Iuſtinus in Apologia pro Chriſtianis ad Antonium, abſentibus mittebatur, & hodie in vſum infirmorum mittenda aſſeruatur. Vides quanta ſit & rerum & vocum conuenientia: nolim tamen, vir eruditiſſime, vt notam illam mihi impingas quam magnum lumen Eccleſiæ Auguſtinus in lib. de doctr. Chriſtiana imprimit quibuſdam, qui fabulas Gentilium in allegorias vertebant: nec enim ego eo animo hæc adduxi; ſed vt tantum nomen Euchariſtiæ minimè abhorrere à ratione ſacrificij indicarem, atq; paganos inſcios planè, ac ignaros quædam ſimbola ſacrificiorum Angelis inſpirantibus vſurpaſſe in hoc ipſum, vt illis aſſuefacti minus admirarentur, cùm ad Euangelicam veritatem vocati, cernerent Euchariſtię menſam paratam illis omnibus, qui querelas, & animi acerbitates omitterent, vt ita primum Deo, deinde fratribus reconciliarentur. Hinc apud Græcos ignotum non eſt χαριστήριον θύειν, pro eo, quod eſt, per ſacrificium agere gratias: ſiuę pro beneficijs acceptis ſacrificare. In veteri verò Teſtamento, vocem hanc Euchariſtiæ

Leuit. 22. in eo ſenſu vſurpatum non inuenio: rem autem ipſam, hoc eſt. ſacrificium pacificum, pro obtinendo, ſiue pro iam obtento beneficio, interdum lego: vnde Leuit. 22. *Si immolaueritis*, inquit, *hoſtiam pro gratiarum actione Domino, vt poßit eſſe placabilis, eodem die comedetis eam*: vbi Græcè dicitur, ἐὰν δὲ θύσῃς θυσίαν εὐχὴν χαρμοσύνης, &c. hoc eſt, ſi ſacrificaueris ſacrificium, votum gratiarum: vbi etſi non ſit vox illa χαριστήριον, eſt tamen nomen, χαρμοσύνης, quod ab eadem verbi radice deſcendit. At in nouo Teſtamento, & rem ipſam, & vocabulum non eſt difficile inuenire: nam cum Dominus in cœna panem accepiſſet & gratias agens, ſiue benedicens (nam idem eſt omninò εὐλογήσας apud Marcum, quod apud Matthæum εὐχαριστήσας) hoc eſt, Euchariſtiam confeciſſet, & in ratione ſacrificij Euchariſtici Patri obtuliſſet, vt fides tradit Catholica, & nuper Concilium Tridentinum definiuit; inde ſanè profectum eſt, vt in nouo teſtamento Patres Euchariſtiæ nomine, gratiarum actionis ſacrificium intellexerint ſignificari: & vt alio teſtimonio oſtendam, idem eſſe gratias agere, & benedicere ſiue εὐχαριστεῖν, & εὐλογεῖν, habes in multiplicatione quinq; panum apud Matth. 14. quod Chriſtus benedixit, apud Ioan. 6. *Et cum gratias egiſſet*: quare quod tu ſcribis apud Apoſtolum te legiſſe, Calicem benedictionis, quem inter Deo immolata recenſet 1. Cor. 10. perinde eſt, ac ſi dixiſſet, calicē Euchariſtiæ Quod quo magis tibi comprobatum reddam, eiuſdem epiſtolæ locum produco, vbi apertè interpres benedictionem pro Euchariſtia reddidit; nam 1. Cor. 14 ita legimus: *Cæterum ſi bene-*

1. Cor. 14. *dixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ; quomodo dicet Amen ſuper benedictionem tuam?* ſiquidem quid dicas; non intelligit; tu autem benè gratias agis: ſed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrum linguis loquor. Sed malo quinq; verba in ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua. Vbi primum obſeruandum, Apoſtoli ſermonem eſſe de eo, qui benedicit in Eccleſia, ſiue gratias agit Deo. Deinde, vbi nos habemus; *Super benedictionem tuā*. Græcè habetur ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ: vbi vides, interpretem nomen Euchariſtiæ expreſſiſſe per benedictionem, Quod ſi apud te calix benedictionis, eſt quid Deo conſecratum atq; oblatum, quod ex literæ Paulinæ contextu, & orthodoxorum Patrum expoſitione perſuadetur, erit (opinor) & apud te, Euchariſtia nomen ſacrificij, Deo in gratiarum actionem oblati. Et hęc mihi ſatis ſunt ad oſtendendū, illas duas voces, ſacrum quiddam, atque Deo oblatum ſignificare. Illud tamen in tui gratiam addam (quod velim tuo eſſe ſubiectum iudicio & cenſuræ) Apoſtolum in poſtremo loco, quem adduximus, cùm ſcribit: *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper Euchariſtia tua*; locutum fuiſſe de ipſo ſancto Altaris ſacrificio; quod cùm aliqui peregrina celebrarent lingua, aſſiſtentes minus ædificantur, quod ea, quę dicerentur, non intelligerent: quod ex duabus coniecturis quidam contendunt elicere; altera eſt, quia ibi dicitur, Qui ſupplet locum idiotæ, vbi oſtenditur, miniſtros ab Eccleſia fuiſſe propoſitos ad reſpondendum Sacerdoti gratiarum actionis ſacrificium offerenti; quemadmodum presbytero modo celebranti, Diaconus, vt reſpondeat nomine Eccleſiæ, ſolet aſſiſtere. Nam quæ eſſet alia publica gratiarum actio in Eccleſia, prorſus ignoro: cùm tamen paulò infrà Apoſtolus recenſeat chariſmata conuenientium in Eccleſiam. *Cum conuenitis*, inquit, *vnuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſin habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant*. Vbi etſi mentio fiat eorum, qui donum canendi aut pſallendi habebant, aut doctrinam, qua hiſtorica geſta narrantes, quotidiano ſermone mores corrigerent, aut reuelationem myſteriorum futurorum, aut donum interpretādi obſcuriores ſcripturæ locos; nulla tamen mentio gratiarum actionis. Altera eſt, quod ſupplens locum idiotæ, reſpondebat Amen: ſi autem græcorum liturgias conſulas, quæ beato Iacobo, Magno Baſilio, atq; Chryſoſtomo inſcribuntur, apertè deprehendes, quòd vbi Sacerdos alta voce verba, quibus conficitur Euchariſtia pronuntiaſſet, totus populus acclamando, reſpondebat, Amen: tam in panis ſancti, quàm vini conſecratione, & præter eos idem teſtatur B. Martyr Iuſtinus, in loco ſuperius allegato atque B. Ambroſius in lib.

B. Ambroſ. de Sacramentis: itaq; vel populus ipſe reſpondebat, Amen, vel is, qui locum illius ſuſtinebat. Ex illa igitur reſponſione colligimus, non eſſe mentionem apud Apoſtolum de quacunque ſimplici

gratia-

gratiarum actione, ſed de illa, quæ cum ſacrificio Altaris coniuncta erat: nam illa publice in Eccleſia celebrabatur, & illi omnes aſſiſtebant, & malebat Paulus vt patria potius, quã peregrina, & quæ non caperetur lingua, propter eorum, qui aderant, ædificationem celebraretur. Nam & hodie ſi quis in Eccleſia Latina, alia Lingua ignota, & omnibus etiam viris doctis prorſus incognita, & non Romana; ſimiliter ſi quis in Eccleſia Græca alio ſermone minus noto, & præter morem inuecto, publice ritum Miſſæ peragere tentaret; proculdubio aſſiſtentes offenderet nouitate ſua; aut ſaltem non ædificaret; cum ea quæ dicuntur, capere non valeant. De his loquitur hoc in loco Paulus, neque propterea tamen voluit vti patria cuiuſque nationis lingua Miſſa, ſacrave Scriptura, coram populo legatur; vt in aliud vergentes extremum, hæretici noſtri ſeculi docent: & contra Apoſtolum videretur ſentire, qui hoc loco indicat fuiſſe quendam, qui pro idiotis, id eſt, publico magiſtratu non fungentibus, & omnia quæ dicuntur, non plene recipientibus, reſpondebat, Amen; necnon contra eundem Apoſtolum, qui in hac eadem epiſtola inquit, conſuetudini Eccleſiæ ſtandum eſſe. Nos talem, ait, conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Publicam igitur conſuetudinem in Eccleſia Occidentali Latine celebrandi; vel Græce in Orientali, nemo priuata autoritate debet inuertere; ne ſchiſma ſerere videatur: quæ ſi vera ſunt, vt mihi non improbabilia certe videntur, habes Euchariſtiæ vocem vſurpari pro ſacrificio Miſſæ, etſi interpres per benedictionis nomen verterit. Hæc ſunt, quæ bona fide mihi tuis dubitationibus perſcribenda occurrerunt; vt quemadmodum apud Hebræos Miſſa à Græcis Liturgia; & à Latinis hoſtia, & ſacrum conuiuium, & ſacrificium Miſſæ, & victima Altaris nuncupatur; quæ omnes voces à ſacrificij ratione non ſunt alienæ, ita nec Euchariſtiæ vocabulum. Cum primum occurres D. Abbati Portio, fac vt illum ſalutando meo nomine, me illi quam commendatiſſimum reddas. His diebus diuerterunt ad nos duo Sacerdotes, & morum ſanctitate, & doctrina præſtantes, quorum alloquio, & præſentia mirifice ſum exhilaratus, qui cum mihi aliis de cauſis commendabiles extiterint, hoc etiam nomine, quod tui ſint compatriotæ, & à te pro eorum meritis maxime diligantur, mihi quoque fuerunt chariſſimi; quam primum illos inuiſere tibi dabitur, plurimam eis ex me imperties ſalutem. Ridebis fortaſſe Laconiſmum meum: verum pro tua prudentia perſpicito, quid Poeta quidam dixerit: *Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis.* Bene vale in Chriſto. Neapoli 16. Februarij, Anno 1572.

Quod in lege diceretur peccatum ex ignorantia, & quod ex contemptu declarat, & quæ peccata eſſent ſacrificiis expiabilia, & quæ non, ac dubia quædam circa hæc diſſoluit.

Domino Doctori Aſtudillo

Alfonſus Salmeron è Societate Ieſu S.D.

FATEOR peccatum meum, quod literas tuas priores in latebras quaſdam ſe abdere permiſi, ex negligentia, vel, ſi velis, ex obliuione, ſeu inconſideratione, fuiſſe profectum; iam ſi poſteriores ſimili errore perire, vel ſe ſubducere paterer, deliquiſſe me per ſuperbiam, ſiue ex contemptu exiſtimarem, neque dignus eſſem tuas in poſterum amplius accipere. Quoniam igitur tuis interrogationibus modum vllum non ponis, ſed adhuc vrges, vt meam explicem ſententiam, quæ ſint peccata ex ignorantia, & quæ ex ſuperbia, vel contemptu, non grauabor iterum de his latius diſſerere, & ea quæ mihi nunc occurrebant ad nodi propoſiti diſſolutionem, tibi communicare: fortaſſis enim cum in hanc quæſtionem ſerias animi cogitationes impendimus, illud poſſet nobis contingere, quod dici ſolet: *Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.* Dicam igitur primum quid ſit peccatum ex ignorantia, & quid ex contemptu, vel ſuperbia; deinde, quæ peccata legis ſacrificiis expiabilia eſſent, & quæ non, quantum poſſum coniectura aſſequi, declarabo; poſtremo ad propoſitas dubitationes tuas breuiter reſpondebo.

Vt primum expediam, video magnam lucem ex cap. 15. Numerorum; ſi cum illo Leuitici 4. & 5. conferatur, inuectam eſſe ad intelligendum quod quærimus: nam in primo illo loco explicantur, qui ſint illi, qui peccant per ignorantiam, & qui rurſus per ſuperbiam, qui iubentur perire de populo ſuo; & iniquitatem ſuam portare, vt ibidem ſtatuitur. In ſuperiori quadam mea ad te epiſtola, cum hoc idem ſaxum voluerem, explicaui, peccatum ex ignorantia, illud eſſe, quod in cæremoniis tantum legis obſeruandis, ex humana inconſideratione, vel obliuione admittitur, non autem cum quid ignoranter committitur, vel in Decalogum, ſiue præcepta Dei moralia, ſiue in proximum, quæ præcepta iudicialia vocantur: atque hoc nobis manifeſte porrigere videtur

Num. 15. prædictum 15. cã. Numer. vbi ſic legimus: *Quod ſi per ignorantiam præterieritis quicquam horum, quæ lo-*
cutus eſt Dominus ad Moyſen, & mandauit per eum ad vos à die qua cœpit iubere, & vltra, oblitaque fuerit fa-
cere multitudo: offeret vitulum de armento, &c. Vbi primum expendo illud verbum; *Si præterieritis*
quicquam horum: quod verbum aperte indicat, referendum eſſe illud præceptum ad ea ipſa, de qui-
bus tunc habebat ſermonem. Et autem illi ſermo de ſacrificijs & cæremonijs poſt ingreſſum
Terræ promiſſæ ab eis obſeruandis; nam lex Moyſi eos non arctabat, quamdiu in deſerto pere-
grinarentur, vt bis in eodem Cap. paullo ante dicitur: *Cum ingreſſi*, inquit, *fueritis terram habita-*
tionis veſtræ quam ego dabo vobis. Et iterum: *Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, &c.* vnde quod
poſt hæc præcepta de peccante ex ignorantia, vel ſuperbia, ſubijcitur, inuentum fuiſſe quendam
Iudæum violatorem Sabbati, de quo conſultus Dominus, dixit ad Moyſen: *Morte moriatur homo*
iſte: obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra, etiam ſi ſecundum ordinem hiſtoriæ tunc factum
illud non contigerit, vt quidam annotarunt, conſulto tamen ibi poſitum fuit, vt Sabbati viola-
tio etſi quatenus cæremonia quædam erat, certum diem diuino cultui præſcribens, eo tempore
non obligabat: tamen, quatenus morale præceptum includebat, & per Angelum in monte Sina
cum reliquis Decalogi præceptis fuit pronuntiatum, ad ſui obſeruationem omnes arctabat. Sed
Leuit 4. hæc obiter. Vbi ergo ſermo erat de præceptis non moralibus, ſed ad cæremonias & ritum ſpectan-
tibus; quemadmodum etiam cum Leuit. 4. de his præceptis, & ritibus expiandi peccata per igno-
rantiam admiſſa, non enim de cæremonijs prius agebat. Redeo ad Domini verba: in quibus ſe-
cundo obſeruo quod ait, Horum quæ locutus eſt Dominus ad Moyſen; vbi plane excluſit Deca-
logi præcepta, quorum ignoratio aut obliuio in iudicio præcepit Dominus locutus eſt. Vt interim
ſilentio omittam, impoſſibile eſſe, totum populum, vt ſermo Moyſi ponit, vel præcepta Dei mo-
ralia ignorare, vel contra illa peccare, & totius populi in legem Naturæ peccantis non erat pœna
facere ſacrificium, ſed in pleriſque ſupplicium mortis decretum erat. Nam ſi quis deos coleret a-
lienos, vel Deum blaſphemaret, vel Sabbatum violaret, vel proximum occideret, aut eius vxo-
rem adulteraret, aut denique falſum teſtimonium in alium ferret, mortis pœna mulctabantur.
Rurſus quæ contra iudicia in proximum peccantur, non erant ad peccatum ex ignorantia refe-
renda, quis enim in proximo offendendo ignorationem obtendat? cum lex illa Naturæ obſtat:
Quod tibi oderis fieri, alteri ne facito. Quomodo igitur vnus aliquis, ne dicam, totus populus,
aut Princeps, aut Pontifex, qui leges ſunt animatæ, & peritiam legum omnium in ſcrinio pectoris
habere dicuntur, peccare poterant per ignorantiam contra præcepta quæ ad proximum ſpecta-
bant? Rurſus, eiuſmodi peccata nequaquam aliquo ſacrificio expiabantur, niſi parte læſæ ſatisfie-
Leuit. 5. & 6. ret, de qua ſatisfactione habes duo præcepta, alterum Leuit. 6. alterum Numer. 5. Neque tamen
propterea aſſeruerim, aut per negligentiam, aut per ignorantiam, aut per vehementem animi im-
petum, ſiue in Decalogum, ſiue in proximum interdum peccari non poſſe: quis enim id negare va-
leat, qui naturæ humanæ imbecillitatem, aut in malum procliuitatem exploratam & compertam
habeat? ſed eiuſmodi delicta rationem illam expiationis aſſignatam Leuitic. 4. & 5. & Numer. 15.
non habent, quæ tamen deſeruit erroribus expurgandis in cæremonijs legis perficiendis, quo-
niam ſua multitudine facile memoria excidere poterant, aut negligentia omitti, aut per inconſi-
derationem aliter effici, quam præſcripta eſſent: nam in his facilior erat Dei indulgentia, ſicut et-
iam homo ad peccandum propenſior. Quoniam ergo hæc peccata ex ignorantia contra Deca-
logum vel officia quæ proximo debemus, non erant, ſed contra cæremonias & ritum Deum co-
lendi, in quibus ſolus Deus offendebatur, nihil autem noſtris peccatis Deo auferre poſſemus, vt
illi quicquam reſtitui aut poſſet, aut deberet; ideo recte quod in obſeruantijs ſibi debitis omiſſum
erat, per alios ritus & obſeruantias reſarciri voluit: inter quas cum præſtet ſacrificium, merito vo-
luit ad expiationes huiuſmodi peccatorum ſacrificia inſtituere. Ex his iam probe intellectis aſſur-
gimus ad notionem peccati per ſuperbiam, ſiue per contemptum apertius accipiendam. Erat e-
nim per oppoſitum peccatum, quod ex certa ſcientia & affirmata voluntate contra cæremonias
legis fiebat, ſpernens & ipſas ceremonias, & ipſarum legiſlatorem Deum; hoc eſt enim peccare
per ſuperbiam, & rebellem ſe Deo præſtare, quemadmodum hæretici perfricta fronte veritatem
agnitam impugnantes apud nos faciunt; nam huiuſmodi hominibus nullum erat reliquum ſacri-
ficium ad expiationem, ſed morte erant plectendi, ac de medio tollendi, ſi idoneis teſtibus con-
uincerentur: ad quod alludens Paulus, & hanc legem veluti explicans, dixit ad Hebr. 10. Volun-
tarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.
Et infra: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur. Quanto*
magis, &c. Ex cuius verbis elicio, quod ait Moyſes, peribit de populo ſuo, intelligendum eſſe, ſi cri-
men per propriam confeſſionem, vel per teſtes fide dignos conſtiterit: quod ſi per magiſtratus
non lueret pœnas debitas ita peccans, non poterat tamen longas manus vindicis diuinæ iuſtitiæ
euadere, niſi forte de peccato reſipiſceret ſuo.

Habes

Habes hactenus quale ſit peccatum ex ignorantia, & quale per ſuperbiam: ſed iam ſecundum præſtemus, & generalem ſubducamus rationem, quę peccata poſſent ſacrificiis expiari, & quę non: nam etſi id ex dictis facile deduci poſſet, tentabo tamen, quo tibi magis ſatisfaciam, rem diſtinctius & dilucidius explicare. Hominum igitur delicta talia ſunt, vt illis aut Deus aut proximus directe offendatur. Si igitur in Deum, ſiue in primam Decalogi tabulam, recta quis delinqueret, non erat vllum ſacrificium offerendum à lege præſcriptum, ſed per fidem & contritionem, ſi erat occultum peccatum, remittebatur: ſi vero eſſet publicum & manifeſtum, legis pœna inferebatur ſtatuta: mortis quidem, ſi coluit deos alienos vt Deut. 13. ac 17. decernitur: vel ſi blaſphemauit nomen Domini, vt ſancitur Leuit. 24. vel ſi violauit Sabbatum, vt ſtatuitur Num. 15. ſi vero peccatum eſſet quidem in Deum, ſed non in præcepta primæ tabulæ, ſed in cæremonias & obſeruantias, quibus ritus & honor externus colendi Deum definitus, ac præſcriptus erat: diſtinguendum eſt: aut enim per ignorantiam id contingebat, aut per ſuperbiam & contemptum. Si primo modo, his ſacrificiis expiabantur eiuſmodi delicta, quæ Leuit. 4. & 5. & Numer. 15. explicantur: ſi vero quis per ſuperbiam & legem contemnens, ſeque rebellem Deo præſtans agnitam veritatem impugnaret, iſte morte plectendus erat, vt hac lege quæ habetur Num. 15. explicatum reddidimus. Habes iam de peccatis in Deum admiſſis ſententiam noſtram. Audi iam de peccatis quæ contra proximum fiunt. Nam eiuſmodi crimina talia erant, vt morte, vel membri detruncatione, vel flagellatione digna exiſterent, & in hoc euentu nullum ſacrificium offerebatur; ſed pœna in lege decreta infligebatur. Si vero eſſent peccata quæ indigebant reſtitutione, ſicut in furto, vel damno quocunque illato, & in iudicium ad magiſtratus deferrentur, ac teſtibus idoneis comprobarentur: condemnatio ad aliquod ſacrificium nunquam fiebat, ſed ad reſarciendum damnum, vel ad reſtituendum res ablatas: vel ad maiorem ſummam, iuxta diuinæ legis ſanctiones, quæ habentur Exod. 21. & 22. vbi dicitur: Si quis furatus fuerit bouem aut ouem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boues pro vno boue reſtituet, & quatuor oues pro vna oue: perſimiles huic aliæ leges ibi feruntur. Si vero ſecus ageretur, hoc eſt, extra iudicium, quia is, cuius bona erant furto ſublata, aut damno aliquo ſiue iniuria affectus prorſus ignorabat offenſorem, vel quia legitime in iudicio probare non poterat: tunc ſi offenſor ad mentem rediens doleret, & pro conſcientia vellet ſatisfacere, reſtituebat quidem ablata, & quintam partem inſuper, & offerebat arietem pro peccato: atque in hoc facto c. 6. Leuit. in princ. loquitur: *Si anima, inquit, quæ peccauerit, & contempto Deo depoſitum proximi negauerit, &c.* Rurſus Num. 5. *Vir ſiue mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint: confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintamque partem deſuper ei, in quem peccauerant. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, & erit Sacerdotis.* Quod ſi obiicias: Ecce in peccato quod in proximum committitur, Deo contempto, inueniri ſacrificium. Reſpondeo, dupliciter accipi contemptum, large quidem, quatenus in omnibus præceptis eſt quidam contemptus interpretatiuus Dei, etiam cum in proximum delinquitur: & ita interpretandus eſt locus Leuit. 6. vbi homo ex cupiditate depoſiti, aut ex vindictæ impetu damnum infert in proximum, non autē ex formali contemptu ipſius Dei, aut legis ſuæ, ideo eius recipitur ſacrificium ad expiationem: alio modo ſtricte, ac proprie accipitur contemptus, cum animus male affectus, impie de Deo ſentiens, & legem, & legiſlatorem ipſum Deum irridet, vel conculcat, hic enim cum deſtructionem legis ſponte machinetur, & nulla legis ignoratione, aut animi perturbatione excuſabilis reddatur, ſed ſuperbia & obſtinata voluntate bellum Deo indicat, iuſte pœna mortis in eum decernitur, & ſacrificium pro eiuſmodi peccato expiando nullum ſtatuitur. Explicaui quę & qualia peccata expiationem in lege ſuſciperent: conciliaui locos Scripturæ diſſidentes, iam accingar ad duas dubitationes euacuandas. Deut. 13. Leuit. 24. Num. 15.

Prima erat, num omnia peccata per ſacrificium expurgari poſſent, quibus pœna capitis lege non decernitur. Minime vero, nam peccans in primam Decalogi tabulam, & colens in corde ſuo Deos alienos, vel tacite nomen Domini blaſphemans, vel ſecrete Sabbatum violans, his pœna mortis nō ſtatuebatur: imo etiamſi publice admitterentur eiuſmodi delicta, & idoneis teſtibus comprobari non poſſent, peccata quidem erant grauiſſima, vltimo tamen ſupplicio plecti non poterant; & tamen nulla victima ad eorum expiationem propoſita eſt. Dices, ergo huiuſmodi peccata remitti non poterant. Nequaquam id conſequitur: non enim recte quis inferat, Non expiatur hoc delictum, per ſacrificia legis: ergo nullo modo remitti, aut expiari poterant: quia per pœnitentiam & fidem remiſſionem accipere poterant & idem remedium ſupererat peccanti per ſuperbiam, & ſponte neganti obſeruandas cæremonias, & contemnenti Deum & leges eius; ſi forte iudicum manus euaderet, & pœnam à lege ſtatutam eluderet.

Ad ſecundam tuam de peccato Pontificis interrogationē, an videlicet liceret pro ſuo peccato facere ſacrificium quocunq; tempore? Reſpondeo; illum ad leges ſibi peculiariter traditas obſeruandas arctari, & præſertim vbi per ignorantiam in aliqua legis cæremonia deliquiſſet, vt Leuitic. 4. ſancitur: ſi vero ipſe per ſuperbiam delinqueret in Deum inſurgens, & legem eius contemnens,

aut in proximum, negando depoſitum, aut aliquid per vim extorquendo, aut calumniam inferendo, aut ſimile quid aliud faciendo, cum in his lex Pontifices ſiue Sacerdotes non exciperet: crederē illos eiſdem legibus, cogi ad expianda ſua crimina perinde atque priuatum quenquam, ſi ſimiliter peccaſſet, aut ad ſubeundam mulctam à lege ſtatutam, ſi coram iudicibus res eſſet tranſigenda, imo peccatum Sacerdotis ſiue Pontificis eo magis ſupplicijs à lege interminatis mulctandum erat, quo tale eorum delictum latius in aliorum perniciem exemplo ſuo ſerpere poterat.

Tertia tua interrogatio fuit: Num Sacerdos peccato contaminatus ſi ante impetratam remiſſionem delicti ſacra attingeret, nouum peccatum contraheret? Cui dubitationi non dubito promptum poſſe adhiberi reſponſum. Non ignoras, commune decretum fuiſſe ac generale, vt nemo pollutus ſiue contaminatus ad ſacra participanda, ſiue attrectanda accederet: hinc qui polluti erant, decimaquarta menſis primi cum non poſſent phaſe edere, in decimamquartam ſequentis menſis iubentur paſcha protrahere, vt interim purificati illud ederent: vt habes cap. Num. 5. certe hæ leges & perſimiles aliæ multo magis afficiebant Sacerdotem, quam alios: hinc in templo tot Luteres & mare æneum, in quibus Sacerdotes à ſuis immunditijs abluebantur & expiabantur, vt recte adminiſtrare, & ſuo officio defungi valerent, & aliorum expiationem operari. Non ignoras ad ſacram participandam Euchariſtiam perinde ab omni peccato expiatum eſſe debere Sacerdotem atque laicum, & non minus imo grauius immundum Sacerdotem celebrantem, & ſacra participantem delinquere, quam delinquat ſimplex laicus non ſine crimine ad ſacram menſam accedēs, quare tam in veteri quam in nouo teſtamēto exploratum eſſe debet, nullum Sacerdotem pure ac legitime ad ſacra contrectanda accedere, niſi eſſet ab omni labe & ſorde peccati purificatus. Habes quod reſpondendum ſe mihi obtulit ad tuas propoſitiones. Dices fortaſſis, me nonnihil ab ea ſententia, quam aliis meis literis ſignificaueram, receſſiſſe, in quibus dixeram, ſacrificium pro peccante per ſuperbiam & contemptum dari poſſe, & hoc magis tum diuinæ magnificentiæ, tum noſtræ indigentiæ conſonare: in his vero aſſero, eiuſmodi peccato per ſuperbiam & contemptum in Deum nullam ad expiationem ſupereſſe hoſtiam. Sed vt puto ipſe mihi non contradico. Nam ſuperbia qua quis in proximum delinqueret, negando depoſitum, aut quippiam extorquendo, aut calumniam faciendo, etiamſi peccat, non ignoraret ſe contemnere legem Dei, ſacrificium tamen quo eiuſmodi peccata expiarentur, Dominus inſtituit Leuit. 6. & Num. 5. At ſi quis per ſuperbiam in cæremonias delinqueret, illis aperte contradicens, illaſque contemnens atque deſtruere contendens, profecto huiuſmodi ſuperbiæ & contemptus flagitium, de quo loquitur Dominus Numer. 15. nulla expurgabatur victima, ſed eius autor morte violenta plectendus erat, vt ex hac diſtinctione facile percipi poſſit, qualis ſuperbia eſſet inexpiabilis & qualis remiſſione digna. Qualis item diuinæ contemptus legis morte eſſet plectendus, & qualis etiam diuinam promereretur miſericordiam. Quod ſi adhuc mihi ipſi quoquomodo repugnare tibi videor, habes vnde me pluris facere debeas, vt pote magis veritatis quam mei ipſius amantem: Nec hæc omnino aſſeuerare audemus, niſi poſtquam tuo acerrimo iudicio prius fuerint expēnſa, atq; probata, aut, quod mihi gratum eſſe ſolet, tua caſtigatione fuerint limata, ac perpolita. Miror vehementer, te, virum magna prudentia præditum probare ea quæ Pater Tuccius pro illis canonibus Apoſtolorum, & epiſtolis Pontificum ſcripſit, & tamen cum libros illos aut epiſtolas legis, aſſeris, omnem tibi de illis exiſtimationem animo labi, & horrere tibi, tanquam incultas ac frigidas: nam quid hoc aliud eſt, quam ex rectis principijs collectam concluſionem negare? Obſecro te, vt in memoriam reuoces primitiuam illam Eccleſiam, quæ vt veſtitu & opibus externis abiecta erat atque contempta, ita humili, & de media plebe deprompto ſermone, quo Chriſti gloria magis inclareſceret, libenter vſam fuiſſe. Et ita horrida illa iudicabis eſſe cultiſſima, & quæ frigida exiſtimas, magnum diuini ſpiritus calorem ſpirabunt. Nam lege obſecro, Euangelicos & Apoſtolicos codices, & adime illis ſummum autoritatis pondus, quo præditi ſunt, nihil illis videri poterit contemptius atque humilius, quæ ex veteri producunt Teſtamento, dura frigida, & ad rem nihil facere, hominis fide deſtituti, vt Porphyrius & Iulianus iudicârunt: Cum tamen nihil ſit illis neruoſius, aut ſucculentius, nihil denique fortius, & ad rem magis faciens. Sed de his alias. Iam libet tecum expoſtulare, quod leges amicitiæ violaſſe mihi videaris: cum enim proximis diebus grauiſſimo præcedente examine ampliſſimum canonicatum Hiſpalenſis Eccleſiæ magna cum tua laude ſis conſecutus; debebas profecto, ſi me amabas, huius tanti tui honoris, & ad altiorem gradum promotionis participem efficere, acerbum enim mihi viſum eſt, vt cum hæc omnia ad multorum communium amicorum aures peruenerint, qui non ignorant frequentes me abs te literas recipere, huius rei ne verbum quidem abs te accepiſſe. Sed vtcunque te expurgare volueris, diluta prorſus & euanida erit apud me omnis ſatisfactio tua. Interim vale; & pro me ad Deum preces fundere, ſi vis mihi plene eſſe ſatisfactum, ne dubita. Neapoli 18. Iulij.

Ad eundem de eadem re.

NON minus eleganter, quàm vere, dictum eſt à Salomone; Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici ſui: & Euripides pulchre dixit: *ὁμιλία ἔπεκε τέχνας*, tuis acutis & ſucculentis literis excitatus ſum, vt ſcripta mea diligenter relegens, vel corrigam vel vt tu modeſte ſignificas, limatiora, & firmiora reddam: quamobrem vbi opus eſſe videro, haud grauate id facere conabor, & ſi quid mihi imprudenti in ſcribendo excidit, & ingenue agnoſcam, & candide profitebor: non enim ignoro mutuæ huius noſtræ ſcriptionis fructum alium non eſſe, quam ſuauem quandam ſacrorum ſtudiorum communicationem. Et quoniam de poſterioribus duabus quæſtionibus concors eſt atque vna inter nos ſententia: accedam ad primum caput diſputationis, in quo ego, quam diſſererem, nonnihil aliud tu deſiderare videris. Notas primo loco, cum ſcripſi: *Supereſt vt ſacrificia quæ ibi Dominus inſtituit pro peccato ignorantiæ admiſſo, intelligantur de præceptis ad cæremonias ſpectantibus*: Scribis igitur, ab ignorantia, de qua propoſueram, tranſiſſe me ad ſacrificium pro peccato. quæ non ſatis tibi cohærere videntur. Sed profecto non ſatis aſſequor, vnde hoc valeas colligere: Nam cum ego in eo potiſſimum verſarer, vt explicarem quid eſſet peccatum ex ignoratione admiſſum, ac aſſererem; ignorantiam in præcepta moralia, quæ lex ipſa naturæ ſatis prædicat: vel in præcepta quæ iudicia continent, cadere non poſſe; quoniam à peccatis, quibus homo proximum offendit, non abſoluitur, niſi pro ratione offenſæ quoad poteſt ſatisfaciat, & lege quoque naturæ quiſque admoneri valeat, vel illo communi præcepto: *Quod tibi oderis fieri, alteri ne facito*: equidem non inepte intuli, ignorationem tantum in præcepta quæ cæremonias, & ſacrificandi atque expiandi ritus tradunt, incidere potuiſſe: quod verbis ſubſequentibus confirmaui, ſubdens: *Quia innumeræ erant rationes in lege præſcripta contrahendi immunditias, & plurimi ritus ſe ab illis expurgandi. Et in illis non tantum priuatus quiſque, ſed & princeps, atque adeo totus populus errare per ignorantiam poterat.* At in his quæ ſunt primæ tabulæ Decalogi, vel ſecundæ, nulla poterat à principe, vel toto populo obtendi ignoratio, ac facile erat mandata de non tangendo cadauere, vel non contrectando morticinio, & ſimilibus, per obliuionem violare, aut poſtquam recordatio eorum ſubibat animum, & proponebant ritu præſcripto ſe expiare, iterum per inconſiderationem delinquere, aut templum ingrediendo, aut ſacris ſe immiſcendo: quare ob ſimiles, qui frequenter accidere poterant errores, qui res mere poſitiuas & Dei voluntatem ſpectabant, Deus leges tulit, quibus huiuſmodi ignorantiæ maculas ablueren t. Fuit ergo ſenſus meorum verborum apertus & perſpicuus; quare mirari non debebas, ſi in peccato ex ignorantia, contraheretur pollutio ſiue immunditia, ſi interdum etiam cum merito id accidebat. Nam ſepelire mortuum, illumque contingere, opus erat charitatis, nec tamen ſine legis contracta immunditia tangebatur cadauer. Non igitur ego coniunxi, quæ Scriptura, & ratio ipſa coniungi docent. Miraris etiam, quod pollutionem cadere poſſe in totum populum dixerim, quaſi impoſſibile id exiſtat. Sed ego potius admirationem tuam admirari debeo: Cum enim Dominus Leuitic. 4. inſtituat ſacrificium vituli pro peccato omnis turbæ filiorum Iſrael, cum per ignorantiam, vel per imperientiam aliquid fecerit; & Num. 15. vbi eſt ſermo de offerendis primitijs panis, ait Dominus: *Oblitaque fuerit facere multitudo, offeret vitulum, &c.* ſatis erudimur, talem legem Deum; qui ſumma ſapientia eſt, nunquam laturum, niſi facile poſſet accidere. Quod enim ſi exercitus integer mortuorum cadaueribus expoliandis incumberet, nonne totus delinqueret, & pollutionem incurreret? Nonne Principes Sacerdotum cum toto populo Iſrael necem Meſſiæ deſignarunt, & magnis clamoribus à Pilato illam poſtularunt? Adhæc quid ſi principes & totus populus diem ſacram, in qua eſſet ab omni opere ſeruili ceſſandum, aut ſacrificando violaſſent, atque oblationem pro toto populo inſtitutam omiſiſſent, nonne hic totus populus deliquiſſet, & ſanctificari indiguiſſet? vt egregie docet Epiſcopus noſter Abulenſis. *Leuit. 4.*

Secundo vrges; num ſacrificium pro peccato, quodcunque illud exiſtat, in præceptis annumerandum ſit, an vero liberum potius & voluntarium: in quam ſententiam propendere videris: Quia non recte, vt ais, conſequitur, Hoc Deus inſtituit; ergo & præcepit; conſtat enim, holocauſta pacifica, ſiue votiua ſacrificia, inſtituta Dei eſſe, ſed minime niſi volentem arctare. Verum hoc facile diluitur, hoc enim argumentationis genere, ſi recte & attente mea legeris, minime vſus ſum. Erat quippe mihi exploratiſſimum, communionem ſub vtraque ſpecie, conſilia Euangelica, atque adeo coniugium ipſum, Chriſti eſſe inſtituta, minime tamen in præceptis collocanda, ſed liberam habere pro hominum voluntate obſeruantiam. Cæterum in re propoſita de ſacrificiis pro peccato, recte colligitur aliunde eorum neceſſitas & obligatio. Cum enim innumera prope eſſent legis præcepta, in quibus vel per ignorantiam, vel per obliuionem, vel per inconſiderationem facile peccari poterat: præterea cum natura ſimus ad peccatum procliues; adeo vt teſte Apoſtolo, lex ſubintrauerit, vt abundaret delictum, & per eam ſupra modum factum ſit peccans peccatum: ſi quis fortaſſis in quampiam incidiſſet pollutionem, & ab ea legitime vellet expurgari,

gari, nulla erat alia legitima via, niſi per ſacrificia ad hoc ipſum à Deo inſtituta : Cum igitur non eſſet iuſtus quiſquam, qui faciat ſemper bonum, & non peccet; in præcepto erant eiuſmodi ſacrificia, & vt tu recte expendis, non fiebat ſine ſanguinis effuſione remiſſio, quemadmodum pro certa aliqua delicti ratione, certum aliquod erat ſacrificandi genus lege præſcriptum. Simili namque ratione Euangelicam confeſſionem præceptam eſſe in nouo Teſtamento, tradit Concilium Tridentinum, cum tamen iuſtos, & eos qui non peccauerunt, non arctet, ſed tantum peccatores. Talis fuit mea ratiocinatio, ſi diligenter illam perpendas. Addam & illud; votiua ſacrificia & holocauſta, quæ tua ſententia, mere libera erant inter voluntaria, & dum præcepti fuiſſe, vt quum quis ſe voto aut iuramento ad illa obſeruanda obſtrinxiſſet; aut cum quis inſigne aliquod à Deo obtinuiſſet beneficium, vt inſperatam victoriam de hoſtibus, aut ſanitatem, quam pro deplorata habebat, aut ſupra naturæ ordinem filium obtineret, aut deniq; ratione peculiaris ſtatus quem profitebatur, vt Sacerdos, princeps, ſiue Iudæus quiſque qui in die phaſe ſacrificare agnum tanquam hoſtiam pacificam lege cogebatur, quemadmodum in Euangelio quę ſunt per ſe & ſimpliciter conſilij & perfectionis iuſtitiæ, vim habent interdum pręcepti, & ad ſui arctant obſeruantiam: vt tu, vir ſapientiſſime, non ignoras.

Tertio, videris meam annotationem de ſacerdotibus, non ea qua à me expoſita eſt ratione accepiſſe: dixi enim, eo in loco Leuitici, dum ſacrificia pro peccato inſtituuntur, priuato cuique ac
Malach. 2. principi, atque adeo toti populo ignorationem tribui, nequaquam autem peccanti Sacerdoti: quia cum ſit diuinæ legis ad populum interpres, & vt ait Malach. ca. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt*: ignorantia in eum cadere non debet: non propterea tamen affirmaui cadere non poſſe, cum idem Propheta teſtetur: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam & ego te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: & ad Hebræos 9. Apoſtolus de ſummo verba faciens Sacerdote, ſcribit, In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex intrabat non ſine ſanguine, quem offerret pro ſua, & populi ignorantia: & nos plus ſatis experimur, Sacerdotes imperitos, & rerum ſalutarium ignoratione refertos. Quia tamen in iure pro ſcientibus haberi ſolent illi, qui cum ſcire poſſint quæ ſui muneris ſunt, ſuo tamen vitio ignorant: ita & Sacerdotes, populi inſtitutores atque magiſtri, ſi legis præcepta & monita ignorent, pro ſcientibus tamen habendi
Luc. 2. ſunt. Et ita intelligo verba Lucæ, dicentis: *Seruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non ſe preparauit, & fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Vbi per cognoſcentem domini voluntatem, cum intelligo miniſtrum Chriſti, qui ex officio iniuncto cognoſcere debuit, nec tamen vt illam cognoſceret, operam dedit, nec ſe ad illam cognoſcendam præparauit, vnde illam non faciens dignus eſt plagis multis: per eum vero qui non cognouit, intelligo illum, qui ad Dei voluntatem agnoſcendam, & alijs prædicandam peculiari vocatione non fuit aſtrictus, vnde & faciens digna plagis, vapulabit paucis: nec hæc mea fuit illius
Origenes. loci obſeruatio, ſed multorum ante me. Nam Origenes pertractans illud: *Si Sacerdos peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino*: *Obſeruandum eſt*, inquit, *quod in peccato Pontificis legislator non addit, quod ignorans, aut nolens peccauerit: neque enim ignorantia in eum cadere poteſt, qui vt doceret cæteros prouectus eſt.* Sic ille.

Poſtremo, quæ obiter vno aut altero verbo, & veluti per tranſennam ſcripſi, pro peccato voluntario, ſiue ex malitia commiſſo, nullum fuiſſe in lege expiatorium ſacrificium, quod ex quorũdam ſententia annotatũ etiam in meis Biblijs habebam, non ſatis attente me ſcripſiſſe agnoſco, et ã ſi quidam ex noſtratibus, qui commentaria in Pentateuchum edidit, illam tueatur. Neque rationes eorum qui ſecus opinantur, firmæ ſunt, aiunt enim primo, peccata quæ prudenter, ſponte, & ex animi deliberatione committuntur, talia per magiſtratus publicos puniri. Sed quid ſi tale peccatum ſecreto admiſſum ſit, vt in iudicium produci nequeat, cum teſtibus careat? qua ergo ratione expiabitur peccatum hoc? Deinde vt maxime demus eiuſmodi crimen in iudicium prodire, quid ſi muneribus corruptus iudex non rectam ferat ſententiam, aut reus per fugam ſibi proſpiciat? Adhæc, etſi maxime iudex recte pronuntiet & reus debitas luat pœnas, poterit quidem illa correptione ſatisfacere peccato, quod ad externam rempublicam attinet, cuius pacem violauit: at quomodo tale peccatum expietur coram Deo per illam, non liquet, niſi ille aliunde fidem, contritionem, & patientiam adferat. Deinde non valet quod aiunt, in decima die menſis ſeptimi quę propitiationis dicebatur, eiuſmodi peccata per afflictioné animæ & contritionem purgari: quia non minus illo die, quã alijs, in quibus certa pro iniquitatibus offerebant ſacrificia, peccata expiabantur: quibus ſi accederet fides Meſſiæ, & de peccatis dolor, proculdubio certã habebant remiſſionem apud Deum, nõ tamen vnius ſine altero, cum in auerſione peccata ſimul ſint coniuncta. Dicet quis, Quorſum ergo inſtituta eſt dies illa propitiationis ſeptimi menſis? Reſpondeo, ad expianda omnia peccata, ſiue occulta, ſiue externa, ſiue propria, ſiue aliena, pro quibus vel non potuerunt, vel non debuerunt peculiaria inſtitui ſacrificia, pro quibus omnibus ſacrificia publica indicta erant, & afflictio animarum præcepta: vt ita Dominus cauſam haberet remittendi. Quare magis cenſeo ſobrium

eſſe,

eſſe, & Scripturæ conſonantius aſſerere, Deum etiam pro peccato ex infirmitate & malitia hoſtiam inſtituiſſe, quemadmodùm tu ex c.6.Leu. optimè demonſtras. Nam anima, quæ contempto Domino, negat proximo ſuo depoſitum, aut qui extorſit, & calumniam fecit, & inficians inſuper peierauerit, &c. & ex loco Num.15. Anima, inquit, quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit. Quare libenter meam ad tuam adiungo ſententiam, quæ magis commendat Dei bonitatem, quæ non tantùm minoribus, ſed etiam maioribus noſtris vulneribus medelam adhibere voluit, & non tantùm vnius vel alterius, ſed vniuerſorum delictorum expiationem nobis præparauit. Ad id etiam me cogit mea ſententia, qui dixi, ignorantiam in Sacerdotem incidere non debere; quod ſi actu contingat, illam tamen apud Deum excuſabilem non eſſe, quoniam peculiari vocationis ſuę ratione ad eam ab ſe depellendam arctabatur: vnde Leuit. 4 primum ſacrificium inſtituitur pro peccato ſummi ſacerdotis abſtergendo, & Aaron in die conſecrationis ſuæ ſacrificium obtulit pro peccato. Hæc pauca breuiter tibi reſpondere volui: non puto eſſe magnam aliquam inter noſtras ſententias differentiam. Quamobrem plurimùm vale in Domino, & me vt in tuis precibus commendatum habeas, etiam atque etiam rogo. Neapoli 2. die Maij 1572.

Ad eundem de eadem re.

TANDEM tuæ illæ literæ, quæ ſe in latebras abdiderant, caſu quodam dum aliud ago non ſine vehementi mea admiratione in lucem prodierunt, & ſeſe in manus obtulerunt noſtras, & quoniam illæ eodem videntur ſpectare, quò & poſteriores, dum vltimis reſpondeo, vtriſque vna opera reſpondiſſe videbor.

In primis quæris, cur peccatum ignorantiæ, quod curatur per ſacrificium, ad peccata contra ceremonias alligauerim. Reſpondeo, me id iure feciſſe, tum quia Spiritus ſanctus Leuit. 4. & 5. & Num.15. vbi de illis præceptis quæ ad ceremonias pertinent, ſermonem inſtituit, hoc genus ſacrificij tantum commemorat: totus enim liber Leuit. potiſſimùm de tradendis ceremonijs tractat, vt meritò dicere potuerit, Anima cùm peccauerit per ignorantiam, & de vniuerſis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit, &, Quis ignoret in hac oratione vniuerſa mandata Domini intelligi, quæ illo libro per miniſterium Moyſis indicuntur; maximè cùm liber Num. id apertè indicare videatur, ſi vnum & idem eſt præceptum, vt prima facie videtur: ſin verò diuerſum ſit, hoc eſt diuerſo tempore traditũ (cùm argumento & materia ſit idem) erit alterius commentarius: ſolent namq; poſteriores, leges priores interpretari, ſiue explicatiùs & dilucidiùs tradere. Deinde ad hanc alligationem me cogunt verba ipſa c. 15. Num. quæ in altera epiſtola expendi, nec repeto, ne ſim moleſtus. Ad hæc cogebar ob illam interpretationem ipſa ratione duce: nam in primas illas concluſiones, quæ ex ipſis naturæ principijs proximè colliguntur quales ſunt, quas Decalog' continet, ignorantiam vllam cadere, aut vix, aut nunquam poſſe iterum atq; iterum cogitans affirmo: quomodò autem princeps, aut ſummus ſacerdos, aut totus populus in his quæ ſunt huiuſmodi, per ignorantiam delinquere valeant, nondum videre queo. Demùm ad illam expoſitionem vrgebat me Epiſcopi noſtri Abul. autoritas, qui in eo nodo diſſoluendo cùm multa egregia producat, nihil poſſe aut literæ congruentius, aut rationi conſentientius tradi, quàm ſermonem eſſe de ignoratione ſacrarum ceremoniarum, ſiue obliuione, ſiue inconſideratione, concludit.

Deinde percunctaris, cur in ceremonijs duos etiam peccandi modos, nempè per ignorantiam & per ſuperbiam, agnoſcam: cum ſit tertium inter illa duo vel ad aſſequendum temporale aliquod bonum, vel ad depellendum aliquod malum. Reſpondeo, Meum non eſt inſtituere Dei ſpiritum, quomodò ſcilicet, aut qua ratione ſit ad nos verba facturus, aut in quot membra peccatũ ſit diſtributurus, eius ſiquidem eſt Eccleſiam ſuam docere ea quæ ad ſalutem ſpectant, noſtrum verò eſt addiſcere, & eius prouidentiæ & iudicijs acquieſcere. Proinde cum ille etiam diſtinguat peccantes inter ex ſuperbia & ex ignorantia, ſiue inconſideratione, ego tertium membrum curioſius non requiro, ſed peccantes intuitu alicuius boni temporalis adipiſcendi, aut mali propulſandi, in illo ſecundo membro reponerem. Nec enim eos qui peccant ex cupiditate lucri, aut ex metu aliquo damnum incurrendi, cum his qui delinquunt ex ſuperbia eſſe annumerandos, vlla dictat ratio.

Tertiò interrogas, cur in peccatis quæ contra proximum fiunt, non habetur ratio illius differentię peccandi & ex ignorantia, vel ex contemptu. Ad hoc promptum eſt reſponſum, meum non eſſe præſcribere legum diuinarum autori Spiritui ſancto, & cùm peccata in proximum minora ex ſuo genere exiſtant, quàm quæ in Deum peccantur, fortaſſis proptereà id factum eſt, quòd vix in proximum ex ignorantia delinquatur: lumen namq; naturæ illa duo principia notiſſima porrigit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facito: rurſus, Quod tibi vis fieri, alteri facito: ideò rectè præcipit, vt peccans in proximum ex contemptu, per calumniam, aut depoſiti vel mutui abnegationem, reddat rem integram cum quinta parte, & offerat certum ſacrificij genus.

Quartò petis, cur incommoda illata ꝓximis ſi apud Iudicem res agatur, ſine ſacrificio remittuntur: ſi autem in iudicium res non deducatur, neceſſariũ ſit ſacrificiũ. Reſpondeo, Deum pœnas, &

caſtigationes delictis conuenientes inſtituiſſe, & quoniam furto ſurripiens bouem , per iudicem cogitur quinque reſtituere, ſi ouem vnam, quatuor oues; ideò in ſimilibus delictis ea ratione mulctatis non opus fuit inſtituere vllas hoſtias, intelligo enim expiari peccata eorum aſſumptis pœnis à iudice iuxtà legem præſcriptis, quod attinet ad ſanctiones legis, quæ prorſus politica erat. Illa enim pro iuſto eum habet, qui pœnam à lege ſtatutam ſubeat, & eum vt peccatorem agnoſcit, qui iuxta illius edicta non ſatisfecerit. Nam quod attinet ad veram peccati coram Deo expiationem, nihil illa lex ad perfectionem tradebat, quæ poterat quidem peccati cognitionem, ſed non expia-
Hebr. 10. tionem tribuere: impoſſibile enim erat ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, hæc enim peccatorum apud Deum remiſſio potuit in lege præſignari, exhiberi nunquam, ex vi legis; niſi aliunde illa ſacrificia exhiberentur cum peccati cognitione, & venturi fide Meſſiæ, à quo tantum bonum ſperandum erat. Quod infers: Melior ergo erat conditio delinquentis in proximum, & in iudicium minimè vocati, quam alterius ad illud vocati; non ſatis ſolidè meo iudicio infertur, nam vocatus in iudicium pro furto vnius bouis quinq; reddebat, & inuitus non ſine dedecore, & famæ ſuæ iactura pœnam ſubibat: at non vocatus in ius, reddens bouem Domino, cum quinta parte q̃ dabatur templo, & offerens hircum vel capram, non ſine laude & commendatione erat, q̄ ſponte ſua delictum agnoſceret, & maleficium oblato ſacrificio expiaret Improbas noſtram ſententiam, qua affirmo, neminem per iudicem damnatum, ad vlla cogi ſacrificia, & producis in contrarium c.6 Leuit. vbi habetur: *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo ſuo depoſitũ quod fidei eius creditum fuerat, &c. & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines conuicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, &c.* Ecce ait, conuictum in iudicio per legitimos teſtes ad ſacrificium cogi. Verùm ſi diligenter Hebræam veritatem, ſiue Græcam Septuaginta interpretum verſionem conſuluiſſes, agnoſcere poteras illa verba (nempè conuicti delicta) ſuperfluere in noſtra vulgata editione & abundare, quod & ratio ipſa obſcurè indicat, cùm enim quis in iudicio conuincitur, iudiciali more cum eo agi ſolet, & ideò cum illius actionis damnum vel vtilitas ad proximum ſpectet, condemnatio pro reſarciendo damno illato, proximo facienda eſt, non autem quatenus peccatum Deum reſpicit: cùm ergò hic ad certum ſacrificium condemnetur, de ſatisfactione in iudicio prolata non loquitur, imò ſi quis diligenter vniuerſas leges de diſceptatione iudiciali in quatuor poſtremis libris Pentateuchi latas inſpiciat atque expendat, non videbit quenquam ad ſacrificium damnari: quare verbum illud (conuicta iudicij) non eſt de textu, ſed fortè per errorem ex gloſſa aliqua & margine in textum ipſum inſertum atque introductum, vt quidam viri docti opinantur, & lex illa de qua ibi eſt ſermo, nihil de peccato in iudicio agitato continet, ſed de eo qui ſponte ſua ad cor rediens pro peccato ſatisfacere intendit.

Quintò inquiris, Cùm furtum, rapina, abnegatio depoſiti & mutui, in Decalogum incurrant, & tamen hæc peccata extra iudicium ſine ſacrificio non purgentur, quid eſt quod peccata in Decalogum admiſſa hoſtijs ac victimis minimè expiari ſuperius dixerim. Ad hoc reſpondeo, Si rectè primæ tabulæ atq; ſecundæ præcepta excutias, omnes ferè contra illa peccantes, mortis pœnam, ſi in iudicium deducerentur, ſubibant, vel alias mulctas à lege inductas, vt illud: Oculum pro oculo, dentem pro dente, plagam pro plaga, &c. Nunquam ſiquidem pro colente deos alienos aut ſimpliciter pro periuro, aut pro Sabbatum violante, aut pro filio contumace parentes inhonorante, aut pro homicida, aut adultero, aut falſo teſte, aut proximi, vel vxorem, vel res concupiſcente aliquod expiatorium ſacrificium decernitur: non ignorabam tamen legem Leuit.6. productam ſpectare ad moralia, ſed in materia tantùm furti, in qua non tantùm proximo, ſed etiam Deo peccator erat obnoxius, voluit aliqua conſtituere ſacrificia, quod videret non poſſe remitti peccatum eiuſmodi, niſi reſtitueretur ablatum, ac propterea voluit non tantùm proximo ſatisfieri, ſed etiam aliquid Deo offerri, atque hoc extra iudicium tantum, quo magis homines à furto arcerentur, ac reuocarentur, nec ibi tamen quicquam de periurij peccato per ſe expiando decernitur, ſed quatenus coniunctum eſt fraudi in proximum factæ, aut calumniæ. Itaque in hunc ſenſum à me dictum eſt ſuperiùs, pro peccatis in Decalogum non eſſe inſtituta ſacrificia, etiamſi in materia furti peculiariter aliquid ſit inſtitutum, non tamen in omnia Decalogi præcepta, & potius video certas mulctas taxatas eſſe in eorum tranſgreſſores, quæ illis non niſi in iudicio irrogabantur.

Poſtremò, poſtulas, cur peccata in certas ceremonias perpetrata per ſacrificia non expientur, & ponis exemplum: Si quis, verbi gratia, decimaquarta luna Phaſe non faceret; ſi non abſtineret per ſeptem illos dies à pane fermentato, ſi primo & ſeptimo die Azymorum, ab omni opere ſeruili non vacaret, ſi quis non circumcideret octaua die puerum ſuum, ſi non offerret primogenita & primitias, & ſimilia multa. Ad hoc dicerem, ſi hæc peccata in iudicium deducerentur tanquam ſcienter & ſponte commiſſa, capitis pœnam, iuxta legis præſcriptum non euaderent, ſi tamen in iudicium non venirent, & ignorantia, vel negligentia aliqua in eis eſſet peccatum, expiabantur iuxta legem Leuit.5. Anima ſi præuaricans ceremonias per errorem, &c. offerret pro delicto ſuo arietem immaculatum, quòd infers non omnem ignorantiam in eo qui ceremonias per errorem

fran-

frangit per ſacrificium remitti: non inficior, nec id abſurdum mihi videtur: non enim ignoras vir ſapientiſſime totam legis Moſaicæ œconomiam, eò potiſſimùm tendere, vt homines peccati ſui morbum, atque eius medicum & liberatorem agnoſcerent, quare cùm data eſſet lex quæ minimè iuſtificare volebat, & multa illis per conniuentiam permitteret, vt vſuras cum Gentibus, vxorum repudium, & earum multitudinem, & odium in legis inimicos, vt Chananæos, Amorrhæos, & Samaritanos, vt quidam ſentiunt: idcircò opus non fuit, vt vniuerſis ſiue in Decalogum, ſiue in iudicia, ſiue in ceremonias delictis, expiatoria conſtitueret ſacrificia, ſed vt quædam tantùm vetabat peccata, & alia per conniuentiam permittebat, ita quibuſdam tantùm malefactis certam mulctam per iudicium infligebat, quibuſdam alijs per ſacrificia externa propiationem proponebat, quæ tamen apte & eleganter peccati morbum adumbrarent, & Chriſtum in ſanguine ſuo expiatorem repræſentarent; nunquam tamen vniuerſalis defuit medicina coram Deo expians vniuerſa delicta, nempè pœnitentia peccatorum, & fides in Dominum Ieſum, vt verum Meſſiam, & mundi ꝓpitiatorem.

Hæc pauca breuiter cenſui tuis literis eſſe reſpondenda. Equidem ſententiam tuam, vt certis rationibus nixam & probabilem exoſculor & amplector, etſi vt à mea diſcedam, nihil hactenus quod me ad id cogat videam, & nonnulla rurſus in hac diſputatione perſpexi, quæ me ad eam retinendã commonefaciant: quanq̃ aũt nonnulli in tuam ſcrupuli ſe ſe mihi objecerent ac me vrgerent ad diſceptandum, conſultius tamen duxi comprimere me ipſum, ne noſtræ iſtæ literariæ diſputationes in infinitum abeant, & exitum vllum non inueniant, & ne nimis altercando veritatem quam quærimus, vt dici ſolet, amittamus: quòd ſi adhuc vltra progredi in animo habeas, facies id q̃dem pro tua voluntate & arbitrio, non impedio, quod me reſpondentem non habeas boni æqui que, vt conſulas, obſecro, nam integer penè nobis annus elapſus eſt in re ſanè ſatis impedita & moleſta, ſed in qua nec tu mihi, nec ego tibi, quicquam perſuadere hactenus potui, quin potius vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & in alias res iucundiores & magis frugiferas, cogitationum noſtrarum aciem intendamus: vt hac variarum viciſſitudine rerum, tantiſper recreemur, atque reficiamur. Vale vir doctiſſime, & me, vt in tuis iugibus apud Deum precibus commendatum habeas, vehementer etiam atque etiam rogo. Neapoli die Decollationi præcurſoris Domini ſacro. *Rom. 15.*

Ad tria quæſita reſpondet, & vnum proponit, quod ſibi petit diſſolui.

Domino Doctori Aſtudillo

Alfonſus Salmeron è Societate Ieſu S. D.

NON mediocriter miratus ſum, quòd eorum à me rationem exigas, quæ tibi ſunt compertiſſima & exploratiſſima, & quæ potius mihi abs te erant requirenda: poſſum itaque tibi obijcere illud:

Exigis humorem, vt dicunt, à pumice ſicco,
Humorem quo tu ſpongia ſola mades.

Poſtquam igitur ita voluiſti, dicam liberè quicquid in buccam venerit, vt tu pro tua ſapientia poſſis illa liberius corrigere. ¶ Primo loco per ſeptenarium numerum non ignoras more Hebræorum, & aliarum nationum perfectionem & integritatem deſignari; ſiue quòd ille numerus, vt teſtatur Magnus Gregorius, apud ſapientes huius ſeculi quadam ſua ratione habetur perfectus, quod ex primo pari, & primo impari conſummatur. Primus enim impar ternarius eſt: primuſque par quaternarius, ex quibus duobus ſeptenarius conſtat, qui eiuſdem partibus multiplicatus in duodecim ſurgit: nam ſiue tres per quatuor, ſiue quatuor per tres ducimus, ad duodecim peruenimus. Hæc ille. Siue quod mundus ſeptem diebus conditus eſt à Deo, ſiue quod cœlum ſeptem planetis ornatur, ſiue quod terra per ſeptem climata diſtribuitur, ſiue quod Eccleſia Dei ſeptem ætatibus conſtat, ſiue quod Hebræorum ſolenniores dies, vt, Paſcha, Scœnopegia, & Encœnia ſeptem diebus conſtarent, ſiue denique quod poſt ſex dies labori deſtinatos, in ſeptimo requies indicitur: his enim de cauſſis non immeritò factum eſt, vt hic numerus apud omnes Gentes vniuerſitatis & integritatis notam nanciſcatur. Quod ergo dicitur in libro Prouerbiorum: Deprehenſus in furto, reddet ſeptuplum; non tam reſpicit ad præceptum legis indicentis ꝓ furto vnius ouis quatuor, & pro furto vnius bouis, quinque, quam ad hanc aſſignatam perfectionis notam etiam in ipſis ſcripturis frequenter vſurpatum, quale eſt illud: *Omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*, & Leu. 26. Addam correptiones veſtras in ſeptuplum; & ſeminans mala in ſulcis iniuſtitiæ metet in ſeptuplum, id eſt, dabit perfectas pœnas, ſicut illi de quibus Propheta: Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum. Ad hunc modum alio loco ait de verbo Dei: Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igni examinatum, ꝓbatum terræ, purgatum ſeptuplum, id eſt defæcatum, & ab omni

Lib. 35. Moral. cap. 6.

Prouerb. 8.

fæce

fæce & labe terrenæ cogitationis diſcretum. Dicitur & à dilecto Diſcipulo liber habens ſeptem ſignacula, id eſt, planè obſcurus, & obſignatus, vt nemo illum ſine claue Dauid, q̃ eſt Spiritus ſanct', aperire queat. Hac etiam ratione dictum exiſtimo à Salomone: *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit*: hoc eſt, pluries in omnia peccata decidit, quod attinet ad ſeipſum, niſi diuino præſidio fulciatur, pro quo tanto munere, vt gratias rependat perfectas, alibi ait Septies in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Eſt enim homo planè defectibus plenus, & vt ait Salomon, Septem nequitiæ ſunt in corde illius, à quibus vt purificetur, eget lauari ſepties in Iordane, & ſeptiformi munere Spiritus ſancti impleri, & ſepties peccanti in ſe fratri veniam dare, vt ita domus noſtra ſeptem columnis fulciatur, ne tam facilè corruat. Et ſeptem panes noſtros ſua propterea benedictione Dominus multiplicat, vt intelligamus omnia noſtra ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia virtute illius augeri, & locupletari, vt corpoream & ſpiritualem vitam ſuſtinere poſſimus. Hoc dicendi charactere dicuntur ſeptem mulieres apprehendere virum vnum, ſiue ad literam, vt ſignetur virorum raritas, & mulierum copia, ſiue vt in myſterio intelligamus ſeptem Eccleſias Gentium, ad quas Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit: & Dilectus in Apocalypſ. capit. 1. ſcribit ad ſeptem Eccleſias quæ ſunt in Aſia. Ad hæc, cogitabam quid eſſet quòd Apoſtoli ſeptē tantum diaconos inſtituerint in Eccleſia Ieroſolymitana, quē morem ſequuta eſt Romana, & aliæ multæ Eccleſiæ, Cur videlicet non ſex, aut octo, aut alium numerum. Mentem ſubijt meam cogitatio ſeptem eſſe in cœlo Angelos, qui aſtant ante Dominum, & in conſpectu throni eius ſunt, vt habet liber Tobiæ cap. 12. & Apocalyp. cap. 1. Cùm autem Ieruſalem noua de cœlo deſcenderit, vt in eadē Apocalypſi dicitur, meritò ſeptem miniſtros inſtituit, quemadmodum Aſſuerus Rex potentiſſimus, ſeptem habebat penes ſe viros ſapientiſſimos, quorum conſilio cuncta gerebat. Neſcio an poſſit accommodari huic loco, quòd ſpiritus immundus rediens in locum vnde exierat, aſſumpſit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi cor illius inhabitant: nec mirum multa dæmonia habitare in animo, ſi de corpore Magdalenæ expulit ſeptem dæmonia ſignificata in illis ſeptem Gentibus, de quibus Paulus in concione ait, Act. 13. quòd deſtruxit ſeptem Gentes in terra Chanaam: & de altero legitur legionem dæmonum eieciſſe, vt teſtatur hiſtoria Euangelica. Vt per ſeptem ſpiritus nequiores, & per ſeptem dæmonia pulſa de corpore, multitudinem dæmonum, ſiue ſpirituum ad peccatum impellentium, ſiue corpus cruciantium rectè intelligere valeamus. Sed ego iam tuo delicato palato meis ineptijs de ſeptenario numero tædium attuli, nec de his dici poterit quod quidam Ethnicus dixit: Septies repetita placebunt, quanquam non deerant multi alij loci illo numero grauidi, ſed vt habet prouerbium, Neq; omnia, neq; omnibus, neq; vbique.

Eſai. 40. Quod ſecundo loco petis, quid ſit apud Eſai. c. 40. *Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis*: profectò multos interpretes legi, & nihil adhuc inueni, quod poſſit aures meas implere: dicam tamen poſtquam ita vis me de tantis rebus philoſophari. B. Hieronym. & Origenes homil. 5. in Matthęum; per duplicia intelligunt duplex flagellum, ſiue duplicem punitionem alteram per Babylonios, alteram verò per Romanos factam. Sed ſi circumſtantias Prophetæ illo loco examinemus: tam ex præcedentibus, quam ex conſequentibus liquet ibi manif[illegible]m [illegible]ntineri [illegible]ā-gelium: quemadmodum etiam in alijs locis, dum hac forma loquendi vtitu[illegible]m referenda ſunt, vt paulò poſt indicabo. Sed ad quem morem alludat, dicendo du[illegible], non ſatis eſt compertum. Mihi ita videbatur alluſionem fieri ad legem primogenito[illegible]

Deut. 21. Deut. 21. c. fit mentio: nam duplex portio hæreditatis ad primogenitum ſpectabat: aut a[illegible] quo ſexto die colligebant duplicem menſuram manna Exod. 16. aut quod ita natura com[illegible] eſt, vt homines iniuria, aut beneficio aliquo affecti non contenti ſunt tantundem rependere[illegible] vel iniuriam duplicatam reddere; à quo delicto vt Dominus animos hominum cohiberet, le[illegible] talionis in Veteri Teſtamento permiſit, dum dixit, Oculum pro oculo, dentem pro dente, ad[illegible]ſtionem pro aduſtione, liuorem pro liuore, plagam pro plaga, ne videlicet efferati Iudæi grauiores ſumerent pœnas quàm accepiſſent. In beneficio etiam accepto rependendo nobilis & generoſus animus hominis non quieſcit tantundem reddere, ſed cumulatiori beneficio acceptum mun' vult vincere & ſuperare. Siue igitur ad primum, ſiue ad ſecundum modum prædictum alludat Scriptura, ſiue ad hunc poſtremum, ſiue denique ad omnes ſimul, intelligo duplicia ſuſcipere Iſraelem de manu Domini pro peccatis ſuis, id eſt, confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem menſuram diuinæ beneficentiæ, & vbi dignus erat ille populus duplici contritione conteri, hoc eſt tùm in animo, tùm in corpore cruciari, vel tùm in hoc ſeculo, tùm in futuro perpetuas dare pœnas propter peccata quibus diuinam Maieſtatem offenderat: pro his duplicibus ſuſcepit de manu Domini duplicia: hoc eſt, portionē duplicem, vt primogenitus, & manna diuinum & cœleſte in duplici menſura accipit, quo anima & corpore reficiatur, & dimittat, & humanitate eius perfruatur. Denique propter Chriſti merita, quibus ille animo & corpore Patri ſeruiens illum placatum, & conciliatum, nobis reddidit. Præſtat vt duplicia pro peccatis noſtris ſuſceperimus, id eſt, condignam ſatisfactionem pro peccatis reddiderimus, quam ipſe Eſaias c. 53. deſcribit, cùm ait: Ipſe autem vulneratus

tus eſt propter in quitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſ mus. Præſtat etiam, vt duplicia chariſmata ſuſcipiamus, nempe vel ipſum Chriſtum, & dona nobis inhærentia, ſiue gratiam in præſenti, & gloriam in futuro, ſeu quod idem eſt, ſpiritus nunc redemptionem, & illam corporis, quàm expectamus futuram. Ita Dominus Iobo ſtrenuo militi ſui, & in patientia poſſidenti animam ſuam poſt euictas & ſuperatas omnes tentationes, omnia bona ſua duplicia reddidiſſe legitur ca. 42. Ad hoc etiam alludit cap. 61. Eſaias, dum de aduentu Meſſiæ in hunc modum prædicit: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri dicetur vobis, fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis*: Pro confuſione veſtra duplici & rubore laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis; vbi ſermo eſt de primitiuis illis Iudæis, qui primitias Spiritus acceperunt, & Eccleſiam primitiuorum, de qua Apoſtolus ad Hebræos cap. 12. conſtituerunt, & Zacharias capite 9. poſtquam de Meſſia dixit: *Tu quoq; in ſanguine Teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*, in perſona Domini Propheta ſubdit: *Conuertimini ad munitionem vinctæ ſpei: hodie quoque annuntians, duplicia reddam tibi*: Dominus enim Ieſus Euangelium annuntiando duplicia munera omnibus obtulit, de quibus Matthæi 19. dicitur: *Et omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit*, vt per duplicia intelligat centuplum quod hîc datur & vitam æternam quæ manet in futuro: quæ vt eſt inexplicabilis, ita & illud centuplum, quod in hac vita datur pro magnificentia ſua: nam ſi pars altera illius duplicis centuplum eſt: quod non erit expectandum in vita æterna? Quanquam autem hæc duplicia nobis propter Chriſti merita reddantur, vt conſtat in puero baptizato & mox decedente, voluit tamen pro ſua inſigni munificentia nobis Spiritum ſuum ad edenda bona opera gratis tribuere, ne gratis donet, ſed potius reddat centuplum, & vitam æternam. Si quis dicat, duplicem ſpiritum, quem poſtulauit Heliſæus ab Helia in cœlum conſcendente, ad hoc reſpexiſſe, meo iudicio non errabit: nam & Apoſtoli Spiritum ſanctum ſuſceperunt duplicem non ſolum, vt in ſeipſis, ſed etiam vt in alijs fructificarent, quemadmodum Chriſtus vtroque plenus fuerat, & in deſcriptione mulieris fortis, quæ typum Eccleſiæ gerit, dicitur: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*: nam vt ſimplices ſunt veſtes, quas quiſque priuatus accipit, vt fidem & iuſtitiam colat, ita ſunt duplices, quas domeſtici eius oẽs, id eſt, Apoſtoli, & eorum ſucceſſores, qui veſtes duplices acceperunt, propterea quod ipſi peruigilant tanquam paſtores pro animabus aliorum rationem reddituri, vt non ſine cauſſa proinde dictum videatur ab Apoſtolo: *qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*, maximè qui laborant in verbo, & doctrina: nam qui non tantum ſuam, ſed alienam ſalutem charam habent, atque pro illa tuenda decertant, digni ſunt duplici honore, hoc eſt, vt præclaro & inſigni loco ab alijs, tanquam miniſtri Dei habeantur, & colantur. Accipitur interdum hæc vox, duplex, pro iuſta & legitima vindicta, vt cum dicitur à Propheta Nahum, Non conſurget duplex tribulatio, & Dilectus cap. 18. Apocalypſ. *Reddite Babyloni ſicut & ipſa reddidit vobis, & duplicate duplicia ſecũdum opera eius*. Hoc eſt, quemadmodùm illa in anima & corpore vos afflixit, ita & vos afflictionem condignam & plenam reddite illi: *Et quantum ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum*. Tale fuit peccatum in Spiritum ſanctum, de quo dixit Dominus quòd non remittetur, nec in hoc ſeculo, nec in futuro, quia & in præſenti, & in futuro vltionem Dei non euadit, quemadmodùm Chryſoſtomus exponit.

Hebr. 12.
Zachar. 9.
Matth. 19.
1. Timot. 1.
Apoc. 18.

Petis tertio loco, quomodò populus Iuda apud Ieremiam cap. 15. in feruorem, ſiue in commotionem detur vniuerſis regnis terræ propter Regem Manaſſen filium Ezechiæ ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem: quod tamen alienum videtur à diuinæ iuſtitiæ ratione, vt peccata Regis in populo ſuo innocente puniantur; maximè cùm populi non ſit Regem cohibere à malefactis: nam ſi id eſſet, cùm populus, vt ille dixit, Bellua ſit multorum capitum, magna feneſtra aperiretur ad perturbandas Reſpublicas. Reſpondeo, Te non tantùm hoc dubium proponere, ſed etiam ſoluere, vt propterea mea opera in hoc dubio diſſoluendo non videatur neceſſaria. Dicam tamen plerumque ita contingere, vt peccatis Regum populus conſentiat, faueat, & miniſterium ſuum, operamque præſtare ſoleat: atque ita non eſt proponendum, populum eſſe innocentem, in quo Regum delicta puniuntur: nam quomodo innocens eſt, qui Regum vitia ſectatur? Vt rectè propterea ſit dictum à quodam Ethnico, Regis ad exemplum totus componitur Orbis; & rectè ab altero ſit ſcriptum, & ipſo Gentili: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui*: quare hæc non tantùm noſtris, ſed etiam externis exemplis perſpicua redduntur. Non ignoras, Dominum volentem punire Iſrael, & Iudam, permiſiſſe Dauidem in peccatum numerandi populi incidere, vt inde captaret occaſionem de populo alioqui ſupplicio digno meritas pœnas ſumendi, eumque imminuendi, ſeptuaginta millibus vna die peſte abſumptis, atque interfectis: vt meritò dixerit Gregorius Magnus, Deus pro meritis populorum diſponit acta regentium: & beatus Hieronymus in hunc locum Ieremiæ, quem præ manibus habemus, rectè ſcribit: *Sed quomodo Sanctorum merita deſcendunt ad poſteros, ſicut Dauid & cæterorum, ſic malorum flagitia, ſi liberi, nepoteſq; ſimilia geſſerint*

Ierem. 15.
2. Reg. vlt.
B. Hierony.

ad

ad poſteros perueniunt. Hæc ille. In populo igitur peccatore puniendo ſæpè Deus ad Regem reſpicit, cuius peccatum maius eſt, & ſæpè cauſa peccati populi exiſtit, ſaltem negligentia, non præueniendo peccata, quæ præuenire poteſt antequam fiant, vel vbi illa admiſſa ſunt, non iuſtis pœnis plectendo: non tamen propriè punitur populus pro peccato Regio, quia anima quæ peccauerit, ipſa morietur & plectetur. Poteſt tamen Rex ob peccata populi puniri, magis quàm populus ob peccata Regis. Nam ſi Rex animum adiecißet ad inferenda delinquentibus legitima ſupplicia, procul dubio manum Dei ſeuerius duriusque punientem præueniſſent. Etſi verò omnia peccata ſuo exemplo prouocent alios ad peccandum, nulla tamen magis, quàm eorum, qui præſunt, ſiue Reges ſint, ſiue Sacerdotes, ſiue Prophetæ: quibus propterea precandum eſt: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Hæc mihi potius exciderunt, quàm elaborata ſunt: & in id ſcripta, vt tu pro acriori, & maturiori tuo iudicio, ſi nos amas, corrigere & limare non graueris.

Mat. 9. Dum hæc ad te ſcriberem, voluebam ingens ſaxum nimirùm illum locum Matthæi 19. *Ego autem dico vobis: Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit mœchatur.* Noſti quanti tumult⁹ & tragœdiæ excitatæ ſint noſtro ſeculo in huius loci intelligentia. Præmiſſa verò veritate Catholica q̃ Eccleſia multis Concilijs, & præſertim per nouiſſimam Generalem Synodum Tridentinam definiuit, non licere viro vxorem adulteram ita ab ſe ablegare, vt alteram poſſit denuò ducere, vel vxori virum adulterum dimittere, & alteri de integro nubere: quærimus qua ratione interpretanda ſint illa verba Domini, quæ per locum à contrario videntur indicare licitam eſſe dimiſſionem coniugis adulteri, & cum altero copulari. Ad hæc, dimiſſio in lege quantum ad torum ignota erat Iudæis interrogantibus, & repudium etiam vinculi coniugalis notum, vnde repudianti licebat etiam contrahere, & dimiſſæ denuò nubere. Quomodo igitur ab omnimoda illa & abſoluta dimiſſione ſaltauit Dominus ad diſtractionem vxoris ex parte, nimirùm quantum ad torum tantùm? Præterea, non licet textum Matthæi p verba Marc. 10. aut Luc. 16. explicare, in quibus nulla eſt Mentio de caſu fornicationis, ſed abſolutè dicuntur adulterium committere coniuges, qui relicto conſortio ad ſecundas nuptias euolant: nam omnes illæ ſententiæ Marci & Lucæ ad illam Matthæi, vt pleniorem, atq; expreſſius traditam referendæ ſunt, ne fruſtra videatur poſita illa exceptio fornicationis. Patres etiam idem teſtantur, vt Origenes homilia ſeptima in Matthæum, ait ſoluiſſe quoſdam Epiſcopos matrimonium eiuſmodi. Auguſtinus lib. de Fide & operibus, cap. 19. venialiter peccare ait, eos qui poſt dimiſſionem vxoris adulteræ aliam ducunt. Ambroſius in capite 7. prioris ad Corinthios, id vt licitum marito permittit. Theodoritus libro nono de Græcanicis affectionibus affirmat, per fornicationem penitus deſtrui nuptialem coniunctionem. Baſil. Can. 9. viro Chriſtiano concedit, vt dimiſſa vxore adultera, aliam denuò accipiat. De his tu ſeriò cogitabis, & dignam te ipſo & eruditione tua ſolutionem dabis: quæ mihi tot alioqui ambagibus, & difficultatum anfractibus agitato, non poterit non eſſe gratiſſima, quæ ſepties lecta & repetita placebit: nec enim ſeptuplicem, imò ne duplicem quidem quæſtionem tibi propono, ſed ſimplicem. Non audeo præſentibus literis de pluribus alijs interrogare, ne te multitudine obruam. Quare ne ſis aſymbolus, quæſo, vt ad hanc tantum quæſtionem pro tribus quas ad me miſiſti, reſpondere non pigeat. Bene vale.

Hunc nodum ſoluit author tomo 8. tract. 49.

Expendit quod acceperat reſponſum de hiſtoria Iudith, & de hebdomadibus Danielis: tum etiam de Petri Romam aduentu diſſerit.

Admodum R. D. Stephano Tuccio è Societate IESV

Alfonſus Salmeron. S. D.

Admodùm Reuerende in Chriſto pater.

Pax Chriſti, &c.

QVONIAM Magna cum animi mei voluptate accepi, te hoc ſacro Quadrageſimæ tempore prædicationis Apoſtolicæ munere fungi: non putaui te ineptis meis cogitationibus interpellandum: ſed iam, vt ſpero, liberum te ab illis laboribus, & à ſanctis illis occupationibus ſolutum ac feriantem, noſtræ inuenient literæ; quibus & tarditatis noſtrę in reſponſo dando rationem reddimus, & quid nobis de ſcriptis tuis circa hiſtoriam libri Iudith, quid denique de ratione ſeptuaginta hebdomadas Danielis enumerandi à te inuenta, videatur, breuiter aperiemus: vt ſi coram non datur verbo congredi, vt ego expetebam, ſaltem ſcriptis me tibi præſentem exhibeam,

beam, vt tu te ex optare profeſſus es: quanquam nondum ſpem omnem abieci, quin aliquando, ſi non Aquilone flante, qui contrarius eſt nauigantibus à Sicilia in Italiam, ſaltem Auſtro aliquo Spiritus ſancti impellente, nos ſis inuiſurus, ſi non vt apud nos hæreas, ſaltem vt per nos deducaris in Vrbem. In primis igitur, nolo te ignorare, quamprimum accepi poſteriores literas tuas, quibus noſtras dubitationes circa tempora hiſtoriæ Iudithæ explicabas, in animo habuiſſe reſpondere tibi. Verum illis diebus, quibus ad hoc accingebar: grauiſſimo ac diuturno pituitæ morbo inuaſus, qui me per nonnullos menſes ineptum ad omnia bona ſtudia reddidit, præpeditus fui: vbi vero ab illa modeſtia emergere cœpi, vrgentibus quibuſdam, vt quæ præ manibus habebam, inchoata ſtudia abſoluerem, non ita vacauit, voto meo, perinde atque tuo ſatisfacere: iam vero onere illo, quo premebar, ex parte leuatus, præſtiti quod in votis habebam: nam quo tibi reſponderem, totum prius tuum opuſculum de Hebdomadibus, relegendum mihi eſſe putaui: quod attentiori, & liberiori animo feci, nec me huius, vt puto, relectionis vnquam pœnitebit: aſſecutus enim mihi eſſe videor animi tui ſenſa, & quo tendat illius tuæ tractationis ſcopus: de quo tamen quid mihi videatur, inferius declarabo: nam prius mihi aliquid dicendum eſt de argumento epiſtolarum tuarum, quod pertinet ad hiſtoriam Iudithæ, primumque tibi de labore aſſumpto gratias agere debeo, quod tam erudite & copioſe meas ſis conatus obiectiones diſſoluere, meque ſi non penitus, certe magna ex parte ſcrupulis liberaſti, tantumque tuo reſponſo profeci, vt etſi difficile ſit, & perarduum, certum ac præciſum illius hiſtoriæ tempus præſtituere, certaque illorum Regum, qui in Scripturis deſignantur, nomina, cum externis hiſtoricis conſentientia efficere; illud tamen exploratum & compertum iam habeam, hanc hiſtoriam longe ante captiuitatem Babylonicam contigiſſe; atque huius rei inuicta, vt arbitror, produxiſti argumenta, ex Sacrarum literarum penetralibus eruta, & ante annos aliquot hæc cœperat inſidere animo meo ſententia, etiamſi argumenta oppoſitæ opinionis tibi diluenda conſulto propoſuerim, quo magis in noſtra ſententia corroborarer: eſt autem à te illud ſane præſtitum feliciter, ita tamen, quatenus rei natura patiebatur: nam in topicis & probabilibus qualia ſunt iſta, haud poſſunt Mathematicæ produci demonſtrationes: vt ſemper ſit locus in aliquo hærendi, aut firmius aliquid deſiderandi, ac propterea iudicium aſſenſumque aliqua ratione ſuſpendendi: pleriſque enim aſſentimur interdum, ob graues aliquas & magnas rationes, quæ nos permouere, & vrgere videntur, non tamen eliminata prorſus omni formidine. Quod attinet ad textum Græcum libri Iudith, non erat quod tantopere laborares in illo reijciendo, aut negando; quoniam neque merito reijci poteſt ſiue negari, neque argumentum ex illo conflatum vllas vires habet, etiamſi fontem Græcum admitteremus, ad hoc vt ſtatuamus, illam hiſtoriam ante captiuitatem Babylonicam accidiſſe: quod ſic efficio. Primum quidem, quia Eccleſiæ Græcorum, & patres Orientales, ita vſi ſunt teſtimonijs illius libri Græci perinde atque nos editione vulgata; nec enim illum, quem ex Chaldæo vertit Hieronymus, illi agnouerunt: ex quo conficitur autoritatem Græcanico fonti non poſſe eleuari, præſertim vbi contextui noſtro non repugnat, etiãſi alioqui priuatæ alicui opinioni noſtræ reluctari videretur: probauit quidem Tridẽtina Synodus editionem vulgatam; non tamen errores, aut mendas, ſi quæ ſunt in illa; cum ſtatuerit, vt quã emendatiſſima illa in lucem prodiret, non tamen propterea Græcos aut Hebræos fontes reprobaſſe cenſenda eſt; ad quos conſulendos licuit ſemper, & etiamnum licet, citra vllum ſuſpicionis periculum, imo etiam cum laude, confugere; vel ad illuſtriorem ſenſum, & magis literæ germanum eruendum, vel ad vitium, aut librariorum, aut typographorum corrigendum, vel ad duriorem interpretis noſtri verſionem emolliendam, vel ad Hæreticos ſuis armis reuincendos, vel denique ob aliam quamcunque iuſtam rationem; modo lectionem Latinam nõ reijciamus aut contemnamus, quemadmodum hæretici frequenter agere conſueuerunt, ob quos potiſſimum confutandos ſancta Synodus illud decretum condidit. Ad hæc, vt Hieronymus docet præfatione ſua in librum Iudith, Nicæna Synodus in numero ſanctarum Scripturarum legitur illum librum computaſſe: iã quæro quam editionem confirmauit, num Chaldæam? at hanc ignoraſſe illi Patres videntur: num Latinam Hieronymi? Sed qui id fieri potuit cum nondum natus eſſet Hieronymus? Supereſt igitur vt Græcanicum codicem Synodus illa confirmauerit: nec enim dices, minorem habuiſſe poteſtatem Synodum Nicenam in Græca Iudithæ hiſtoria approbanda; quam habuerit Tridẽtina Synodus in Latina verſione confirmanda: niſi forte quis oſtendat aliud volumen Græcum ab eo qui nunc circumfertur, tunc fuiſſe probatum: ſed huius rei probatio in dicentem incumberet. Certe ex eo quod diuerſus eſt in quibuſdam editionis noſtræ contextus ab illo Græco, non oſtendit Græcum fuiſſe vitiatum; cum conſtet Latinam traductionem non ex Græcanico, ſed ex Chaldæo fõte conuerſam. Sed vrgebis: Vnde Græcus codex prodijt? num ex Chaldæo, an ex Hebræo? Reſpondebo, ex Chaldæo, quo primum idiomate ferunt illum librum editum: quod enim in quibuſdam ab illo diſſentiat, aut aliquid adiungat in illo Chaldæo non contentum fonte: nihil vrget; quia Synodus Nicæna non Chaldæum, ſed Græcanicum codicem comprobauit: etſi quod eſſet vitiũ præſumendum in alterutro, potius eſſet nobis ſtandum Græco confirmato ab Eccleſia, quã Chaldæo

ab illa ignotató. Rurſus ſi vrgeas, codicem noſtrum Latinum, ex Chaldæo per Hieronymũ con-
uerſum, ac proinde Chaldæum ipſum eſſe ab Eccleſia cõprobatum: tunc in promptu eſt mihi quod
reſpondeam; tutius & religioſius vtrunq; textum, Græcum, & Latinum, ſuſcipi quam alterutrum

Alterum vero, quod, negato textu Græco, minime diſſoluas argumentum, ex illis verbis capit.
4. contentis confectum: *Quoniam recentes redierant è captiuitate, & nuper vniuerſus populus conuentum e
Iudæa celebrauerat, vaſaq; ſimul & altare cum templo fuerant à profanatione expiata*: ita oſtendo: Quoniã
idem labor tibi remanet ex verbis Achior dictis ad Holophernem c. 5. iuxta verſionem Latinam à
B. Hieronymo editam, ait enim: *Nam & ante hos annos cum receſſiſſent à via quam dederat illis Deus, vt
ambularent in ea, exterminati ſunt prælijs à multis nationibus, & plurimorum captiui abducti ſunt in terram
non ſuam: nuper autem reuerſi ſunt ad Dominum ſuum ex diſperſione qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & a-
ſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſſident Ieruſalem, vbi ſunt Sancta Sanctorum.* Hæc ibi. Quod
igitur reſponderes, ſi quis vrgeret contra te hunc locum, & probaret hanc hiſtoriam accidiſſe poſt
captiuitatem Babylonicam; idem eſſet ad verba Græca ex 4. cap. dicendum; quare Græcus codex
reijciendus non erat: nam non ignoras, permultas extitiſſe populi Dei captiuitates ante illam Baby-
lonicam, & quaſdam etiam ex illis, vt quodam in loco annotauit Caietanus, ſacris literis non cõſig-
natas: quid ergo vetaret ex vna aliqua illarum, quæ factæ ſunt per Reges Aſſyriorum, qui pluries
Terram promiſſam inuaſerunt, vt Salmanaſſar, Tegladphalaſſar; vel Semnacherib, vel ſi malueris,
per Principes Aſſyriorum, qui 2. Paralipom. c. 33. Manaſſen Regem ceperunt, & in carcerem Baby-
lonicum duxerunt, & fortaſſis non ſine populo multo hanc fuiſſe, ex qua captiuitate redeunte Re-
ge etiam populum redijſſe, improbabile non eſt: atque huius meminiſſe Achior in verbis ſuis ad
Holophernẽ, c. 5. & Grçcus codex ca. 4. etiamſi huius e captiuitate reditus, nulla Scriptura Canonica
meminerit: niſi tãtum quod Rex Manaſſes ductus fuerit captiuus, & vt puto nõ ſine populo (vt di-
xi) & ſine vaſis templi ſublatis: redeunte autem Rege cum eo populus reuocatus eſt, & Ieroſolyma
à profanatione expiata: & fortaſſis quod de expiatione dicitur, magis intelligendum eſt de profa-
natione facta per Regem ipſum Manaſſen: qui cum impius eſſet conſtruxit aras Baalim & fecit lu-
cos, & adorauit omnem militiam cœli, ædificauit quoque altaria in domo Domini cuncto exerci-
tui cœli, in duobus atrijs domus Domini, ſculptile quoque & conflatile ſignum poſuit in domo
Dei. Cum igitur Manaſſes in vinculis poſitus ad cor redijſſet, deſtruxit omnes abominationes, vt
ſigna veræ pœnitentiæ ederet, & ita fortaſſis, vt ego quoque aliquid diuinem, fuit illa expiatio al-
taris & vaſorum, de qua ca. 4. Iudith, iuxta Græcam literam facit mentionem. Ille ſcrupulus negli-
gendus non videtur, quod nullum legamus ſummum Pontificem Ioachimum, vel Eliachimum
appellatum, ante illum qui fuit filius Ieſu filij Ioſedech, & parens Eliaſib: diuinabam ego num
iſte Eliachim eſſet ille, de quo 4. Regum 18. Eſai. 22. & 37. fit mentio, & vocatur præpoſitus domus,
ac filius Elciæ, & peculiariter induendus veſtimentis Sacerdotalibus, & danda clauis domus Dauid
Eſai.22. ſuper humerum eius, ad aperiendum & claudendum prædicitur. Verum hæc tu ſolidius cogitabis,
an locum habere poſſint. Cæterum quæ ad diuinationem ſpectant tuam, cum ratione, vt arbitror,
probabili non careant: non ſunt à me in eo reprehenſa, quod diuinationis probabilitatem non a-
nimaduerterem; ſed quo, ſi poſſem, à te ſolidiora, & probabiliora exciperem, noſti enim humanæ
mentis ingenium tale exiſtere, vt ſi fieri poſſit, niſi in maxime certis, ſolidiſque ac demonſtratis
quieſcere nequeat. Et hæc ſatis de libro Iudith. Venio iam ad opinionem illam tuam, quam in ex-
plicandis Septuaginta hebdomadibus Danielis, cæteris omnibus reiectis, amplecteris, illamque
antiquorum & recentiorum ſententiis præferre non dubitas. Equidem vt quod ſentio ingenue di-
cam, ingenioſa eſt & acuta eiuſmodi ſententia, atque enumerationi hebdomadum, ſi per Olym-
piadas ſit agendum, ſatis conſentanea, ne tamen ſegniter & oſcitanter illam conſideraſſe videar,
pauca quædam in illam obiicere decreui, quo magis illius ſolidam intelligentiam aſſequi valeam,
quæ tu, vt arbitror, nullo diſſolues negotio. Primum eſt, quod inter tot ſiue veteres, ſiue recentes
ſcriptores, qui de hac re latiſſime, & varie diſſeruerunt, ſequaris prorſus neminem: cum tamẽ pro-
babile ſit, tuam numerandi rationem in ſeptimo anno Artaxerſis, ad cædem Chriſti, vel paullo plus
per dimidiam hebdomadam, non minus illis, quam tibi, occurrere potuiſſe; ſicut & argumenta,
quibus illam corroboras: illam tamen neglexerunt, & vt minus idoneam ad locum hunc abſoluen-
dum, cum fundamentis eius, deſeruerunt: quare nouitate ſua poſſet hæc opinio lectorum animos
nonnihil offendere: me tamen, vt verum fatear, quoniam in verba magiſtri iurare ſolitus non ſum;
hæc ratio nihil permouet: nam cum hæc nouitas Scripturæ teſtimonio non ſit deſtituta, & ipſam
rei euentus comprobare videatur: nemo iure offendi poteſt: producam igitur alia quæ maioris
ſunt ponderis. Occurrebat enim, quod ſi verba 1. Eſdr. 7. expendas, quibus hanc tuam ſententiam
confirmare eniteris, non inuenies Eſdræ Sacerdotis miſſionem, eo ſpectaſſe, vt ciuitatem reædifi-
caret, ſed tantum vt populum in lege Dei inſtitueret, templumq; exornaret, & vaſa ſublata per Na-
buchodonoſor reduceret, ſumptuſque ad ſacrificia neceſſarios ſuppeditari curaret, & ita præcipue
fit mentio de Leuitis, Sacerdotibus, Nathineis, & aliis templi miniſtris, ad templum erectũ neceſſa-

ſarijs.

ſariis: quanquam etiam nonnulli ex alijs tribubus aſcenderint cum Eſdra, nullum tamen de erigendis muris, aut de reædificanda ciuitate expreſſum verbum, quemadmodum verba Danielis, vt impleri oſtenderentur, exigebant: dixit enim Angelus: Scito ergo & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum reædificetur Ieruſalem: in miſſione autem Eſdræ nullum verbum exijt de reædificanda Ieroſolyma, ſed de docendo populo Dei, de templo, miniſtris, ſacrificijſque, atque alijs neceſſarijs exornando. Quod ſi in illa Eſdræ miſſione contendas implicite inuolui facultatem reædificandi ciuitatem: quæram quibus in verbis tacite illud contineatur? Dices; Eo quod Eſdras pecuniam acceperit à Rege ad ſumptus faciendos in quamcunq; rem voluiſſet: ex quo elicis, facultatem traditā ad muros ciuitatis excitandos. Hæc quidem pie abs te, & in ſententiæ tuæ patrocinium dicuntur; ſed an ſatis ſolide, tibi relinquo cogitandum: non ignoras, eo præſertim ſpectaſſe verba Artaxerſis, vt nihil quod ad templi ornatum, & ſacrificiorum rationem & miniſtrorum ſuſtentationem pertineret, in domo Dei deſiderari poſſet. Vnde expreſſe conceſſit, vt ex Fiſco Regio acciperet ad argenti talenta centum, & frumenti coros centum, & vini batos centum, & olei batos centum, ſal vero abſque menſura: quibus verbis videtur Rex Perſarum potiſſimū proſpexiſſe templo de neceſſarijs ad ſacrificia; nam illarum omnium rerum vſus erat in templo ad celebranda ſacrificia: argenti vero talenta miſit, ad animalia quæ immolationi deſeruiebant, comparanda. Ad hæc, ſi illis in verbis implicite continetur erigendorum facultas murorum: multo apertius & fortius contineri aſſereretur in miſſionibus Iudæorum prioribus factis ſub Cyro, & ſub Dario, qui miſſi ſunt, vt conderent templum; nam templum conſtructum ſine ciuitate muris cincta, & domibus exædificata, tutum aut ſecurum conſiſtere haud poterat, & facilius eſt colligere tacitam facultatem factam ex poteſtate conceſſa conſtruendi templi; quam à ſuppeditatione ſumptuum ad ſacrificandum: & tamen plures Doctores, atque adeo tu ipſe cum illis ex eo initium numerandi hebdomadas non eſſe ſumendum à Cyro, & Dario, recte argumentaris, quod templi tantum erigendi fiat mentio, & non ciuitatis, imo cap. 6. Eſdræ Darius non tantum permittit templum ædificari, ſed etiam ſumptus ad ſacrificia offerenda, & frumentum, ſalem, vinum, & oleum, quantum ſat ſit, ex fiſco Regio exhiberi præcepit. Si igitur ex hoc loco nulla ratio ſolida ad facultatem ædificandæ ciuitatis colligitur: multo minus in miſſione Eſdræ ab Artaxerſe facta, talis conſtituendæ ciuitatis poteſtas elicietur. At inquies; Nehemias cum mitteretur in Ieruſalem, & muros vrbis circuiret, allocutus dicitur magiſtratus, Sacerdotes, optimates, & reliquos qui faciebant opus. Quod, inquis opus? non templum, quod ædificatum fuerat ſexto anno Darij; non porticus templi in circuitu, nam nono anno Darij perfectæ fuerant, vt tradit Ioſephus libr. 11. Antiquit. cap. 4. ſupereſt igitur, vt operis nomine, vrbis ædificatio intelligatur. Hæc tu quidem acute: quibus ego non reclamo: ſed an illam facultatem reſtaurandi muros haberent ab Artaxerſe, quando miſit Eſdram, an implicite datam à Cyro, & Dario, ſibi illi interpretarentur; an vero, quod veriſimilius videtur, Nehemiam, quam primum habuit aſſenſum Regis, præmiſiſſe nuntium cum literis ad Iudæos habitantes Ieroſolymæ, vt operi reſtaurandæ ciuitatis & murorum eius vacarent, & ipſum poſtea lentiori itineri ſubſecutum fuiſſe; valde dubium eſt, & mihi poſtremum magis arridet: quare ex nullo verbo Artaxerſis, mittentis Eſdram Sacerdotem in Ieruſalem, ſolidum aliquid inuenitur, ex quo colligamus facultatem illi per Principem factam, excitandi muros ciuitatis. Tertium argumentum occurrebat in tuam ſententiam: Quoniam ſi per Artaxerſem mittentem Eſdram vlla eſſet facta poteſtas inſtaurandæ ciuitatis: quid opus erat, vt Nehemias pincerna gratiſſimus Regi Artaxerſi, ſubtriſti & mœrenti vultu, illam de integro à Rege efflagitaret? aut ſaltem, ſi prudens erat, & illam poteſtatem iam factam Eſdræ nō ignorabat; non debuit denuo poſtulare, quam ſciebat ante tredecim annos fuiſſe exhibitam, ſed tantum vt ſemel conceſſam, renouaret iterum atque confirmaret: quippe facilius eſt, priuilegij ſemel conceſſi confirmationem obtinere, quam illud à principio impetrare. Nam vel Darius, auus Artaxerſis huius, fertur inueniſſe in Bibliotheca librorum, qui erant repoſiti in Babylone, volumen, in quo continebatur quid Cyrus primo anno regni ſui cum Iudæis egiſſet, & quomodo facultatem reædificandi templi eis contuliſſet: cuius exemplum imitatus, facultatem reſtaurandi tēpli confirmauit, & adiecit expenſas ad templi ſacrificia: ita ſane Artaxerſes, memor poteſtatis Eſdræ à ſe factæ ad inſtaurandam vrbem, debebat illam confirmare mittendo Nehemiam, aut ſaltem Nehemias non nouam facultatem, ſed iam ſemel per eum Eſdræ factæ confirmationem habebat poſtulare, cuius rei mentio nulla in ſecundo illo cap. Nehemiæ: Artaxerſes igitur Nehemiam primum miſit ad vrbis ædificationem, cuius explicitam poteſtatem populus Dei antea non habuerat: atque huius rei euidens eſt argumentum, quod poſt aduentum Nehemiæ, in erigendis muris Iudæi operam diligentem nauarunt, portiſque ciuitatis ædificandis gnauiter incubuerunt, qua de re antea mentio nulla; etiamſi veriſimile exiſtat, Iudæos nonnihil in eam rem laboris & operæ contuliſſe, abſque expreſſa Regis facultate. Hinc Samaritæ 1. Eſdræ 4. literas ad Cyrum ſcripſerunt, dicentes: *Notum ſit Regi, quod Iudæi qui aſcenderunt à te ad nos, venerunt Ieruſalem ciuitatem rebellem, & peſſimam, quam ædificant, extruentes muros eius, & parietes componentes.* Hæc illi, ſiue ficte, vt rem exaggerarent,

Ioſeph. de antiquit.

1. Eſdr. 6.

1. Eſdr. 4.

rent,ſiue vere, quod nonnihil operæ in domibus ad habitandum neceſſarijs, aut in muris excitandis impendiſſent: vt conſtat tamen ex aduentu Nehemiæ, parum, aut nihil in opere murorum progreſſi fuerant, vt textus ipſe inſinuare videtur. Quartum eſt, quia Eccleſiaſtici 49. murorum, & vrbis erectio ſoli tribuitur Nehemiæ, *Et Nehemias*, ait, *in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euerſos, & ſtare fecit portas, & ſeras, qui erexit domos noſtras.* Hæc ibi. Non videtur autem rationi conſonum ad idem fuiſſe prius miſſum Eſdram, & nihil præſtitiſſe, ſi Deo excitante miſſus fuit, nec Scriptura Eſdram illa gloria defraudaſſet, & in ſolum Nehemiam contuliſſet. Quintum ac poſtremum occurrebat argumentum: quod etiamſi Eſdræ ab Artaxerſe anno ſeptimo miſſo, poteſtatem reædificandæ ciuitatis concederemus, haud tamen numerus ſeptuaginta hebdomadum præciſus (ita vt nec abundet, neque deficiat) eliceretur: quod quidem facile eſt mihi oſtendere. Aſſeris namque à primo anno Olymp. 81. vſque 202. in cuius quarto anno cædes Chriſti accidit, 122. Olympiadas integras interfluxiſſe, quæ ſi per quatuor multiplicētur, annos conficient 488. Ex his cenſes detrahendum primum annum 81. Olympiad. & ita remanerent 478. quibus ſi adiungas tres annos dimidiæ hebdomadæ poſt Chriſti necem, efficis 490. annorum ſummam. Hæc eſt tua enumeratio: in qua ſi aliquid deſideramus, mirari non debes, quandoquidem tot aliorum Patrum enumerationes aures tuas minime impleuerunt: nam cur quæſo primum illum annum 81. Olympiadis, in quo exijt ſermo de reædificanda Ieroſolyma, detrahendum putas, cum illa detractio & Scripturæ, & Euſebio, & Africano repugnet. Scripturæ quidem, quia aperte habetur, Eſdram cum ſuis anno ſeptimo regni Artaxerſis, & in primo die menſis primi cœpiſſe aſcendere de Babylone, & in primo die menſis quinti perueniſſe in Ieruſalem? Cum igitur totus ille ſeptimus annus à primo die enumeretur, partim in itinere, partim in elaborandis & extruendis mœnibus ciuitatis impenſus, qua ratione à te detrahi poſſit, non video. Si igitur annus ſeptimus Artaxerſis incidit in primū Olympiad. 81. & quidem integer, quomodo à tota ſumma contendis illum adimere? Deinde id etiam repugnat Euſebio Cæſarienſi qui in Chronico ſuo miſſionem Eſdræ in Ieruſalem, anno ſexto Artaxerſis collocat, & id ſane non temere, ſed merito: quia cum liber Eſdræ tradat, hanc profectionem factam primo die menſis primi anni ſeptimi Regis, non potuit Eſdras, niſi aliquot menſium ſpatio, Iudæos per ciuitates Chaldææ, Perſiæ, & Mediæ diſperſos, in vnum ita congregare, vt eſſent accincti ad reditum primo die menſis primi auſpicandum: videtur ergo quod in anno ſexto Regis Artaxerſis fuerit exitus ille ſermonis, quem prædixit Daniel ad reuertendum in Terram promiſſam, & inſtaurandam Ieruſalem: quod ſi verum eſt, vt certe probabile & veritati conſonum eſſe videtur: habemus non tantum ſeptimum annum Artaxerſis, qui erat primus Olympiad. 81. ſed etiam ſextum annum Artaxerſis, qui fuit vltimus Olympiad. 80. Quod ſi neges integrum annum interceſſiſſe in euocandis Iudæis ex diuerſis ciuitatibus ex Babylone, & in præparatione ad iter conficiendum, ſaltem medium annum non negabis, præſertim cum tanta eſſet multitudo virorum, mulierum, infantium, & ætate prouectorum. Idem poſtremo repugnat Africano apud Hieronymum, qui vigeſimum annum Artaxerſis in quartum annum Olympiad. 83. refert incidiſſe, à quo numero ſi retrocedas, & 13. annos ſubtrahas: erit ſeptimus annus Artaxerſis vltim. Olympiad. 80. & ita haberemus non tantum 487. vt tu ſupputabas, ſed 489. vel vt minimum 488. cum dimidio, & ita Chriſtus non in medio poſtremæ hebdomadæ, ſed prope finem hebdomadæ extinctus eſſet, hoc eſt, non anno 486. cum dimidio, vt par erat, & Daniel prædicit; ſed 489. aut hac ſumma medio anno minus; & ita non impleretur verbum Prophetæ, *Septuaginta hebdomades deciſa ſunt, ſiue definitæ, ſuper populum tuum, & ciuitatem ſanctam*: ita tamen, vt in medio poſtremæ hebdomadæ occidatur Chriſtus. Vis autem verbi Hebræi, vt noſti, ſignificat, numerum illum ita definitum ac determinatum, vt nec in minimo quidem poſſit abundare vel deficere. Quod ſi reſpondeas, non recte ab Africano, vel ab Euſebio conſtitutas hebdomadas: totam profecto rationem numerandi per Olympiadas labefactares: quæ enim tibi ratio conſtituenti Olympiadas aliud perſuadeat magis eſſe credendum, quam illis aut quis numerus non poſſit reſpondere meæ aſſertioni, ſi liceat mihi numerandi rationem ac modum pro meo arbitrio cōſtituere? Certe ego, ne te fallam, multa deſidero in Chronico Euſebij, & quędam etiam ab eo male eſſe collocata, non eſſet difficile oſtendere: quod vt exemplo aliquo illuſtrem, ecce decollationem Iacobi fratris Ioannis ſub anno vigeſimoprimo Tiberij Imperatoris collocat, & Petri in carcerem miſſionem, & vt arbitror, vtrumque tribuit Herodi Antipæ Tetrarchæ; cum tamen Agrippæ Regi ſit tribuendum, & vtrumque acciderit ſeptimo, hoc eſt, poſtremo anno Regis Agrippæ, & tertio Claudij Imperatoris, & duodecimo à Chriſto in cœlum aſſumpto. Vides igitur, ſi ad viuum velimus reſecare ſententiam tuam, in quæ abſurda illam deducamus. Hæc mihi tua legenti occurrerunt: ad quæ puto tibi bonas ac ſolidas diſſoluendi rationes non defuturas, quas ſi mihi cōmunicaueris, facile à me obtinebis, vti tuam amplectar ſententiam: quanquam ſi aliqua iuſta ratione ad annum vigeſimum Artaxerſis initium enumerandi hebdomadas poſſes referre, & Olympiadum enumerationem vt illi cōgruentem adaptare, aut aliquem alium modum enumerandi præter Olympiadas, ex probatis hiſtorijs colligere

Eſdr. 7.

qui

qui ſummæ hebdomadum conueniret (quod mihi ſanę impoſſibile haud videtur) minus profectò
noua, & magis textui reædificanda Ieroſolyma conſentanea, ac proinde plauſibilior exiſteret tua
ſententia: nam etſi illa per Olympiadas enumeratio probabilitate & autoritate non careat, non eſt
tamen tam exploratæ & conſtantis veritatis, vt quibuſdam de illa merito non poſſit dubitari;
in alijs vero etiam falſitatis euinci; quemadmodum tu, cum de illa diſſeris, affirmas. Et hæc mihi
dicta ſint de Danielis hebdomadibus. Iam vero, quoniam vt ait Salomon, ferrum ferro acuitur, & *Prouer. 27.*
homo exacuit faciem amici ſui; nequaquam cenſui committendum, vt hanc opportunam occa-
ſionem in ſimili argumento ad te ſcribendi prætermitterem. Incidi his diebus in Chronologiam
annorum Apoſtolorum Principis Petri, & qua ratione illè ſedere potuerit vigintiquinque annis, &
eo amplius Romæ, ſi vera ſunt ea quæ in Scripturis continentur: in hac ego aliquantulum ſane hæ-
ſi, atque etiamnum hæreo; vt cogar, te, virum diligenter exercitatum in ratione temporum, liben-
ter conſulere, & iudicium tuum expectare. Solent hæretici, cum pertinaciter & impudenter negãt
Petrum vnquam Romæ fuiſſe, leuiſſima quædam obijcere argumenta: vt, quod Scriptura Cano-
nica de Petri aduentu in Vrbem nihil dixerit, quod Paulus ſcribens Romanis, cum non ſalutauerit,
& his alias perſimiles nugas: ſed præſertim huic nituntur argumento, quod à ratione annorum vi-
tæ Petri deducunt nos enim cum Damaſco, Euſebio Cæſarienſi B. Hieron. Beda, atque aliis Eccle-
ſiaſticis ſcriptoribus, Petrum Romam veniſſe ſecundo Claudij Imperatoris anno affirmamus, atq;
ab eo tempore ſedem ſuam ibi fixiſſe; deinde aſſerimus, martyrio coronatum fuiſſe vltimo Nero-
nis anno; tempus autem inter hos terminos definitum, ad 25. annos, & eo aliquid amplius perueniſ-
ſe: porro hæretici inter hæc axiomata diſputantes, producunt Paulum, qui in epiſt. ad Galat. tradit,
à conuerſione ſua, quæ accidit ſub finem primi anni à Chriſto in cœlum aſſumpto, per triennium
in Arabia commoratum, ac veniſſe Ieroſolymam, vt videret Petrum, manſiſſeque apud eum die-
bus quindecim. Deinde poſt annos quatuordecim commemorat, ſe Ieroſolymam aſcendiſſe cum
Barnaba & Tito ad Apoſtolos, inter quos Petrus erat, atq; ibi quæſtionem de legis ceremonijs, an
ſeruandæ eſſent à Gentibus, quæ Chriſti fidem amplectebantur, agitatam fuiſſe atque definitam:
porro ſi quatuordecim his annis addas tres priores, & annum illum, qui elapſus prope erat à Chri-
ſto in cœlum aſſumpto vſque ad ſuam cõuerſionem, efficies ſummam 18. annorum: q ſi detrahan-
tur à 37. annis, qui à morte Chriſti fluxerunt vſque ad martyrium Petri, ſuperſunt tantum anni 19.
quo modo igitur Petrus potuit Romæ ſedere 25. & eo amplius annis? Quod ſi reſpondeas; Petrum
quidem Romæ fuiſſe ante illud Concilium Act. 15. celebratum, ad quod etiam Paulus aſcendit, vt
diximus, cum Barnaba, & Tito, atque ad illud Petrum ex Vrbe Ieroſolymam reuertiſſe, expulſum à
Claudio Imperatore, qui Iudæos tumultuantes Chriſto impulſore, ex Vrbe expuliſſe, autor eſt
Suetonius. Vrgere poterunt hæretici, negantes, Petrum Romam antea venire potuiſſe: eo argu-
mento adducti, quod Agrippa Herodes Act. 12. Petrum vinctum catenis duabus in carcerem miſit,
& ſeruauit poſt dies Azymorum producendum ad ſupplicium. Hæc autem hiſtoria Petri à vinculis
liberati, & Herodis Agrippæ Regis infeliciter extincti, incidit in annum tertium Claudij Impera-
toris, hoc eſt, duodecimum à Chriſto in cœlum ſublato, & ſeptimum, hoc eſt, poſtremum annum
Agrippæ, cui Ioſephus tantum ſeptem annos tribuit; nam à primo Caligulæ, quo accepit regnum, *Li. 2. antiq.*
vſque ad tertium Claudij, ſeptem tantum anni computantur fluxiſſe. Erat igitur Petrus Ieroſoly- *cap. 7.*
mis anno duodecimo & anno decimooctauo: adde etiam anno decimoquinto quo creditur B.
Virgo in cœlum aſſumpta; nam anno ſexto Claudij collocat Euſebius in Chronic. aſſumptionem
Virginis: illi autem interfuiſſe Petrum, docet Dionyſius Areopag. ca. 3. de Eccl. hiſt. hierarch. *Ade-* *D.*
rat inquit, *quoque Iacobus frater Domini & Petrus Theologorum coryphæus & princeps:* quando igitur po- *Areopagu.*
tuit Romæ adeſſe, ſi duodecimo, decimoquinto, & decimoactauo, Ieroſolymis erat? Dicet aliquis;
venit Romam ante duodecimum annum: ſed id nequaquam dici poſſe probatur ex verbis, quæ ex
Apollonio ad confutandos Cataphrygas; producit Euſeb. lib. 5. hiſt. Eccl. c. 18. dicens: *Meminit antẽ*
& Thraſiæ cuiuſdam martyris, qui quaſi ex traditione priorum ſe accepiſſe aſſeruit, Saluatorem præcepiſſe Apo-
ſtolis ſuis, vt ne ante duodecimum annum à Ieroſolymis diſcederẽt. Hęc ibi: quod certe cum ratiõe videtur
eſſe coniunctum: vt videlicet omnes Apoſtoli Eccleſiam Iudæorum primum inſtituerent, ratio-
nemque & ideam fundandi Eccleſias apud Gentes, Apoſtoli ipſi certo experimento addiſcerent:
Accedit his Martyrologium Romanum, quod 15. Iulij anno duodecimo poſt aſcenſionẽ Domini,
factam fuiſſe Apoſtolorum diuiſionem tradit, ad verbum Dei in orbis plagas propagandum. Beda
quoque, pertractans illud verbum Act. 13. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi*
eos, huius præcepti ad Apoſtolos facti meminit, dicens: *Videtur Saulus, iuxta ordinem hiſtoriæ, tertiode-*
cimo poſt Domini paſſionem anno, Apoſtolatum cum Barnaba, Pauliq; accepiſſe vocabulum. Quartodecimo au-
tem anno iuxta condictum Iacobi, Cephæ & Ioannis, ad Gentium magiſterium profectus eſt: nec hiſtoria Ec-
cleſiaſtica repugnat, dicens, Apoſtolis fuiſſe præceptum, vt duodecim annis prædicarent in Iudæa. Sic ille. Si igitur
Petrus præceptum hoc Domini obſeruauit, ante duodecimum annum profectò minime ad euan-
gelizandum Gentibus profectus fuit. In hanc tamen traditionem, ſeu Domini præceptum quædã

facere videntur, mihi minime apud te ſilentio ſupprimenda. Primo, quod Petrus ſeptem annis ſedem ſuam Antiochiæ habuiſſe fertur, atque ibi eum euangelizaſſe, teſtatur Clemens, & Eccleſia, quæ feſtum cathedræ Antiochenæ ſolenniter celebrat; Antiochia autem, extra Ieruſalem & Iudæã ſita eſt: deinde, quod Barnabas tempore Tiberij Romæ euangelizauit, vt teſtatur Clem. libr. 1. Recogn. qui, vt probabile eſt, nonniſi ab Apoſtolo Petro miſſus Euangelij diſſeminandi gratia Romã venerat: quod certe in Domini præceptum videtur eſſe factum; nam quod ipſis facere non licuit, nec alijs ab eo deſtinatis facere, licitum eſſe videri poſſet. Tertio, cum Iacobus frater Ioannis, capite ſit truncatus ab Agrippa Herode Actor. 12. quod contigit anno, vt ſuperius diximus, ab aſſumpto in cœlum Chriſto duodecimo. Si igitur ante duodecimum annum B. Iacobus, frater Ioannis, Iudæam non eſt egreſſus, Hiſpanias ille nunquam vidiſſet, neque ille viuens, ſua præſentia, aut doctrina illas illuſtraſſet, quod qui apud noſtrates prædicare auderet, inexpiabile profecto flagitium committere videretur, ego interim ing. nue fateor, me apud nullum antiquum & illuſtrem autorem, ſiue Græcum, ſiue Latinum, hactenus legiſſe, qui Apoſtolum Iacobum viuentem aſſerat Hiſpanias penetraſſe lucemque Euangelij in eas induxiſſe. Quod ſi quis contendat cum Beda in Act. 13. Concilium illud Act. 15. coactum, incidiſſe in annum decimum quintum à morte Chriſti, quo etiam B. Virgo creditur in cœlos fuiſſe aſſumpta, vt plerique tradunt: etiam hæc ſententia ſuas patitur anguſtias; nam in primis, vt ſuperius diximus, illud Concilium celebratum eſt, Paulo aſcendente Ieroſolymam cum Barnaba, & Tito, at hic aſcenſus, vt ipſe Apoſtolus ad Galat. 2. tradit, fuit poſt decimum ſeptimum annum à conuerſione ſua, vt Hieronymus ad Galatas explicat, & poſt 18. à Chriſto aſſumpto: deinde ſi liberatus à vinculis Herodis Regis, hoc eſt, anno duodecimo euangelizandi gratia, ſe ſtatim contulit ad diſperſos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, & Aſiæ, vt docet Simeon Metaphraſtes, quomodo potuit tam breui temporis ſpatio tot prouintias euangelizando percurrere, & adeſſe Romæ ſecundo Claudij anno, cum ſolum duo anni effluxerunt inter liberationem à vinculis Agrippæ, & aduentum in Vrbem? Adhæc poſt illud Concilium Ieroſolymis celebratum, conuenit Paulus Petrum Antiochiæ, quia reprehenſibilis erat, vt ad Gal. 2. teſtatur, quod tamen non ſtatim accidit, cum Paulus, & Barnabas, antea miſſi eſſent cum Sila & Iuda in Antiochiã. Quod ſi diſtantiam locorum & vrbium Ieroſolymę, & Antiochiæ, & Romæ cogites, ſi quod Petrus in illo cum Paulo congreſſu non curſim, aut raptim ſalutauerit Antiochenam Eccleſiam, ſed multum ibi commoratus fuerit, adeo vt Iacobus ad illum ex Ieroſolyma quoſdam miſerit, tanquam ad quem totius Eccleſiæ cura ſpectaret: ſi denique mente conſideres, quod per alias Eccleſias, qua profecturus erat Romam, pro ſua, qua fungebatur autoritate, & grauitate, & pro populi erga eum reuerentia & deuotione, moram aliquam trahere cogebatur: perſuaderi poſſis, Petrum eodem anno, quo Concilium illud fuit congregatum, Romam peruenire potuiſſe; & vbi maxime id concedamus, quod eodem anno ſub finem eo acceſſiſſet, vt minimum eſſent iam ſexdecim anni à morte Chriſti vſque ad eius ingreſſum in Vrbem: quibus ſi addas vigintiquinque, quibus ſedit in Vrbe, efficies quadraginta & vnum. Quod ſi Concilium celebratum fuit annis octodecim à Chriſto; & adiungas vigintiquinque, efficies ſummam annorum quadraginta trium à cæde Chriſti ad martyrium Petri: rurſus, ſi liberatio à vinculis Herodis fuit anno duodecimo poſt Chriſti aſcenſionem, accidit eodem anno, quo Agrippa extinctus fuit, id eſt, poſtremo anno eius, & tertio Claudij Cæſaris: prius ergo fuiſſet Romæ, & ſedem ibi ſuam fixiſſet, quod accidit ſecundo anno Claudij, vt omnes tradunt, quam fuiſſet liberatus à vinculis. Eſt & alia peculiaris ratio, qua probatur, Petrum Romæ fuiſſe ante initum imperium à Claudio, quia Philo diſertiſſimus miſſus fuit ab Alexandrinis legationis apud Caium Caligulam ineundæ gratia: at illo tempore Philo cum beato Petro Romæ verſatus eſt, vt autor eſt Euſebius libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 16.

Quod ſi hæc vera ſunt, fuit ergo Petrus ante duodecimum annum egreſſus è Ieroſolyma & Iudæa, ad euangelizandum Gentibus, contra Dominicam illam traditionem, ſiue præceptum. Non ignoro omnes huius nodi diſſolutiones, ſed ego aliquid abs te planum, dilucidum & inſigne expecto, quomodo, ſcilicet illi 25. anni ſolide ac vere ſint computandi, ac quoto anno Petrus venit in Vrbem: & an, ſtante illo Dominico præcepto Apoſtolis de non deſerenda Ieroſolyma & Iudæa ante duodecimum annum, ſtatui poſſit ſumma illa vigintiquinque annorum ſedis Petri: non intelligo perpetuo ibi hæſiſſe, ſed ad tempus ibi verſatum, & poſtea pro Apoſtolico munere ſuo, diuerſas luſtraſſe prouincias, ac Romam rediſſe: quoto præciſe anno celebratum fuerit Concilium Actorum 15 capit. & an ſimul Petrus & Paulus, vno & eodem die eiuſdem anni, hoc eſt, poſtremi Neronis, credas tuo iudicio ſint martyrio coronati, an vero vno anno intermedio, vt alij ſentiunt; poſtremo in quale tempus reijciendam putas peregrinationem Petri à Cæſarea in Antiochiam, quam Clemens decem libris Recognitionum complectitur: quando prædicauit diſperſis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, ad quos etiam duas

Clem. Rom.

ſcripſit

ſcripſit Catholicas epiſtolas, quis prior ex Apoſtolis Romæ euangelizauit, Barnabas ne, vt Clemens libro primo Recognitionum tradit, an Petrus, vt Euſebius libro ſecundo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 14. docet: quæ cauſa extiterit mortis Petri apud Neronem, an quòd amicum Simonem Magum volantem precibus ſuis in terram proſtrauiſſet, vt docet Egeſippus libro ſecundo cap. 3. quod tamen Euſebius tempore Claudij contigiſſe ſcribit; an verò alia cauſſa peculiaris extitit. Euſeb. Cæſ. Noli mirari, ſi me tibi curioſum præſtiterim; nam cùm mihi hoc ſaxum his diebus voluendum fuerit, neque potuerim quibuſdam quæ circumferuntur, intellectum meum accommodare, aſſenſumque præbere: te in conſultationem adhibendum putaui, cuius iudicium, ex quo opuſcula tua ſcrutatus ſum, magni apud me cœpit eſſe momenti: ſunt autem iſta, quæ ꝓpono, multis parùm iocunda, imo arida & ieiuna; verùm ijs, qui ſtudio veritatis tenentur, & temporum rationem perfectam aſſequi cupiunt, plurimùm adiumenti & vtilitatis ad multas veritates poſſidendas præſtare ſolent. Benè vale, meque vt in precibus tuis commendatum habeas, & ſacrificijs, etiam atque etiam rogo. Salutabis meo nomine reuerendos in Chriſto Patres, Bobadillam, Hieronymum Domenechium, P. Carminatam, Paulum & Elpidium, reliquoſque in Chriſto Patres ac fratres. Neapoli, die Reſurrectionis Domini, anno 1572.

Tota in dubitationibus proponendis verſatur circa deſcriptionem & profeſſionem factam naſcente Chriſto.

CVM ex vrbe Neapolim appuliſſes, eodemque tempore idem & ego quoque iter emenſus fuiſſem, non tantam adhibui diligentiam, quantam par erat, vt te quamprimùm inuiſerem & officia atque ſtudia erga te mea declararem: nam & ego tunc ſæpe à multis inuiſebar, & viſitandi ipſe alios ſtudio detinebar: tantùm autem effeci, vt illuſtriſſimum Cardinalem meum, ac tuum accedere quidem, ac ſalutare te potuerim: vbi de te nonnullus interim habitus eſt, & ille quidem honorificus ſermo. Cum igitur tui ſalutandi cupidus eſſem, nec tamen verbis & præſentia aſſequi potuerim, decreui negligentiam meam his literis apud te excuſare, atque reſarcire: vt ſi primùm, quod periocundum arbitrabar, minùs obtinuerim; literis ſaltem mutuis, & amicis vltrò citroque datis, conſequi valeam. Nam ex quo apud illuſtriſſimum ac lectiſſimum Cardinalem Warmienſem tui cognoſcendi copia mihi data eſt, te primùm peculiari amore meritò complectendum eſſe duxi. Etſi autem in aliena Republica peregrinum curioſum minimè eſſe oporteat, ab eo tamen tempore, quo me fortis Chriſti amor tibi coniunxit, nequaquam me quaſi alienum aut peregrinum habere cœpi: quare cogitare ſeriò cœpi de te, quibus potiſſimùm diſtinere ſtudijs, atque occupationibus Salerni agens; id verò mihi coniectura potiùs, quàm certa ſcientia aſſequi, neque difficile, neque obſcurum viſum eſt. Exiſtimo enim te in primis omnes animi tui ſeras cogitationes, & graues curas eò maximè intendere, vt crediti Cardinali tuo ampliſſimo gregis onera, & labores tua prudentia, conſilio, atque induſtria ſubleues, teque præſertim in eo laborare, vt auxiliarem & adminiſtram operam tuam, quæ certè & magna & ſalutaris non eſſe nequit, ad arbitrium eius, & voluntatem accommodes; Deinde verò quod ſupereſt temporis, id totum alendi, paſcendique animi tui gratia libenter ſacris ſtudijs pro tua conſuetudine impendere: nam huius rei gratia, cum in Vrbe vnà eſſemus, ſignificaſti magnam librorum ſacrorum ſarcinam inde tecum exportare deliberaſſe, quibus Salernitanam habitationem ita condires, vt vtrumque ea ratione facilè conſequi valeres. Quis enim ignoret, ſacrarum literarum, quæ diuinitùs inſpiratæ ſunt, lectionem vtilem eſſe ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus? 2. Tim. 3. Cum igitur, vir doctiſſime, nocturna diurnaque manu libros ſacros verſare non ceſſes: & nihil tibi ſit magis procliue, quam de illorum vera & germana intelligentia cum alijs diſſerere; en ego illorum quoque ſtudioſus, & tui imitator in lucem prodeo, teque de quibuſdam eius obſcurioribus locis percontandum eſſe exiſtimaui: non ſolùm vt mihi conſulam, dum prudenti, & maturo tuo iudicio expeditus, accipio dubitationum mearum ſolutiones; verùm etiam vt tibi occaſionem præbeam, ea, quæ optimè noſti, in alios ignaros, & indigentes, pro tua charitate effundendi: *Da*, inquit, *ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia.* Prou. 9. Cæterùm, ſi hanc meam de Scripturis interrogandi audaciam boni te conſulere intellexero, neque illud graue & moleſtum ſit omni te petenti tribuere; profectò tibi non parcam, ſed grauioribus te quæſtionibus pulſabo, vt doctrinæ ſingularis theſauri, qui in te delitеſcunt ad aliorum commoditatem, & vtilitatem foras erumpant. Legebam his diebus Euangelica Lucæ verba de ortu Saluatoris: *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis; hæc deſcriptio prima facta eſt à Præſide Syriæ Cyrino.* Luc. 2. Pauciſſima ſunt hæc, & intellectu minimè obſcura, in illis tamen plenè accipiendis, multi me ſcrupuli torſerunt, & torquent

etiamnum, quos quò facilius mihi adimere poſſis, quæſo vt attentè meas dubitationes intelligas; non eſt enim niſi intelligentis nodum ſoluere, vt Philoſophus rectè ſtatuit. In primis igitur dubitabam, Quiſnam ex Ethnicis hiſtoricis, quos & multos & præclaros habuit Auguſti Cæſaris ſeculum, huius vniuerſalis deſcriptionis mentionem aliquam fecerit? ſiquidem nulla probabilitate niti videtur, vt nouum atque adeò graue, & inſolitum iugum, & in vniuerſas quæ Romano imperio ſubiacebant, prouincias impoſitum, tot ſcriptores, qui minima quæque Imperatorum facta ac dicta, & plerunque inania atque ridicula deſcribebant, rem tam arduam Auguſti & inſignem ſilentio ſuppreſſiſſent ſuo. Dubitatur deinde, an hæc deſcriptio eo tantùm conſilio ſit facta, vt Imperator tùm hominum, tùm facultatum ſummam cognitam haberet, atque perſpectam; an verò etiam aliquid pendere videretur, in ſignum ſubiectionis, qui ſe Cæſari ſubiectos eſſe profi-
Exod. 30. tebantur? Vt olim in lege dimidium ſicli, hoc eſt, binas drachmas pendere in vſum tabernaculi arctabantur; & Romani in cenſu peragendo obſeruare ſolebant; vnde illa ſeditioſa quæſtio orta
Matth. 22. eſt: *Si licet cenſum dare Cæſari, an non?* hoc enim controuerſum inuenio, non tantùm apud Catholicos; ſed etiam inter ipſos hæreticos, nec deſunt vtrique parti ſui fautores, ac patroni. Tertium dubium exiſtit; Quomodo regnante Herode illo magno & primo (ſub cuius anno 33. Ieſus ſalutis autor natus eſt, vt Epiphanius eſt autor) qui totam Iudæam, Galilæam, & Samariam pleno iure poſſidebat, nulliq; tributum pendebat, potuerit Cæſar tale profeſſionis iugum imponere, & cenſum à quolibet perſoluendum indicere. Id enim perinde mihi abſurdum eſſe videtur, ac ſi Rex Galliarum in Hiſpania, aut Rex Hiſpaniarum in Gallia tributum aliquod ſingulis annis pendendum
2. Reg. vlt. inſtitueret. Quartò dubitatur; Cur Dauid ſanctiſſimus, & vir ſecundùm cor Dei, in enumeratio-
Exod. 30. ne populi, quam fecit, etiam ab illo eum auocante Ioab Duce exercitus, tam grauiter ſit punitus, vt vno die 70. millia hominum peſte perierint; Auguſtus verò Cæſar infidelis, & nullo ſanctitatis munere cumulatus, enumerationem hanc perfecerit vniuerſi orbis, nullaſque pœnas ob id dediſſe legatur. Quintò, in dubium meritò vocatur, an viri tantum & patresfamiliâs profiterentur, an etiam mulieres? Quòd ſi olim in lege tantùm viri, qui aſcendebant vigeſimum annum, in numerum veniebant, & nihil de mulieribus lex dicebat; quorſum ſanctiſſima Virgo profecta eſt in Bethleem? Cur Euangelium habet: *Aſcendit autem Ioſeph de Galilæa ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, &c. vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante?* Quibus verbis beatam Deiparam profeſſionis expertem minimè fuiſſe, non obſcurè indicatur, vt etiam Hieronymus noſter atque alij plerique teſtantur. Poſtremum dubium eſt: quiſnam eſt iſte Cyrinus, vel vt alij volunt, Quirinus, cuius tempore magis quàm per eum ſignificatur facta deſcriptio: ita enim habet Græca litera κυρηνείου ἡγεμονεύοντος: id eſt, Cùm Præſidem Syriæ ageret Cyrenius, vt videatur potiꝰ explicari tempus, quam ille, per quem eſt facta deſcriptio. Quòd ſi fortaſſis reſpondeas, hunc Cyrinum, ſiue Quirinum, virum Conſularem extitiſſe, qui cum Coponio
Ioſeph. libr. 18. cap. 1. Ambiuio miſſus eſt ab Auguſto Cæſare, vt rerum dominaretur, & eius populum regeret, & cenſum ageret in Syria, & Iudæa, atque Iudæam in prouinciam redigeret: vt autor eſt Ioſephus in libris antiquitatum: duo huic ſententiæ maximè obſtare videntur: alterum eſt, quod vltimis Herodis annis non Cyrinus, ſed Quintilius Varus (qui poſteà ab Arminio in Germania cum legionibus cæſus fuit) Syriæ Præſes erat, & terminandis litibus inter Herodem patrem, & Antipatrum filium, à Cæſare eò deſtinatus erat. Adhæc Quintilius iſte Saturnino Præſidi ſucceſſiſſe ab eodem Ioſepho traditur libro 17. Antiquitatum: ne quis exiſtimare valeat, inter Saturninum & Quintilium poſſe locum aliquem concedi Quirino: quomodo igitur Quirinus præſes tunc Syriæ eſſe poterat? Alterum, & maioris quidem momenti eſt: quoniam Ioſephus, dum loquitur priori loco de Cyrini aduentu ad cenſendam Syriam, & Iudæam, non videtur vllo modo habere ſermonem
2. de bello Iud cap. 65. de hac eadem deſcriptione, quam narrat Lucas. Nam iſta Lucæ incidit in annum quadrageſimum ſecundum Auguſti, & trigeſimum tertium Herodis; illa verò Cyrini, de qua Ioſephus, facta eſt per annum ante Cæſaris Auguſti mortem, vel ipſo eius poſtremo imperij anno: nam apertè teſtatur, Archelaum Romam ab Auguſto vocatum, in exilium Viennam Galliæ relegatum fuiſſe, quando miſſus eſt Quirinus ad cenſum agendum. Cui etiam ſimul cura demandata erat, vt do-
Matth. 2. mum, & bona Archelai publicaret; quæ certè multis annis à Chriſto iam nato euenerunt. Non ſolùm enim Ieſus natus erat tempore Archelai, ſed & cùm rediret poſt aliquot vitæ annos in Ægypto exactos Ioſeph, timuit propter Archelaum in Iudæam ire, & propterea ſeceſſit in Galilæam, vt Matthæus teſtatur. Et vt minimum iam Ieſus excedebat decimum quartum annum, nam ſupputandi ſunt tres, aut quatuor anni vitæ Herodis, & nouem, ſiue decem Archelai filij eius, quos iam Chriſtus Dominus exegerat. Quamobrem difficile admodum videtur, viam aliquam certam, aut rationem inuenire, qua hæ duæ deſcriptiones à Luca, & Ioſepho enarratæ, in vnam conflari valeant. Nam in primis dici nequit, errorem eſſe textus apertum, & pro Præſide Syriæ Quirino, legendum fuiſſe, Præſide Syriæ Quintilio: non enim deſunt ex hæreticis, qui id aſſerere cogitauerint: ſed id ſanè pabſurdum eſt, & nonniſi temerè dictum. Secundò dici non poteſt, verba illa: Hæc deſcri-

deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrino, per errorem ex margine in textum eſſe introducta: ſed cum id nulla ratione affirmetur, & nullo antiquorum codicum, vel Patrum teſtimonio ſuffultum comprobetur, mera eſt inſania vel cogitare: & tamen id dicere auſus eſt Theodorus Beza, homo Gallus, & hæreticus. Tertio nec locum habet quod quidam ex hæreticis meditantur; nempè, cenſum tempore nati Chriſti indictum fuiſſe; ſed tumultu populi ad tempus aliquod fuiſſe impeditum, vt edictum quidem de populo cenſendo, quod exijt anno 24. Auguſti, locum habere non potuerit, niſi mutato regni ſtatu, & Archelao de medio ſublato, in prouinciam Iudæa redigeretur: quod rectè computanti nonniſi poſt 14. ferè annos contigit, vt diximus. Atq; ita verba quæ addit Lucas, nempe, Hæc deſcriptio prima, facta eſt Præſide Syriæ Cyrino, vice correctionis poſita eſſe volunt, hoc eſt, tum primum ad effectum ducta eſt cenſitio, & profeſſio. Sed huic meditationi, quæ ſubtilis eſt, & ad conciliandum Lucam cum Ioſepho, alicuius momenti ſpeciem præ ſe ferre videtur, duo apertè aduerſantur: in primis contextus Lucæ dicens: *Et ibant oẽs vt profiterentur, ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph*, & quæ ſequuntur. Quibus verbis inſinuatur, nullum obſtaculum cenſitioni poſitum fuiſſe. Deinde contradicit & ipſe Ioſephus, qui lib. 18. antiquitatum teſtatur, deſcriptionem illam factam per aduentum Quirini, & Coponij Ambiuij, adiuuante Ioazaro Pontifice Bœthi filio, nullum impedimentum habuiſſe. Quòd ſi iſta à Ioſepho enarrata deſcriptio diuerſa fuit, & poſterior illa commemorata à beato Luca, profectò fortius ac firmius euincitur, priorem illam à Luca deſcriptam, ſine tumultu vllo, aut ſeditione fuiſſe peractam. Audi quæſo verba Ioſephi, de illa poſt Archelaum expulſum, & Iudæam in prouinciam redactam, ita ſcribentis: *Quin & ipſe Quirinus in Iudæam venit iam attributam prouinciæ Syriæ, vt percenſeret facultates eius regionis ciuium, & Archelai pecuniam in ſuam prouinciam redigeret. Illi verò, tametſi primum ægrè ferrent mentionem deſcriptionis, non ſunt tamen reluctati pertinaciter, parendo autoritati põtificis Ioazari, qui Bœthi fuit filius: atque ita illius ſuaſu, ſine controuerſia cenſus peractus eſt. Extitit etiam poſt quidam Iudas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala; qui adiuncto ſibi Phariſæo Sadduco ſolicitabat ad defectionem populos, cenſum nihil aliud, quàm manifeſtam ſeruitutis profeſſionem eſſe dictitans, & vniuerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans.* Hæc ille. Ex quibus in primis habeo, ſeditiones, & tùmultus, propter pendendum cenſum, non in ipſa deſcriptione, ſed illa iam facta concitatos fuiſſe; & ita opinio illa de impedita ad multos annos deſcriptione ſtare non poteſt. Quartò etiam non videtur aſſeri poſſe, duas, ac diſtinctas fuiſſe deſcriptiones ſub eodem Præſide Cyrino, ſi tueri volumus authoritatem Ioſephi, & illam non negare, ac reijcere. Tùm quia tempore illo, quo Auguſtus generalem illam indixit deſcriptionem, nondum erat miſſus Cyrinus in Syriam, quam Quintilius Varus procurabat, vt ex Ioſepho produximus: Tùm quia poſt ſublatum Archelaum dicitur miſſus Cyrinus ab Auguſto, vt Iudæam Syriæ prouinciæ adſcriberet, & populorum facultates recenſeret: Tùm etiam, quia Romani imperij conſuetudo vix ferebat, vt vnus & idem Proconſul, in eadem pacata prouincia, duobus diuerſis temporibus præfuerit, & tamen textus ipſe plures deſcriptiones inſinuare videtur: cùm ait: Hæc deſcriptio prima facta eſt Præſide Syriæ Cyrino, nam prima pro priori ponitur, iuxta morem Hebræorum, qui poſitiuis pro comparatiuis vtuntur: Nam prima, ſiue prior illa eſt, quam altera conſequitur. Rurſus videtur, quòd hoc facilè conciliari poſſet, ſi duas deſcriptiones ponamus alteram ante vllos concitatos tumultus de cenſu ſoluendo ſub Cyrino, vt Lucas ait; alteram verò ſub aliquo alio Præſide, quem Ioſephus falſus Cyrinum vocauit, vnam nimirum cum altera confundens deſcriptionem, & vnum Præſidem cum altero. Sed iam eſſet nobis deferenda Ioſephi autoritas. Ad hæc, quid eſt, quod ait: Hæc deſcriptio prima facta eſt; nunquid illam aliæ ſunt ſubſecutæ, vel ſub Cyrino, vel ſub altero Præſide? Deinde quomodo illa dicitur prima, cùm conſtet aliàs Populum Romanum ſæpe eiuſmodi cenſum quolibet luſtro agere ſolitum fuiſſe? Lege Liuium & Dionyſium Halicarnaſſeum, eius rei autores. Vides igitur, vir ſapientiſſime, hæc impedita, perplexa, ac denſis tenebris obſita, vt excellenti aliquo Oedipo ad illa explicanda, & elucidanda ſit opus. Te certè meliorem inuenire potui neminem, & in temporum, & hiſtoriarum ratione exercitatiorem: quare maiorem in modum te rogo, atque obſecro, vt de his omnibus ſerio cogites, & quid lucis ex tantis tenebris erui queat, declares; denique, quid ſolidius, aut probabilius ſtatui poſſit, ad me perſcribere non graueris. Vale igitur in Chriſto, vir ſapientiſſime, ac me in precibus tuis apud Deum commendatum habere poſthac memineris. Denique vt illuſtriſſimo D. ampliſſimam ſalutem meis verbis dicas, etiam atque etiam rogo. Neapoli die B. Luciæ ſacro. 1572.

***

Caluinus.

Lib. Antiq. 18. c. 1.

Dubi-

Dubitationes profert ſuas circa cenſus, ac deſcriptionis rationem tempore Chriſti Natalis: communicari ſibi petit lucubrationes de Chriſti, & Apoſtolorum annis.

Admodum R. in Chriſto P. Stephano Tuccio

Alſonſus Salmeron. S. D.

Admodùm reuerende & chariſſime pater.

QVOTIES, Aut de tua valetudine, aut de tuorum ratione ſtudiorum per literas me admones (quanquam id rarius pro meis votis contingat) facis equidem rem mihi gratiſſimam, nóſtraque arctiori amicitia dignam: non enim tu vir prudens de lana caprina, aut de Aſini (quod aiunt) vmbra, ſed de ſerijs. & grauibus quæſtionibus, & quæ ad Scripturarum ſacrarum obſcuriores locos intelligendos faciunt aliquid, ſemper vel meditaris, vel ſcribis: itaque epiſtola hæc poſtrema ab alijs prioribus non diſſidet, plena eſt eruditionis illius tuæ, ac diligentis curæ & ſtudij circa veterum hiſtoricorum euoluendos libros poſiti, quo illuſtrare valeas Euangelicam de vniuerſi orbis deſcriptione per Auguſtum facta hiſtoriam. Quia verò id tui fuit conſilij, mecum has tuas nouas communicare cogitationes, quò meam de illis acciperes ſententiam; non grauabor morem gerere tibi; cum non ignorem te mei ipſius gratia hos magna ex parte exantlaſſe labores; quanquam iam cum Romæ degas, & inter tot ingenij doctrinarumque opib', & ſanctitate præſtantes viros, non putabam vllam meam admonitionem neceſſariam: quid enim hoc eſſet aliud, quàm Noctuas Athenas, & ligna in ſyluam? Quid enim ſupra chorum omnium bonarum diſciplinarum, à Græcis ἐγκυκλοπαιδείαν dictum, & quem inter priuatos parietes domi amplecti, & poſſidere vales, ad deſiderandum tibi ſuperſit, planè non video. Dicam igitur, quæ mihi pro temporis ratione occurrere potuerunt, & quid in tuis placuerit literis, & quid adhuc amplius deſiderem non diſſimulabo. In primis de poſteriori illo cenſu, ſiue luſtro Auguſti penè poſtremo, ſiue vltimo eius imperij habito, nulla fuerat inter nos altercatio, cum eius, & Euſebius in Chronico, & Ioſephus 18. Antiquitatum lib. & Dio. Caſſius 56. mentionem apertam faciant. Illud ſolum Tranquilli addidiſti teſtimonium, quòd cum alijs video conuenire. Et cum prior cenſus ſit habitus anno Vrbis conditæ 749. poſterior verò anno 1766. colligi poteſt ſupra ſummam 15. annorum inter vtrumque fluxiſſe, ita vt ætas Chriſti in primo cenſu nati ſub Auguſto conſtare totidem annis debeat, & eò amplius, quot Auguſtus illi luſtro poſtremo ſuperuixit Deinde gaudeo te in noſtram tandem veniſſe ſententiam, quòd ille cenſus, tàm prior, quàm poſterior, nonniſi ad ſumptus alendis exercitibus, quibus Romanum continebatur imperium, neceſſarios, actus eſt, illa enim ſententia ſemper mihi conſtituta fuit, nec ad aliud illam deſcriptionem vniuerſi orbis fuiſſe inſtitutam. Quod apertè illa Euangelica verba indicant: Licet cenſum dare Cæſari, an non? Et *Matth. 22.* ait illis Dominus: *Oſtendite mihi numiſma cenſus; At illi obtulerunt ei denarium*, & quæ ſequuntur. Id etiam apertiſſime Suidas docet. Iam verò, quæ profers de cenſus prioris cauſa, nempè Auguſtum conſtituiſſe ærarium militare ad alendos exercitus, in quo ipſe atque Reges, & populi pecuniam inferrent, videri quidem poſſent, quatenus à Tranquillo tanta breuitate perſtringuntur, diluta, & eneruia, & parùm quod quærebamus comprobantia (nam quid hæc ad probandam vniuerſi orbis deſcriptionem, quam Euangelium ſtatuit) niſi illi adiunxiſſes Dionis Caſſij verba, quæ commentarij vicem illis Tranquilli præſtare poſſunt. Atque ita ſanè non alienam eſſe duxi perſuaſionē Mœcenatis ad retinendum Imperium Auguſto factam. & rationem explicandæ pecuniæ ad alendas copias ab eo indicatam: Impetranda eſt, inquit, penſio de omnibus ijs, quæ aliquem poſſeſſori quæſtum ferunt, vectigaliaque imperanda omnibus noſtris ſubditis. Ex illis enim verbis, quæ ſcimus Auguſto placuiſſe, atque ea exequi cœpiſſe, facile eſt elicere, imperatam vniuerſo orbi Romanis obſequenti deſcriptionem. Verùm tu ſubtiliter annos computans nonnihil diſcriminis inueniſti. Nam cum triceſimo anno ab Actiaca pugna reuerà inciderit Natalis Chriſti, & iſte triceſimum ſextum enumeret, non ſatis cum veritate, q̃ quæris, conuenire videtur. Ego verò alia minutiora perſequar, quæ etiam manifeſtè diſſentiunt. Primum ꝙ ait Dio: *Auctis redditibus, tres ex conſulatibus Auguſtus, quibus ſors id officij obtuliſſet, ad ſumptus partim contrahendos, partim tollendos adhibuit*: à Suida aliter refertur, viginti nimirum viros Conſulares miſiſſe; pauci enim admodum illi tres ad vniuerſum orbem erant enumerandum. Deinde ait Dio, ſorte electos fuiſſe: cum Ioſephus lib. 18. Antiquitatū referat, electum ab Auguſto fuiſſe Cyrinum, & Suidas recenſet illos 20. viros vita, & integris moribus p̃ſtantes Auguſtum delegiſſe. Secundum, ꝙ maioris eſt momenti, non videtur ad rem illa vigeſima hæreditatum, & legatorum inferēda in ærariū militare ad agendū cenſum p̃ vniuerſum

uerſum orbem. Nam ſi ob illam, vt tuis mihi verbis aſtruere videre, cenſus eſt peractus, num vniuerſus orbis, ſed pauci admodum in qualibet ciuitate eſſent enumerandi. Quod ex eo colligitur, quod pauci ſint, qui hæreditates habeant, aut de illis teſtari, legata conficere poſſunt; innumeri verò ſunt, qui nihil aliud habent, quàm quòd ſuo quotidiano labore, vel induſtria comparare poſſunt. Ad hæc Dominus quando ſoluit didrachmum, vnum pro ſe, & alterum pro Petro, nunquid hæreditates aliquas ipſe, aut Petrus poſſidebant? Quòd ſi, vt tu ex ſententia Dionyſij Halicarnaſſei alijs literis oſtendiſti, apud Romanos non tantùm viri ſed etiam mulieres, & pueri, profitebantur, & nummum quendam pendebant; quomodo reliqui à Petro Apoſtoli nihil numerarunt Capharnaitis exigentibus cenſum? Hæreo igitur in his, & aliquid amplioris lucis ad hæc intelligenda deſidero. Præterea Dio Caſſius nullam de Cyrino mentionem facit; quod tamen valdè illuſtrare poterat id, quod ego prioribus meis ad te datis literis extorquere contendebam. Quod ſcribis in Chriſti, & Apoſtolorum annis explicandis, nouam diligentiam te adhibuiſſe, quo autorum etiam Sanctorum diſſenſiones de illis ortas tolleres; libenti animo legi, & gratiùs feceris, ſi, quod commodè abs te fieri queat, communicaueris, vt ſoles. Ita enim ego in his laboraui, vt non grauatè legam aliorum ſententias quibus, aut meam emendare, aut certè expolire valeam. Ante paucos dies illuſtriſſimus quidam Cardinalis ſponte ſua pollicitus eſt ſe ad me miſſurum cuiuſdam Doctiſſimi Epiſcopi meditationes circa annos Apoſtolorum principis beati Petri conſtituendos, & ea, quæ controuertuntur in illa enumeratione: & hactenùs quidem nondum miſit, animo tamen meo conſtituerant ad te eiuſmodi commentationem deſtinare, quo liberiùs de illa ferre poſſes iudicium, atque ita me facturum in me recipio; niſi id intelligam tibi aliquid moleſtiæ allaturum. Audio te Bibliothecas Romanas diligentius luſtrare cœpiſſe: id ſane nonniſi ad ſingularem eruditionem comparandam accidet: tibique propterea gratulandum eſſe duxi. Quæris poſtremò ſolutionem illorum duorum locorum, qui inuicem diſſidere videntur in libris Regum, quoſque mihi ſcripto reliquiſti. Equidem tot, ac tantis occupationibus prepeditus hactenus fui, vt ne in mentem quidem venerint; quare tu boni conſules, & ingenij mei, & temporis tarditatem. Bene vale, ac mei, vt in tuis precibus, & ſacrificijs memoriam ſerues, etiam, atq; etiam rogo, tuoſq; præceptores meo nomine in Domino ſalutabis. Neapoli 16. Ianuarij 1573. *Matth.* 17.

De miſſo ad ſe volumine de viſibili Eccleſiæ Monarchia Domini Sanderi gratias agit, & autorem multis ac dignis commendat encomiis, ac monet vt regno Poloniæ Rege deſtituto, vt pater conſulat.

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Stanislao Hoſio, S. R. E. Cardinali

Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Domine.

AVIDO ſanè & ſitibundo animo totum Domini Sanderi de viſibili Eccleſiæ Monarchia volumen, tanquam alter librorum helluo deuoraui, ac feſtinanter percurri, quo fidem tuam quamprimùm, vt in me receperam, liberarem. Illud nunc in Vrbem vna cum his literis ad te remitto. Immortales ago gratias Domino meo reuerendiſſimo Epiſcopo Aſaphenſi, qui pro ſua aduerſus me charitate, fructu lectionis tanti libri ad tempus priuari ſuſtinuit, quo magis de te ac de me bene mereri poſſet. Ab amplitudine tua maiorem in modum peto, vt hunc meum animum nec ingratum, nec accepti beneficij immemorem, celatum aut ignotum illi eſſe non permittas, cæterum me huius lectionis, etſi perfunctoriæ & feſtinatæ pœnitebit nunq̃, eſt enim is Dominus Sanderus (ſi quicquam eſt in me iudicij) & in inueniendo diues & copioſus & in dijudicando acerrimus ac perſpicaciſſimus, in ponderandis vero ſiue Scripturarum, ſiue Patrum ſententijs acutus, ſucci ac neruorum refertiſſimus. Multa præclara in hæreticorum dogmatis conuellendis atque expugnandis, pro ſua ſapientia producit, illos egregiè flagellat, viuumque eorum plerumq; tangit. At in propoſito Eccleſiæ Monarchiæ demonſtrando alios ſcriptores, qui de his hactenus commentati ſunt, longo interuallo poſt ſe reliquit, & ita rem confecit, nihil vt plenius, nihil vt fortius, atque luculentius, ſcribi potuiſſe videatur. Profectò de Eccleſia Romana illum optimè meritum eſſe (ſi quis vnquàm alius) quis niſi ingratus & iniquus ſcriptorum arbiter inficiari valeat? Eccleſiam illam ſuper petram ſtructam ſolidis ſcripturarum firmamentis apertiſque Sanctorum patrum teſtimonijs, firmiſq; rationum momentis non tantùm celebrauit, & illuſtrauit, verùm ab omnibus Hæreticorum (qui penè innumerabiles, vt noſti, extiterunt) machinis, fraudib⁹, atq; impreſ-

impreſſionibus vindicaſſe videtur. Gratulor itaque Dei Eccleſiæ, quòd tam ſtrenuum ſortita ſit militem, hoſtium quidem ſuorum impugnatorem acerrimum, at dignitatis & maieſtatis ſuæ inuictum propugnatorem: gratulor quoque ipſi tibi, non ſolùm quòd tuo hortatu & impulſu (vt mihi promptum eſt credere) rem tam præclaram, & Eccleſiæ Dei ſalutarem abſoluerit, & in lucem emiſerit, ſed etiam quòd talem ac tantum virum penes te habeas, & omnibus charitatis officijs pro tua beneuolentia proſequaris. Denique & ipſi Domino Sandero congratulor, non ſolùm ea ratione quod pro fide Catholica, & Christi Eccleſia extorris à patria ſua per tot annos vitam agat, quod certè omnibus fidei oculos habentibus planè eſt glorioſum, & cum multis, & illis quidem illuſtribus in Eccleſia Dei Patribus commune, verùm & illa quoque quæ magni eſt apud me momenti, quòd vt Ioanni dilecto diſcipulo in Pathmos inſulam relegato, abdita Eccleſiæ Chriſti myſteria datum eſt multò antè proſpicere atque deſcribere, ita illi deſuper largitum fuerit, eandem Domini ſponſam ab eius capitaliſſimis hoſtibus (quod attinet ad præcipuam & digniorem eius partem) accuſatam, dehoneſtatam, & omnium criminum ſordibus reſperſam, mirificè propugnare atque defendere, eiusque innocentiam, ſplendorem, & gloriam, vel ipſis hæreticorum oculis, ſi illos aperire velint, intuendam proponere. Qua in re egregiam ac ſalubrem operam ille ſuis Anglis ad fidem orthodoxam reuocandis, & ad Eccleſiam Catholicam tandem agnoſcendam, amplectendamque reducendis operam mihi videtur impendiſſe. Quòd ſi illi obſiſtente tenebrarum principe, & mentes eorum occupante, eam Eccleſiæ gloriam nunc non videant, veniet tamen dies aliquando, quo Dei gratuita munificentia, abſterſa omni hæreſeos caligine illam, ipſam agnoſcant, & cum fructu ſui quondam exulis tandem libros perlibenter legant. interim cùm nullum ſit maius conſcientia theatrum virtuti, vt ille dixit, illo contentus eſſe debebis, & quòd eius ſcripta in pretio apud Catholicos meritò habeantur. Sed ne fortè illuſtriſſime Antiſtes exiſtimare valeas, me quicquam aut tuis aut eius auribus dare voluiſſe, modum orationi meæ ponendum eſſe putaui. Candidi viri eſt ingenuè quòd ſentiat profiteri, & illum qui dignus exiſtat, ſuis laudibus minimè defraudare. Noli quæſo cogitare me hoc teſtimonium mei ipſius gratia reddidiſſe: nam ſcribis me hic regnare, & à regno meo diuelli non poſſe, & malle me haberi hîc primum quàm Romæ ſecundum, atque ob hanc cauſam Dominum Sanderum ſententiam de Monarchia ſiue regno ſuam facilè mihi comprobaſſe, tales enim te cogitationes de me habiturum in animum induxi meum, cùm eſſes hæc ipſa lecturus: verùm cùm regnum meum commune ſit omnibus ſacro initiatis baptiſmo, de quibus ſcripſit Dilectus: *Feciſti nos Deo noſtro Reges, & Sacerdotes*: & talis ſit hæc mea Monarchia. vt Philippo Regi & eius vel minimis miniſtris ſit ſubiecta, profectò non minus pro alijs, atque adeò præ amplitudine tua, quam pro me ipſo Monarchiæ ſententiam amplectendam, ac retinendam meritò arbitratus ſum: parùm falſus rumor his diebus ad nos perlatus eſt, de morte ſereniſſimi veſtri Regis, & plurimùm ſoliciti ſumus de eo, qui in eius locum cooptandus ſit. Neapoli quotidiè per omnia templa & aras preces fiunt pro fidelis, & orthodoxi principis electione, ita enim Pontificem ſummum pro ſuo munere paſtorali mandaſſe credimus. Nos certè quod in nobis eſt, Deo nobis benè fauente, præſtabimus vt debemus. Deus clementiſſimus pro ſua incomparabili bonitate Eccleſiæ ſuæ preces audire dignetur, & tanti regni ſaluti proſpicere. De tuo in Vrbem reditu cogitare cœpi, poſtquam regnum Neapolitanum inuiſere dedignaris: iam pluuijs iſtis quas habuimus cœpit tempus ab illis æſtatis ardoribus nonnihil miteſcere, verùm tu dabis operam vt valetudinem tuam Eccleſiæ Catholicæ, & peculiariter tuæ Poloniæ nunc laboranti diligenter ſerues, quo eius commodis, & incolumitati inſeruire meliùs valeas: vt enim parentum vita filijs dum adhuc per ætatem vel fari, vel ratiocinari nequeunt, neceſſaria iudicatur, ita, vt animum tuum compares, & pectus tuum munias, percupio, quo patriæ tuæ, & ampliſſimo Poloniæ regno, te tanquàm alterum parentem & agnoſcas, & præbeas. Benè vale Illuſtriſſime Domine, tuique ſeruuli Alfonſi memoriam ab omni ſpecie regni nudatam & circumſcriptam in iugibus tuis apud Deum precibus pro tua pietate ne facile excidere patiaris. Doctiſſimos viros, qui tibi aſſiſtunt, Dominos Sanderum & Alanum, nomine meo plurimum ſaluere, à tua benignitate impenſe efflagito. Neapoli die ſacro Decollationis Ioannis Baptiſtæ.

Cic. 2. Tuſ.

* * *

Agit gratias, quòd ſua in lucem edere inſtituat ſcripta, & iudicium ſuum circa librum de Virgine Deipara poſtulat.

Admodum R. in Chriſto P. Alphonſo Salmeroni Petrus Caniſius.

S. D.

Pax Ieſu nobis æterna, plurimum obſeruande Pater,

VENERVNT huc nuper ex Vrbe Patres, & quod nobis auditu periucundum fuit, de R. T. incolumi valetudine, & libris eius in lucem edendis nuntiarunt. Quare bonorum autori Deo non poſſumus non gratias agere, qui hanc R. T. ſenectam adeò firmam vegetamque conſeruat, & pios eius in lucubrando conatus ita proſperat, nihil vt dubitemus fore, qui iam diu deſiderata eius opera cùm huic noſtræ Societati, tum vniuerſę Chriſti Eccleſiæ magnum & decus & commodum allatura ſint. Cæterum vt laudanda eſt prudentia tua, quæ poſteritati victura ſcripta nonum premit in annum, nihilque niſi elaboratum ſtatuit euulgare: ita viciſſim ego ſtultitiæ & leuitatis meritò accuſari poſſum, qui more Germanorum ſcriptorum partus tam immaturos & fœtus informes in meis libris oſtendo. Exemplo ſit optima ſanctiſſimaque Virgo mater non ita pridem à nobis depicta, ſed craſſa, vt aiunt, Minerua, minimeque Apellæis lineis & coloribus expreſſa, vt rudem, impolitumque pictorem docti omnes poſſint agnoſcere. Propitia ſit mihi Deipara, quòd in argumento pulcherrimo decorum ſæpè neglexerim, multaque reſecanda imprudenter admiſcuerim, neque pauca prætermiſerim, quæ ad rem maximè facere videantur. Iudicium omne ſit penes R. T. quæ ſibi magno me beneficio deuinciet, ſi ſuam de toto libro cenſuram, quæ magnum apud me pondus obtinet, liberè aliquando perſcribet. Rogaui certè P. N. Generalem, vt exemplum operis iſthuc mitteret, ſeque ille miſiſſe ſcripſit. Altera editio, ſi Chriſtus faueat, aliquando limatior & plenior futura eſt, præſertim cùm ea emendare cupiam, quæ Patres & eruditi caſtiganda putabunt. De reliquis id genus argumentis tractandis non ſum ſolicitus amplius, quando P. N. Generalis vt à ſcribendo ſuperſedeam, mihi gratiosè permiſit: iſque labor aliis humeris qui ſint firmiores, meritò demandetur. Quòd ſi de rebus noſtris dicendum eſt, ego cum P. N. Prouinciale, vt collegia viſitentur, more noſtro circumcurſito, iuſtamque conſolationem capio è ſpiritali noſtrorum profectu, in quibus viget germanus ille ſpiritus huius inſtituti. Rectiùs hæreret torpens & frigida Germania, ſi è Lutheranis non tam multi Caluiniani paſſim euaderent, & Catholici non altum ſterterent in media tempeſtate. Ora pro nobis Dominum Pater, & veteris indigniique filii Caniſii memor eſſe perge. Oeniponti. 10. Octob. 1578.

Seruus & filius in Chriſto, Petrus Caniſius.

Suam ſententiam profert de præfatione in libros de Confeſſione Fidei Catholicæ Cardinalis Hoſij.

Illuſtriſſ. ac reuerend. D. Stanislao Hoſio, S. R. E. Cardinali
Alphonſus Salmeron S. D.

Illuſtriſſime ac reuerendiſſime Domine.

DOMINVS Georgius hanc in libros tuos de Confeſſione Fidei Catholicæ præfationem bis ad me legendam tuo nomine tranſmiſit. Quam ego ſanè non ſolùm inoffenſo pede percurri, verùm etiam magna cum animi mei voluptate, & doctrinæ tuæ admiratione ſemel atq; iterum perlegi. Spirant autem omnia tua ſcripta (ſi quod eſt in me iudicium, quod ſentio quàm ſit tenue atq; exiguum) nihil aliud quàm ſingularem quandam pietatem cum magnis & eruditionis viribus & eloquentiæ Chriſtianæ ornamentis coniunctam. Cæterùm quoniam Dominus Georgius ſignificabat, tuam Amplitudinem ſummoperè cupere, vt cenſoriis potius quàm amicis oculis hęc ipſa ſcripta tua expenderem, & quid quoquo modo lectores offendere poſſet, indicarem; etſi moleſtè tulerim, tantum mihi abs te tribui, quem loco pręceptoris colui ſemper, & cuius libros exoſculor, & omnibus Theologiæ ſtudioſis amplectendos, & admoneo, & commendo: tamen vt tibi morem geram, dicam quid mihi occurrerit tibi eſſe ſuggerendum, vt de eo maturius deliberare valeas. Hac tua Epiſtola videris mihi multa ſanè, ac præclara, teque ipſo tanto in Eccleſia Dei viro & Regiis auribus cõſentanea, conueniẽtiaq; dare conſilia. Quis enim tam cæcus exiſtat, qui id nõ apertè perſpiciat? Verumtamen vbi de primo Regis Chriſtianiſſimi ingreſſu in Poloniam ſermonem habes, cohortaris eum vt cum hęreticis virum ſe oſtendat, hoc eſt liberum & expeditum Principem, ab

omni fuco & ſimulatione abhorrentem, & auitæ religionis ſtrenuum vindicem, quo facilius queat eorum fraudes, & inſidias eludere, & omnes eorum impetus & conatus frangere. Honeſtum planè & ſanum eſt conſilium; nihil enim magis in Principe Regium, quàm religionis & Fidei Catholicæ aperta & ſyncera profeſſio, vt ſuo exemplo, quod magnas vires habere ſolet, omnes ſibi ſubditos, ſiue nobiles, ſiue populares permoueat; & vt refractarii ac contumaces intelligant quid ſibi à ſuo Rege ſit ſperandum, vel quid timendum. Etſi verò hæc admonitio ſancta ſit, & à religioſo & Catholico pectore profecta, perſpiciendum tamen mihi viſum eſt, vt prius expendas quàm grata & plauſibilis futura ipſi ad quem deſtinatur Regi: deinde quantum tuæ conueniat Amplitudini: poſtremo an tuis Polonis, quos in Chriſto diligis, profutura. Et quod ad primum attinet, poterat hoc tam ſalutare conſilium commodè ſatis priuatis literis ad Regem perferri: quo ille imbutus & perſuaſus, illud quaſi ex ſe natum, & ex ſuo ſenſu depromptum, cum magna populi ſui vtilitate exercere poſſet: at in publicis literis & prælo æternitati commendatis, videris iam teipſum pro magiſtro Regis gerere. Quod etſi iure pro magno dignitatis gradu, quo in Eccleſia Chriſti fungeris, agere valeas, Principes tamen, vt probè noſti, ſecreta magis, quàm publica & amplectuntur & conſectantur conſilia, vt ipſi magis agere, quàm agi, & regere quàm regi videantur. Dubitabam etiam, num eiuſmodi ſuggeſtione, tua penes tuos, quos ſaluos eſſe cupis, periclitaretur autoritas. Cùm enim tantum tibi nomen & vitæ innocentia & ſingularis doctrinæ monimentis meritò comparaueris, cauere debes, ne illos qui in Polonia de fide malè ſentiunt, concitare magis tuis conſiliis, atque irritare, quam ſanare aut docere videaris. Demùm ſi editam à te epiſtolam illi legant, nonne periculum eſt, ne efferaciores reddantur, & in te magis maledici, & in tua ſcripta magis contumelioſi? nam vel ea legere contemnent, ac proinde fructu lectionis priuabuntur, aut ſi legerint, rabidorum inſtar canum, in tua ſcripta, quaſi in lapidem contra ſe proiectum, inſurgent. Hæc erant, illuſtriſſime domine, quæ me in aliam ſententiam trahebant, vt cogitarem magis expedire, ſi priuatis potius literis, quàm publicè editis tam ſalubre conſilium in aures Regis Henrici Chriſtianiſſimi inſtillares. Sed ſtultus ego & imprudens, qui prudentiſſimo & emunctiſſimæ naris viro præſcribere volui. Tu igitur pro tuo ſingulari, & acerrimo iudicio quo polles, cogita, vtrum magis expediat, & pro tua erga me ſumma beneuolentia, audacem meam cenſuram, & à D. Georgio ferè extortam, boni conſulere, & me in tuorum numero habere (vt quidem facis) dignabere. Benè vale. Dominũ Nicolaum Sanderum meo nomine ſalutatum eſſe percupio. Romæ octauo Auguſti, 1573.

Illuſtriſſimæ ac reuerendiſſimæ tuæ Dominationis
humillimus ſeruus & filius in Domino
Alphonſus Salmeron.

Diſſerit de tempore, quo contigit hiſtoria Iudith.

Illuſtriſſime & reuerendiſſime domine.

LITERIS ad me datis petis, vt paucis edisſeram de tempore, in quod prudentiſſimę, & fortiſſimę fœminæ Iudith hæc hiſtoria inciderit, quæ Holofernis Principis militiæ Regis Aſſyriorum capite truncato, & toto eius exercitu decepto ac illuſo, glorioſum triumphum, & immortali memoria, & gloria dignum reportauit. Hoc autem ob eam potiſſimùm cauſam in dubium reuocatur, quòd ea, quæ in lib. Iudith legimus de Arphaxad Rege Medorum, & Rege Aſſyriorum Nabuchodonoſore, non ſatis ſunt comperta atque explorata: minus enim conſtat inter veteres Patres, & diuinarum literarum tractatores, ſiue Chronographos, qui ſcilicet, & quales extiterint eiuſmodi Reges dicti: quare factum eſt, vt in diuerſas ſententias, & opiniones abierint. Potuiſſet ſanè eos ab hac moleſtia, & labore Ioſephus, inſignis, & celeberrimus Iudæorum hiſtoricus liberare, ſi huius hiſtoriæ mentionem vllam in ſuis Antiquit. libris feciſſet, cùm maximè ad Iudaicæ Gentis laudẽ & gloriã illuſtrandam faceret (quem vnum ſcopum ille ſuis voluminibus prædictis attingere inſtituerat) ſed quoniam ille ſibi ab initio legem præſcripſerat, ne quicquam ſuis voluminibus inſereret, quod non eſſet in Sacris codicibus, & Hebraicis monumentis conſcriptum: cõſulto ab iis omnibus, quæ vel Græcis, vel Chaldæis tantum literis erant conſignata, abſtinuit: & huius libri hiſtoria, quæ inſcribitur Iudith, tantum legebatur in Chaldæo, & Græco idiomate, nec ſatis pro Canonica Scriptura ſuo tempore habita: vt mirari proinde nõ debeamus, ſi illam narrationẽ ſilentio ſuppreſſerit magnus ille vir. Eſt aũt operoſum planè, ac moleſtũ, quęſtiones quę ad chronologiã, ſiue ad rationẽ temporum ſpectant, dilucidè euoluere, & explicare, præcipuè ſi cum ijs quæ Canonici, & Diuini libri tradunt, diſſentiant, aut aduerſentur, inuicem illa conciliare, vt ſatis experientia nouerunt, qui ſimiles difficultates explanandas ſuſceperunt, aut interdum periculum fecerunt, quò in con-

cordiam illas redigerent. Hoc autem prophetia Danielis de Septuaginta hebd[illegible]ibus comprobare poteſt, quæ tot, ac tam varias, & diſſentientes interpretationes à Patribus [illegible]it. Sed hæc nō ideò dixerim, quò propoſitæ à te mihi quæſtionis explicationem detrectē, quin potius vt eius difficultatem, & obſcuritatem indicem, quæ doctiſſimorum hominum ingenia torſit, & ſudare coegit. Quidam enim hanc Iudith hiſtoriam referunt ad Cyri tempora, ſiue ad ætatem Cambyſis ſucceſſoris Cyri, vt Metaſthenes Perſa, & Philo Hebræus in ſua temporum hiſtoria; Alij ad Darij filij Hyſtaſpis regnum; Alij verò ad Darium Longimanum; Alij verò, vt Seuerus Sulpitius libr. 1. De ſacra hiſtoria, ad Okum Regem, qui tertius fuit à poſtremo Perſarum Rege. Tum quia illi rebellarunt AEgyptij, & AEthiopes, in quos ingentem ductauit exercitum, quo eos domitos ſuperauit; tum quod hiſtorici, qui eam recenſent narrationem, Eunuchi cuiuſdam Bagoſis faciūt mentionē: ſicut & liber Iudith meminit alterius Eunuchi, Principis Holofernis; Alij verò ad Phraortem Regem Medorum, quem putant vocatum Arphaxad: cuius ſententiæ eſt Zieglerus geographus noſtri ſeculi; Alij poſtremo referēdam tradunt ad Dioclem parentem, ac anteceſſorem prædicti Phraortis, quem Dioclem Herodot. lib. 1. vocat Deiocem, eumque (vt etiam Euſebius in Chronico) tradit ciuitatem Ecbathana ædificaſſe. Vides igitur, illuſtriſs Domine, quot ſint opinantes, quorum quiſque ſuis rationibus nititur; & vndique ſunt labores & anguſtiæ reſpondendi ad ea, quæ vel obijciūtur, vel meritò obijci poſſent. Quòd verò quæ dicturi ſumus, minori labore, & maiori facilitate apprehendere valeas, ſuaderem vt librum ipſum Iudith, qui paruus eſt, non tantum Latinum, ſed etiam Græcanicum prius perlegas; vt argumenta, quæ in hac diſputatione texuntur, minus extranea, & noua eſſe videantur, ſed ex ipſa Scripturæ medulla deſumpta. Proponam igitur primam ſententiam eorum, qui ad Cambyſi Cyri ſucceſſoris Imperium hanc hiſtoriam accommodant, illamque diligentius excutiam: ea enim probè, vt par eſt, & diligenter examinata, & euerſa, facilè reliquæ opiniones ruent, præter eas duas, quas vltimo loco (ſi duæ ſunt, & non potius vna tantum) vt quibuſdam videtur. Prima etiam cum hac ſecunda concurrere videtur. Et præter iam dictos autores accedunt Aug. li. 18. de ciu. Dei. c. 26. Beda lib. 6. de ſex ætat. mundi, & Gregor. Cedr. in hiſt. ſuis, Lyran. in li. Iudith, & Ioan. Dryedon. lib. 3. c. 5.

Aſſerit ergo Philo in Breuiario temporum, quod Arphaxad Rex Medorum non fuerit, ſed quidam Tamirycæ factionis Princeps, qui poſt Cyri mortem inuaſit Mediam, & hunc eſſe Arphaxad. Sed in hanc opinionem multa, & quidem magni momēti, opponi poſſent. In primis, quod hoc loco Arphaxad dicitur regnaſſe in Media, & quod condiderit ciuitatem in Ecbathanis (ita enim Grecè perpetuò legitur) nam Ecbathana, nomen eſt plurium, vt Suſam, & Athenæ, & Thebæ, & ſimiles: at illa condita eſt multò ante Cambyſem, & Cyrum parentem eius: quanquam Plin. libr. 6. cap. 14. Seleuci Regis Alexandri Magni ſucceſſoris, Ecbathana opus eſſe tradat: qua in re mirè deceptus fuit. Nam Seleucus poſt Alexandri obitum, regnum illud occupauit; cum tamen Ecbathana tempore Alexandri magni iam eſſent, vt teſtantur nobiles hiſtorici, Q. Curtius libr. 4. & Arrianus, qui res geſtas Alexandri Magni ex Ariſtobuli, & Ptolomæi (qui Alexandri ipſius duces extiterunt) commentarijs deſcripſit. Imo etiam non tantum ante Seleucum & Alexādrum, ſed etiam ante Cyrum, & Perſas erant Ecbathana. Vnde Strabo li. 11. Geogr. *Media*, inquit, *eſt in partes duas diuiſa, quarum alteram maiorem vocant, cuius metropolis fuit Ecbathana, magna ciuitas, & Medici imperij caput: qua nunc etiam Parthi vt regia vtuntur*. Et paulò poſt: *Media olim Aſia dominata eſt, Syrorum Imperio ſubacto: poſteà à Cyro, & Perſis ea tanto potentia ſublata eſt, ſub Aſtyage tamen multum patriæ dignitatis ſeruauit*. Hæc ille. Herodot. verò lib. 1. Ecbathanorum conditores facit Medos, in gratiā Deiocis (ab alijs dicitur Diocles) ſui Regis, qui primus fuit verus Rex eodem autore: cui poſt quinquaginta tres regni ſui annos defuncto, alios tres Reges Medorū annumerat, nempe Phraortem, qui duos & viginti annos regnauit, Cyaxerſem, qui quadraginta, & Aſtyagem vltimū Perſarum Regem (& qui à Daniele vocatur Darius Medus) qui 35. Adde Diod. Siculum libr. 3. c. 7. qui aſſerit ante huius Dioclis tempora fuiſſe Ecbathana. Scribit enim Arbacem Deioce antiquiorem, & alijs tribus Regibus intermedijs: ita vt Diocles V. fuerit Medorum Rex: Qui, Aſſyriorum Rege vltimo Sardanopolo occiſo, imperium tranſtulit ad Medos, & omnes Aſſyriorum opes, in Ecbathana, Mediæ vrbem traduxit. Hi ergo autores in tempore quidem cōditæ huius vrbis diſſentiunt: in eo tamen cōueniunt, quod ante Seleucum & Alexandrum, imò etiam ante Cyrum extiterint: quare hinc colligitur, quod Arphaxad vrbis illius conditor, Cyrum, imò omnes Reges Perſarum anteceſſerit. Ac poſſent illi autores aptè conciliari in eo, in quo diſſentiunt, ſi dicamus, quod vnus illorū eam ciuitatem cœperit extruere, alius autem amplificauerit, & auxerit, alius poſtremò collapſam reſtituerit diuerſis ſeculis, vt verè aliquo modo dici poſſit illos omnes Reges Ecbathana condidiſſe.

Secundum opponi poteſt prædictæ ſententiæ, quod dicitur iſte Nabuchodonoſor regnaſſe in Niniue, & affectaſſe occupare aliorum Regum Occidentalium regna: ac certè tempore Cambyſis iam non erat Niniue in rerum natura: quia vt lib. 1. tradit Herodot. Niniue fuerat euerſa ante Cyrū & Perſas per Cyaxarem Regem penul. Medorum, qui vltimus cædem patris ſui, Ninum, ſeu quod

idem eſt, N[illegible], ſolo æquauit. Adde quòd etiam tunc Cambyſes Palæſtinam rotam poſſidebat. Tertium o[illegible] quòd Cambyſes dicitur feciſſe hoc bellum anno 12. regni ſui; qui eſſe non poteſt nominatus [illegible] Nabuchodonoſor, quia Cambyſi annos tantum 8. vel nouem tribuunt omnes hiſtorici. Imò etiam cap. 2. Iudith dicitur: *Anno tertiodecimo Nabuchodonoſor Regis, &c. factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor.* Vbi conſolas Græcum exemplar, leges: καὶ ἐν ἔτει ὀκτωκαιδεκάτῳ: hoc eſt, *In anno decimooctauo*: Quomodo ergò cum tantum octo annos regnauerit, factum dicitur verbum in domo eius, anno 18? Quartum hoc opponerem, quod c. 4. Iudith legimus, Iſraelitas ſe præparaſſe ad reſiſtendum Regi Nabuchodonoſori, metuentes ne templum Domini, & Ieruſalem ciuitatē deſtrueret. At tempore Cambyſis Iudæi non voluerunt, neque potuerūt Regi Perſarum reſiſtere, cum eſſent paucíſſimi, qui redierant ex captiuitate in Ieruſalem, facultate, & dono Cyri, qui eorum captiuitatem relaxauit. Tunc etiam Ieruſalem euerſa erat, & remplum omninò deſtructum: & tamen inſinuatur illis verbis, quod ciuitas Ieruſalem ſtaret, & ceremoniæ, & cultus perſiſterent. Quintum obijcerem, quod Iudith 4. traditur ſummum Pont. fuiſſe Eliacim, quem vocat Sacerdotem magnum: & tamen c. 15. dicitur Ioacim ſummum Sacerdotem de Ieruſalem in Bethuliam veniſſe ad videndam ſanctam Iuditham: at tempore Cambyſis Pontifex magnus erat Ieſus filius Ioſedech, de quo 1. c. Aggæi prophetæ ter fit mentio, & 2. ſemel, vbi Propheta alloquitur Zorobabel filium Salathiel, & Ieſum filium Ioſedec Pontificem, cuius tamen filius fuit Ioacim, vt habetur lib. 2. Eſdr. c. 12. Scribit etiam Ioſeph. lib. 15. c. 5. *Defuncto Dario (ſcilicet Hiſtaſpis) per illud tempus, & ſuſcipiente regnum Xerſe, fuit Princeps Sacerdotum filius Ieſu Ioſedec, nomine Ioachim*: Quomodo ergo ſub Xerſe potuit euenire hæc hiſtoria Iudithæ, cum hic fuerit benignus in Hebræos, ſicut Nabuchodonoſor fuit infenſus; ille donis cumulauerit Vrbem ſanctam, & templum, hic omnia voluerit euertere? Ille habebat Iudæos magna ex parte captiuos, etiam Eſdram, hic verò neminem habebat ſeruientē, ſed volebat vlciſci iniuriam, & contemptū eorum qui repugnabāt ſuo imperio, & cur audita morte Holofernis ducis ſui, hic Nabuchodonoſor non perdidit omnes Hebræos? Sextum quod opponi poſſet, eſſet hiſtoria lib. Iudit. c. 5. vbi narratur, Holofernem interrogaſſe Achior Principē Moabitarum, qui nam eſſet populus qui montana obſideret? indicantem ſe nihil ſcire de Iudæorū Gente, aut religione, aut ciuitatibus: quod certe ignorare non poterat, qui paulò ante nouerat, vel noſſe poterat, eſſe à Cyro dimiſſos, vt redirent in Ieruſalem ad reædificandum templum, cuius Cyri ipſe erat & filius, & hæres in regno. ¶ Quòd ſi hæc hiſtoria non contingit ſub Cambyſe, multò minus cōtingere potuit ſub Dario Hyſtaſpe, qui fuit poſterior Cambyſe, vt eædē rationes euincunt, & multò minus ſub Dario Longimano, qui aliquot ætatibus poſt illos regnauit. Et minimè omnium ſtare poteſt ſententia Seueri Sulpitij, qui refert hanc hiſtoriā ad tēpus Artaxerſis Ochi. Neque quicquam valet eius prima coniectura. Quia etiā ſi verum ſit, Regem dictum duxiſſe exercitum contra Ægyptios, & Æthiopas, quos domuit: Iſraelitis tamen & Iudæis nihil mali intulit, quia ſibi parebant. Et denique per totum Imperium regni Perſarum à Cyro vſque ad vltimum eorum Regem & Imperatorem, nullum bellum fuit illis cum Iudæis; imò multa beneficia acceperunt: vt ſoluendæ captiuitatis, ædificandæ vrbis, & reſtaurandi templi; expenſas quoq; pro ſacrificijs, & ornamentis templi eis largas ſuppeditauit: Atq; iſti Reges Perſarum non Nabuchodonoſores, ſed nomine Genti proprio Artaxerſes vocabantur. Hic etiam Artaxerſes, Okus quem vocat, quatuor tantum annos exegit in ſuo Imperio, vt Euſeb. tradit, vel potius res, vt Clem. Alexand. lib. 1. Stromat. docet. Ad ſecundam verò coniecturam: quod Artaxerſes habet ducem militiæ ſuæ nomine Bagoſe, qui neſcio quam tributariam pecuniam iniuſte, & impie exegit à Templo, teſte Ioſepho: Dicimus, eam minus eſſe ſolidam, & firmam. Etenim dux ille Bagoſe, longè diuerſus eſt à Vagao, cuius meminit liber Iudith: quia hic Eunuchus erat Holofernis, ille verò alius non erat Eunuchus, ſed Princeps militiæ. Deinde hic Vagao per V. ſcribitur, ille verò aliter per B. & longè aliud eſt Bagoſes, quàm Vagao. Adhæc iſte Nabuchodonoſor, de quo eſt ſermo in hiſtoria Iudith, & qui miſit Holofernem ad ſubigendos Cilicas, Damaſcum, Idumæos, & populum Iſrael, nullus Rex Perſarum eſſe potuit. Horum enim principatus in totam Aſiam extendebatur, vt docent Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 1. Iuſtinus item libr. 1. Herodotus, denique Ioſephus: at Nabuchodonoſoris huius regnum anguſtum fuit: quod liquidum redditur ex tot Gentium, quæ eius Imperium contempſerunt, & ſe illi oppoſuerunt, multitudine. Non fuit etiam iſte Nabuchodonoſor ille, à quo capti ſunt Ioacim, & Ioachim, & Sedicias Reges Iuda, neque aliquis eius ſucceſſorum, cuius dux Holofernes occiſus eſt à Iudith: Nam vt in 2. Paralipomen. vlt. legimus. ſeptuaginta anni Iudaicæ captiuitatis à Ieremia prædicti ad finem vſque Regum Iudæ captiuorum perdurarunt, quo tempore nec ciuitas vlla erat Ieruſalem, neque templum: hæc autem integra fuerunt tempore Iudithæ, vt verba illa c. 4. teſtantur: Tremor etiam, & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem, & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum. Idem conſtat de Nabuchodonoſore illo victore trium Regum Iudæ prædictorum, qui Danielis dici poteſt; ſicut alter, Holofernis Nabuchodonoſor: nam ille Danielis habitabat in Babylone, iſte verò Holofernis in Niniue. Hæc autem

diuerſitas non ob aliam cauſſam nata eſſe videtur, niſi quod Ioſephus lib.1.contra Apionem Grammaticum obijcit nobis Beroſum reprehendentem ſcriptores Græcos, quaſi vanè arbitratos, à Semiramide Babylonem ædificatam; & affirmantem illam opus fuiſſe Nabuchodonoſori, qui fuit pater Euelmerodachi, quem ſucceſſiſſe Nabuchodonoſori, conſtat ex 4.Regum vltim. Fauent mirum ſanè in modum huic ſententiæ Beroſi illa verba Danielis 4. cap. quæ Nabuchodonoſor traditur dixiſſe: *Nonne eſt hæc Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* quem locum Scripturæ, & Beroſi præferendum cenſeo Latinis, & Græcis. Quare Nabuchodonoſor Holofernis regnabat in Niniue, quia nondum Babylon ædificata fuerat à Nabuchodonoſoro Danielis. Deinde Nabuchodonoſor Danielis primi regni ſui anno cepit Regem Ioacim, & captiuum duxit in Babylonem cum Daniele, & ſocijs: vt colligitur ex cap.1. Danielis: ſecundo verò cap. dicitur, quod anno ſecundo regni Nabuchodonoſor Daniel introductus fuit ad regem ad interpretandum ſomnium eius. Octauo verò regni ſui anno cepit Ioachim, vt habes 4 Regum 24. Decimonono autem duxit captiuum Sedeciam, ex eodem lib. cap. vlt. At verò Nabuchodonoſor Holofernis oppugnauit Iſraelem anno ſui regni 13. vt habet cap. 2. Iudith. Si ergo vnus & idem fuit Nabuchodonoſor, ergo ſex annos poſt victoriam Iudithæ iterum vexauit, & captiuos duxit omnes Iudæos, & Sedeciam Regem: quod apertè aduerſatur vlt. cap. Iudith, vbi hæc habentur: *Manſit autem (Iudith) in domo viri ſui annos centum quinque,* & reliq. *In omni autem ſpatio vitæ ſuæ non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis.* Vnde colligimus, Nabuchodonoſorem Holofernis antiquiorem eſſe omnibus Perſarum Regibus. Deinde alium eſſe illum Nabuchodonoſorem à Nabuchodonoſore Danielis, & poſteris eius: quæ duo dicta ex ſuperioribus probata ſunt. Addo etiam, hiſtoriam Iudithæ non modo vetuſtiorem eſſe Nabuchodonoſore Danielis, ſed etiam eo tempore ponendam, poſt quod tamdiu à bellis vacauerit Iſrael, quamdiu Iudith manſerit in viuis, & aliquot annis poſt eius mortem: etſi incertum ſit quamdiu fuerit ſuperſtes Holoferni. Nam Scriptura tantum refert eam hiſtoriam accidiſſe tribus annis, & menſibus ſex poſt mortem viri ſui Manaſſis, vt habetur cap. 8. & manſiſſe annos 105. in domo viri ſui, vt cap. vlt. Sed quoto vitæ anno nupſerit Manaſſi, quoto eum amiſerit, quoto Holofernem occiderit, quamdiu deinde ſuperuixerit, Scriptura, & Patres nihil tradunt: quibus ignoratis, neceſſe eſt quoque ignorari quamdiu fuerit vidua, & quamdiu fuerit tempus vacationis bellorum in Iſrael. Ideò tempus tam longum pacis Hebrææ non poteſt melius interſeri, quam illi, quo Iudith vidua permanſit: quibus ſi addas quindecim annos antequam nuberet, efficies ſummam annorum, quibus vixit Iudita, centum & viginti. Tempus autem cum viro tranſactum breue eſſe oportuit: tam quia nulli ſunt liberi ab ipſis ſuſcepti; quod ad paucitatem annorum in coniugio non malè referri poteſt: tùm quia florentem Iudithę ætatem teſtatur eius eximia ſpecies & pulchritudo etiam diuinitus aucta, qua vehementer ad ſe tum Aſſyrios proceres, tùm verò in primis Holofernem pellexit, & rapuit. Præterquam quod naturaliter mulieres eam conſeruare ſolent. Vnde legimus Saram vxorem Abrahæ nonaginta annorum tam pulchram & ſpecioſam fuiſſe, vt à Regibus Geraræ, & Ægypti raperetur. Atque ita ſiue fuerit eo tempore quadragenaria, ſiue paullò prouectior, aut minus, eò minus temporis ſupererit dandum paci Iſrael, quam vltimo capite tribuit, nimirum, ſexaginta, aut ſexagintaquinque: qui commodè ponentur inter captiuitatem Nanaſſis, & cædem Ioſiæ Regis à Nechao Rege Ægypti interfecti, 4. Reg. 23. nam ſupra hoc tempus graues memorantur Regum Iudæ & Iſrael vexationes; infra verò nihil ocioſum. Quia Ioſias à Rege Ægypti in bello necatus eſt, & Ioachaz, qui ſucceſſit Ioſiæ, ex voluntate Iudæorum amotus eſt à Nechao Rege Ægypti 4. Regum 23. ſequens verò Ioacim factus eſt ſtipendiarius Nabuchodonoſoro Danielis, qui tunc temporis translatus eſt in Babylonem cum alijs Daniel. 1. Quare inter Manaſſis captiuitatem, & Ioſiæ cædem, vt diximus, hoc pacatum tempus inſerendum eſt. Nam Manaſſes regnauit annis 55. vt legis 4. Regum 21. Amon duobus: vt ibidem habetur, Ioſias verò 31. vt 4. Reg. 20. Manaſſen verò captiuum fuiſſe in Babylone, legimus 2. Paralipom. 33. Verùm regni ſui quoto anno, nullibi exprimitur. Item, vt commodè interſeramus pacem 55. annorum poſt victoriam Iudithæ, coniicere poſſumus, quinto circiter regni ſui anno ductum in Babylonem, & regno mox fuiſſe reſtitutum: ex quinquaginta annis qui ſuperſunt, ad minimum 18. quieuerunt Aſſyrii à vexatione Iudæ: nam ſi tam crebra vexatio fuiſſet, quomodo vſque adeò ignorabat Holofernes Hebræorum Gentem, vt ſupra diximus? Quare 23. Manaſſis accidiſſe victoriam Iudithæ probabile eſt: reliquos 32. Manaſſis annos iunge cum duobus Ammonis, & 31. Ioſiæ, & conficies 65 pacis Gentis Hebrææ poſt Iudith victoriam.

Quibus vt veriſimilibus, & probabilibus poſitis, facile fuerit inuenire quis fuerit ille Nabuchodonoſor Holofernis, & quis Arphaxad Rex Medorum. Nam vt de Nabuchodonoſoro primum dicamus, anno decimoquarto Ezechiæ occiſo à filiis ſuis Semnacheribo, filius eius Aſar-haddon in Niniue ſuccedit 4. Regum 19. hic verò Aſar-haddon nō poteſt eſſe Nabuchodonoſor Holofernis, hic enim 13. regni ſui anno miſit Holofernum in Iudæam: idque, vt ſupra diximus, anno

23.Manaſſis accidit. Probatur etiam ex Beroſo apud Ioſephum lib.1.cõtra Apionem,vbi tradit vocatum Nabulaſſarem,regnaſſeque annis 29.at à 23.Manaſſis ad tertium annum Ioacim,quo cœpit regnare Nebuchodonoſor Danielis,interfluxerũt anni 68. Ideò coniectura ſumitur, Nabuchodonoſorem Holofernis fuiſſe nepotem Semnacheribi,& auum Nabuchodonoſori Danielis,qui omnes regnarunt in Niniue vſq; ad Nabuchodonoſorem Danielis,cum de Semnacheribo id expreſſum ſit 4.Reg.19. De bello verò Arphaxad Medi cum Nabuchodonoſore Niniuita teſtatur Herodot.lib.1. *Phraortes filius Deiocis Rex Medorum,Aſiam ſubiecit, aliam deinceps atque aliam inuadendo, donec ad Aſſyrios oppugnandos peruenit,ad eos Aſſyrios,qui Ninum,ſeu Niniuem incolebant. Aduerſus hos expeditione ſumpta Phraortis,ſecundo ac vigeſimo quàm regno potitus eſt,anno,cum pleraq; exercitus ſui parte perijt:* Hæc Herodot.Similia propè dicit Diodor.Siculus,conueniens in re geſta,ſed diſcrepans in temporibus, & nominibus.Nam lib.3.c.9.refert ſententiam Cteſiæ Gnidii, qui cum Artaxerſe aduerſus Cyrum fratrem eius militans,captus eſt,& ob artem Medicinæ annis 17. apud Regem ſummo in honore fuit:vbi dicit in Annalib.Regum Perſarum legiſſe ſe hiſtoriam quandam,qua Ariſtęus Medus Rex bello maximo à PerſodePerſa duce Caduſiorum(qui non longe diſtant à Niniue) ſuperatus eſt. Quæ verba videntur eadem eſſe,quod ad rem attinet,cum eo quod Herodotus dixit, Inter Phraortem,& incolas Niniues fuiſſe bellum,& in eo ſuperatum:& idem eſt cum eo, quod iſte ait,ſuperatum fuiſſe à Perſode duce Caduſiorum;& cum eo quod hic dicitur,Nabuchodonoſor obtinuiſſe contra Arphaxad Regem Medorum.

Quoniam verò Diocles dicitur condidiſſe Ecbathana ab Euſebio in Chronico,& Herodoto li.1.Et anteceſſor fuiſſe,ſiue parẽns Phraortis,fieri facilè poteſt,vt Diocles ſit iſte Arphaxad quẽ quærimus,& qui per filium Phraortem intulit bellum illud, & contra quem obtinuit Nabuchodonoſor.Et huic ſententiæ vt probabiliori,quoniam nihil hic demonſtrari poteſt, aſſenſum magis præberem,quàm alijs,ſiſtendum eſſe hoc loco,& non progrediendum amplius cenſui.

Obiectionum ſolutio. Primùm igitur opponi poſſunt iſti celebres autores, Metaſthenes Perſa, Philo Hebræus in Chronicis ſuis, qui aliter ſentiunt,vt ſupra memorauimus,& ad Cambyſis tempora referunt. Sed nos facilè reſpondemus,hos libros Annii Viterbien.opera in lucem editos, ſicut etiam Beroſum Chaldæum,& Manethonem Ægyptium;omnibus noſtri ſeculi viris doctis ſuſpectos fuiſſe,& multa confcta & falſa per eos eſſe tradita;multa item inueniri in illis ſcripta,quæ pugnant cum iis, quæ ex veris autoribus à Ioſepho,Hieronymo,& alijs Patribus veteribus citantur: quamobrem, veluti ſpurii,& nothi libri, ab omnibus reiici merentur. Et certè liber ille De chronologia Philonis, nulli veterum cognitus eſt,qui tamen Philonis librorum catalogum contexuerunt, nec illam redolet eloquentiam,quam omnes viro illi diſertiſſimo tribuunt, & quam reliqui eius libri vbique ſpirant.

Secundò producitur ex cap.4.in Græco codice quędam inueniri,quæ in noſtra Hieronymi editione non habentur.Nam vbi nos legimus : *Tremor etiam & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret* (Holofernes ſcilicet)*Ieruſalem,& templo Domini,quod fecerat cæteris ciuitatibus,& templis earum*, adiungitur in Græca litera:*Quia nuper fuerant aſcendentes de captiuitate , & nuper omnis populus congregatus fuit ex Iudæa,& Vaſa,& altare,& domus à profanatione ſanctificata erant.* Quæ ne putes falsò inſerta fuiſſe, eadem etiam in c.5.verſionis Hieronymi leguntur dicta ab Achior Moabita, qui ad Holofernem, & Principes Aſſyriorum reſpondens declarauit qui eſſent populi illi inhabitantes montes : addiditque fuiſſe Iudæos,qui interdum à Deo propter peccata ſua fuerunt à propria terra exterminati, & in captiuitatem abducti. Ac ſubdit: *Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum,ex diſperſione qua diſperſi fuerant,adunati ſunt,& aſcenderunt montana hæc omnia , & iterum poſſident Ieruſalem, vbi ſunt Sancta Sanctorum.*Cùm autem duæ legantur captiuitates,altera per Reges Medorum regnantes in Niniue altera per Reges Babylonis tempore Nabuchodonoſor,& ab illa priori redierint nunquam: à poſteriori verò legamus facultatem redeundi factam per Cyrum, & Darium, & Artaxarſem, atque illos reuerſos in Ieruſalem:videtur quod verba hæc libri Iudith non fuerint impleta in priori captiuitate,ſed in poſteriori;ac ita poſteriorem eſſe ſub Cambyſe,& aliis eius ſucceſſoribus. Reſpondemus:præter has duas captiuitates,multas alias extitiſſe,de quibus,ſi vis, lege librum Iudicum,vbi ſæpius legitur populus Iudæus captiuus ductus,poſtea tamen reuerſus: quod etiam animaduertit Caietanus quodam in loco,& ita non cogimur ad vnam illarum tantum duarum referre,cùm plures extiterint. ¶ Quod ſi vrgeas, quærens quænam fuerit hæc reuerſio, de qua liber Iudith loquitur ? Reſpondebo, fuiſſe illam quę contigit ſub Manaſſe, de quo 2.Paralipomen. 33.legimus, eum vinctum catenis atque compedibus, ductum in Babylonem : Qui poſtea ad ſe rediens,& pœnitentiam agens coram Deo, precibus obtinuit ab eo,vt rediret in Ieruſalem, & reſtitueretur regno ſuo : reuerſus autem,omnia priora mala, & horrenda peccata reliquit, & pietatem & cultum Dei ſectatus eſt. Hanc autem Regis Manaſſis captiuitatem per Principes Regis Aſſyriorum factam,non eſt credendum ſine proceribus, aulicis, & populo Iudæorum, & templi vaſis aureis, & argenteis permultis extitiſſe: nec item reditum fuiſſe ſine Rege, & populo,

& alijs primoribus: vt verè dici poſſit quòd nuper redierant è captiuitate,& populus congregatus fuerat,& vaſa quæ aſportata fuerant,fuiſſe à profanatione ſanctificata,vt exprimitur in reditu è Babel Cyri,& Darij tempore. Tertiò,difficile videtur in concordiam redigere, quomodo vocatur in capite quarto Iudith,Elacim Sacerdos magnus, in 15. verò Ioacim Sacerdos magnus veniſſe in Ieruſalem in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis. Ex quibus verbis duo inſurgunt dubia. Alterum eſt: quia non poterant eſſe duo ſummi Sacerdotes; niſi dicas vnum & eundem fuiſſe,etſi nomina diuerſa ſint. Deinde ſi vnus fuit, certè in catalogo Pontificum Iudæorum, cuius meminit Ioſephus,& alij,nullus legitur Eliachim,nec vſque ad illud tempus, quo hanc hiſtoriam accidiſſe diximus,vllus fuit Ioachim ſummus Sacerdos; etſi verum ſit,quod Ieſu filij Ioſedech,filius extiterit, Ioachimus vocatus,vt habet Nehem.cap.12. Alterum dubium eſt: quia in litera Græca non legimus diuerſa nomina Eliachim,& Ioachim,ſed tantùm Ioachim, tàm cap.4. quàm 15. & quidem cum duplici articulo. Nam in priori loco legimus: ϰ̀ ἔγραψε Ἰωακεὶμ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας, ὃς ἦν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐν Ἱερουσαλήμ. E paullò poſt: Καθὰ κατῆξεν αὐτοῖς Ἰωακεὶμ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας. quod ipſum cap.15. ſimiliter repetitur. Vel ergo Græca iſta interpretanda ſunt per editionem Hieronymi ex Chaldæo vocantis illum Eliacim, vel è contrario Chaldæa per Græca exponenda, vt ita inueniatur vnus tantùm ſummus Sacerdos in populo Dei iuxta legem Moyſi. Ἰωακείμ Sed, vt hæc melius intelligantur, non putaui ab re fore, ſi præmittamus, Græcum codicem libri Iudith probatum fuiſſe tanquam Canonicum per Synodum Nicenam; at verò editionem Hieronymi ex Chaldæo ſumptam probatam eſſe ab Eccleſia Catholica,& maxime in Synodo Florentina,& Tridentina confirmatam. Codex autem Græcus in Synodo Nicena probatus eſt, teſte Hieronymo in prologo eiuſdem libri: quia editio Hieronymi facta ex Chaldæo codice, nonniſi poſt centum annos à Synodo Nicena facta eſt à Hieronymo: Quomodò ergo potuerunt probare Patres illi tamen librum ex Chaldæo à Hieronymo nondum conuerſum, ſed poſt plures centum annis interpretandum? Ergo neceſſarium eſt aſſerere, confirmaſſe Græcum codicem: & ita quicquid in eo continetur, probandum eſt, & retinendum vt Canonicum. Quòd ſi quis obijciat, Græcum codicem Iudith, quem modo habemus, verum non eſſe, ſed alium fuiſſe: oſtendat mihi talis, aliud Græcum volumen ab eo qui nunc circumfertur, approbatum fuiſſe: nam huius rei probatio ad obijcientem tantùm pertinet. Quare vtraque editio, tàm ex Chaldaico Latina, quàm Græca recipienda eſt, & neutram alteri aduerſarij, aut repugnare in aliqua re præcipua demonſtrandum eſt à Catholicis: & ſi in aliqua re videantur in ſpeciem contradicere, omni conatu contendendum, vt redigant in concordiam: quemadmodùm in cæteris quoq; Scripturis ſacris facimus.

His poſitis, reſpondeo ad prius dubium, vnum tantùm fuiſſe ſummum Sacerdotem, ſiue ille dictus ſit Eliachim, ſiue Ioachim, Sunt enim diuerſa quidem nomina, etſi ſignificatione ſint eadem omninò. Vtrumque enim ſignificat Domini reſurrectionem: quòd nimirum ſummorum Pontificem,& Epiſcoporum munus ſit ſuſcitare Spiritum Domini in ſeipſis, & in alijs. Addimus etiam ex Philone, vnum pro altero nomen apud Chaldæos,& Syros vſurpari: quod confirmatur Scripturæ teſtimonio. Nã 4.Reg.23.& 2.Paralipom.33. Pharao, Nechào (interfecto Ioſia Rege Iuda) cum populus terræ filium eius Ioachaz in Regem vnxiſſent pro patre ſuo: ſuſtulit illum, & pro eo Eliacim filium Ioſiæ poſuit, vertitq; nomen eius Eliacim in Ioacim: & ob eam cauſam dici poteſt quòd vnum nomen ſumitur pro altero. Quòd ſi Eliacim non fuit ſummus Sacerdos, nec inter tales computetur, probabile tamen eſt, tàm ipſum, quàm parentem eius Helciam, propter propriam & paternam pietatem,& vitæ ſanctitatem, atque integritatem, in magno honore habitos fuiſſe: quia ſub impientiſſimis Regibus Manaſſe,& Ammon ſanctiſſimè vixerint, & populum in cultu Dei retinuerint, etiamſi ſecundi ordinis Sacerdotes eſſent,& non ſummi. Qui quidem Eliacim cap.22. Eſaiæ vocatur Præfectus domus Domini, illique pollicetur ſummum Sacerdotium, dum ait: Et erit in die illa: vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ. Et induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum: & poteſtatem tuam dabo in manu eius: & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem,& domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet,& non erit qui claudat: & claudet,& non erit qui aperiat. Vides ergo quomodò promittuntur claues, quæ eſt poteſtas Sacerdotalis, ac planè ſumma; & quòd vocetur Præfectus domus Domini? Ac ita nomen ipſum Eliacim, ac res eius geſtæ, quę habentur 4.Reg.18. confirmant quòd hęc acciderint ſub tempus Ezechiæ,& Manaſſis.

Ad alterum dubium, vbi mentio fit in omnibus his locis Ioacim, vel Eliacim, dum obijciebatur in Græco codice ſemper legi, Ioachim: Reſpondemus, hæc ita interpretanda eſſe, vt conueniant cum Eliacim, quod eſt in Chaldæo codice: quia vt prædiximus, vnum nomen pro altero ſumi ſolet,& ita ſibi non contradicent: vnde non Chaldęa per Græcam, ſed Græca per Chaldæam literam interpretanda eſt: & ita cauendum, ne per Ioachimum ſummum Sacerdotem, intelligamus illum, qui fuit filius Ieſu filij Ioſedech,& qui fuit multis annis poſterior Manaſſe, & hiſtoria iſta Iudith, vt probatum reliquimus.

Quarto loco obijcimus, durum videri, quod aſſerendum eſſe probabilius diximus, Arphaxad fuiſſe Dioclem, aut Phraortem, vt quibuſdam vero ſimile viſum eſt ob dictas cauſſas: quia ſemper nominum Regum magna variatio, & diuerſitàs: nam nomina aut ſunt Aſſyriaca, aut Medica, aut Chaldæa, quæ adeò ſunt Barbara, vt, ad eorum mitigandam duritiem, aut à Græcis ſcriptoribus inflectantur ad formam Græcam, vel Latinam, aut alijs vocibus Græcis deſignentur. Hinc Rex Aſſyriorum vltimus, qui Tonſcoleres appellatus eſt, à Græcis dictus eſt Sardanapalus: Rex item Aſtyages, teſte Euſebio in Chronico, à Græcis, Apanda nomen accepit; quē tamen Daniel cap. penè poſtremò vocat Darium Medum: Herodotus etiam, variata vna litera, Dioclem, Deiocem appellare conſueuit. Quidam prætereà leguntur multa nomina habuiſſe.

Hæc ſunt, illuſtriſſime domine, quæ in propoſiti dubij ſanè grauiſſimi diſſolutionem occurrebant. Tuum eſto iudicium, & boni conſulito (vt ſoles) tantam rerum ſyluam, & quæſtionum farraginem. Non ignoro hæc breuiùs, ac dilucidiùs potuiſſe explicari, ſi tempus ſuppetijſſet, ac fuiſſet neceſſe. Bene ac feliciter te in Chriſto valere, maiorem in modum, vt par eſt, exopto, & à Deo Opt. Max. aſſiduis precibus obtinere contendam. Datum Neap. 16. Kalend. Decem. 1584.

Illuſtriſſimæ & reuerendiſſimæ Dominationis tuæ

obſeruantiſſimus ſeruus in Domino

Alfonſus Salmeroni.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC TOMO QVARTO IN ORDINE AVTEM DECIMOSEXTO EXPLICANTVR.

Prior numerus paginam, poſterior columnam indicat.

EX GENESI.

Cap.32. *NEquaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.*251.2.

EX LIB. IOB.

Cap.38. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina.* 157.1

EX LIB. PSALM.

Pſal.33. *Qui non vult vitam diligere, & dies videre bonos, explicatur.*80.2.

Pſal.89. *Ne auertas hominem in humilitatem, &c.* 136.2.

Pſal.111. *Iucundus homo qui miſeretur & cõmodat.* 296.2.

Pſal.130. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, &c.*67.2.

EX CANTICIS.

Cap.1. *Nolite mirari quòd fuſca ſim. &c.* 252.2.

EX LIB. SAPIENTIAE.

Cap.5. *Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia, &c.*229.1.

Ibidem. *Laxati ſumus in via iniquitatis, &c. pag.*301.2.

Cap.8. *Non habet amaritudinem cõuerſatio illius,* 154.1.

EX ECCLESIASTE.

Cap.3. *Mundum tradidit diſputationi eorũ, &c.* 205.2.

EX ECCLESIASTICO.

Cap.1. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat.* 229.1.

Cap.15. *Non dicas: Ille me implanauit.*14.1.

Cap.39. *Narrationem virorum nominatorem conſeruabit.*131.3.

EX ESAIA.

Cap.40. *Omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius, &c.* 64.2.

Cap.53. *Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus,* 67.1.

EX THRENIS IEREMIAE.

*Defecerunt præ lacrymis oculi mei.*263.2. Cap.2.

EX OSEA.

*Qui aliquando non populus Dei, &c.*52.2. Cap 2.

Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus, &c. 72.1. Cap.3.

EX MATTHEO.

*Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, &c.*24.1. Cap.5.

*Non poteſt arbor bona, &c. &, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*263.2. Cap.7.

Maria autem ſedens ſecus pedes Domini. 147.2. Cap.11.

Hic eſt filius meus dilectus, &c. 120.2. Cap.17.

EX IOANNE.

*Qui non ex ſanguinibus, &c. p.*149.2. Cap.1.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt, &c 6.2. Cap.3.

*Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo. col.*1. 203.1. Cap.17.

EX ACTIBVS APOSTOL.

*Et occidiſtis eos qui pronuntiabant aduentum Iuſti,*46.2. Cap.7.

EX EPIST. AD COLOSS.

*Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto, &c.*253.2. Cap.3.

EX EPIST. AD PHILIP.

*Apud quem non eſt tranſmutatio, &c.*15.2. Cap.2.

EX I. AD TIMOTH.

*Qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium.*202.2. Cap.4.

EX 2. PETRI.

*Melius erat illis non cognoſcere, quam poſt agnitionem, &c.*41.2. Cap.2.

EX EPIST. IACOBI.

*Si autem frater, aut ſoror nudi ſint, &c.*268.2. Cap.1.

FINIS.

INDEX SENTENTIARVM NOTABILIVM QVAE IN HOC QVARTO IN ORDINE AVTEM DECIMOSEXTO TOMO CONTINENTVR.

A.

AB initio quid in Scripturis ſignificet.150.1.
Abraham an ex operibus iuſtificatus fuerit, vel ex fide 20.1.
Abſtinere à carnalibus deſiderijs proprium peregrinorum. 73.2.
Acceptio perſonarum vnde dicatur. 20.1.
Acceptio perſonarum quid ſit.ibid.
Acceptio perſonarum quibus fugienda.pag.21.2.
Acceſſus ad Deum quotuplex.255.1.
Adæ prophetia de mundi interitu. 134 2.
Adæ inobedientia cur præ cæteris nobis imputetur. 186.1.
Admiratio quid ſit,& eius effectus ibid.2.
Adoleſcentes qui debeant eſſe ſubditi ſenioribus. 130.1.
Adoleſcentes qua doctrina egeant.224 2.
Adoratio imaginum quomodo defendenda ſit contra hæreticos 326.1.
Aduena & Proſelytus in quo differant.51.1.
Aduentus Domini iuſtis deſiderabilis;& quanta erit eius certitudo 212.2.242.1.
Ærrugo & ferrugo in quo differant. 42.1.
Ætatis humanæ quot ſint diſtributiones. 10.2.
Æternitatis Dei natura.224.2.
Agricolorum officium.43.2.
Alogiani cuius dicant eſſe Apocalypſim. 359.1.
Amantibus bonum nihil nocet.81.1.
Amen quid ſignificet.326.1.
Amicus ſeculi,cur inimicus Dei conſtituatur. 37.2.
Amici huius mundi,adulteri appellantur. 36.1.
inter Amorem & dilectionem quorundam diſtinctio.226.1.
Amor Patris & mundi cur mutuò ſe expellunt. 287.1.2.
Amor quomodo ſit rependendus Deo.291.2.
Amoris diuini conſtantia.297.1.2.
Amor Dei & proximi quam inuicem coniuncti. 298 1.2.
Amoris antiquitas.278.1.
Anandapodoton quid ſit.125.1.
Angelorum reuerentia erga Euchariſtiam. 60.1.
Angeli in quem & quomodò deſiderant proſpicere. 61.2.
Angelorum natura à quibus affectionibus ſit libera.123.2.
Angeli mali cur alij incubi,alij ſuccubi.ibid. & 125. 1.
cur Angeli aliqui non egerent pœnitentia 127.2.
Angeli caſus irreparabilis,& eius ratio.128.1. 2.
Angelus & homo quatenus mortales ſint. 153. 1.2.
Angelorum cooperatio ad fidem. 157.1.
Angelorum proprium 163.1.
Angeli quo ſanguine Agni vicerint Draconẽ. 178. 1.
Anima adultera quæ ſit.37.1.
Animo æquo qui eſt, quomodò pſallat.45. 2.
Anima cuius peccatoris conuerſi, an conuertentis ſaluetur.49.1.
Anima noſtra qualiter naturaliter intelligat.156.1.
Animabus purgatorij quotupliciter innotuit Deus 166.2.
Anima quieſcendo fit ſapiens.17.1.
Annulus aureus quibus conueniebat.21.2.
Annorum noſtrorum & Dei diuerſa eſt ratio. 137. 1.
Annuntiare & precari ſalutem, qui differant.146.1.
Annuntiatio Verbi diuini quoties facta ſit.169. 2.
Antichriſtus quos perdet Domino permittente. 13. 1.
Antichriſtus quid myſticè ſignificet.231.1.
Antichriſti qui ſint,& quomodò fugiendi ibid.2.
Antichriſtus ſingularem ſceleratiſſimum ſignificat. 231.2.
Antichriſti qui ſint nunc.232.2.
Antichriſtorum exitus ſalutem affert fidelibus. 234. 1.
Apocalypſis an ſit liber Canonicus.346.1.
Apocalypſin qui Eccleſiæ Doctores & Concilia acceptauerint.ibid.
Apocalypſin negantium quantum ſcelus. 348.1.
Apocalypſin qui interpretati ſunt ex Latinis. 358.1.
Apocalypſin qui hæretici receperint.ibid.
Apocalypſis quis fuerit autor. ibid. & ſequentibus.
Apocryphum quid dicatur.337.1.
Apollo Alexandrinus vnde euaſit Chriſti præco.29. 1.
Apoſtaſiæ crimen quam atrox.132.1.
Apoſtoli partes quæ 50. 1.
Apoſtolorum mira conſenſio in verbis.66 1.
Apoſtoli columnæ Eccleſiæ 258.1.
Apoſtoli quomodo ſint teſtes Chriſti.215.2.
Apoſtoli cur nihil acceperint pro prædicatione. 335. 1.
Apoſtolorum quanta ſit poteſtas in oppugnatores prædicationis.ibid.
Apoſtoli cur ſint primitiæ creaturarum Dei.16.2.
Apparitio Dei quid ſit 243.1.
Aquila Ponticus, Chriſti hoſtis teterrimus.52.1 2.
Areopagitarum iudicium integritas. 21.1.
Arnobij quot fuerint. 110.2.
Arrogantia quibus ſubrepat.82.1.2.
Attributa diuinarum perſonarum.150.2.
Auditores legis,& non factores qui ſint, & cur ſeipſos fallant.17.2.
Auditores boni conditiones quæ.147.1.
Auditus cur à natura tribuatur animali.156.1.
Auditus cur præferatur viſui. 156.2.& de quo auditu intelligatur.
Aue an dicens hæretico,communicet cum eo. 332.2.
Aurum & argentum quid.58.2.

B.

BAbylonia duplex.107.2.
Balaam cur dicatur filius Boſor.131.1.
Baptizati fomitem retinent.14.2.
Baptiſmus quomodo ſit antitypon paſſionum Chriſti,& quæ ſit typi natura. 188.1.

Baptiſmi

Baptiſmi efficacia.180.1
inter Baptiſmum & pœnitentiam diſcrimen. 194.1
Baptiſmus in nomine Chriſti cur ſufficiat ad ſalutem.237.2
Baptiſmi triplex genus.310.2
Beatus in facto ſuo quid ſignificet.18.2
Beatus quid ſit apud Platonem.254.1
Beatorum & viatorum diuerſa conditio.221.1
Beneficij magnitudo ex quibus penſanda.63.1
Bernardi magiſtri qui fuerint.240.2
Beſtiæ an omnes ſint edomitæ à natura humana. 28.2.& 31.2
Bezæ error de corpore Moyſis notatur.343.1
Bonum & malum non ex eadem cauſa & pari proficiſcuntur.22.2
Bonorum operum effectus quis.246.2
Bona opera quomodo generent fiduciam,ibid.
in Bonis operibus an liceat confidere.248.1

C.

CÆcitas hominum de mundi interitu.134.2
Cæſaris erga Pompeium clementia.332.2
Cain & Abelis mortũ diſcrimen.265.2.& 266.1
Canis vnde cognoſcat ſuum dominum.153.1
Carceris officium quale.85.1
Caro & homo in bonam & in malam partem aliquando ſumuntur.207.1
Caſtificare animas,quid.6.1
Catonis dictum de vſura.130.2
Cauſa bellorum quæ.36.1.2
Ceti & delphini homini parent.32.2
Charitatis neceſſitas.57.1
Charitas creata & increata.165.1
Charitatis quid ſit proprium.328.2.263.2
Charitas Dei erga nos vnde cognoſcatur.290.2
Charitatem hanc quæ nobis extorqueant, ibid.& 291.1
Charitas Chriſti in nos quanta.53.2
Chiliaſtę hæretici quare ſic dicti.356.1
Chriſti in Iudæos longanimitas.43.1
Chriſtus qualis Samaritanus 46.2
Chriſti paſſiones & gloriæ quæ.61.1.2
Chriſtus qualis agnus immaculatus, & præcognitus ante mundi conſtitutionem,in nouiſſimo tamen manifeſtatus.63.1
Chriſtus lapis viuus ab ædificantibus reprobatus,à Deo electus.68.2
Chriſtus lapis Sion dicitur 69.2
in Chriſtum credentis ſalus.70.1
Chriſtiani populi prærogatiua.72.2
Chriſtiani ſubiecti eſſe debent omni humanæ creaturæ propter Deum.74.2
Chriſti crucis & mortis meritum apud Deum.77.1
Chriſti liuor qualis,ibid.
Chriſtus qualis Epiſcopus,ibid.
Chriſtiani cõiuges quam calumniam olim ab Ethnicis ſuſtinerent.78.1
Chriſtianorum coniugum ornatus qualis.79.2
Chriſtianorum ornatus qualis illicitus & damnabilis.80.1
Chriſtus an prædicauerit apud inferos.83.1
Chriſti mors & reſurrectio quomodò repræſententur in baptiſmo.89.2
Chriſti paſſionis recordatio,quantum animæ robur afferat.90.2
Chriſtum quid ſit deſinere à peccatis.91.1
à Chriſto quæ lex fuerit nobis impoſita,ibid.
Chriſtiani veri non debent concurrere in infidelium confuſionem.91.2
Chriſtiani cur ſpectaculis prohibeantur.92.1
Chriſti paſtoris inſignia.99.2
Chriſti paſcua quæ,ibid.
Chriſti qualis rugitus.106.2
Chriſti iuſtitia quæ.113.2
Chriſti mores qui;& quæ ſigna.151.2
Chriſtus in vellere cur repræſentetur.153.1
Chriſti ſanguis quomodo emundet à peccatis, 175.1
Chriſti virtutes 175.2
Chriſti dulcedo,176.1
Chriſti & Ieſu nomine quid ſignificetur,ibi.2
Chriſti redemptionis & obedientiæ quotuplex modus.192.2
Chriſtus cur dicatur pater futuri ſeculi.194.2
Chriſtus poteſt dici paracletus 195.2
Chriſtus an admittat alios aduocatos ſecum.197.2
Chriſtus quæ dona in nobis infundat,ibid.
Chriſtus aliter ſaluat,& aliter ſancti.ibid.
Chriſtus vt exemplar nobis proponitur 198.1
Chriſtus an humano more oret pro nobis Patrem, ibid.
Chriſtus qualis ſit noſter propitiator.99.1
Chriſtus ſacrificium eſt pro peccatis,200.1.2
Chriſtus ſolus eſt perfectus propitiator, & non alius.201.1
Chriſtus quotupliciter propitietur.ibid.
Chriſtus aliter propitiatur quàm ſacerdotes. 201.2
Chriſtus an ſe obtulerit in pretium pro hominibus vniuerſis.202.2
Chriſtus quomodo ſe obtulerit in pretium pro actu damnatis,203.1
Chriſtus quo ſenſu pro mundo non orat,ibid.2
Chriſtus eſt lux.170.2
Chriſtus aliter, aliter Angelus & homo illuminat, ibid.
Chriſti lucis efficientia in quibus operetur 171.1
Chriſtus an obumbratus fuerit aliquando ibid.2
Chriſti magnificentia an potuerit pro omnibus peccatis ſatisfacere.204.2
Chriſti fides quàm neceſſaria.237.2
Chriſtum negantes & Eccleſiam,quomodò dæmon conſoletur,238.1
Chriſtus iudex cur omnibus apparebit,244.1
Chriſtus quomodo ſit iuſtus,& iuſtitia noſtra, 248.2
Chriſtus ſolus poterat nos ab omni peccato mundare.257.2
in Chriſto manens an peccet, ibid. & an cognoſcat Deum.258.1
Chriſtus iuſtus fuit per eſſentiam.259.2
Chriſtus vbi mandauerit dilectionem fraternam, 264.2
Confeſſio Chriſti duplex eſt neceſſaria.295.1
Chriſti hominis quæ ſint propria.296.2
Chriſtiani quomodo debeant ſicut Chriſtus ambulare.293.2
per Chriſti pedes quid intelligat Scriptura.214.2
Chriſtianorum ordo quomodo ſit diſtribuendus. 221.1
Chriſtiani quibus armis malignum vincant, 275.1
Chriſtus quomodo emiſerit aquam cum ſanguine. 306.1
Chriſtus quomodo venerit per aquam & ſanguinem.ibid.2
inter Chriſtum, Moyſem, & Ioannem diſcrimen, ibid.
Chriſtus cur ſit via & veritas.307.1
Chriſti teſtimonium de Trinitate quantum robur habeat.309.1

de Chriſto quotuplex teſtimonium præbere debeamus.311.1
Chriſti duo effectus.371
Circumciſionis infirmitas.81.2
Clerus quid, & quomodo Clerici ſint forma gregis.103.1
Cœlum & terra an ex aqua, & per aquam ſint effecti.135.1
Cœli propria acceptio in Scripturis, ibidem
Cœli quomodo conſiſtant per aquam, ibid.2
Cœlos igne diſſolui, an ſit à motu deſiſtere.138.2
Cœli an ſint ſyderei, vel elementales, ibid. & de hoc Ariſtotelis opinio refellitur.
Cœlum quotuplex 139.2
per Cœlum nouum, & nouam terram quid intelligatur in Scripturis.140.2
Cœli materia an ſit diuerſa à materia cœli, contra Ariſtotelem, ibid.
Cœli & inferni diuerſa loca.195.1
Cognitio Dei cum mendacio qualis.210.2
Cognitio diuerſa Chriſti puerorum, adoleſcentum, & ſeruûm.223.2
Collega, ſodalis, ſocius, in quo differant.157.1
Communicatio bonorum ſpiritualium quomodò eſt ſine inuidia, ibid
Concordia Petri & Pauli in docendo.56.2
Concupiſcentiæ effectus quis ſit.14.2
Concupiſcentia vna & multiplex.37.1
Concupiſcentiæ fuga quæ.116.2
Concupiſcentia quæ ſpiritualis, & quæ carnalis, ibid.
Concupiſcentiæ motuum duplex emundatio.178.2
Concupiſcentia in renatis remanens an ſit peccatũ. 180.1. & cur peccatum appelletur, ibid. & quid de hoc ſentiat Auguſtinus, ibid.2
Concupiſcentia in non baptizatis an ſit peccatum 181.2
non Concupiſcere, quomodo ſit dictũ in lege. 181.1
Concupiſcentia carnis, & oculorum quid ſit.227.2
Concupiſcentia triplex in Adam, & eius in Chriſto victoria.232.1
Concupiſcentia mundi an tranſeat, ibid.
Confeſſionis variæ acceptiones in Scriptura.184.1
Confitendi falſi modi qui.184.2
Confeſſionis veræ conditiones quæ.185.1
Confeſſio generalis cur minime ſufficiat ad ſalutẽ 47.2
Confeſſionis ſacramentalis fructus.48.1
Conſcientia hominum quando negligenda.76.1
Conſcientiæ teſtimonium non ſpernendum. 263.1
Contemptus noſter de diuina ſocietate vnde proueniat.167.1
Contentionum quot ſint genera.54.1
Conuerſatio inter Gentes bona, quæ.73.2. & eſt neceſſaria, ne Gentiles obtrectent, ſed glorificent Deum, ibid.
Conuerſio peccatoris, cùm ſit Dei, cur homini tribuatur 49.1
Cor homines quomodò ornet.79.1
Cordis noſtri triſtitia vnde.171.1
Corona vitæ & iuſtitiæ cur à Paulo immarceſſibilis, & à Petro ſpei nominetur.12.1
Corona gloriæ immarceſſibilis quantum præmiũ 103.1
Corpus circumducere, quid ſit.30.2
Creaturis cur ſe Deus commiſceat.157.1
Credere Deum, & credere in Deum, quomodò differant.26.1
Crudelis apud Deum nullam miſericordiam inueniet.20.1
Crucis encomia.64.1
de Cultu fœminarũ leges Petri omni tempore conueniunt.80.1
Cupiditas radix omnium malorum.96.2
Cupiditates hominum variæ, ibid.
Cuſtodiæ erga ſe modus.255.1

D.

DÆmonum illuſiones in lamijs.92.1
Dæmonis ingenium, leonis ſimile.105.1
Dæmonis aſtutiæ.106.2
Dæmones quando ſuſtinebunt extremam damnationem.125.1
Dæmonum qui nondum ſunt in terrarum detruſi, qui locus, ibid.2
Dæmones cur ceciderint.125.2
Dæmones mali vnde.337.1
Dæmones quomodo dereliquerunt ſuum principatum 334.1
Dæmonum ſuperbia vnde oriatur.272.2
Dæmonis conatus in hæreticis impotens.305.1
Dauid cur immutarit vultum, vt comederet panes propoſitionis.67.2
Delictum inceſſabile quod.130.2
Deprecatio iuſti quantum valeat apud Deum. 42.2
Deprecatio & oratio in quo differant, ibid.
Deſideria prophetarum pia 86.1
Detractio vnde dicatur.66.2
Detractio quid ſit.39.1
Detrahit quis Legi, ibid.1
Deus neminem tentat, etſi aliquando in Scripturà tentator dicatur.12.2
Dei miſericordia extollitur.11.1
Deus cur dicatur intentator malorum.12.2
à Deo vir reprobus cur non tentatur.13.2
Deus nemini dedit ſpatium peccandi.14.1
Dei permiſſio ſæpè dicitur in Scriptura, ibid.1.2
Deus cur pater luminum dicatur.15.2
Deificatio quid ſit.59.2
Dei in peccatores magna ſeueritas.86.1
Deus quot annos expectauerit peccatores ad pœnitentiam.87.1
Deus cur Noe per arcam ſeruauerit, cùm aliter poſſet, ibid.
Dei promiſſio quæ maxima ſit.116.1
Deus vnde maximè celebretur.126.1
ante Deum mille anni, cur vnus dies dicantur. 137.1
àn Deus voluerit aliquos perire, ibid.2
Deus cur condiderit cœlum aliquando diſſoluendum.140.1
Dei ſolius proprium quid ſit.152.1
Deus omnia eſt incontractè, ibid.
Dei potentia quatenus incarnatione terminetur. 154.2
Deum eſſe fidelem, ex quibus oſtendatur. 186.2. & humana infidelitas, aduerſus Deum, ex quibus? ibid.
Deus qualem ſe præſtitit in baptiſmo, & confeſſione.194.1
Dei eſt gratiam infundere, & animam rationalem creare.194.2
Dei eſſe ab eſſe creaturæ in quo differat.163.1
Dei motus qualis ſit.169.2
Deus lux eſt immenſa.170.1.2
Deus cur varijs nominibus appelletur in Scriptura, ibid.
Deus quibus ſit lux inacceſſibilis.171.2
Deus mundo non comprehenditur 205.1.2

Deus amor eſt dupliciter. 311. 1
Dei voluntatem faciẽs, quomodo in æternum maneat. 230.1
Dei cognitio qualis. 242.1
Deus quomodo in nobis abſcondatur. 243.2
Deus an ſit iuſtus 249.1
Dei amor erga homines. 251.1
Deus ſine ſpecie vlla per ſe immediate videtur, 254. 1
Dei quid ſit proprium. 257.2
Deum an aliqui viderint. 292.1
Deus qua dilectione delectetur. 298.2
in Deo quomodo ſimus. 213.1
Deus quomodo ſit imitabilis per Chriſtũ. 21.3.2
Deus nullum finem extra ſe habet. 265.2
Deus aliter hominibus vitur, & aliter dæmon 268. 1
Dei filius quã cõuenienter ſit incarnatus. 268.2
Deus an puniat bis in idipſum. 340.1
Diabolus ſemel victus aliquando victorem iterum propulſat. 38.2 (2.
Diaboli draconis voracitas, & quos laceſſat. 105
quæ Diaboli opera diſſoluat Chriſtus. 290.
in Diaboli pugna nos fortiores. ibid.
Diabolus cuius mundi princeps dicitur 173.1
Diabolus rectè accuſator nominatur in ſacris literis. 260.2
Diaconorum officium quale 95.1.
Dilectionis conditiones quæ. 226.2
Dilectio inimicorum an ſit præcepta. 293.1.
Dilectionis præceptum an ſit nouũ, vel vetus, 184. 1 & quomodo fuit innouatũ a Deo. ibi.
Dilectionis proximi præceptum an fuerit ſemper in populo Iudaico. 217.1
Dilectionis præceptum quam late patet. 265.2
Diligentes fratres de qua morte ſint ſublati ad vitã: & in qua maneant nõ diligentes. 267.2
Dilectio fraterna quam neceſſaria in Eccleſia. 219.1
Dilectionis præcepti de moriẽdo pro proximo, tres ſunt conditiones. 269.1
Dilectionis pceptũ quomodo obſeruetur. 301.1
Diligere in veritate, & ingredi in veritate, quid ſit. 334.1
Diſtinctio ſedium Epiſcopalium à quibus facta ſit. 100.2
Ditioni Eccleſiæ ſpirituali, an ſit annexa temporalis. 101. 2
Diſcipulus quomodo quis fiat verbi, & Angelorum. 241.2
Diuinæ naturæ quid ſit proprium. 150.1
Diuiſio & partitio quam neceſſaria in doctrina 146 2
Diues in ſua humilitate, & humilis in ſua gloriari debent. 11. 1.
Diuitiarum inconſtantia. ibid. 2
Diues quomodo in itinerib. ſuis emarceſcat, ib.
Diuites oppreſſores pauperũ, quomodo faciãt eos blaſphemare nomen Domini. 21.2
quos Diuites Iacobus reprehendat. 22.1.
Diuitum miſeriæ, & ærumnæ 41.1
Diuitiarum voracitas, ib.
Diuites in quibus nouiſſimis diebus theſaurizent ſibi iram, 42 2
Doctrinæ conditiones quot. 147.1
quam Doctrinam non capit auditor, ib. 2
Doctor veritatis qualis. 259.1
Doctor ſine zelo gloriæ qualis ſit. 147 1.
Doctori bona vita quam neceſſaria ſit, ib.
Dominus etſi differat venire, cur non debeam ingemiſcere, 44.1
Domus ſpiritualis quæ 69.1
Donorum Dei quis finis 95. 1
Dona diuina vnde proueniant. 115. 2.
Dona an ſint infuſa, vel acquiſita, difficile eſt cognoſcere. 108 2.
Donum ſpiritus diſcernendi, quibus competat. 270. 2. & qui ſint veri diſcretores, ibid.
Dona Dei quanta ſint, & quatenus nobis communicentur. 330. 2.
Durationis menſura triplex. 149. 2.
Duplices animo inconſtantes ſunt in omnibus viis ſuis. 10. 2.
Duplici animo homines quæ duæ res reddant, 11. 1.

E.

Eccleſia pro quibus non ſacrificet, licet oret. 201. 1.
Eccleſiæ mos circa Catechumenos. 204. 1.
Eccleſiam ſacrificare pro infidelibus & paganis quomodo dicatur ibid.
ab Eccleſia quomodo quis diſcedat. 224. 1.
Eccleſiæ ritus & ceremoniæ quæ. ibid.
Eccleſia quæ ſit vera, ibid. 2.
an Eccleſia poſſit orare pro magnis peccatoribus. 239. 2.
an Eccleſia poſſit orare pro animabus purgatorij. 322.1.
Electiones variæ in Eccleſia 53. 1.
in Eleemoſyna quis ordo ſeruandus. 260. 2.
Eliſabethæ Angliæ Reginæ incredibilis ſuperbia & arrogantia. 129. 2.
Elephantorum mira ſolertia 32. 1.
ad Epiſcopatum qui inepti. 98 2.
Epiſcopatus vniuerſalis qualis omnibus Eccleſiæ præpoſitis ſit traditus. 101.1.
Epiſcopatus an ſit vnus, cuius à ſingulis in ſolidum pars teneatur, ibidem.
Epiſtolæ Canonicæ quibus de cauſis Canonicæ nomineutur. 2. 1.
Epiſtolæ Canonicæ cur dicantur. ibid.
Epiſtolæ Canonicæ cur ſint ſeptem. ibid.
Epiſtolæ Canonicæ cur ſint præfiguratæ, ibid.
Epiſtolarum Canonicarũ quæ ſit autoritas, ib.
Epiſtola Iacobi cur primum locum teneat inter Canonicas, 4. 2.
Epiſtola Iacobi ad quos ſit ſcripta, ibid.
Epiſtola Iacobi argumentum. 6. 1.
Eques Chriſtianus tria debet habere. 296.1.
Errare a veritate, quid ſit. 48. 2.
Erroris notatur Eraſmus circa Trinitatem. 309 2.
Eſſe & non eſſe quæ dicantur in Scriptura 217. 2.
Euangelii & legis diſcrimen 57.1. & 240.1.
Euangelicæ veritatis quanta eſt vis. 330 1.
Euangelii præcones quales eſſe debeant, & duo ordines eorum. 334.1.2.
Exultare in ſuperbia quid ſit. 41. 1.

F.

Fabulæ nomen quæ dicat, 84 1.
Fidei probatio quomodo patientiam operatur, 8.2.
in Fide qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris. 10.2
Fidei inefficacia operibus deſtitutæ contra hæreticos oſtenditur. 10. 2.
Fides ſi ſine operibus iuſtificat, quomodò mortua eſt illis deſtituta. 242.2.
Fides mortua quid intelligatur apud Iacobum 251.
quæ Fides ſit dæmonum. 20.1.

idem eſt, N[illegible], ſolo æquauit. Adde quòd etiam tunc Cambyſes Palæſt: nam totam poſſidebat. Tertium ob[illegible], quòd Cambyſes dicitur feciſſe hoc bellum anno 12. regni ſui; qui eſſe non poteſt nominatus i[illegible]abuchodonoſor, quia Cambyſi annos tantum 8. vel nouem tribuunt omnes hiſtorici. Imò etiam cap. 2. Iudith dicitur: *Anno tertiodecimo Nabuchodonoſor Regis, &c. factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſor.* Vbi conſulas Græcum exemplar, leges: καὶ ἐν ἔτει τῷ ὀγδόῳ καὶ δεκάτῳ: hoc eſt, *In anno decimooctauo*: Quomodo ergò cum tantum octo annos regnauerit, factum dicitur verbum in domo eius, anno 18? Quartum hoc opponerem, quod c. 4. Iudith legimus, Iſraelitas ſe præparaſſe ad reſiſtendum Regi Nabuchodonoſori, metuentes ne templum Domini, & Ieruſalem ciuitatẽ deſtrueret. At tempore Cambyſis Iudæi non voluerunt, neque potuerũt Regi Perſarum reſiſtere, cum eſſent pauciſſimi, qui redierant ex captiuitate in Ieruſalem, facultate, & dono Cyri, qui eorum captiuitatem relaxauit. Tunc etiam Ieruſalem euerſa erat, & templum omninò deſtructum: & tamen inſinuatur illis verbis, quod ciuitas Ieruſalem ſtaret, & ceremoniæ, & cultus perſiſterent. Quintum obijcerem, quod Iudith 4. traditur ſummum Pont. fuiſſe Eliacim, quem vocat Sacerdotem magnum: & tamen c. 15. dicitur Ioacim ſummum Sacerdotem de Ieruſalem in Bethuliam veniſſe ad videndam ſanctam Iuditham: at tempore Cambyſis Pontifex magnus erat Ieſus filius Ioſedech, de quo 1. c. Aggæi prophetæ ter fit mentio, & 2. ſemel, vbi Propheta alloquitur Zorobabel filium Salathiel, & Ieſum filium Ioſedec Pontificem, cuius tamen filius fuit Ioacim, vt habetur lib. 2. Eſdr. c. 12. Scribit etiam Ioſeph. lib. 15. c. 5. *Defuncto Dario (ſcilicet Hiſtaſpis) per illud tempus, & ſuſcipiente regnum Xerſe, fuit Princeps Sacerdotum filius Ieſu Ioſedec, nomine Ioachim*: Quomodo ergo ſub Xerſe potuit euenire hæc hiſtoria Iudithæ, cum hic fuerit benignus in Hebræos, ſicut Nabuchodonoſor fuit infenſus; ille donis cumulauerit Vrbem ſanctam, & templum, hic omnia voluerit euertere? Ille habebat Iudæos magna ex parte captiuos, etiam Eſdram, hic verò neminem habebat ſeruientẽ, ſed volebat vlciſci iniuriam, & contemptũ eorum qui repugnabãt ſuo imperio, & cur audita morte Holofernis ducis ſui, hic Nabuchodonoſor non perdidit omnes Hebræos? Sextum quod opponi poſſet, eſſet hiſtoria lib. Iudit. c. 5. vbi narratur, Holofernem interrogaſſe Achior Principẽ Moabitarum, qui nam eſſet populus qui montana obſideret? indicantem ſe nihil ſcire de Iudæorũ Gente, aut religione, aut ciuitatibus: quod certe ignorare non poterat, qui paulò ante nouerat, vel noſſe poterat, eſſe à Cyro dimiſſos, vt redirent in Ieruſalem ad reædificandum templum, cuius Cyri ipſe erat & filius, & hęres in regno. ¶ Quòd ſi hæc hiſtoria non contingit ſub Cambyſe, multò minus cõtingere potuit ſub Dario Hyſtaſpe, qui fuit poſterior Cambyſe, vt eædẽ rationes euincunt, & multò minus ſub Dario Longimano, qui aliquot ætatibus poſt illos regnauit. Et minimè omnium ſtare poteſt ſententia Seueri Sulpitij, qui refert hanc hiſtoriã ad tẽpus Artaxerſis Ochi. Neque quicquam valet eius prima coniectura. Quia etiã ſi verum ſit, Regem dictum duxiſſe exercitum contra Ægyptios, & Æthiopas, quos domuit: Iſraelitis tamen & Iudæis nihil mali intulit, quia ſibi parebant. Et denique per totum Imperium regni Perſarum à Cyro vſque ad vltimum eorum Regem & Imperatorem, nullum bellum fuit illis cum Iudæis; imò multa beneficia acceperunt: vt ſoluendæ captiuitatis, ædificandæ vrbis, & reſtaurandi templi; expenſas quoq; pro ſacrificijs, & ornamentis templi eis largas ſuppeditauit: Atq; iſti Reges Perſarum non Nabuchodonoſores, ſed nomine Genti proprio Artaxerſes vocabantur. Hic etiam Artaxerſes, Okus quem vocat, quatuor tantum annos exegit in ſuo Imperio, vt Euſeb. tradit, vel potius tres, vt Clem. Alexand. lib. 1 Stromat. docet. Ad ſecundam verò coniecturam: quod Artaxerſes habet ducem militiæ ſuæ nomine Bagoſe, qui neſcio quam tributariam pecuniam iniuſte, & impie exegit à Templo, teſte Ioſepho: Dicimus, eam minus eſſe ſolidam, & firmam. Etenim dux ille Bagoſe, longè diuerſus eſt à Vagao, cuius meminit liber Iudith: quia hic Eunuchus erat Holofernis, ille verò alius non erat Eunuchus, ſed Princeps militiæ. Deinde hic Vagao per V. ſcribitur, ille verò aliter per B. & longè aliud eſt Bagoſes, quàm Vagao. Adhæc iſte Nabuchodonoſor, de quo eſt ſermo in hiſtoria Iudith, & qui miſit Holofernem ad ſubigendos Cilicas, Damaſcum, Idumæos, & populum Iſrael, nullus Rex Perſarum eſſe potuit. Horum enim principatus in totam Aſiam extendebatur, vt docent Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 1. Iuſtinus item libr. 1. Herodotus, denique Ioſephus: at Nabuchodonoſoris huius regnum anguſtum fuit: quod liquidum redditur ex tot Gentium, quæ eius Imperium contempſerunt, & ſe illi oppoſuerunt, multitudine. Non fuit etiam iſte Nabuchodonoſor ille, à quo capti ſunt Ioacim, & Ioachim, & Sedicias Reges Iuda, neque aliquis eius ſucceſſorum, cuius dux Holofernes occiſus eſt à Iudith: Nam vt in 2. Paralipomen. vlt. legimus. ſeptuaginta anni Iudaicæ captiuitatis à Ieremia prædicti ad finem vſque Regum Iudæ captiuorum perdurarunt, quo tempore nec ciuitas vlla erat Ieruſalem, neque templum: hæc autem integra fuerunt tempore Iudithæ, vt verba illa c. 4. teſtantur: Tremor etiam, & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem, & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus, & templis earum. Idem conſtat de Nabuchodonoſore illo victore trium Regum Iudæ prædictorum, qui Danielis dici poteſt; ſicut alter, Holofernis Nabuchodonoſor: nam ille Danielis habitabat in Babylone, iſte verò Holofernis in Niniue. Hæc autem

diuerſitas non ob aliam cauſſam nata eſſe videtur; niſi quod Ioſephus lib.1.contra Apionem Grammaticum obijcit nobis Beroſum reprehendentem ſcriptores Græcos,quaſi vanè arbitratos, à Semiramide Babylonem ædificatam; & affirmantem illam opus fuiſſe Nabuchodonoſori, qui fuit pater Euelmerodachi,quem ſucceſſiſſe Nabuchodonoſori, conſtat ex 4.Regum vltim. Fauent mirum ſanè in modum huic ſententiæ Beroſi illa verba Danielis 4. cap. quæ Nabuchodonoſor traditur dixiſſe: *Nonne eſt hæc Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ,& in gloria decoris mei*? quem locum Scripturæ,& Beroſi præferendum cenſeo Latinis, & Græcis.Quare Nabuchodonoſor Holofernis regnabat in Niniue, quia nondum Babylon ædificata fuerat à Nabuchodonoſoro Danielis.Deinde Nabuchodonoſor Danielis primi regni ſui anno cepit Regem Ioacim,& captiuum duxit in Babylonem cum Daniele,& ſocijs: vt colligitur ex cap.1.Danielis : ſecundo verò cap.dicitur, quod anno ſecundo regni Nabuchodonoſor Daniel introductus fuit ad regem ad interpretandum ſomnium eius. Octauo verò regni ſui anno cepit Ioachim, vt habes 4 Regum 24.Decimonono autem duxit captiuum Sedeciam, ex eodem lib.cap.vlt.At verò Nabuchodonoſor Holofernis oppugnauit Iſraelem anno ſui regni 13. vt habet cap.2.Iudith. Si ergo vnus & idem fuit Nabuchodonoſor, ergo ſex annos poſt victoriam Iudithæ iterum vexauit, & captiuos duxit omnes Iudæos, & Sedeciam Regem:quod apertè aduerſatur vlt.cap.Iudith,vbi hæc habentur: *Manſit autem (Iudith) in domo viri ſui annos centum quinque*,& reliq. *In omni autem ſpatio vitæ ſuæ non fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis.* Vnde colligimus,Nabuchodonoſorem Holofernis antiquiorem eſſe omnibus Perſarum Regibus. Deinde alium eſſe illum Nabuchodonoſorem à Nabuchodonoſore Danielis,& poſteris eius: quæ duo dicta ex ſuperioribus probata ſunt.Addo etiam,hiſtoriam Iudithæ non modo vetuſtiorem eſſe Nabuchodonoſore Danielis,ſed etiam eo tempore ponendam, poſt quod tamdiu à bellis vacauerit Iſrael,quamdiu Iudith manſerit in viuis,& aliquot annis poſt eius mortem:etſi incertum ſit quamdiu fuerit ſuperſtes Holoferni. Nam Scriptura tantum refert eam hiſtoriam accidiſſe tribus annis,& menſibus ſex poſt mortem viri ſui Manaſſis,vt habetur cap.8.& manſiſſe annos 105. in domo viri ſui,vt cap.vlt.Sed quoto vitæ anno nupſerit Manaſſi, quoto eum amiſerit, quoto Holofernem occiderit,quamdiu deinde ſuperuixerit, Scriptura, & Patres nihil tradunt: quibus ignoratis,neceſſe eſt quoque ignorari quamdiu fuerit vidua, & quamdiu fuerit tempus vacationis bellorum in Iſrael.Ideò tempus tam longum pacis Hebrææ non poteſt melius interſeri,quam illi,quo Iudith vidua permanſit : quibus ſi addas quindecim annos antequam nuberet,efficies ſummam annorum,quibus vixit Iudita,centum & viginti. Tempus autem cum viro tranſactum breue eſſe oportuit: tam quia nulli ſunt liberi ab ipſis ſuſcepti ; quod ad paucitatem annorum in coniugio non malè referri pòteſt : tùm quia florentem Iudithę ætatem teſtatur eius eximia ſpecies & pulchritudo etiam diuinitus aucta,qua vehementer ad ſe tum Aſſyrios proceres, tùm verò in primis Holofernem pellexit,& rapuit. Præterquam quod naturaliter mulieres eam conſeruare ſolent. Vnde legimus Saram vxorem Abrahæ nonaginta annorum tam pulchram & ſpecioſam fuiſſe, vt à Regibus Geraræ, & Ægypti raperetur. Atque ita ſiue fuerit eo tempore quadragenaria, ſiue paullò prouectior,aut minus,eò minus temporis ſupererit dandum paci Iſrael,quam vltimo capite tribuit,nimirum,ſexaginta,aut ſexagintaquinque: qui commodè ponentur inter captiuitatem Nanaſſis,& cædem Ioſiæ Regis à Nechao Rege Ægypti interfecti,4.Reg.23. nam ſupra hoc tempus graues memorantur Regum Iudæ & Iſrael vexationes;infra verò nihil ocioſum. Quia Ioſias à Rege Ægypti in bello necatus eſt, & Ioachaz, qui ſucceſſit Ioſiæ,ex voluntate Iudæorum amotus eſt à Nechao Rege Ægypti 4. Regum 23. ſequens verò Ioacim factus eſt ſtipendiarius Nabuchodonoſoro Danielis,qui tunc temporis translatus eſt in Babylonem cum alijs Daniel.1. Quare inter Manaſſis captiuitatem,& Ioſiæ cædem, vt diximus, hoc pacatum tempus inſerendum eſt. Nam Manaſſes regnauit annis 55.vt legis 4.Regum 21.Amon duobus: vt ibidem habetur, Ioſias verò 31.vt 4.Reg.20.Manaſſen verò captiuum fuiſſe in Babylone,legimus 2.Paralipom.33.Verùm regni ſui quoto anno,nullibi exprimitur.Item,vt commodè interſeramus pacem 55.annorum poſt victoriam Iudithæ, conijcere poſſumus,quinto circiter regni ſui anno ductum in Babylonem, & regno mox fuiſſe reſtitutum:ex quinquaginta annis qui ſuperſunt, ad minimum 18.quieuerunt Aſſyrii à vexatione Iudæ: nam ſi tam crebra vexatio fuiſſet, quomodo vſque adeò ignorabat Holofernes Hebræorum Gentem,vt ſupra diximus? Quare 23.Manaſſis accidiſſe victoriam Iudithæ probabile eſt:reliquos 32.Manaſſis annos iunge cum duobus Ammonis,& 31.Ioſiæ,& conficies 65 pacis Gentis Hebrææ poſt Iudith victoriam.

Quibus vt veriſimilibus, & probabilibus poſitis,facile fuerit inuenire quis fuerit ille Nabuchodonoſor Holofernis,& quis Arphaxad Rex Medorum. Nam vt de Nabuchodonoſoro primum dicamus,anno decimoquarto Ezechiæ occiſo à filiis ſuis Semnacheribo, filius eius Aſar-haddon in Niniue ſuccedit 4.Regum 19.hic verò Aſar-haddon nõ poteſt eſſe Nabuchodonoſor Holofernis, hic enim 13.regni ſui anno miſit Holofernum in Iudæam: idque,vt ſupra diximus,anno

& alijs primoribus: vt verè dici poſſit quòd nuper redierant è captiuitate, & populus congregatus fuerat, & vaſa quæ aſportata fuerant, fuiſſe à profanatione ſanctificata, vt exprimitur in reditu è Babel Cyri, & Darij tempore. Tertiò, difficile videtur in concordiam redigere, quomodo vocatur in capite quarto Iudith, Elacim Sacerdos magnus, in 15. verò Ioacim Sacerdos magnus veniſſe in Ieruſalem in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis. Ex quibus verbis duo inſurgunt dubia. Alterum eſt: quia non poterant eſſe duo ſummi Sacerdotes; niſi dicas vnum & eundem fuiſſe, etſi nomina diuerſa ſint. Deinde ſi vnus fuit, certè in catalogo Pontificum Iudæorum, cuius meminit Ioſephus, & alij, nullus legitur Eliachim, nec vſque ad illud tempus, quo hanc hiſtoriam accidiſſe diximus, vllus fuit Ioachim ſummus Sacerdos; etſi verum ſit, quod Ieſu filij Ioſedech, filius extiterit, Ioachimus vocatus, vt habet Nehem. cap. 12. Alterum dubium eſt: quia in litera Græca non legimus diuerſa nomina Eliachim, & Ioachim, ſed tantùm Ioachim, tàm cap. 4. quàm 15. & quidem cum duplici articulo. Nam in priori loco legimus: καὶ ἔγραψε Ιωακεὶμ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας, ὃς ἦν ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐν Ιερουσαλήμ. E paullò poſt: Καθὰ συνέταξεν αὐτοῖς Ιωακεὶμ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας, quod ipſum cap. 15. ſimiliter repetitur. Vel ergo Græca iſta interpretanda ſunt per editionem Hieronymi ex Chaldæo vocantis illum Eliacim, vel è contrario Chaldæa per Græca exponenda, vt ita inueniatur vnus tantùm ſummus Sacerdos in populo Dei iuxta legem Moyſi. Ιωακείμ Sed, vt hæc melius intelligantur, non putaui ab re fore, ſi præmittamus, Græcum codicem libri Iudith probatum fuiſſe tanquam Canonicum per Synodum Nicenam; at verò editionem Hieronymi ex Chaldæo ſumptam probatam eſſe ab Eccleſia Catholica, & maxime in Synodo Florentina, & Tridentina confirmatam. Codex autem Græcus in Synodo Nicena probatus eſt, teſte Hieronymo in prologo eiuſdem libri: quia editio Hieronymi facta ex Chaldæo codice, nonniſi poſt centum annos à Synodo Nicena facta eſt à Hieronymo: Quomodò ergo potuerunt probare Patres illi tamen librum ex Chaldæo à Hieronymo nondum conuerſum, ſed poſt plures centum annis interpretandum? Ergo neceſſarium eſt aſſerere, confirmaſſe Græcum codicem: & ita quicquid in eo continetur, probandum eſt, & retinendum vt Canonicum. Quòd ſi quis obijciat, Græcum codicem Iudith, quem modo habemus, verum non eſſe, ſed alium fuiſſe: oſtendat mihi talis, aliud Græcum volumen ab eo qui nunc circumfertur, approbatum fuiſſe: nam huius rei probatio ad obijcientem tantùm pertinet. Quare vtraque editio, tàm ex Chaldaico Latina, quàm Græca recipienda eſt, & neutram alteri aduerſarij, aut repugnare in aliqua re præcipua demonſtrandum eſt à Catholicis: & ſi in aliqua re videantur in ſpeciem contradicere, omni conatu contendendum, vt redigant in concordiam: quemadmodùm in cæteris quoq; Scripturis ſacris facimus.

His poſitis, reſpondeo ad prius dubium, vnum tantùm fuiſſe ſummum Sacerdotem, ſiue ille dictus ſit Eliachim, ſiue Ioachim, Sunt enim diuerſa quidem nomina, etſi ſignificatione ſint eadem omninò. Vtrumque enim ſignificat Domini reſurrectionem: quòd nimirum ſummorum Pontificem, & Epiſcoporum munus ſit ſuſcitare Spiritum Domini in ſeipſis, & in alijs. Addimus etiam ex Philone, vnum pro altero nomen apud Chaldæos, & Syros vſurpari: quod confirmatur Scripturæ teſtimonio. Nã 4. Reg. 23. & 2. Paralipom. 33. Pharao, Nechào (interfecto Ioſia Rege Iuda) cum populus terræ filium eius Ioachaz in Regem vnxiſſent pro patre ſuo: ſuſtulit illum, & pro eo Eliacim filium Ioſiæ poſuit, vertitq; nomen eius Eliacim in Ioacim: & ob eam cauſam dici poteſt quòd vnum nomen ſumitur pro altero. Quòd ſi Eliacim non fuit ſummus Sacerdos, nec inter tales computetur, probabile tamen eſt, tàm ipſum, quàm parentem eius Helciam, propter propriam & paternam pietatem, & vitæ ſanctitatem, atque integritatem, in magno honore habitos fuiſſe: quia ſub impientiſſimis Regibus Manaſſe, & Ammon ſanctiſſimè vixerint, & populum in cultu Dei retinuerint, etiamſi ſecundi ordinis Sacerdotes eſſent, & non ſummi. Qui quidem Eliacim cap. 22. Eſaiæ vocatur Præfectus domus Domini, illique pollicetur ſummum Sacerdotium, dum ait: Et erit in die illa: vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ. Et induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum: & poteſtatem tuam dabo in manu eius: & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat. Vides ergo quomodò promittuntur claues, quæ eſt poteſtas Sacerdotalis, ac planè ſumma; & quòd vocetur Præfectus domus Domini? Ac ita nomen ipſum Eliacim, ac res eius geſtæ, quę habentur 4. Reg. 18. confirmant quòd hęc acciderint ſub tempus Ezechiæ, & Manaſſis.

Ad alterum dubium, vbi mentio fit in omnibus his locis Ioacim, vel Eliacim, dum obijciebatur in Græco codice ſemper legi, Ioachim: Reſpondemus, hæc ita interpretanda eſſe, vt conueniant cum Eliacim, quod eſt in Chaldæo codice: quia vt prædiximus, vnum nomen pro altero ſumi ſolet, & ita ſibi non contradicent: vnde non Chaldęa per Græcam, ſed Græca per Chaldæam literam interpretanda eſt: & ita cauendum, ne per Ioachimum ſummum Sacerdotem, intelligamus illum, qui fuit filius Ieſu filij Ioſedech, & qui fuit multis annis poſterior Manaſſe, & hiſtoria iſta Iudith, vt probatum reliquimus.

Quarto loco obijcimus,durum videri,quod aſſerendum eſſe probabilius diximus, Arphaxad fuiſſe Dioclem,aut Phraortem,vt quibuſdam vero ſimile viſum eſt ob dictas cauſſas: quia ſemper nominum Regum magna variatio,& diuerſitas:nam nomina aut ſunt Aſſyriaca,aut Medica, aut Chaldæa,quæ adeò ſunt Barbara,vt,ad eorum mitigandam duritiem,aut à Græcis ſcriptoribus inflectantur ad formam Græcam,vel Latinam,aut alijs vocibus Græcis deſignentur. Hinc Rex Aſſyriorum vltimus,qui Tonſcoleres appellatus eſt,à Græcis dictus eſt Sardanapalus: Rex item Aſtyages,teſte Euſebio in Chronico,à Græcis,Apanda nomen accepit, qué tamen Daniel cap. penè poſtremò vocat Darium Medum: Herodotus etiam, variata vna litera, Diodem, Deiocem appellare conſueuit. Quidam prætereà leguntur multa nomina habuiſſe.

Hæc ſunt,illuſtriſſime domine,quæ in propoſiti dubij ſanè grauiſſimi diſſolutionem occurrebant. Tuum eſto iudicium,& boni conſulito (vt ſoles) tantam rerum ſyluam, & quæſtionum farraginem. Non ignoro hæc breuiùs,ac dilucidiùs potuiſſe explicari,ſi tempus ſuppetijſſet, ac fuiſſet neceſſe. Bene ac feliciter te in Christo valere,maiorem in modum,vt par eſt,exopto,& à Deo Opt. Max. aſſiduis precibus obtinere contendam. Datum Neap. 16. Kalend. Decem. 1584.

Illuſtriſſimæ & reuerendiſſimæ Dominationis tuæ

obſeruantiſſimus ſeruus in Domino

Alfonſus Salmeroni.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC TOMO QVARTO IN ORDINE AVTEM DECIMOSEXTO EXPLICANTVR.

Prior numerus paginam, poſterior columnam indicat.

Ex genesi.

Cap.32. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.251.2.*

Ex lib. iob.

Cap.38. *Vbi eras cum me laudarent aſtra matutina.* 157.1

Ex lib. psalm.

Pſal.33. *Qui non vult vitam diligere, & dies videre bonos, explicatur.*80.2.

Pſal.89. *Ne auertas hominem in humilitatem, &c.* 136.2.

Pſal.111. *Iucundus homo qui miſeretur & cõmodat.* 296.2.

Pſal.130. *Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua,&c.*67.2.

Ex canticis.

Cap.1. *Nolite mirari quòd fuſca ſim,&c.* 252.2.

Ex lib. sapientiae.

Cap.5. *Quid nobis profuit ſuperbia,& diuitiarum iactantia,&c.*229.1.

Ibidem. *Laxati ſumus in via iniquitatis,&c.pag.*301.2.

Cap.8. *Non habet amaritudinem cõuerſatio illius,* 154.1.

Ex ecclesiaste.

Cap.3. *Mundum tradidit diſputationi eorũ, &c.*205.2.

Ex ecclesiastico.

Cap.1. *Generatio præterit,& generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat.* 229.1.

Cap.15. *Non dicas: Ille me implanauit.*14.1.

Cap.39. *Narrationem virorum nominatorem conſeruabit.*131.3.

Ex esaia.

Cap.40. *Omnis caro vt fœnum: & omnis gloria eius,&c.* 64.2.

Cap.53. *Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus,* 67.1.

Ex threnis ieremiae.

*Defecerunt præ lacrymis oculi mei.*263.2. Cap.2.

Ex osea.

*Qui aliquando non populus Dei,&c.*52.2. Cap 2.

Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus,&c. 72.1. Cap.3.

Ex mattheo.

*Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur,&c.*24.1. Cap.5.

*Non poteſt arbor bona,&c.& Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*263.2. Cap.7.

Maria autem ſedens ſecus pedes Domini. 147.2. Cap.11.

*Hic eſt filius meus dilectus,&c.*120.2. Cap.17.

Ex ioanne.

*Qui non ex ſanguinibus,&c.p.*149.2. Cap.1.

*Quod natum eſt ex carne, caro eſt,&c.*6.2. Cap.3.

*Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.col.*1. 203.1. Cap.17.

Ex actibus apostol.

*Et occidiſtis eos qui pronuntiabant aduentum Iuſti,*46.2. Cap.7.

Ex epist. ad coloss.

*Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto,&c.*253.2. Cap.3.

Ex epist. ad philip.

*Apud quem non eſt tranſmutatio,&c.*15.2. Cap.2.

Ex 1. ad timoth.

*Qui eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium.*202.2. Cap.4.

Ex 2. petri.

*Melius erat illis non cognoſcere, quam poſt agnitionem,&c.*41.2. Cap.2.

Ex epist. iacobi.

*Si autem frater, aut ſoror nudi ſint,&c.*268.2. Cap.1.

FINIS.

INDEX SENTENTIARVM NOTABILIVM QVAE IN HOC QVARTO IN ORDINE AVTEM DECIMOSEXTO TOMO CONTINENTVR.

A.

AB initio quid in Scripturis ſignificet.150.1.
Abraham an ex operibus iuſtificatus fuerit, vel ex fide 20.1.
Abſtinere à carnalibus deſiderijs proprium peregrinorum. 75.2.
Acceptio perſonarum vnde dicatur. 20.1.
Acceptio perſonarum quid ſit.ibid.
Acceptio perſonarum quibus fugienda.pag.21.2.
Acceſſus ad Deum quotuplex.255.1.
Adæ prophetia de mundi interitu. 134.2.
Adæ inobedientia cur præ cæteris nobis imputetur. 186.1.
Admiratio quid ſit,& eius effectus ibid.2.
Adoleſcentes qui debeant eſſe ſubditi ſenioribus. 130.1.
Adoleſcentes qua doctrina egeant.124 2.
Adoratio imaginum quomodo defendenda ſit contra hæreticos 326.1.
Aduena & Proſelytus in quo differant.51.1.
Aduentus Domini iuſtis deſiderabilis;& quanta erit eius certitudo 212.2.242.1.
Ærrugo & ferrugo in quo differant. 42.1.
Ætatis humanæ quot ſint diſtributiones. 20.2.
Æternitatis Dei natura.224.2.
Agricolorum officium.43.2.
Alogiani cuius dicant eſſe Apocalypſim. 359.1.
Amantibus bonum nihil nocet.81.1.
Amen quid ſignificet.326.1.
Amicus ſeculi,cur inimicus Dei conſtituatur. 37.2.
Amici huius mundi,adulteri appellantur. 36.1.
inter Amorem & dilectionem quorundam diſtinctio.226.1.
Amor Patris & mundi cur mutuò ſe expellunt. 227.1.2.
Amor quomodo ſit rependendus Deo.291.2.
Amoris diuini conſtantia.297.1.2.
Amor Dei & proximi quam inuicem coniuncti. 298 1.2.
Amoris antiquitas.278.1.
Anandapodoton quid ſit.125.1.
Angelorum reuerentia erga Euchariſtiam. 60.1.
Angeli in quem & quomodò deſiderant proſpicere. 61.2.
Angelorum natura à quibus affectionibus ſit libera.123.2.
Angeli mali cur alij incubi,alij ſuccubi.ibid. & 125.1.
cur Angeli aliqui non egerent pœnitentia 127.2.
Angeli caſus irreparabilis,& eius ratio 128.1 2.
Angelus & homo quatenus mortales ſint. 153.1.2.
Angelorum cooperatio ad fidem. 157.1.
Angelorum proprium 163.1.
Angeli quo ſanguine Agni vicerint Draconẽ. 178. 1.
Anima adultera quæ ſit.37.1.
Animo æquo qui eſt,quomodò pſallat.45. 2.
Anima cuius peccatoris,conuerſi , an conuertentis ſaluetur.49.1.
Anima noſtra qualiter naturaliter intelligat.156.1.
Animabus purgatorij quotupliciter innotuit Deus 166.2.
Anima quieſcendo fit ſapiens.17.1.
Annulus aureus quibus conueniebat.21.2.
Annorum noſtrorum & Dei diuerſa eſt ratio. 137.1.
Annuntiare & precari ſalutem, qui differant.146.1.
Annuntiatio Verbi diuini quoties facta ſit.169. 2.
Antichriſtus quos perdet Domino permittente. 13.1.
Antichriſtus quid myſticè ſignificet.231.1.
Antichriſti qui ſint,& quomodò fugiendi ibid.2.
Antichriſtus ſingularem ſceleratiſſimum ſignificat. 231.2.
Antichriſti qui ſint nunc.232.2.
Antichriſtorum exitus ſalutem affert fidelibus. 224.1.
Apocalypſis an ſit liber Canonicus.346.1.
Apocalypſin qui Eccleſiæ Doctores & Concilia acceptauerint.ibid.
Apocalypſin negantium quantum ſcelus. 348.1.
Apocalypſin qui interpretati ſunt ex Latinis. 358.1.
Apocalypſin qui hæretici receperint.ibid.
Apocalypſis quis fuerit autor. ibid. & ſequentibus.
Apocryphum quid dicatur.337.1.
Apollo Alexandrinus vnde euaſit Chriſti præco.29.1.
Apoſtaſiæ crimen quam atrox.132.1.
Apoſtoli partes quæ 50. 1.
Apoſtolorum mira conſenſio in verbis.66 1.
Apoſtoli columnæ Eccleſiæ 258.1.
Apoſtoli quomodo ſint teſtes Chriſti.215.2.
Apoſtoli cur nihil acceperint pro prædicatione. 335.1.
Apoſtolorum quanta ſit poteſtas in oppugnatores prædicationis.ibid.
Apoſtoli cur ſint primitiæ creaturarum Dei.16.2.
Apparitio Dei quid ſit 243.1.
Aquila Ponticus,Chriſti hoſtis teterrimus.52.1 2.
Areopagitarum iudicium integritas. 21.1.
Arnobij quot fuerint. 110.2.
Arrogantia quibus ſubrepat.82.1.2.
Attributa diuinarum perſonarum.150.2.
Auditores legis,& non factores qui ſint, & cur ſeipſos fallant.17.2.
Auditores boni conditiones quæ.147.1.
Auditus cur à natura tribuatur animali.156.1.
Auditus cur præferatur viſui. 156.2.& de quo auditu intelligatur.
Aue an dicens hæretico,communicet cum eo. 331.1.
Aurum & argentum quid.58.2.

B.

BAbylonia duplex.107.2.
Balaam cur dicatur filius Boſor.131.1.
Baptizati fomitem retinent.14.2.
Baptiſmus quomodo ſit antitypon paſſionum Chriſti;& quæ ſit typi natura. 188.1.

Baptiſmi efficacia.180.1
inter Baptiſmum & pœnitentiam diſcrimen. 194.1
Baptiſmus in nomine Chriſti cur ſufficiat ad ſalutem.237.2
Baptiſmi triplex genus.310.2
Beatus in facto ſuo quid ſignificet.18.2
Beatus quid ſit apud Platonem.254.1
Beatorum & viatorum diuerſa conditio.221.1
Beneficij magnitudo ex quibus penſanda.63.1
Bernardi magiſtri qui fuerint.240.2
Beſtiæ an omnes ſint edomitæ à natura humana. 28 2.& 31.2
Bezæ error de corpore Moyſis notatur.343.1
Bonum & malum non ex eadem cauſa & pari proficiſcuntur.22.2
Bonorum operum effectus quis.246.2
Bona opera quomodo generent fiduciam,ibid.
in Bonis operibus an liceat confidere.248.1

C.

CÆcitas hominum de mundi interitu.134.2
Cæſaris erga Pompeium clementia. 332.1
Cain & Abelis morũ diſcrimen 265.2.& 266.1
Canis vnde cognoſcat ſuum dominum.155.1
Carceris officium quale.85 1
Caro & homo in bonam & in malam partem aliquando ſumuntur.207.1
Caſtificare animas,quid 6.1
Catonis dictum de vſura.130.2
Cauſa bellorum quæ 36.1.2
Ceti & delphini homini parent.32 2
Charitatis neceſſitas.57.1
Charitas creata & increata.165.1
Charitatis quid ſit proprium.328 2.263.2
Charitas Dei erga nos vnde cognoſcatur.290.2
Charitatem hanc quæ nobis extorqueant, ibid.& 291.1
Charitas Chriſti in nos quanta.53.2
Chiliaſtę hæretici quare ſic dicti.356.1
Chriſti in Iudæos longanimitas.43.1
Chriſtus qualis Samaritanus 46 2
Chriſti paſſiones & gloriæ quæ.61.1.2
Chriſtus qualis agnus immaculatus, & præcognitus ante mundi conſtitutionem,in nouiſſimo tamen manifeſtatus.63.1
Chriſtus lapis viuus ab ædificantibus reprobatus,à Deo electus.68.2
Chriſtus lapis Sion dicitur 69 2
in Chriſtum credentis ſalus.70.1
Chriſtiani populi prærogatiua.72.2
Chriſtiani ſubiecti eſſe debent omni humanæ creaturæ propter Deum.74.1
Chriſti crucis & mortis meritum apud Deum.77.1
Chriſti liuor qualis,ibid.
Chriſtus qualis Epiſcopus,ibid.
Chriſtiani cõiuges quam calumniam olim ab Ethnicis ſuſtinerent.78.1
Chriſtianorum coniugum ornatus qualis.79.2
Chriſtianorum ornatus qualis illicitus & damnabilis.80.1
Chriſtus an prædicauerit apud inferos.83.1
Chriſti mors & reſurrectio quomodò repræſentetur in baptiſmo.89.2
Chriſti paſſionis recordatio,quantum animæ robur afferat.90.2
Chriſtum quid ſit deſinere à peccatis.91.1
à Chriſto quæ lex fuerit nobis impoſita,ibid.
Chriſtiani veri non debent concurrere in infidelium confuſionem.91.2
Chriſtiani cur ſpectaculis prohibentur.92.1
Chriſti paſtoris inſignia.99.2
Chriſti paſcua quæ,ibid.
Chriſti qualis rugitus.106.2
Chriſti iuſtitia quæ.113.2
Chriſti mores qui;& quæ ſigna.151.2
Chriſtus in vellere cur repræſentetur.153.1
Chriſti ſanguis quomodo emundet à peccatis, 175.1
Chriſti virtutes 175.2
Chriſti dulcedo,176 1
Chriſti & Ieſu nomine quid ſignificetur,ibi.2
Chriſti redemptionis & obedientiæ quotuplex modus.192.2
Chriſtus cur dicatur pater futuri ſeculi.194 2
Chriſtus poteſt dici paracletus 195.2
Chriſtus an admittat alios aduocatos ſecum.197.2
Chriſtus quæ dona in nobis infundat,ibid.
Chriſtus aliter ſaluat,& aliter ſancti.ibid.
Chriſtus vt exemplar nobis proponitur 198.1
Chriſtus an humano more oret pro nobis Patrem, ibid.
Chriſtus qualis ſit noſter propitiator.99.1
Chriſtus ſacrificium eſt pro peccatis,200.1.2
Chriſtus ſolus eſt perfectus propitiator, & non alius.201.1
Chriſtus quotupliciter propitietur.ibid.
Chriſtus aliter propitiator quàm ſacerdotes. 201.2
Chriſtus an ſe obtulerit in pretium pro hominibus vniuerſis.202.2
Chriſtus quomodo ſe obtulerit in pretium pro actu damnatis,203.1
Chriſtus quo ſenſu pro mundo non orat,ibid.2
Chriſtus eſt lux.170.2
Chriſtus aliter, aliter Angelus & homo illuminat, ibid.
Chriſti lucis efficientia in quibus operetur 171.1
Chriſtus an obumbratus fuerit aliquando ibid.2
Chriſti magnificentia an potuerit pro omnibus peccatis ſatisfacere.204 2
Chriſti fides quàm neceſſaria.237.2
Chriſtum negantes & Eccleſiam,quomodò dæmon conſoletur,238.1
Chriſtus iudex cur omnibus apparebit,244.1
Chriſtus quomodo ſit iuſtus,& iuſtitia noſtra, 248 2
Chriſtus ſolus poterat nos ab omni peccato mundare.257.2
in Chriſto manens an peccet, ibid. & an cognoſcat Deum.258.1
Chriſtus iuſtus fuit per eſſentiam.259 2
Chriſtus vbi mandauerit dilectionem fraternam, 264.2
Confeſſio Chriſti duplex eſt neceſſaria.295.1
Chriſti hominis quæ ſint propria.296.2
Chriſtiani quomodo debeant ſicut Chriſtus ambulare.293.2
per Chriſti pedes quid intelligat Scriptura.214.2
Chriſtianorum ordo quomodo ſit diſtribuendus. 221.1
Chriſtiani quibus armis malignum vincant, 275.1
Chriſtus quomodo emiſerit aquam cum ſanguine. 306.1
Chriſtus quomodo venerit per aquam & ſanguinem.ibid.2
inter Chriſtum, Moyſem, & Ioannem diſcrimen, ibid.
Chriſtus cur ſit via & veritas.307.1
Chriſti teſtimonium de Trinitate quantum robur habeat.309.1

de Chriſto quotuplex teſtimonium præbere debeamus.311.1
Chriſti duo effectus.3 71
Circumciſionis infirmitas.81.2
Clerus quid, & quomodo Clerici ſint forma gregis.103.1
Cœlum & terra an ex aqua, & per aquam ſint effecti.135.1
Cœli propria acceptio in Scripturis,ibidem
Cœli quomodo conſiſtant per aquam,ibid.2
Cœlos igne diſſolui,an ſit à motu deſiſtere.138.2
Cœli an ſint ſyderei, vel elementales, ibid.& de hoc Ariſtotelis opinio refellitur.
Cœlum quotuplex 139.2
per Cœlum nouum, & nouam terram quid intelligatur in Scripturis.140.2
Cœli materia an ſit diuerſa à materia cœli, contra Ariſtotelem,ibid.
Cœli & inferni diuerſa loca.195.1
Cognitio Dei cum mendacio qualis.210.2
Cognitio diuerſa Chriſti puerorum,adoleſcentum, & ſeruûm.213.2
Collega,ſodalis,ſocius,in quo differant.157.1
Communicatio bonorum ſpiritualium quomodò eſt ſine inuidia,ibid
Concordia Petri & Pauli in docendo.56.2
Concupiſcentiæ effectus quis ſit.14.2
Concupiſcentia vna & multiplex.57.1
Concupiſcentiæ fuga quæ.116.2
Concupiſcentia quæ ſpiritualis,& quæ carnalis, ibid.
Concupiſcentiæ motuum duplex emundatio.178.2
Concupiſcentia in renatis remanens an ſit peccatũ. 180.1.& cur peccatum appelletur,ibid.& quid de hoc ſentiat Auguſtinus,ibid.2
Concupiſcentia in non baptizatis an ſit peccatum 181.2
non Concupiſcere,quomodo ſit dictũ in lege. 181.1
Concupiſcentia carnis,& oculorum quid ſit.217.2
Concupiſcentia triplex in Adam, & eius in Chriſto victoria.232.1
Concupiſcentia mundi an tranſeat,ibid.
Confeſſionis variæ acceptiones in Scriptura.184.1
Confitendi falſi modi qui.184.2
Confeſſionis veræ conditiones quæ.185.1
Confeſſio generalis cur minimè ſufficiat ad ſalutẽ 47.2
Confeſſionis ſacramentalis fructus.48.1
Conſcientia hominum quando negligenda.76.1
Conſcientiæ teſtimonium non ſpernendum. 263.1
Contemptus noſter de diuina ſocietate vnde proueniat.167.1
Contentionum quot ſint genera.54.1
Conuerſatio inter Gentes bona, quæ.73.2.& eſt neceſſaria, ne Gentiles obtrectent, ſed glorificent Deum,ibid.
Conuerſio peccatoris,cùm ſit Dei, cur homini tribuatur 49.1
Cor homines quomodò ornet.79.1
Cordis noſtri triſtitia vnde.171.1
Corona vitæ & iuſtitiæ cur à Paulo immarceſſibilis,& à Petro ſpei nominetur.12.1
Corona gloriæ immarceſſibilis quantum præmiũ 103.1
Corpus circumducere,quid ſit.30.2
Creaturis cur ſe Deus communicet.157.1
Credere Deum,& credere in Deum, quomodò differant.26.1
Crudelis apud Deum nullam miſericordiam inueniet.20.1
Crucis encomia.64 1
de Cultu fœminarũ leges Petri omni tempore conueniunt.80.1
Cupiditas radix omnium malorum.56.2
Cupiditates hominum variæ,ibid.
Cuſtodiæ erga ſe modus.255.1

D.

DÆmonum illuſiones in lamijs.92.1
Dæmonis ingenium,leonis ſimile.105 1
Dæmonis aſtutia.106.2
Dæmones quando ſuſtinebunt extremam damnationem.125.1
Dæmonum qui nondum ſunt in terrarum detruſi, qui locus,ibid.2
Dæmones cur ceciderint.125.2
Dæmones mali vnde.337.1
Dæmones quomodo dereliquerunt ſuum principatum 334.1
Dæmonum ſuperbia vnde oriatur.272.2
Dæmonis conatus in hæreticis impotens.305.1
Dauid cùr immutarit vultum, vt comederet panes propoſitionis.67.2
Delictum inceſſabile quod.130.2
Deprecatio iuſti quantum valeat apud Deum. 41.2
Deprecatio & oratio in quo differant,ibid.
Deſideria prophetarum pia 86.1
Detractio vnde dicatur.66.2
Detractio quid ſit.39.1
Detrahit quis Legi,ibid.2
Deus neminem tentat, etſi aliquando in Scriptura tentator dicatur.12.2
Dei miſericordia extollitur.11.1
Deus cur dicatur intentator malorum.12.2
à Deo vir reprobus cur non tentatur.13 2
Deus nemini dedit ſpatium peccandi.14.1
Dei permiſſio ſæpè dicitur in Scriptura,ibid.1. 2
Deus cur pater luminum dicatur.15.2
Deificatio quid ſit.59.2
Dei in peccatores magna ſeueritas.86.1
Deus quot annos expectauerit peccatores ad pœnitentiam.87.1
Deus cur Noe per arcam ſeruauerit,cùm aliter poſſet,ibid.
Dei promiſſio quæ maxima ſit.116 1
Deus vnde maximè celebretur.126.1
ante Deum mille anni, cur vnus dies dicantur. 137.1
an Deus voluerit aliquos perire,ibid.2
Deus cur condiderit cœlum aliquando diſſoluendum.140.1
Dei ſolius proprium quid ſit 152.1
Deus omnia eſt incontractè,ibid.
Dei potentia quatenus in incarnatione terminetur. 154.2
Deum eſſe fidelem, ex quibus oſtendatur. 186.2.& humana infidelitas,aduerſus Deum, ex quibus? ibid.
Deus qualem ſe præſtitit in baptiſmo, & confeſſione.194.1
Dei eſt gratiam infundere, & animam rationalem creare.194.2
Dei eſſe ab eſſe creaturæ in quo differat.163.1
Dei motus qualis ſit.169.2
Deus lux eſt immenſa.170.1.2
Deus cur varijs nominibus appelletur in Scriptura, ibid.
Deus quibus ſit lux inacceſſibilis.171.2
Deus mundo non comprehenditur 205.1.2

Deus amor eſt dupliciter. 211.1
Dei voluntatem faciẽs, quomodo in æternum maneat. 230.1
Dei cognitio qualis. 242.1
Deus quomodo in nobis abſcondatur. 243.2
Deus an ſit iuſtus 249.1
Dei amor erga homines. 251.1
Deus ſine ſpecie vlla per ſe immediate videtur, 254.1
Dei quid ſit proprium. 257.2
Deum an aliqui viderint. 292.1
Deus qua dilectione delectetur. 298.2
in Deo quomodo ſimus, 213.1
Deus quomodo ſit imitabilis per Chriſtũ. 21.3.2
Deus nullum finem extra ſe habet. 265.2
Deus aliter hominibus vitur, & aliter dæmon 268.1
Dei filius quã cõuenienter ſit incarnatus. 268 2
Deus an puniat bis in idipſum. 340.1
Diabolus ſemel victus aliquando victorem iterum propulſat. 38.2
Diaboli draconis voracitas, & quos laceſſat. 105 (2.
quæ Diaboli opera diſſoluat Chriſtus. 290.
in Diaboli pugna nos fortiores, ibid.
Diabolus cuius mundi princeps dicitur 173.1
Diabolus recte accuſator nominatur in ſacris literis. 260.2
Diaconorum officium quale 95.1.
Dilectionis conditiones quæ. 226.2
Dilectio inimicorum an ſit præcepta. 191.1.
Dilectionis præceptum an ſit nouũ, vel vetus, 184.1 & quomodo fuit innouatũ a Deo. ibi.
Dilectionis proximi præceptum an fuerit ſemper in populo Iudaico. 217.1
Dilectionis præceptum quam late patet. 265.2
Diligentes fratres de qua morte ſint ſublati ad vitã: & in qua maneant nõ diligentes. 267.2
Dilectio fraterna quam neceſſaria in Eccleſia. 219.1
Dilectionis præcepti de moriẽdo pro proximo, tres ſunt conditiones. 269.1
Dilectionis pceptũ quomodo obſeruetur. 301.1
Diligere in veritate, & ingredi in veritate, quid ſit. 334.1
Diſtinctio ſedium Epiſcopalium à quibus facta ſit. 100.2
Ditioni Eccleſiæ ſpirituali, an ſit annexa temporalis. 101.2
Diſcipulus quomodo quis fiat verbi, & Angelorum. 242.2
Diuinæ naturæ quid ſit proprium. 150.1
Diuiſio & partitio quam neceſſaria in doctrina 146.2
Diues in ſua humilitate, & humilis in ſua gloriari debent. 11.1.
Diuitiarum inconſtantia, ibid. 2
Diues quomodo in itineribus ſuis emarceſcat, ib.
Diuites oppreſſores pauperũ, quomodo faciãt eos blaſphemare nomen Domini. 21.2
quos Diuites Iacobus reprehendat. 22.1.
Diuitum miſeriæ, & ærumnæ 42.1
Diuitiarum voracitas, ib.
Diuites in quibus nouiſſimis diebus theſaurizent ſibi iram, 42.2
Doctrinæ conditiones quot. 147.1
quam Doctrinam non capit auditor, ib. 2
Doctor veritatis qualis. 259.1
Doctor ſine zelo gloriæ qualis ſit. 147 1.
Doctori bona vita quam neceſſaria ſit, ib.
Dominus etſi differat venire, cur non debeam ingemiſcere, 44.1
Domus ſpiritualis quæ 69.1
Donorum Dei quis finis 95.1
Dona diuina vnde proueniant. 115. 2.
Dona an ſint infuſa, vel acquiſita, difficile eſt cognoſcere. 308 2.
Donum ſpiritus diſcernendi, quibus competat. 270.2. & qui ſint veri diſcretores, ibid.
Dona Dei quanta ſint, & quatenus nobis communicentur. 330. 2.
Durationis menſura triplex. 149. 2.
Duplices animo inconſtantes ſunt in omnibus viis ſuis. 10. 2.
Duplici animo homines quæ duæ res reddant, 11. 1.

E.

Eccleſia pro quibus non ſacrificet, licet oret. 201. 1.
Eccleſiæ mos circa Catechumenos. 204. 1.
Eccleſiam ſacrificare pro infidelibus & paganis quomodo dicatur ibid.
ab Eccleſia quomodo quis diſcedat, 224. 1.
Eccleſiæ ritus & ceremoniæ quæ. ibid.
Eccleſia quæ ſit vera, ibid. 2.
an Eccleſia poſſit orare pro magnis peccatoribus. 239. 2.
an Eccleſia poſſit orare pro animabus purgatorij. 322.1.
Electiones variæ in Eccleſia 55. 1.
in Eleemoſyna quis ordo ſeruandus. 260. 1.
Eliſabethæ Angliæ Reginæ incredibilis ſuperbia & arrogantia. 129. 2.
Elephantorum mira ſolertia 32. 1.
ad Epiſcopatum qui inepti. 98 2.
Epiſcopatus vniuerſalis qualis omnibus Eccleſiæ præpoſitis ſit traditus. 101.1.
Epiſcopatus an ſit vnus, cuius à ſingulis in ſolidum pars teneatur, ibidem.
Epiſtolæ Canonicæ quibus de cauſis Canonicæ nominentur. 2.1.
Epiſtolæ Canonicæ cur dicantur. ibid.
Epiſtolæ Canonicæ cur ſint ſeptem, ibid.
Epiſtolæ Canonicæ cur ſint præfiguratæ, ibid.
Epiſtolarum Canonicarũ quæ ſit autoritas, ib.
Epiſtola Iacobi cur primum locum teneat inter Canonicas, 4.2.
Epiſtola Iacobi ad quos ſit ſcripta, ibid.
Epiſtola Iacobi argumentum. 6. 1.
Eques Chriſtianus tria debet habere. 296.1.
Errare a veritate, quid ſit. 48. 2.
Erroris notatur Eraſmus circa Trinitatem. 309 2.
Eſſe & non eſſe quæ dicantur in Scriptura. 217. 2.
Euangelii & legis diſcrimen 57 1. & 240.1.
Euangelicæ veritatis quanta eſt vis. 330 1.
Euangelii præcones quales eſſe debeant, & duo ordines eorum. 334.1.2.
Exultare in ſuperbia quid ſit. 41. 1.

F.

Fabulæ nomen quæ dicat. 84 2.
Fidei probatio quomodo patientiam operatur. 8.2.
in Fide qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris. 10.2
Fidei inefficacia operibus deſtitutæ contra hæreticos oſtenditur. 10. 1.
Fides ſi ſine operibus iuſtificat, quomodò mortua eſt illis deſtituta. 242.2.
Fides mortua quid intelligatur apud Iacobum 251.
quæ Fides ſit dæmonum. 20.1.

Fides ſola abſq; operibus, cur vocetur inanis 26. 2. (& 28. 1.
Fides mortua cur cadaueri aſſimiletur, 21. 1.
Fides vnde roboretur, 582.
de Fide quiſq; paratus eſſe debet reddere rationem, 81. 2. & hæretici concedentes omnibus hoc officium refelluntur, ibid.
Fides, humanæ rationis ſubſidia non reſpuit, 162. 1.
Fidei in Deo, fiduciæq; fortitudo, 97. 1.
Fidei habitus neceſſarii ad bene operandum
Fides quæ requirat, ibid. (175. 1.
Fidei Catholicæ antiquitas, & hæreſis nouitas. 224. 2.
Fidei quæ ſufficientia ſit ad ſalutem, 238. 2.
Fidei effectus, 245. 1.
Fidei fructus quantus, 194. 2.
Fidei noſtræ ſumma & caput. 300. 1.
Fidei quot ſunt filiæ, ibid.
Fidei virtutes Charitate inſtauratæ, 303. 2.
Fideles quomodo ſunt propitiatores, 201. 2.
Fiduciæ nomine & confidentiæ quid ſignificetur in Scriptura, 245. 2.
Fiducia quid ſit re, ibid.
Fiduciæ qui effectus. 245. 2.
Fiduciæ quod ſit obiectum, & in qua potentia ſubiectetur. 246. 2.
Fiduciæ ſubiectum quid, 247. 1.
inter Fiduciam & ſpem quod ſit diſcrimen, ib. & 248. 1.
Fiduciæ proprietates quæ ſint in Scriptura,
Fiducia an maneat in beatis. ibid. (242 1.
Fiducia an ſit neceſſaria in adulto, 248. 1.
Fiducia inanis hæreticorum, 255. 1.
Filii Dei adoptiui qui ſint. 114. 1.
Filium Dei negans, an Patrem habeat æternum, 258. 1.
Filiationis diuinæ beneficium quale & quantum, 95. 1.
Filius Dei aliter fuit Iudæus, & aliter Chriſtianus, 252. 1.
Filii Dei quid præſtare debeant, ibid.
Filiatio Dei quæ ſit, vel dæmonis, ibid.
inter Filiationem naturalem, & ſupernaturalem quæ ſit ſimilitudo, 260. 1.
Filius Dei, qualem vitam à nobis poſtulat, 155.
Filiorum Dei, & diaboli diſcrimen, 243. 2.
Filiorum Dei paucitas, vnde 277. 1.
Finis Domini quis, 44. 1.
Fontes abyſſi qui rupti ſunt in diluuio, 136. 1.
Forma docendi quæ ſit vera, 299. 2.
Fortitudo vnde proueniat ſenibus & adoleſcentibus, 255. 1.
per Fluctus maris quid intelligatur in Scriptura. 344. 1.
Fratres mei cur appellentur à Paulo, 48. 2.

G.

Galatiæ & Aſiæ quæ prouinciæ, 156. 2.
Gaudium omne quid ſit in Scriptura. 8. 1.
Gaudium quomodo in tentationibus inueniatur, ibid.
ad Gaudium propenſio hominis vnde ſit, 166. 1
Gaudii plenitudo in quibus conſiſtat, ibid.
Gaudium cœleſte percipi quæ impediant, 168. 1
Generatio ſpiritualis quid, 64. 2.
Gloriæ ſtatus qualis, 122. 1.
ſine Gratia nemo aſſequi poteſt ſcientiam diuinorum myſteriorum, 60. 2.
Gratia cur nobis dicatur offerri, 62. 1.
Gratia quæ ſit illa quæ communicanda eſt, 94. 2.
Gratia quæ ſit multiformis, ibid.
Gratia æqualis quæ ſit, 113. 2.
Gratia Dei quomodo augmentum capiat in nobis. 143. 1.
Gratiæ in nobis exiſtentis an ſit certitudo, 150. 2.
Gratiæ Dei duplex argumentum, 263. 1.
Gratiæ ſigna in nobis, 2. 293. 2.
Gratia aliquando ſumitur pro gaudio, & è contra in Scriptura. 334. 1.
Gratiæ diuinæ quæ ſit lex, 340. 2.
Gubernatio Cleri quam mitis & benigna 103. 1

H.

Habere, quid ſignificet in Scriptura, 314. 1.
Hæreditas incorruptibilis quæ ſit, 57. 1.
Hæreditas cœleſtis cur dicatur incontaminata, & immarceſſibilis, ibid.
Hæreditas hæc vbi conſeruetur, 57. 2.
Hæreditas hæc quibus aſſeruetur, ibid.
Hæreditatem hanc adeundi quod ſit tempus, 58. 1.
pro hæreditate hac conſequenda, quid faciendum. ibid.
Hæreſes vnde ortæ, 124. 1.
Hæreſis eſt voluntaria & libera, 165. 2.
Hæreſis natura, 268 1.
Hæreticorum mores, & quando eis occurrendum, 124. 1. 2
Hæretici quales mercatores, 126. 1.
Hæreticis impoſtoribus quæ vltio diuina inſtet, 125 1.
Hæreticorum quinq; vitia præcipua, 129. 2.
Hæreticorum diſcipuli ſimiles ſuis magiſtris, ibid. & 130. 1.
Hæretici quo dæmonibus priores extant, & quo tandem tendant, 130. 1.
Hæretici diſcipuli Epicuri, 130. 2.
Hæretici quales habeant oculos, & qualem hypocriſim, ibid.
Hæretici diſcipuli Balaam in auaritia, 131. 1.
Hæretici cur dicantur nebulæ, ibid. 2.
Hæretici cur ſerui corruptionis, ibid.
Hæretici cur dicantur illuſores, 134. 1.
Hæreticorum peruerſitas in intelligenda Scriptura. 142. 1.
Hæretici quales ſe haberi velint, ibid. 2.
Hæretici ſunt falſarii Teſtamentorum, ibid.
Hæretici quot modis Scripturas deprauent, ibid.
Hæreticorum Eccleſia qualis, & quam peruerſi eorum mores, 225. 2.
Hæreticorum doctrina qualis, 219. 2.
Hæretici qualem confingant ſatisfactionem Chriſti, 258 2.
Hæreticorum fides qualis, 272. 1.
Hæretici quomodo ſoluant Ieſum, 273. 1. 2.
Hæretici cur dicantur arbores autumnales, & bis mortuæ, atq; nubes inaquoſæ, 343 2.
Henoch cur dicatur ſeptimus ab Adam. 344 2.
Hieronymi de cœlorum interitu opinio, 139. 2.
Homo verus quibus rebus nutriatur, 41. 2.
Homines non ſemper ſuaſu dæmonis peccata committunt, 1. 8 1.
Homines impii cur perire dicuntur, 136. 2. & pii cur ab igne pariantur, ib.
Hominis vita alia naturalis, alia ſupernaturalis, 253. 2.
Hominis ſpiritualis quis cibus, 253. 1.
Hominum propenſiones vnde proueniant. 229. 1.

Homo

Homo habens ſemen Dei,an peccet,263.1.
Hora nouiſſima quæ dicatur, 250.2.
Hoſpitalis quis ſine murmuratione,94.2.
Hoſpitalitatis fructus quanti, 355.1.
Hoſtia acceptabilis duplex,68.2.
Humanæ naturæ cum diuina colligatio. 200. 1. & beneficia ex ea conſecuta, ibid.
Humanitatis Chriſti eſt tabula qua tegebatur arca, virga, Tabula, & vrna, ibid. 2.
Humana ſapientia quod veſtigium Euangelii non potuerit attingere, 315. 1.
Humilitas ab omnibus debet inſinuari, 104.1.
Humiliari ſub potenti manu Dei quid ſit, ib.2.
Hyperbaton, & Hyperbaſis quid ſit,149.1.

I.

IAcobi epiſtola vtrùm ſit Apoſtolica,1.1.
Iacobi Epiſtolam cur Lutherus reiecerit, & Caluinus admiſerit,ibid. 1.2.
Iacobus quis ſit, 3. 2.
Iacobus cur dicatur minor, 4. 1.
Iacobus quid Hebraicè ſignificet, ibid.
Iacobus de qua Iudæorum diſperſione mentionem fecerit in ſua epiſtola,51.
Iacobus cur ſeruus Ieſu Chriſti dicatur,5.2.
Iacobus cur in ſua epiſtola exordium ſumat ab exhortatione & conſolatione fratrum, 7. 2.
Iacobus cur appellet fratres,& non filios, 8. 1.
Iacobus quem ſcopum habeat in 4. cap. ſuæ epiſtolæ, 28. 2.
Iacobi Apoſtoli modeſtia,30. 1.
Iacobus quæ iudicia non damnet,39 2.
Iacobus & Iudas quam artem coluerant ante Apoſtolatum,43. 2.
Idololatria quomodo ſit fugienda, 316. 1.
Ieſus quomodo ſit mundi ſaluator, cum multi pereant, 295. 1.
Ignorantia & mors cur nominentur peccatum, 180. 2.
Immiſericors triplex homicidium committit, 263. 1.
Impius & peccator,in quo differant,96.2.
Impiorum ſeuera punitio in die iudicii, ibid.
Impoſtores cur cani & ſui comparentur,132.2.
Incarnationis beneficiũ quam magnũ, 289. 1.
Incarnationis beneficium reſpicientes quales cenſeri debeant. 290. 1.
Indiæ Occidentales vnde cognoſci cœperunt, ibidem. (157. 2.
Infinitatem an poſſit Deus tribuere homini,
Ingratitudo in quibus ſit maximum vitiũ,20 1.
Innocentiam an poſſit vnuſquiſq; ſeruare,Deo adiuuante, 141. 1.
Inſitionis quotuplex ſit genus,17. 1.
Inſitionis Euangelicæ quis effectus, ibid.
Inſitum verbum quid ſit apud Græcos,ibid.
Inſpirationes quæ probandæ,113.1.
Inuidiæ morbus,& quæ eius ſtultitia, 66. 1.
Inuidia vnde oriatur, 266. 1.
Ioannes cur nomen ſuum prætermiſerit in ſua epiſtola, 144. 1. 2.
Ioannes Baptiſta,quã fortis puer Chriſti.225.1.
Ioannes cur ſcripſerit Euangelium,228. 1.
Ioannes cognomento Marcus, non fuit autor Apocalypſis, 350. 2.
Ioannes an viuat adhuc, 351. 1.
Ioannes an ſit vnus ex duodecim Apoſtolis, 351. 2.
Ira cur iuſtitiam Dei non operetur,16.2.
Ira ſanctorum aduerſus peccatores qualis fuerit, 2. 1.
Iraſcendi vis quam fortis, 147. 2.
Iraſcibilis virtutis quod ſit officium, 254. 2.
Iudæorum diſperſio qualis fuerit. 5.1.& 51.1.
Iudæi quæ optabant, cur minimè conſequerentur, 36. 2.
Iudæi cur comparentur infantibus, 66.1.
Iudæi in Chriſtum lapidem impegerunt, 70. 1.
Iudæi fideles cur genus electum,ibid. 2.
Iudæi quare dicantur aduenæ & peregrini, & quis primus eorum, 73.1.
Iudæi cur oues errantes dicantur, 77. 1.
Iudaici populi imperfectiones à Chriſto ſublatæ, 218. 1.
Iudæorum impietas in Chriſtum.344.2.
Iudæorum incredulitatis quæ cauſa,223. 2.
Iudicii interni quæ ſint fundamenta,264 1.
Iuramentum quod prohibitum ſit, quodve licitum, 45.1.
Iuſti cur in hoc mundo patiantur, 96. 1. 2.
Iuſtitiæ viam non cognoſcere,quid ſit, 152.1.
Iuſtitia Dei quotuplex, 164. 2.
ad Iuſtitiam quæ requirantur,ibid.
Iuſtitia creata & infuſa vnde pendeat, ibid.
Iuſtitia Chriſtiana quibus rebus conſeruatur, 174. 1.
Iuſtitiæ quæ duo maximè aduerſentur, 179. 1.
de Iuſtitia Lutheri dogma,ibid. 2.
ad Iuſtitiæ conſeruationem quæ ſint neceſſaria 68.1. 2.
Iuſtitia humana quæ ſit, 149. 1.
Iuſtitiam facere quid ſit, ibid. 2.
Iuſtitiam quis faciat, 259. 2.
Iuſtitiæ Chriſtianæ quotuplex pars ſit, 265.1.

L.

LAc ſugere de vbere Eccleſiæ,quid ſit, 66.2.
Lac quibus ſit alimentum, ibid.
Lac rationale an intelligatur de Euchariſtia ibidem.
Lac quid myſticè ſignificet, 68. 1.
Lætitia cœleſtis cur inenarrabilis dicatur,67.1.
Latria & dulia quid differant, 341. 1.
Legati partes quæ,163. 1.
in Lege perfectæ libertatis perſpicere,quid ſit,
Lex regalis quid ſit apud Iacobum, 21 2.(18.1.
Legem totam obſeruans, offendens in vno, quomodo fiat omnium reus, 19. 2.
Leges quæ iuſtæ, 21.1.
Legis officium quod ſit, 256. 2.
Legis Chriſtianæ quæ ſit ſumma,264. 1. 2.
Legis veteris & nouæ diſcrimen,217. 1.
Legiſlator & iudex quis ſit,39. 2.
Leonis rugitus vis quanta, 105. 1. & ſequentib.
Libertas quomodo poſſit ſtare cum potentia non peccandi, 284 1.
Libri nomine autoris carentes, cur euulgari nequeant,145.1.
Lignum vitæ quid myſticè ſignificet, 166. 1.
Lingua,etſi membrum modicum, cur magna exaltat,31 1.
Linguæ pernicies immenſa, ibid.
Lingua cur inflammet rotam natiuitatis noſtræ, ibid 2.
Linguã an aliquis hominũ domare poſſit,32.2
Lingua cur ſit inquietum malum, 13. 1.
Locutio Dei cum hominibus qualis fuit,169.1.
Longanimitas Chriſti in Iudæos, 43. 1.
Longanimitas noſtra qualis eſſe debeat, ibid 1. 2.
Lucerna ardens quæ, 121. 1. (122. 1.
Lucifer qui oritur in cordibus noſtris quis,

in Luce ambulare quid, & quomodo, 174. 2.
in Luce aliter eſt Deus, & aliter homo, ibid.
in Luce Trinitatis veſtigia cernuntur, 169. 1.
Lucis, Chriſti effectus quantus, 2. 7. 2.
Lux creata & increata in quo differant, 174. 1.
Lumbos mentis habere ſuccinctos, quid 62. 1.
Lumen quodnam ſit, ad quod nos Deus vocat 71. 2.
Lumine verbi diuini indiget homo ad capiendam æternitatem, 155. 1.
Lumen triplex, quo Deus ſe vnit creaturæ rationali, 74. 1.
Lumen gloriæ præuium Dei viſione, 253. 2.
Lutheri impudentia, 129. 1.
Lutherana hæreſis quantum ſerpat. 143. 1.
Lutherus vnde hauſit doctrinam de ſacrificio Miſſæ, & de Sacerdotio Euangelico, 167. 1. 2.

M.

MAgiſter ſententiarum notatur de intellectu erga charitatem Dei in nobis exiſtentem, 295. 5.
Magiſtri fieri volentes, quid peccent, 29. 2.
Magiſtrorum bonorum quale præmium, 30. 2.
Mahumetanorum obſcœna impudicitia, 92 2.
qui Maledicit homini, & Deo ipſius malefactori maledicere videtur, 33 2.
Mali abundantia, quod non eſt in noſtra poteſtate, quomodo abiiciatur, 16. 2.
Malignus quid ſonet in Scriptura, 223. 1.
Malignus quomodo iuſtum non tangat, 323. 2. & quid per malignum, ibid & 324. 1.
Mandata Dei quæ, & quomodo cuſtodienda ſint, 209. 2.
Mandata Dei qui non ſeruat, fit mendax, 210. 1.
Mandatorum obſeruatio, argumentum eſt charitatis, 211. 1.
Mandatum dilectionis cur appelletur vetus, 252. 1.
Mandata Dei non eſſe grauia, nec impoſſibilia, 301. 1. 2.
Manichæorum error, 170. 1.
quas Manus, & quæ corda peccator debeat emundare, 38. 2.
Mariæ vocabuli triplex interpretatio, 147. 2.
Martyres quomodo ſint propitiatores ad Deum, 201. 2.
Martyrum & Virginum peculiaris doctrina, 241. 1.
Materiæ primæ quot nomina in Scripturis, (135. 2.
Memoriæ humanæ conditio, 124. 2.
Mendacium vnde ſit, 237. 1.
Mendacium & hypocriſis in quo differāt, 66 2.
Merces aliquādo accipitur pro punitione, 130 1
Merita bonorum operum, quomodò perdantur, 331 2.
Michael cur dicatur Archangelus, 343. 1.
Miniſtrare in fide virtutem, & in virtute ſcientiam & abſtinentiam, 117. 1.
Miniſtri Dei quomodo faciant concipere Chriſtum, 194. 2.
Miſericordia quomodo ſuperexaltet iudicium, 23. 2.
Miſericordia Dei quæ ſit magna, & quæ parua, (56. 2.
Miſſæ Græcorum ritus, 67. 2.
in Mœrorem riſus, & luctus in gaudium quibus vertatur, 39. 2.
Mons ſanctus quomodo dicatur, 120. 2.
Mortis genus quotuplex, 318. 1.
Moyſes quid ſonet in Scriptura, 306. 1.
Mulier in parendo imperat, 79 2.
Mulieres cur ſe ornent, 79. 1.
Mulieres quatenus poſſint docere, 329. 1.
Mundi pericula, 106. 1.
Mundus quotupliciter accipiatur in ſacris literis, 105. 1.
in Mundo eſſe, & eſſe de mundo, in quo differant, 207. 1.
Mundus quomodo contemnendus, 231. 2.
Mundus cur non cognoſcat Deum, 252. 2.
Mundi huius qualis ſubſtantia, 268. 2.
Mundus quos audiat libenter, 276. 2.
de Mundo eſſe, quantum malum ſit, 302. 2.
Mundanorum falſa pax ibid.
Mundus cur non agnoſcat Deum, 303. 2.
Mundum vincere, dupliciter oportet, ibid.
Mundus cur ſit tam fortis aduerſarius, ibid. 1. 2.
Mundus totus quomodo poſitus ſit in maligno, 361. 1.
Mutabilitas huius mundi, 16. 1.

N.

NAturæ noſtræ meta ad peccandum procliuitas, 23. 1.
Nero cur Paulum decollauit, 78. 1.
Neronis impudicitia, 91. 2.
Noe cur dicatur octauus iuſtitiæ præco, 128. 2.
Nomino, quid ſignificet in Scripturis, 171 1.
Notitia diuina quotuplex, 209. 1 & quis eius effectus, ibid. 2.

O.

OBcæcatio peccati quanta, 59. 1.
Obedientia & aſperſio ſanguinis Chriſti quomodo ſumatur, 53. 1.
Obedientiæ filius quis, 62. 1.
Occiſionis dies quis fuerit, 43. 2.
qui Odit fratrem, quomodo ambulet in tenebris, 58. 2.
Offenſio quomodo ſit in multis, 30. 1.
non Offendere verbo, perfecti viri eſt, 30. 2.
Operatiorum merces defraudata, exauditur à Deo, 42. 2.
Operum bonorum ſemen, quod 35. 2.
Opera bona quæ requirantur ad electionem, & prædeſtinationem, 333. 1.
Operum bonorum effectus, 118. 2.
Opera bona in Deum dirigenda, 299. 1.
inter opiniones diuerſas doctorum quid obſeruandum, 267. 1.
in Oratione quot ſint ſeruanda, 314 2.
Orationis exauditionis quod ſit tempus, 315 1.
Originale mundi cui Deus non pepercit, quod ſit, 128. 2.
Originale peccatum quid 181. 2.
Originale quomodo contrahant filii ex parentibus, 191. 1. & qua ratione extinguatur in nobis, 192. 2.

P.

PAnis quis confirmet cor hominis, 67. 2. & (ſeq.
Papa an ſit Rex. 71 1.
Paracletus quid ſit, 195. 1.
Parentum & Sacerdotum comparatio, 46. 2.
Paſtoris boni conditiones quales, 97. 1.
Paſtorum reſidentia & cura qualis, & an ſit iuris diuini, vel Eccleſiaſtici, 99. 2. & ſeq.
Paſtura ouium Chriſti quam aliena debeat eſſe ab auaritia, 102. 2.
Pater luminum, quid differat à Sole corporeo, 15. 2.
Pater æternus an aliquem iudicet, 62. 2.
Pater æternus quomodo Chriſtum ſanctificauerit, 255. 2.

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus quomodo ſint tamen inter ſe, 219.1
Patientia quomodo habeat opus perfectũ, ſeu perficiatur ipſa, 8.2
Patientia Iobis qualis & quanta, 44.2. 45.1
Patiens ſit ſimilior Chriſto, 81.2
qui Patiebantur pro Chriſto, quanti fiebant in primitiua Eccleſia, 99.1.
Patronus & aduocatus in quo differant, 196.1
Peccatum quale ſit, omittere in omni negotio, Si Dominus voluerit, 40.1.
Peccata quatuor quæ clament ad Deum, 42.2
an Peccatoribus aliquando præfinitum ſit ſpatium pœnitentiæ, 127.2
quæ Peccata nominantur pœnæ, 178.1
Peccatores ſumus & nominamur triplici de cauſa, 181.2
Peccata libera & non libera quæ ſint, 201.1
an Peccata omnia ſimul vitare poſſimus, 188.1
ſine Peccato vi nemo viuat, vnde fiat, 189.2
Peccatorum recordatio quid boni afferat iuſtis, 190.2
Peccatum Adæ quale fuerit, & quomodo poſteros obligare potuit, ibid.
Peccatum Adæ an fuerit diuerſum in Adamo & in poſteris, 191.1
Peccatum quid ſit, quotuplex, 199.2
Peccatum triplex, 256.1
Peccatum veniale & mortale in quo differant, 256.2
Peccatum quomodo ſit iniquitas, ibid.
Peccata quomodo dominentur in nobis, cum Chriſtus ea ſuſtulerit, 256.2
Peccatum faciens, an ſit ex diabolo, 259.2
Peccator an ſit filius dæmonis, 260.2
Peccata quotupliciter à Chriſto expietur, 291.1
qui Peccare nequeunt, qui ſint, 164.2
circa Peccatum mortale & veniale error Lutheri, Wicleffi & aliorum, 316.2
pro quo Peccato ad mortẽ non ſit orandũ, 318.1
Peccatum ad mortem quod ſit, ibid. 2
Peccati venialis effectus, ib.
Peccatum ad mortem & non ad mortem qui differant, 319.2. 320.1
Perſeuerantia in adepta remiſſione peccatorũ, neceſſaria, 208.1
Perſonarum proprietates quæ, 165.1.2
Perſpectio interna & externa, quæ, 158.1
Petitio a Deo quando impetret, 263.2
Petentes à Deo aliquid, quatenus accipiant ab illo, 30.2
Petri Apoſtoli officium, 50.2
Petri cum Paulo conciliatio circa locum Oſeæ, 72.2
Petri præclarum facinus, 54.1
Petrus cur exhortetur vxores ad virorum obedientiam, ibid.
Petrus quomodo ſit communicator glorię: cur obſecret, ſiquidem iubere poterat, 99.1
Petrus legislator dicitur, 100.1.
Petri tituli, contra Lutheranos, 104.1
Petri Apoſtoli nomen quotuplex, 113.1
Petro vnde innotuit genus mortis & tẽpus, 119.1
Petri & Pauli conſenſio in detegendis moribus hæreticorum, 92.2. 93.1
Petri & Pauli mors Romæ quam conueniens fuerit, 112.1
Phariſæorum error circa iuramentum, 45.2
erga Pios Dei prouidentia, 105.1
per Pœnitentiæ Sacramentum Deus nobis gratiam largitur, 185.1.2
Platonis inſtituta turpiſſima, 92.2
Polycarpi charitas, 49.2
Pontifex Romanus an teneat Eccleſiam inſolidum, ſicut cæteri paſtores, 101.1
Ponticorum ſacra impuriſſima, 91.2
Pontus quæ prouincia ſit, & quibus viris claruerit, 52.1
Poetorum voces quæ, 133.2
Poſteriora peccata cur ſint peiorá priorib. 132.1
Poſtulare in fide, quid ſit, 10.1
Poteſtatis iuſtæ quis finis, 74.2
Potentiarum noſtrarum ad percipiendum Deũ defectus quotuplex, 166.2
Prælati debent pauperibus ſubuenire, 2.602.
Præparatio ad mortẽ, eſt vera Philoſophia, 40.2
Præſcire & præſcientia quid ſignificet in Scripturis, 53.1.
Preces iuſtorum quantum valeant apud Deum, 264.1
Priuatus an debeat pauperibus ſubuenire ex lege diuina, 269.1
Probra pro Chriſto tolerata, merces patientiũ ſunt, 95.2
Prophetarum & Iob patientia, 44.2
Prophetici ſermonis firmitas quæ, 121.1
Prophetæ an dicantur, qui de Ethnicis futura dixerunt, 122.2
Prophetæ an interdum de corde ſuo loquerentur, ibid.
Propheta quib. modis in Scriptura dicatur, 171.2
inter Prophetas & Doctores diſcrimen, 176.1
Propitiatio quid ſit in Scriptura, 269.2
Propitiationis dies quis, ibid
Prouerbia quam vim habeant, 131.2
Prouerbium quid ſit, 132.2
Pudor & verecundia proprium hominis ſupplicium, 145.1
Pythagoræorum in magiſtrum reuerẽtia. 148.1

Q.

Quies ſummum bonum eſt, 265.1

R.

Rahab meretrix quomodo iuſtificata ſit, 20.1.
Redimere à mala cõuerſatione, qd ſit, 63.1
Regale Sacerdotium, & regnum Sacerdotale, qui differant, 71.2
Regnum Chriſti quale, ibid
an Regnum & Sacerdotium fecerit nos Chriſtus, ibid.
Rex quis præcellens, 74.2
Regula ad intelligendas Scripturas ex Auguſtino, 84.1
Religio quid ſit, & vnde dicatur, 19.1
de quibus Religioſis intelligatur, debere refrenare linguam ſuam, 18.1
Religio quæ ſit munda & immaculata apud Deum, 59.1
Religioſorum boni in Chriſti fideles quæ, ib.
de Religionis ingreſſu an conſilium peti debeat, 268.2
Renati cur concupiſcentiæ motus aliquando patiantur, 182.1
Reprobi non omnes à vulgo damnati, ſunt à Deo, 87.2
Reproborum confuſio in iudicio quanta, 144.2
Reſurrectionis Chriſti beneficium, 57.1
Reuelationes fidelium quomodo ſint probandæ, aut reprobandæ, 267.268.
cur Rogemus Deum, quæ ipſe ſponte nobis donat, 314.2

Romanorum nefaria conſuetudo in comeſſationibus & concubitis,92 1. & eam reuocarunt ab inferis Gnoſtici,& Sectarij, ibid.
Romanorum honeſta conſuetudo in publicis rebus,91.2
Romani Pontificis in Eccleſiam cura,98.2.
Romanæ Eccleſiæ prærogatiua. 238.1
qui Romani Pontifices poſuerunt animam pro grege ſuo,275.2
Rupes cauernoſæ quæ ſint, 343.2.

S.

Sacerdotium quod factum, 69.1
Sacerdotis & Leuitæ diſcrimen,70.2
a Sacerdote veteri qualem munditiam Deus exigat,18.1.
Sacrificium quotuplex in Eccleſiâ,69 1
ad Sacrificium Miſſæ offerendum qui idonei, ibid.
circa Sacrificium Miſſæ hæreticorum error reijcitur, 69.1
Sacrificium pro quibus non poſſit offerri; licet poſſimus orare pro eis,104.1
de Sacrificio legis nouæ doctrina Catholica, 88.1
Salutis ſumma quæ ſit,132.1
Salutandi qui fuerint varij modi,5.2
Sanctificatio facultatũ animæ & corporis,150.1
Sanctificatio quotuplex, 236.1
Sanctitas Dei qualis,251.1
Sapientiæ peritio quomodo pertineat ad patientiam comparandam. 7.1.& 9.2
Sapientiam quomodo det Deus,& alia dona omnibus affluenter,ibid.
Sapientia quid ſit. 10.1
Sapientia comes manſuetudinis,34.1
Sapientia quotuplex. 18.2
Sapientia quę non eſt deſurſum,quare animalis & diabolica dicatur, 34.2.
Sapientiæ diuinæ laudes,15.1
Sapientia diuina quam ſit pudica,pacifica,modeſta,ſuadibilis, plena miſericordiæ, & ſine ſimulatione,35.1 2
Saræ in Abrahamum reuerentia.80. 1
Satan quid ſignificet Hebraice,105.1
Sobrietas & vigilantia quid,ibid.
Schola Chriſtiana qualis debeat eſſe,17.2
Sciens quotupliciter ſumatur in Scripturis,pagin.41.1
Scientia duplex in Sacris literis,208.1
Scire & cognoſcere qualem ſcientiam ſignificant in Scripturis,265.1
Scientia qua quis nouit ſe in gratia eſſe,non eſt fomentum ſuperbiæ & arrogantiæ,213.1
Scripturarũ intelligentia initio Eccleſiæ quantum profuit: & cur modo non tantum ſit luminis in Eccleſia,110.2.111.1
Scripturę diuinę quo lumine ſũt tractãdę,122.1
Scriptura Canonica in quibus differat à cæteris, 236.2
Scripturis addere, vel detrahere, qui dicantur, pag.348 1
Secta perditionis quid ſignificet,124.2
Sedere ſecus pedes Domini,quid,148 1.2
Sedium diſtributio quæ vitioſa, 19.2.20.1
Seductor cordis ſui quis dicatur,19.1
Seductio quibus in rebus fiat.239.1
Seductio altera hæreſis,altera peccati, 259.1
Seductores cur fugiendi,ibid.
Semen Dei quotuplex, 263.2
Seminis diuini quanta ſit vis, 323.1
Semen incorruptibile,quid, 64.2
Senior vnde dicatur. 98.2
Senſibus internis & externis diuinum verbum explicatur, 155. 2
Serapis reſponſum quod fuerit de Trinitate, pag. 341.2
Seruorum vitium quod maximum,75.2
Serui in quibus debeant ſubijci dominis ſuis, 75.2
Simonia quid,95.1
Simonis Magi & Valẽtini amor pudicitię,129.1
Simonis Magi,& Cerinthi,de Chriſto blaſphemia,237.2
Simonis Magi & Lutheri error circa imputationem culpæ in Deum, 12 2
Societas fidelium cum Patre, & Filio gratia dicitur,164.1
Societati dæmonum renuntiandum,& Dei adhærendum, 165.2
Sodomorum punitio diuina,118. 2. & qui in ea adumbrati ſint,ibid.
Somnia quatenus probanda, 268.2
Speculum quot defectus patiatur,185.1
Spes viua quid ſit, 57 1
Spiritus in plurali aliquando in Scriptura pro mortuis accipiuntur,84.2
inter Spiritum veritatis & erroris, quod ſit diſcrimen, 42. 2
circa Spiritum hæreticorum inſania refellitur. 85.1
Spiritus ſapientiæ qualis,123.1
Spiritus ſanctus quæ vulnera curet, 236.1
Spiritus ſancti doctrinã multiplex,236.2
Spiritus ſancti vnctio vnde deſcendat, & quomodo in nobis permaneat: & quotuplex ſit, 240.1
Spiritus probare, quid, 266.1
Spiritus quomodo ſint probãdi à nobis, 267.2
Spiritus ſanctus quomodo habitet in nobis, pag.295.2
Spiritum ſanctum aliter Chriſtus, & aliter nos accipimus, 301.1
Spiritus ſancti teſtimonium quam efficax ſit, 312 2
Spiritus ſanctificatio quotuplex, 53.2.
Stipulatio in Deum qui ſit,89.1
Subditi eſtote,quid ſignificet,38.2
Suis ingenium quale,132 2
Superſtitiones quomodo dignoſcendæ, 270 1
Sydera errantia quæ ſint, 344 1
Syluanus quis fuerit, & cur fidelis dicatur, 105. 2.106.1

T.

Temporũ omnes perfectiones in Deo abſque imperfectione repetiuntur,150.1
Tempus quomodo conſeruari poſſit,215.1
in Tenebris ambulare,quid,172.1
Tenebræ quot ſint, ibid.
Tenebræ quę diuina ſocietate homines priuẽt ibid.
Tenebræ an ſint in Deo,171.1
Tenebræ an ſint in Chriſti humanitate, ibid.
Tenebræ Iudæorum quæ fuerint, 218.1
Tentationem ſufferens beatus efficitur,7.1
Terra noua ad quid futura ſit in fine ſeculorũ, 140.2
Teſtamenti noui dignitas & excellentia,151.1
Teſtes verbales qui, & teſtimonij martyrum præſtantia.99.1
Teſtis paſſionum quomodo fuit Petrus, 98.2
Theologia triplex de nominibus Dei,170.1
Timor Dei quotuplex,& qualis in damnatis,26.2

Timo-

Timor Angelorum qualis, ibid.
Timor Domini qualis, 62.2
Timor perſecutorum qualis,81.2
Timor&amor mūdi quæ mala operētur,226.2
Timor eſt virtutum cuſtos,294.2
Timoris & fiduciç effectus contrarij. 296.2
Timor ſeruilis non eſt peccatum; & qualis ſit, 397. 2
Timens Deum qua careat libertate,ibid.
Timor Dei non excludit beneficia,ibid
Torques & veſtes cādida quib⁹ conueniret.21.2
Tribulatio quantū conferat ad patientiā, 95.1
Tribulationum vtilitas,58.1
Tribulatio igni ſimillima, ibid.
Tribulati cur conſolentur ſocietate conſortium.406.2
Trinitatis ſanctæ myſterium à Petro inſinuatur,53.2
Triſtitia ſuſtinenda propter cōſcientiāDei.51.1
Tunica maculata quæ ſit 346.1
Tyranni quo Dei permiſſu ſæuiant in pios.82.2

V.

VElamen malitiæ quis habeat. 75.1
Venialia peccata quomodo remittantur, 186.1
Veniale peccatum quid ſit,187 2
ſine Veniali an iuſtus poſſit viuere 150.2
Verbum primo & proprie quid ſignificet, 159. 2.160 1
Verbi diuini ab humano differentia,ib.
Verbum aliter loquitur cum Patre & Spiritu ſancto:aliter cum Angelo & homine,152.1
de Verbo Dei Philoſophi philoſophantes cur euanuerint. ibid.
Verbum æternum quomodo ſit vita.151.2.& vnde vitam habeat. 153.1
Verbum diuinum qualem alimoniam præſtet homini.153.2
Verbi incarnati quanta neceſſitas 154.1
Verbum Patris quibus ſe manifeſtauerit.156 1
Verbi diuini effectus 157.1
Verbū Dei quomodo cōparetur ſpeculo.262 2
Verbi Dei incarnati triplex effectus.294.2
Verbum & Spiritus ſanctus aliter accipiunt lumen a Patre,171 2
Veritas pręſens quæ ſit.118.1
Veritas quid ſit.237.1
Veſtis candida, annulus aureus, & torques, quibus olim conuenirent 21.2
Vetus Teſtamentum & Nouum quomodo diuidantur.347.2
Victoria eſt comes bonæ cauſæ.242 2
Videre Deum ſicuti eſt, quid ſit, & de eius excellentia. 254.2
ad Videndum Deum quæ ſit via. ib.
Viri perfecti quid proprium,10.1
Vir inconſtans quis dicatur. ibid.
Viri nomine aliquando mulier intelligitur in Scriptura. 11.2
Vir reprobus cur non tenetur à Deo 13 1
Vir non refrænans linguam ſuā, qualis ſit.18 2
Viri quem honorem debeant exhibere vxoribus,& quod ſit eorum officium, 80.2 (152.1
B. Virgo an fuerit immunis ab originali.189.
B.Virgo an precem Dominicā dixerit.189.1.2
B.Virgo cur morti fuerit ſubiecta, cū à peccato fuerit præſeruata.192.1
Virginitas propter Chriſtum ſuſcepta, quam honorabilis, 329.2
Virtutes quas annunciare debent fideles,71.1
Virtutum Theologicarum officium.107.1
quæ Virtutes cum veniali poſſint eſſe. 318.1
Viſcera non debent claudi indigenti. 263.1
Viſio beatifica non erit æqualis omnibus.254.1
Viſio interna Dei quid conferat. 292.2
Viſus aliquando accipitur pro intellectu. 255.1.
Vita noſtra qualis ſit. 40.2
Vitæ huius pax & ſecuritas fugienda, 106.1
Vita bona ad conuerſionem infidelium quantum valeat. 74. 2
Vita re & nomine quid ſit,73.1
Vitæ diuinæ & æternæ perfectiones, 161.2
Vita diuina quomodo viuat in nobis.162 1
Vita æterna, cur dicatur repromiſſio, 239 1
Vita aliter eſt in filio Dei, aliter in nobis 313.1
Vitam æternam quomodo participemus.ib.
quæ Viuant proprie, vel improprie.152.2
Vnctio infirmorum an pertineat ad Sacramenti vnctionem 45.2
Vnctionis extremæ Sacramenti partes à Iacobo præſcribuntur.46.1
Vnctionis nomine quid ſignificetur in Scriptura 236.1
Vnctio quotuplex.ib.
Vnctionis effectus, ib.
Vnctio Chriſti quanta, & quis eius finis, ib.
Vnctio diuina quomodo permaneat in nobis; & quomodo in Filio & Patre. 238.2
Vnctio diuina magiſtros facit, 140.2. hi vncti non indigent humano magiſtro, ibi.
Vnctio diuina quid nos doceat,341.
Vnctis aliquando eſt externa doctrina neceſſaria, ibid.
Vnio hypoſtatica ſeptem modis poteſt à nobis concipi,154 2.155.1
Vnio Dei cum beatis quantam efficacitatem habeat,167.2
Vnionis diuinæ perpetuitas, ibid.
Vocationis beneficium, 107.1
Volatilia humanis artibus & ſolertiæ ſubiacēt. 32.1
Vomitus quid. 112.2
Vox omnium vocaliſſima quæ apud Deū,152.1
Vtile quid ſit in Scriptura, 24.2
Vultus & facies quomodo differant 11.2
Vxores continentiores viris debent eſſe.81.1

Z.

ZElus quotuplex ſit,28.1.
Zelus quid pariat.34 2

FINIS.

AD Laudem & gloriam omnipotentis Dei, & beatiſſimæ Virginis Mariæ, atque Catholicæ Eccleſiæ (cuius correctioni omnia ſubijciuntur) vtilitatem, anno Salutis noſtræ milleſimo ſexcenteſimo quarto, tertio Idus Septembris, vltima manus poſtremæ excuſioni operum P. Alfonſi Salmeronis, Societatis Ieſu Theologi, in ſexdecim tomos diſtributorum, impoſita eſt: quorum vndecim, Commentarios continent in totam Euangelicam hiſtoriam Domini noſtri Ieſu Chriſti: duodecimus in Acta Apoſtolorum: quatuor vltimi ſequentes, Diſputationes in Epiſtolas B. Pauli, Canones, & Apocalypſin.